R. P.

JACOBI LOBBETII LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

OPERA OMNIA

IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

HAC SECUNDA EDITIONE RECOGNITA, ET AUCTA

Tomis duobus: & inſuper, in aliis antea impreſſis, ſparſim aucta Quæſtionibus novis quàmplurimis, illuſtrata ſelectis Sanctorum Patrum ſententiis, Antiquorum præclarè dictis, & magnarum Virtutum exemplis, atque Hiſtoriis.

OPUS MAXIMA PARTE NOVUM,

& Concionatoribus, Paſtoribus, ac ſpiritualis vitæ Magiſtris atque Religioſis perutile.

TOMUS SEXTUS.

CONTINENS TRACTATVVM, SIVE CONCIONVM Aſceticarum de Virtutibus Partes III. quarum poſtrema nunc primùm prodit, uti & Pars unicà quæ ſubjungitur de Vitiis. Cùm Indicibus neceſſariis.

SOC. JESU BIBL. SEC. COLL. ROM.



LEODII,

EX OFFICINA TYPOGRAPH. JOAN. MATHIÆ HOVII,

Ad inſigne Paradiſi Terreſtris. M. DC. LXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISSIMO PRÆSULI
AMPLISSIMÓQVE DOMINO,
D. GVILIELMO NATALIS
EXEMPTI MONASTERII
SANCTI LAURENTII
AD LEODIUM
ABBATI,
CLERI SECVNDARII CIVITATIS
PATRIÆ AC DIOECESIS LEODIENSIS
CONSERVATORI APOSTOLICO,
DOMINO TEMPORALI IN ANTHINNES,
GLONS, VILLEREAUX, MASWYCK, &c.

PATRONO SVO AC MECOENATI
SALVTEM AC FELICITATEM.

HOc meum opuſculum publico donari patior anno ætatis ſeptuageſimo primo, aditæ Societatis quinquageſimo, ſenili quidem calamo, ſenili etiam mente atque ingenio; & ipſo annorum pondere depreſſo, & tacitâ quadâm ſtudiorum limâ extenuato: in quo proinde ſi quid minus cultum, & comptum ſit, ſi quid ſterile, atque effœtum, erit illud concedendum ætati: & hanc à nota probataque omnibus humanitate Tua gratiam expecto, REVERENDISSIME PRÆSUL, AMPLISSIMEQUE DOMINE, cujus Nomini inſcribere placuit *Tractatus hoſce Aſceticos.* Cui enim potiùs? Abbatem Te voluit ſuavis Dei provi-

providentia in antiquiſſimo juxta ac celeberrimo D. LAURENTII Aſceterio: Cordatum autem probavit Cor affixum ſcuto Tuo gentilitio: fortem denique, qui illud ſuſtinent Leones bini, animantium Reges, fortitudinis invictæ ſymbola. Ut ad Te liberiùs irent hi Tractatus mei, fecit Cor, amoris officina, amoris & teſſera, quæ & invitavit: Ut autem etiam tutiùs lumen videant, facient, qui illos tuebuntur, Leones Tui, ſi quis vel accipiter ungue malo carpere paret, ſi quæ & vulpes, lupúsve maligno dente mordere: hoc eſt (ut clariùs eloquar) ſi quis Zoilus & invidus, ſi quis auſterus, & faſtidioſus cenſor incurſet: ab hoc & illo ſub Tuis Auſpiciis tuti prodibunt, atque illæſi: unde mihi gratiùs accidet, quod (ut opinor) ultimi erunt animi mei partus: certè ultimos eſſe volui, quia *de Virtutibus*, quas luci dedi eo conſilio, ut dum illas legentium oculis objicerem: ſimul & animo meo eas imprimerem, mihique compararem velut divitem religioſæ mentis ſuppellectilem, quâ hîc ſpontaneè pauper, alteri ævo (hoc eſt æternitati) dives eſſe poſſim: utque poſſim, etiam calculo Tuo illos approba, REVERENDISSIME PRÆSUL, & mihi fave, felíxque vive Neſtoreos in annos; imò & in longiſſimam Æternitatem.

REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Leodio Anno 1662.
5. Decembris.

Humillimus in Chriſto ſervus & cliens

JACOBUS LOBBETIUS
è Societate IESU.

R. P.

JACOBI LOBBETII

LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

TRACTATVS ASCETICI

SIVE

CONCIONES ASCETICÆ

DE VIRTVTIBVS

AD OMNES CHRISTIANÆ

ET RELIGIOSÆ PERFECTIONIS

AMATORES.

PARS PRIMA.

INDEX
TRACTATUUM, QUÆSTIONUM
ET PARAGRAPHORVM.

TRACTATUS I.
DE AMORE DEI. pag. 1

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Cant. 2. v. 4.
§. 1. *Quis introduxit? quam? Et quæ cella vinaria.* p. 1.
§. 2. *Ordinavit in me charitatem. Ecquid illud ordinavit?* ibid.
§. 3. *Ordinavit in me charitatem. Quæ? qualis? & quanta illa charitas?* p. 2
§. 4. *Ordinavit in me charitatem. Qui ſint gradus caſti in Deum amoris?* 3
§. 5. *Ordinavit in me charitatem. Quæ, & quanta vis charitatis, & divini Amoris?* p. 4
§. 6. *Ordinavit in me charitatem. Quæ proprietates? quæ ſigna? qui effectus, & dona charitatis, & Amoris divini?* 5
§. 7. *Ordinavit in me charitatem. Incitamenta quædam ad Dei Amorem.* 7

TRACTATUS II.
DE AMORE PROXIMI. 9

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes.* 1. Pet. c. 4. v. 8. 35
§. 1. Ad illa verba: *Ante omnia.*
Cur ante omnia? 9
§. 2. Ad illa verba: *Charitatem continuam habentes.*
Quæ ſit illa charitas continua? 10
§. 3. *Mutuam in Vobiſmetipſis charitatem continuam habentes.*
Quæ ſint motiva ad mutuam illam charitatem? 12
§. 4. *Mutuam in Vobiſmetipſis charitatem habentes.*
Quæ ſit Regula mutuæ illius charitatis? 13

TRACTATUS III.
DE MANSUETUDINE. 15

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Pſal. 36. v. 11.
§. 1. *Quid ſit Manſuetudo?* 15
§. 2. *Qui ſint gradus manſuetudinis?* 16

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Manſueti autem hæreditabunt terram.* pſ. 36.
Quæ ſit illa terra? 18

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Delectabuntur in multitudine pacis.* pſ. 36.
Quæ ſit illa Pax? & quam varia? 20

TRACTATUS IV.
DE CLEMENTIA. 20

QUÆSTIO. I. MORALIS.

Ad illa verba: *Clementia præparat vitam.* Prov. c. 11. v. 19.
Quæ ſit Clementia? & quod inter Manſuetudinem, & Clementiam diſcrimen? 20

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Clementia præparat vitam.* Prov. c. 11. v. 19.
Quæ ſint Clementiæ partes? 22

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Clementia præparat vitam.* Prov. c. 11.
Quibus? & quæ via? 23

TRACTATUS V.
DE PACE ET CONCORDIA CHRISTIANA. 25

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Dixit eis Pax vobis.* Joan. c. 20.
Cur Chriſtus Magiſter optimus uſus ſit ea ſalutandi formula? Pax vobis. 25.

QUÆSTIO. II. MORALIS.

Cur tertiò dictum à Chriſto, Pax vobis. ibid.
§. 1. *Quæ ſit illa Pax hominis cum ſeipſo.* 26
§. 2. *Quæ media ad obtinendam pacem cum ſeipſo.* 27
§. 3. *Quæ ſit illa Pax cum Proximo?* 29
§. 4. *Quæ incitamenta ad pacem illam cum proximo.* ibid.
§. 5. *Quæ media ad pacem illam cum proximo?* 30
§. 6. *Pax cum Deo, & quæ ad illam via?* 31

TRACTATUS VI.
DE CASTITATE. 33

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate* Sap. c. 4. v. 5.
An Caſtitati benè juncta pulchritudo? 33

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate* Sap. c. 4. v. 5.
Quare cum claritate? & quæ ſit illa claritas? 35

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad eadem verba: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Sap. c. 4. v. 5.
Quæ ſint maximè opportuna ad ſervandam caſtitatem præſidia? 36
I. PRÆSIDIUM. A Deo, & Diva Matre Caſtitati petendum. ibid.
II. PRÆSIDIUM. A Sacroſancta Euchariſtia, ceu potenti Caſtimoniæ tutela. 37
III. PRÆSIDIUM. A SS. Virginibus, quæ cœlis additæ periclitantes de caſtitate adjuvant. 38
IV. PRÆSIDIUM. Ab Humilitate, diffidentia ſui, & fiducia in Deum. 39
V. PRÆSIDIUM. A celeri, & honorata fuga. 40
VI. PRÆSIDIUM. A circumſpecta, & rariore Virorum cum fœminis converſatione, & contra fœminarum cum Viris. 42
VII. PRÆSIDIUM. A carne edomita, & ſubacta. 43

TRACTATUS VII.
DE OBEDIENTIA CHRISTIANA ET RELIGIOSA. 46

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Domine quid me vis facere.* Actor. c. 9.
Quid ſit obedientia. 47

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Domine quid me vis facere. Quæ ſit perfecta Obedientia?* 48
§. 1. *Obedientia prompta.* 49
§. 2. *Obedientia cæca.* 50
§. 3. *Obedientia fortis.* 51
§. 4. *Obedientiæ merces ampliſſima participatio quædam divini numinis.* 52
§. 5. *Obedientiæ merces opulenta; omnis, morum, ac vitæ in melius mutatio.* 53
§. 6. *Inobedientiæ pœna.* 54
§. 7. *Obedientia Sanctorum etiam à felici obitu, ac beatitate.* 56
§. 8. *Obedientia animalium delata Viris ab innocentia vitæ illuſtribus.* ibid.

TRACTA-

TRACTATUS VIII.

DE OBSERVANTIA REGULARI. 57

Ad illa verba: *Cuſtodi legem, atque conſilium.* Prov. c. 3.

QUÆSTIO I. MORALIS.

Cur lex dicatur eſſentia? 58.

QUÆSTIO. II. MORALIS.

Cur eadem lex dicatur ſubſiſtentia? 59.

QUÆSTIO III. MORALIS.

Quæ incitamenta eſſe debent ad Legis, & Regularum obſervantiam?

I. INCITAMENTUM.

Ex illis verbis: *Erit vita animæ tuæ.* v. 22. 59

II. INCITAMENTUM.

Ex illis verbis: *Erit gratia faucibus tuis.* v. 22. 60

III. INCITAMENTUM.

Ex illis verbis: *Erit robur faucibus tuis.* v. 22. 61

IV. INCITAMENTUM.

Ex illis verbis: *Erit gratia docendi, prædicandi, &c.* ibid.

V. INCITAMENTUM.

Ex illis verbis: *Erit torques collo tuo.* v. 22. 62

TRACTATUS IX.

DE MODESTIA CHRISTIANA. 63

Ad illa verba: *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Ad Phillipp. c. 4.

QUÆSTIO I. MORALIS.

Quid ſit Modeſtia? 63.

QUÆSTIO II. MORALIS.

In quo poſita ſit ea Modeſtia? quæ ad illam incitamenta? Et qui ab ea maximè conſpicui? 64

TRACTATUS X.

DE CHRISTO PATIENTE. 66

QUÆSTIO. I. MORALIS.

Ad illa verba: *Vidi librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.* Apoc. c. 5. v. 1.

§. 1. *Quis ille Liber?* 66

Ch[illegible] ille Liber. 67

§. 2. *Quid in eo Libro foris & intus ſcriptum?* ibid.

I. *Charitatis compendium.* 68

II. *Obedientiæ miraculum.* 70

III. *Patientiæ prodigium.* 72

IV. *Humilitatis exemplum.* 74

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Vidi Librum ſignatum ſigillis ſeptem.* Apoc. c. 5.

Quæ ſint illa ſigilla ſeptem? 75

TRACTATUS XI.

DE TEMPORE BENE IMPENDENDO. 77

Ad illa verba: *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Ad Epheſ. c. 5. v. 16.

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Redimentes tempus.*

Quid ſit Tempus? quod ejus pretium? quæ jactura? quæve illius redemptio? 77

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Quoniam dies mali ſunt.* v. 16.

Qui ſint illi dies mali? 79

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Dies mali ſunt.* v. 16.

Si mali, qui è contrario boni? 80

QUÆSTIO. IV. MORALIS.

Ad eadem verba: *Quia dies mali ſunt.*

Quæ ratio ſervanda, ut dies vitæ noſtræ aliàs mali, boni ſint? 81

TRACTATUS XII.

DE NON JUDICANDO, MULTOQUE MAGIS NON CONDEMNANDO PROXIMO. 82

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Luc. c. 6. v. 37.

An ergo qui fratrem non judicat, non condemnat in terris, non ſit ipſe à Domino judicandus, nec condemnandus in cælis?

§. 1. *Ponuntur rationes, & confirmantur exemplis.* 82

§. 2. *Proponitur ratio excuſandi aliena delicta, potiùs quàm judicandi; aut etiam damnandi.* 84

§. 3. *Reſolvitur objecta quæſtio.* ibid.

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Dimittite & dimittemini.* Luc. c. 6. v. 37

An qui proximo dimittit in terris, ſibi ſentiat à Deo dimitti in cælis? 85

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Date, & dabitur vobis.* Luc. c. 6. v. 38.

Quis nexus inter date, & dabitur? 86

TRACTATUS XIII.

DE PATIENTIA CHRISTIANA, &c. 88

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Patientia opus perfectum habet.* Ep. D. Jacobi 1.

Quid ſit Patientia? 88

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad eadem verba: *Patientia opus perfectum habet.*

Quæ ſint potiſſimæ patientiæ partes? 92

§. 1. *Prima pars, ſeu primus Actus Patientiæ in morbis æquanimiter tolerandis.* ibid.

§. 2. *Pars ſecunda, ſeu ſecundus Actus Patientiæ in morte, cùm eam natura, seu debitum, à nobis exegerit.* 93

§. 3. *Pars tertia, ſive tertius Actus Patientiæ, exilium æquo animo ferre.* 94

§. 4. *Pars quarta, ſeu Actus quartus Patientiæ, proſcriptionem bonorum omnium forti animo excipere.* 95

§. 5. *Pars quinta, ſeu quintus Actus Patientiæ in injuriis bono nomini illatis.* ibid.

§. 6. *Pars ſexta, ſive ſextus Actus Patientiæ in toleranda inhoſpitalitate inurbana, & barbara.* 97

§. 7. *Pars ſeptima, ſeu Actus ſeptimus Patientiæ in conviciis, contumeliis, injuriis etiam ab eo acceptis, cui feceris benè.* 98

§. 8. *Pars octava, ſive octavus Actus Patientiæ in verberibus, aut plagis corpori perperam inflictis.* ibid.

§. 9. *Pars nona, ſeu nonus Actus Patientiæ in morte per vim, & nefas, aut parata, aut etiam illata.* 99

§. 10. *Pars decima, ſeu actus decimus Patientiæ in morte propinquorum æquanimiter toleranda.* 100

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad eadem verba: *Patientia opus perfectum habet.*

§. 1. *Quod, & quomodo perfectum opus habeat patientia?* 101

§. 2. *Patientia opus perfectum habet in exemplari ſuo, ideſt Deo, & Deo homine.* 103

TRACTATUS XIV.

DE VICTORIA SUIIPSIUS. 104

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Sapientis verba: *Certamen forte dedit illi ut vinceret.* Sap. c. 10. v. 12.

§. 1. *Quod illud certamen forte, & quæ victoria?* 104

§. 2. *Quàm nobilis de ſeipſo Victoria? quàm etiam fortis & heroica?* ibid.

§. 3. *Quàm fructuoſa de ſeipſo Victoria?* 105

§. 4. *Quàm glorioſa de ſeipſo Victoria?* 106

§. 5. *Quàm turpe ſit & probroſum à ſeipſo vinci? & ſuis cupiditatibus famulari?* ibid.

§. 6. *Exempla pauca eorum, qui ſeipſos generosè, & fortiter vicerunt.* 107

§. 7. *Quædam præſidio futura ad Victoriam ſui.* 108

I. PRÆSIDIUM.

A rationis Imperio. ibid.

II. PRÆSIDIUM.

A diffidentia ſui, & in Deum fiducia. 109

III. PRÆSIDIUM.

Ab oratione, & imploratione cæleſtis auxilii. ibid.

IV. PRÆSIDIUM.

Ab aſſidua, attentaq; Animi vigilantia, & duriore corporis exercitatione ad pravos affectionum motus vel evitandos, vel comprimendos. 110

JACOBI

JACOBI LOBBETII
SOCIETATIS JESU THEOLOGI,
TRACTATUS ASCETICI
DE VIRTUTIBUS
EX NORMA ADHORTATIONUM.

TRACTATUS
DE AMORE DEI.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Verba: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Cant. c. 2. v. 4.

§. 1.

Quis introduxit? & quam? & quæ cella vinaria?

NE multis te morer, Amice Lector: Qui introduxit Chriſtus eſt: quæ introducta eſt; nonnullis eſt Eccleſia: aliis Deipara Virgo: pleriſque omnibus Anima ſancta, ſponſa Chriſti: hanc Chriſtus, ceu ſponſus, ab umbrâ mali *introduxit in cellam vinariam.* At quænam illa? hic aliqua eſt Authorum inter ſe pugna, & opinionum diſſenſio.

Homil. 3. & 4. Origeni, *cella vinaria*, ſeu, ut hebræi vertunt, *Domus vini*, eſt Domus ſapientiæ, ſive gymnaſia, in quæ inducitur Anima, ut vinum melioris ſapientiæ hauriat, & largiter epotet. *Quæ cella vinaria?*

D. Gregorio, eſt Scriptura ſacra: hæc enim Animæ propinat vinum cœleſtis ſapientiæ.

Homil. 4. D. Gregorio Nyſſeno, *Cella vinaria* eſt Altare, in quo Sacerdotes, & conſecrant, & hauriunt, & diſtribuunt vinum Euchariſticum, hoc eſt Chriſti, Dei hominis purum, putumque ſanguinem: ad hoc Altare, ſeu *Cellam vinariam*, ſeu *Domum vini*, inducitur à Chriſto, ceu ſponſo fidelis anima, ut illic bibat de Calice Domini, eoque piè ebria æſtuet; ſed æſtu divini in nos amoris.

Serm. 49. D. Bernardo, *Cella vinaria* eſt Congregatio fidelium in monte Sion, cui è cœlo, ipſo die Pentecoſtes, datus Spiritus Sanctus, qui in Divinis Amor eſt; cujus, quaſi vini muſto, Apoſtoli fuerũt ebrii. Et hæc faciunt pro litterali ſenſu; pro myſtico, quæ ſubjicio.

Theodoreto, *Cella vinaria*, eſt myſterium Incarnationis, in quo Verbum caro factum: & caro quaſi *Cella vinaria*, in quam Pater Æternus Filium unigenitum induxit, ſacro in homines amore, quaſi vino, piè ebrium.

Caſſiodoro, Bedæ, Anſelmo, & aliis, eſt Eccleſia, in quam quiſquis inducitur, haurit vinum altioris ſapientiæ, & divini amoris.

Haymoni, *Cella vinaria*, eſt domus orationis, ac contemplationis, in quam dum introducitur anima, haurit largiùs vinum cœleſtis conſolationis, exultationis, amoris, & divini fervoris. De hac *Cella*, ſic etiam D. Bernardus:

Serm. 49. *Cùm duo ſint beatæ contemplationis exceſſus, in intellectu unus, & alter in affectu: unus in lumine, alter in fervore: unus in agnitione, alter in devotione; pius ſanè affectus, & pectus amore calens, & ſanctæ devotionis infuſio, etiam & vehementis ſpiritus, repletus zelo, non planè aliunde, quàm è Cella vinaria reportantur:* quod ut in aperto ſit, diſtinguit S. Doctor tres Sponſi cellas: *aromaticam, unguentariam, & vinariam.* Primam, ait eſſe *diſciplinæ*; ſecundam *naturæ*; tertiam *gratiæ*: & hanc ait dici *vinariã, quòd in ea vinum zeli in charitate ferventis reconditur.* *Serm. 23.*

Ego in præſentia ſenſui myſtico inſiſtam, dicamque *Cellam vinariam* eſſe Eccleſiãm, in quam anima per Fidem, & Baptiſmum inducitur, largéque epotat vinum caritatis; de quo pauca ſubjiciam.

§. 2.

Ad illa verba: *Ordinavit in me charitatẽ.*

Ecquid illud: Ordinavit?

IN hac una vocula pius ludit Interpretum labor.

Titelmannus ex Chaldæo vertit: *Glutinum ejus ad me, eſt charitas*, q. d. Sponſus per caritatem mihi intimè conjungitur, & quaſi conglutinatur

Rabbini, *inſignivit in me charitatem*: q. d. Sponſus non vulgariter, ſed inſigniter me amat; mihique viciſſim non vulgarem, ſed inſignem infũdit caritatem. *Quid illud ordinavit?*

Symmachus, *Coacervavit in me charitatem*: quaſi diceret: non avara, non parca manu, non exigua particula caritatis: ſed veluti cumulo, & acervo facto omnem in me caritatem coëgit, atque coacervavit. *Serm. 5 in Pſal. 118.*

Ambroſius, *conſtituit in me dilectionem*; quaſi dicat: in me poſuit ſedem amoris, ac dilectionis. Hebræi ex hebraica voce *dagal*, explicant *vexillavit*: ſive *vexillum erexit*; metaphora pulchrè deducta à militia.

Primò, ut Duces vexillo trahunt poſt ſe militem: ſic & Sponſus caritate, ceu vexillo, me traxit, & in ſua castra adduxit.

Secundò, ut in arce capta, victoris elevatur vexillum; in quo illius eſt inſigne: ſic Sponſus in me quaſi beneficiis jam victam, debellatam, & captam, vexillum ſuum, hoc eſt, caritatem, erexit. Inde ex Hebræo vertitur *vexillum ejus ſuper me charitas.*

Tertiò, ut vexillum ſequuntur, omnique conatu tuentur milites, nè in manus hoſtium veniat: ſic me caritatem, ceu vexillum, & ſequi, & tueri voluit, nec unquam hoſti concedere.

Denique, ut in acie benè ordinata vexillum in oculis habent milites, cohortes, legiones: ſic & mihi caritatem ſemper in oculis eſſe voluit, & primis curis; & hoc ad pugnã, ad victoriam, ad palmas, & gloriam.

Sanchez, ex Syro, paulò aliter vertit, & ſic explicat: *Amorem contra me tanquam exercitum vexillatum inſtruxit.* q. d. non potui reſiſtere Sponſo, quia ipſe omnes amoris vires in me effudit, & illius quaſi acies, & vexilla in me direxit, iiſque me oppugnavit, atque expugnavit.

Noſſe vis quæ ſint illæ acies? aliæ ſunt, atque aliæ: ſicuti alia, atque alia vexilla; atque imprimis eximia

Sponſi forma, ingenium liberale, mitiſſimi mores, amatoriæ blanditiæ, munera exquiſita, & largiora beneficia: quas veluti quaſdam amoris acies inſtruit, & in Sponſam ducit animarum Sponſus.

Septuaginta, & ex illis vulgata verſio, habet: *Ordinavit in me charitatem.* Meritò *Ordinavit*, quia,
Lib. 15. de Civit. c. 22. ut ait Auguſtinus: *Nihil eſt aliud perfecta, & vera virtus, quàm ordo amoris*; At quis ordo? is certè, quem perſcribit caritas, quæ ſemper eſt ordinata, ſi modò caritas eſt.

Hæc in primâ acie Deum collocat: in ſecundâ
Quis ordo Charitatis? ſeipſam: in tertiâ proximos; è quibus aliquos conſtituit in primo, alios in medio, nonnullos in poſtremo agmine reponit.

Hanc porrò caritatem, & hunc Ordinem hauſit Sponſa in *Cella vinaria*, in qua ſobriè ebria effudit, illud amabile. *Ordinavit in me caritatem*: quaſi dicat; Non ſum ſuavi illo nectare dementata, non ebullit in me concupiſcentia, non agor in furorem; non vagor bacchabunda; ſed probè mihi conſto: quia ſobrius eſt amor meus, & rerum, perſonarúmque æſtimationem, ordinémque optimè retinet. Ita S. Auguſtinus, S. Gregorius Nyſſenus, S. Fulgentius, aliique, quibus in præſens aſſentior.

§. 3.

Ad illa verba: *Ordinavit in me charitatẽ.*

Quæ, qualis, & quanta illa Charitas?

Charitatis definitio. CHARITAS *Habitualis* alia; alia *Actualis*.

Habitualis, eſt qualitas ſupernaturalis, in voluntate, velut ſubjecto, reſidens, & principium Amoris ſupernaturalis.

Actualis autem, eſt actus ab illo elicitus, & ipſe in ſubſtantia ſupernaturalis; cujus objectum eſt divina Bonitas in ſe, & propter ſe amata; & ſuper omnia dilecta: ſicque charitas, ſeu Dei amor ſuper omnia.

Et hæc ex arctioris Theologiæ principiis ejus eſt
Deſcriptiones. definitio: illa, quæ profertur ab Aſceticis, eſt largior, & metaphorica, adeóque alia, atque alia, pro alio, atque alio illius effectu, proprietatibus, atque attributis, è quibus varias *Amoris* illius deſcriptiones eruemus; & potiùs, à SS. Patribus ac Doctoribus priùs erutas, hic luci dabimus & prelo.

I. D. Paulo, Gentium Apoſtolo: *Plenitudo legis eſt*
Ad Rom. c. 13. *dilectio*, *Plenitudo*, hoc èſt *Conſummatio*, vel, ut Syrus vertit, *adimpletio.* qui enim Deum ex vero diligit, legem implet: Toletus paulò aliter vertit, &
II. ait: *Plenitudo*, hoc eſt finis & ſcopus *legis*, *eſt dilectio*, eò quippe collimat lex tota, ut ametur Deus, ametur, & proximus: adeóque qui hoc implevit, totam legem implevit.

III. Eidem Apoſtolo, Charitas eſt *vinculum perfectio-*
Ad Coloſſ. c. 3. *nis*; hoc eſt, velut nexus quidam virtutum omnium, in quarum cumulo, repoſita eſt Chriſtiana perfectio: eſt nexus & animorum; cujus ratio hæc affer-
IV. tur à Divo Auguſtino; quia *Charitas*, *eſt veluti tunica inconſutilis Chriſti*, *quæ ad unum Deum pervenit*, *& in unum omnes colligit.*

Cum illa D. Auguſtini appellatione, ex qua Charitas dicitur, *Toga inconſutilis Chriſti*, ferè convenit illa D. Bernardi, à quo *Charitas* vocatur animæ
V. *veſtis*: *Bona*, inquit, *veſtis eſt Charitas*: & hæc Petri *Cellenſis*, cui *charitas eſt veſtis Agni*, ſymbolum innocentiæ, & manſuetudinis. Aliis *veſtis nuptialis*, quâ qui tegitur, intrabit ad nuptias Agni; qui caret, ab illis excludetur.

Hac veſte probè tecti, & ornati *Domeſtici omnes* Mulieris fortis, id eſt Eccleſiæ, de quibus illud Sapientis: *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus*, hoc eſt, interprete Divo Bonâventura: *amore Dei, & proximi.*

VI. D. Chryſoſtomo, aureo Oratori, *Charitas eſt virtutum principium*, *& finis*: *ipſa eſt radix*, *fundamentum*, *& faſtigium.*

Principium quidem, à quo virtutes omnes ſumunt exordium.

Finis autem, quem ſpectant, atque attendunt, & in quo etiam deſinunt.

Radix, à qua pullulant, ceu meliora cœli germina, germina beatæ æternitatis.

Fundamentum, à quo ſurgit ædificium ſpirituale; atque in cœlos uſque erigitur.

Denique *faſtigium*, in quo deſinit, & finitur. VII.
Cui deſcriptioni affinis eſt illa, quâ *Charitas* dicitur, & eſt velut *centrum* virtutum omnium.

Quod ſi *Charitas* eſt *centrum*: virtutes aliæ ſunt veluti lineæ, quæ ab illa exeunt, & ad eam redeunt ut lineæ à circulo, & in circulum, cujus circũferentia, eſt ipſa perfectio, quæ ab illis omnibus exurgit.

Origeni, *Charitas* eſt veluti *Epilogus*: ut enim hic VIII.
cæteras orationis partes ſummatim quodammodo complectitur: ſic & Charitas virtutes cæteras.

D. Thomæ Aquinat, *Charitas* eſt veluti *forma vir-* IX.
tutum: ut enim corpora valorem, & pretium ſortiuntur à *forma*: puta ferrum, æs, argentum, aurum, gemmæ, uniones, pretium habent, non à materia (quæ omnibus una, & communis eſt) ſed à *forma*, quæ cuique propria: ſic & virtutes ſine charitate informes ſunt. Informis Fides, informis & Spes, nec apud ſuperos pro valore, & pretio beatæ æternitatis: cum charitate autem & hæc, & illa formata eſt, & apud ſuperos in pretio, & apud Deum ipſum meritum ſortitur de condigno, valetque æternæ mercedi comparandæ.

D. Dominico, *Charitas* eſt *ſchola virtutum*, in qua X.
quiſquis doctus eſt, cœlo doctus eſt. In hac porro ſchola exercitatus ille ipſe S. Dominicus, de ſeipſo jactare ſolitus erat illud: *Plus in Charitatis codice didici, quàm in univerſa Scriptura.*

D. Gregorio Pont. Max. *Charitas ignis* eſt: ſic XI.
enim ad illa verba: *Ignis in altari meo ſemper ardebit.* *Levit. c. 11.*

Altare Dei eſt cor noſtrum, in quo jubetur ignis ſemper *Lib. 25. Moral. c. 7.*
ardere: quia neceſſe eſt ex illo ad Dominum charitatis flammam indeſinenter aſcendere.

Eidem D. Gregorio, *Charitas* eſt *machina*, quæ XII.
ſua mole, ac vi nos à terra in cœlos; imo & in Deum ipſum elevat: ſic enim inquit: *Machina mentis eſt vis* *In Ezechiel. c. 27.*
amoris, quæ illum, & à mundo extrahit, & in alta tollit.

D. Auguſtino, *Charitas pondus* eſt, & quidem XIII.
immenſum, quod ad Deum, ceu centrum, attrahit: ſic enim de amore etiam generatim: *Amor meus,* *Epiſt. 29.*
pondus meum; illuc feror, quocumque feror: Quæris quod Auguſtino pondus? Amor, & quidem Dei: illo fertur, quocumque fertur.

D. Chryſologo, *Charitas* eſt *lorica*, quæ omnia ad- XIV.
verſariorũ tela excipit, eludit, frãgit: ſic enim de illa:

Amor impenetrabilis eſt lorica, reſpuit jacula, excutit *Serm. 28.*
gladium, periculis inſultat, mortem irridet. Denique ſi amor eſt, vincit omnia.

D. Bernardo, *Charitas jugum* eſt: ſed leve: ſed XV.
ſuave: ſic enim de illo.

O jugum ſancti amoris; quàm dulciter capis, glorioſè illaqueas, ſuaviter premis, delectabiliter oneras, fortiter ſtringis, prudenter erudis. Ubi hæc de jugo Amoris: tum æſtu quodam ſeu amoris, ſeu voluptatis concitatus exclamat.

O felix amor, à quo oritur ſtrenuitas morum, puritas *Lib. de dilig. Deo.*
intentionum, ſubtilitas intellectuum, deſideriorum ſanctitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, præmiorum ſublimitas.

D. Baſilio, *Charitas theſaurus eſt*, de quo ſic ſacra- XVI.
tiore eloquentia.

Theſaurus indeficiens eſt amor divinus, quem, qui habet, *In Hexam.*
dives eſt; quo, quicumque caret, pauper eſt.

Rhabano, qui multa de Charitate colligit, & in XVII.
unum quaſi faſciculum cogit: *Amor divinus, eſt ignis, lux, ſol.* *In quod. Ser.*

Ignis in meditatione mentem purificans à ſordibus.

Lux in oratione mentem irradians claritate virtutum

Sol

Sol in æternâ beatitudine mentem clarificans ſereniſſimo lumine, & ſuaviſſimo calore, & exhilarans ineffabili gaudio, & jubilatione.

Et hæ ſunt Charitatis deſcriptiones ex SS. Patribus, atque Authoribus collectæ, veluti totidem flores ex variis areolis.

§. 4.

Ad illa verba: *Ordinavit in me charitatẽ.*

Qui ſint gradus caſti in Deum amoris?

Gradus Amoris varii.

RICHARDUS de S. Victore aſtruit apicem Charitatis eſſe amorem inſatiabilem, ſive violentum, cujus tres gradus aſſignat, & diſtinguit.

I. Amor vulnerans.

Primus eſt, *Amor vulnerans.* Dicitur autem cor amore vulneratum, quando amoris ſagitta veluti transfixum eſt, & hinc immè gemit, ſuſpirat, ardet, æſtuat. Tale fuit cor D. Auguſtini, qui hæc de ſeipſo, & piè, & verè: *Sagittaveras cor noſtrum caritate tua.* (Lib. 9. Conf. cap. 2.) At qua ſagitta? Utique divini amoris, ceu cœleſtis ſagittarii, cujus meminit Lancilottus, Florus Batavus, Ioannes ab Angelo, Ferrerius, aliique, qui aſſerunt cor ſacrum D. Auguſtini, ſacris Chriſti ſtigmatibus, ceu totidem vulneribus, notatum; cujus etiam mentionem fecit Emmanuel Carea, ſecunda parte hiſtoriæ S. Joannis Saguntini: ubi ſic cecinit:

Gentis Eremicolæ Pater Auguſtinus, amore
Divino accenſus, Chriſtum meditatus, ab illo
Fonte capit plagas, ex illo fonte ſagittas

Hinc illi, imò & ſacro illius Ordini, pro inſigni, ſcutóque religioſo relictum eſt *Cor ſagittis transfixum.*

Ab illis porrò ſagittis, & inflicto ab iis vulnere, factum, ut Cor Auguſtini ad Deum ſemper aſpiraret, æſtuaret, palpitaret, exiliret, exultaretque totum: quod & miraculo factum, viſúmque à multis etiam à ſacro illius obitu.

Lib. 3. c. 47. Refert Lancilottus, Cor ejus adhuc integrum, & quaſi vividum, ſæpiùs viſum motus quoſdam, & palpitationes etiamnum pati: & quidem

Primò, cùm in ſolemni hymno *Te Deum*, ventum eſt ad illum verſiculum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Secundò, ipſa Die Anniverſaria SS. TRINITATIS, imò & ad ipſum nomen SS. TRIADIS expandi, atque explicari; crederes adhuc in illius amores expandi, atque explicari; adeo valida ſunt Amoris vulnera, ut etiam poſt fata perdurent.

Quod ipſum in D. Thereſia ſpectatum non ſine amabili ſtupore. Fingitur illa aſtante cœleſti genio, Seraphino, qui ejus cor ſagittâ transfigit: ſed Amoris ſagittâ: ab hac etiam poſt fata palpitare viſum; ut ſcribit Silveſter Petra ſancta, cujus verba hic aſcribo.

Taumaſia. Ver. Relig. tom. 3. c. 12. Cor illius (ut perhibent) criſtallo includi, & contineri haud poteſt: fervet perpetuò, atque ebullit, amorémque ſuum adhuc exhalat, proindéque carcerem ſuum propè frangit, ut exæſtuare liberiùs poſſit, atque adhuc ſine anima, Deum quodammodo amare. hæc ille. Videri poſſunt, quæ fuſiùs dixi in opere, cui titulum feci: *Gloria Patriarcharum* de D. Auguſtino, & D. Tereſia.

II. Amor ligans.

Secundus gradus puri in Deum Amoris, eſt *Amor ligans*; cum ſcilicet ita Deo aſtringitur Anima; ut nihil niſi de Deo cogitet, nihil loquatur, nihil agat; imo nihil alios cogitare, nihil loqui, nihil agere velit.

Is fuit amor B. Iacoboni, è ſacra D. Franciſci familia. Hic die quadam è cellula elabi in plateas, & per eas curſitare mœſto vultu, caperata fronte, effuſis lacrymis, gemitibus, ac lamentis. Cauſam rogatus ab obviis quibuſque, hanc addidit, *quod Amor non ametur,* Et hæc una doloris, gemitus, ac lacrymarum cauſa, quòd *Amor*, quem unicè amabat ipſe, *non amaretur.*

Ecquid enim, inquiebat ille: Amantur opes, aurum, gemmæ, uniones: quid periculoſius? Amantur honores, tituli, dignitates. Quid vanius? Amantur deliciæ, voluptates, illecebræ carnis. Quid fœdius? Amantur equi, canes, feles, porci. Quid vilius? Amatur mundus, amatur caro, amatur & dæmon, & alia omnia odio digniſſima: & *Amor non amatur.* hinc illæ Jacoboni lacrymæ, gemitus, ac ſuſpiria.

Quod B. Iacobono: hoc B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis: hæc cum nihil meditaretur, nihil loqueretur, nihil eructaret, nihil ageret niſi ex Dei amore: etiam ſorores, etiam obvios quoſque ad eum amorem cohortari, atque impellere; jactaréque crebriùs illud: *O Amor, ô Amor. Amate hunc Amorem ſorores, amate hunc Amorem: Amate & mortales omnes hunc amorem, amate.* Hæc illa, Amoris divini veluti captiva, veluti vincta; nec jam ſua, ſed Dei: quia quidquid cogitabat, quidquid loquebatur, quidquid agebat, aut Dei erat, aut de Deo.

Ut in te quoque, mi Lector, ſit ille Dei amor, Auguſtinũ audi, & ſequere: ſic ille tibi, ſic omnibus:

Breve præceptum tibi præcipitur. Dilige, & fac quod vis, ſive taceas, dilectione taceas: ſive clames, dilectione clames: ſive emendes, dilectione emendes: ſive parcas, dilectione parcas: Radix ſit intus dilectionis: non poteſt de iſta radice niſi bonum exire. (Lib. de laud. Charit.)

III. Amor languere faciens.

Tertius gradus violenti in Deum amoris, eſt *Amor langueſcere faciens*; is porrò languor enaſcitur ex amoris divini vehementia, cui impar etiam eſt humanus animus.

Is fuit in S. Philippo Nerio. Huic aliquando in triumphalibus Martyrum ſpelæis ad Divi Sebaſtiani, profunda jam nocte oranti, tantus repentè divini amoris incidit è cœlo calor, ut animo in amorem dulciſſimè liqueſcente, humi abjectus exclamaret: *Impar ſum Domine, impar ſum.* Et verò impar erat Philippus, impar & illius quoque *cor* erat, licet ampliſſima divini amoris officina: ſenſit illud ſubſultare vehementiùs, ſenſit & ſiniſtras inter coſtas repentinum enaſci tumorem, nimirum laxato cordis ſpatio, coſtiſque duabus majorem in arcum curvatis, locum ſibi fecerat, qui in Philippi corde exultabat amor, & ſibi in illâ placere videbatur novæ ædis laxitate.

Is etiam fuit Sancti Franciſci Xaverii; cujus ex in amoris æſtu, ac vehementia voces ſæpiùs auditæ: *Satis eſt Domine, ſatis eſt.*

Is denique (ne omnes conſecter, quod longum foret) is fuit ardor, is languor Corneliæ Lampugnanæ, matronæ Mediolanenſis longè ſanctiſſimæ; quæ cum imparem ſe ſentiret divinis ardoribus, identidem ad ſocias ſuccIamabat: *Ferte opem, properate, ſociæ, ut amorem amem.* Tum vehementiùs incitata, jamque amore victa: *Satis, ſatis eſt, non ultra ferre valeo.* (P. Rhoe 1. de Amore in Deum.)

Et certè qui valeret, cùm cœleſti illo amoris incendio ferendo non ſit humanus animus..

Teſtis erit Ambroſius, cognomento à JESU, Ordinis Minimorum, notæ vir ſanctitatis.

Huic inter dicendum de Charitate, ſolemne erat poſt crebros ſingultus, ac ſuſpiria, expalleſcere, languere, deficere: Imò & votum, in eo amoris æſtu vitam ponere. Et ſanè poſuit, annuente votis cœlo. (P. Rho ſupra)

Cùm enim in hæc verba exiſſet: *Age bone* JESU, *dulcis amor cordis, educ vinctum amore tuo hunc animum, debitum tuæ charitati triumphum.* Deprompto Crucifixi ſigno, quod habebat in manica, dum ſeſe totum amori permittit, defecit, atque expiravit; adeo verum illud, *fortis ut mors dilectio.*

IV. Amor amens.

Quartus gradus violenti in Deum amoris eſt *amentia*, ſive *Amor amens.* Ne ſit injuria verbo: eſt amentia, quæ vitio datur, eſt quæ etiam virtuti; & hæc etiam in amore Dei invenitur, eſtque ſummus illius gradus.

Platone judice, Amor eſt amentia, & omnis amans eſt amens.

Sit tibi In oculis adoleſcens amore amaſiæ malè captus, is eſt amens: at nnde amens? unde & amans. unde amentia? unde & amor. Hic ubi illum invaſerit; nec pudor retinet, nec timor cohibet, nec periculum retardat, nec mors ipſa revocat, nec inferni horror. Quid facias? amens eſt, quia perditè amans: qund ipſum agnovere antiquiores apud quos vulgatum illud: *Amare & ſapere vix Diis conceſſum eſt.*

Si profano amori ineſt amentia, & quidem damnanda: ſacro certè, etiam ſua eſt amentia, eáque imprimis laudanda.

Audi cœleſtem Sponſum, ſic ille olim ad Sponſam: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa.* Vatablus

Cant. c. 4. v. 9.

vertit: *Abſtuliſti cor meum*, id eſt mentem: Ecquid enim, an non ablata quodammodo mens Æterni Patris Filii, cùm humanitatem induit; cùm formam ſervi accepit, cùm ſeipſum exinanivit; cùm objecit injuriis, contumeliis, plagis, ipſique morti in infami Crucis ligno? Enimvero ablata; ſi oculis hominum habenda fides, ſi ex eorum calculo ea res æſtimanda: Erat enimverò illud omne amentia; ſed benè ſana. Hac etiam correptus Doctor Gentium Paulus, cùm ſe opprobriis, tribulationibus, carceribus, verberibus obtulit. Hinc illæ ejuſdem ad

2. Cor. 5.

Corinthios voces: *Mente excedimus*; vel, ut Manuſcripti codices habent: *Mente excidimus*; vel, ut vertit Syrus, Chryſoſtomus, Theophilactus, Vatablus, aliique *Inſanimus*: quaſi verò ea Chriſti causâ ſubire, ſit inſania, ſit mentis exceſſus: Et certè videri poterat, & eſſe hominum calculo: at ſana erat inſania, & pius mentis exceſſus. Is quoque ſpectari potuit in Magdalena pœnitente, & amore Chriſti ſaucia. Irruit illa in domum Simonis Phariſæi, in convivii locum irrumpit, abjicit ſe ad Domini pedes, oſculatur illos, lacrymis lavat, capillis tergit, nec timor avertit, nec pudor. Quid facias? Amans eſt, adeoque & piè amens. Nimirum ab illa JESVS cor abſtulerat, & ipſa viciſſim à JESV, quia tam hic, quàm illa amabat. Hinc (ut de illa diſertè Origenes) *Oblita erat timere, oblita erat gaudere, oblita erat ſeipſam, oblita denique erat omnia, præter illum, quem diligebat ſuper omnia.* Nec mirum, quia Magdalena tota erat in JESV, & JESVS totus in Magdalena: ut ingenioſè probat, & oſtendit Origenes, vel ex eo, quod à reſurrectione JESVM ſibi apparentem non agnoverit:

Homil. de S. Magdalena.

Ioſeph poſuit in monumento corpus tuum, Maria ſepelivit ibi pariter ſpiritum ſuum: & ita indiſſolubiliter junxit, & quodammodo univit eum cum corpore tuo, ut faciliùs poſſet ſeparare animam ſe vivificantem à vivificato corpore ſuo, quàm ſpiritum ſuum te diligentem à defuncto corpore tuo. Spiritus enim Magdalenæ magis erat in corpore tuo, quàm in corpore ſuo; cumque requirebat corpus tuum, pariter requirebat ſpiritum ſuum, & ubi perdidit ſpiritum tuum corpus, perdidit cum eo ſpiritum ſuum. Quid igitur mirum ſi ſenſum non habeat, quæ ſpiritum amiſerat? Quid mirum ſi te neſciebat, quæ non habebat ſpiritum, quo ſcire debebat? Redde itaque ei ſpiritum ſuum, quem habet in ſe corpus tuum, & mox recuperabit ſenſum ſuum, & relinquet errorem ſuum.

Hæc Origenes, ex quo conficio quod hic propoſui, eum qui amat amentem eſſe, id eſt, ſine mente, & hoc, quia mens ejus à ſe quodammodo abiit, & in amatum exceſſit: quod, & agnovit, & commendavit D. Auguſtinus, cùm extulit illud & doctè, & verè. *Anima magis eſt ubi amat, quàm ubi animat.*

§. 5.

Ad illa verba: *Ordinavit in me charitatē.*

Quæ, & quanta vis Charitatis, & divini amoris?

POETÆ, quibus in docta figmenta facilis eſt animus, facilis & calamus, aſſerebant amorem extorſiſſe è manu Iovis fulmen: & ex manu Phœbi ſagittas. Figmentum eſt, & Poëtæ ludus amabilis, è quo tamen erui poteſt ea veritas, quod Amor Deum quaſi exarmet, & vincat; quod & orbem incendat; & hoc ea, qua pollet vi, ac robore: quod & demonſtrat Alciatus triplici emblemate.

In primo, Amorem pingit inſidentem currui, quem trahunt leones quatuor, ſymbola invictæ fortitudinis.

In ſecundo, eundem Amorem effingit cum alis, arcu, & ſagittis, depluuntque è cœlo circumquaque igneæ ſagittæ, ſed fractæ: quo ſignificatur Amorem Deum vincere, & Orbem incendere.

In tertio, Amorem efformat nudum, alatum, dextra piſcem, ſiniſtra florum faſciculos tenentem, quo indicetur & terra, & mari dominari; quæ ſymbola hiſce verſibus explicat:

Nudus amor viden', ut ridet: placidúmque tuetur,
Nec faculas, nec quæ cornua flectat, habet.
Altera ſed manuum flores gerit, altera piſcem,
Scilicet ut terra jura det, atque mari.

Nec mirum ſi Amor & terræ, & mari jura det, cùm & ipſi Deo etiam dare videatur: quod ipſum in Amoris ſui Cantico fatetur, ac prædicat cœleſtis animarum ſponſus, cùm ſponſam ſimilem facit *equitatui*; ex eo nimirum, quod non minus potens ſit ſponſa in amore, quàm fuit equitatus Pharaonis, in debellandis populi Dei hoſtibus: ut enim his illos debellavit: ſic & Amor ſponſæ, id eſt Animæ, Deum quodammodo fregit, ac vicit: quod dum attendit D. Bernardus, æſtu quodam ſeu amoris, ſeu ſtuporis, exclamat: *O ſuavitatem! ô gratiam! ô amoris vim! Itáne ſummus omnium, unus factus eſt omnium? Quis hoc fecit? Amor, dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor eſt. Quæ iſta vis quæſo tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique ſemetipſum exinanivit, ut ſcias amoris fuiſſe, quod plenitudo effuſa eſt, quod altitudo adæquata eſt, quod ſingularitas aſſociata eſt.* Hactenus de vi amoris S. Præſul: cui conſonat illud Boetii: *Et cœlo imperitans amor.*

Serm. 64.

Lib. 2. de Conſol. Metro. 8.

Et certè quidni imperitet, cùm & Deum ipſum quodammodo imperat, atque vulneret. Hinc illæ ſponſi ad ſponſam amabiles querelæ:

Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.

Cant. c. 4. v. 9.

Vulneraſti, inquit, ecce vim amoris, quam magis ac magis explicant, aliæ atque aliæ Interpretum notiones.

Septuaginta vertunt: *Excordaſti nos.*

Vatablus: *Abſtuliſti mihi cor.* En furtum amabile.

Rabbi David: *Transfixiſti mihi cor.* En vulnus optabile.

Complutenſes: *Stupefeciſti me.* En ſtupor admirabilis.

Alii: *Incordiaſti me*, hoc eſt interprete D. Gregorio Nyſſeno: *Cor meum mihi eripuiſti, & in corde tuo concluſiſti, & captivaſti.* En fortunatam captivitatem amoris.

Alii: *Cor mihi indidiſti*; id eſt, *cor tuum mihi inſeruiſti.* Ecce mirabilem cordis mutationem.

At unde in ſponſo illud cordis vulnus? ille ſtupor? illa captivitas? illa mutatio? ſubjicit ille ipſe ſponſus: *In uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.*

At unde in hoc & illo vis tanta? Oculus ſedes eſt animi, ſedes & amoris: in oculo quippe relucet animus, & affectus amantis; & hinc ab oculo evibrantur veluti quædam amoris ſagittæ, & ab illis vulnus in amatum.

Refert Jacobus de Vitriaco S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, monialem aliquam oculorum jactu, & pulchritudine ita vulneraſſe cor Principis, ut eam ſibi conjugem tradi vellet. Illa, ut erat amans

caſtitatis,

caſtitatis, & illibati pudoris, evulſos oculos illi tranſmiſit, addens & illud dignum Virgine, dignum Chriſti ſponſa,

Ecce ſagitta, quæ cor tuum ſauciarunt. Ne deinceps ſaucient à morte fractas accipe, & ſauciari deſine. Maneat ergo in oculis, & ab oculis emitti ſagittas amoris, & hinc etiam amoris vulnera. Et his ſponſa ſponſum vulneravit, his cepit, his captivavit, his excordiavit: adeo potens in ſponſa is amor; adeo validus amor etiam in creatura, ut Deum ipſum vulneret, capiat, & captivet.

Quod ab oculo: hoc & à crine, qui etiam ſymbolum; imo & ſedes amoris, in crine quippe magnæ ſunt, & potentes amoris illecebræ; & hinc fulguri componitur, diciturque fulgurare: ſi modo unus ſit & oculus, & crinis; hoc eſt, ſi unicus amor. atque ad Deum unum tendens: uti eſt in ſponſa: quæ ideo dicitur ſponſum vulnerare in uno oculorum, & in uno crine; huic enim unus eſt oculus, crinis unus, hoc eſt unus in ſponſum amor.

Virgines Solymitanæ, atque Arabicæ ita faciem velabant, ut unum ſolum oculum liberarent; quas ideo in exemplum Chriſtianis Virginibus adducit Tertullianus libro de velandis Virginibus, ubi & effert illud dignum poſteris:

Cap. 17.

Iudicabunt nos Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput; ſed & faciem quoque ita tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ ſunt dimidiam frui lucem potius, quàm totam faciem proſtituere. Nimirum, ut ait: *Maluit fœmina videre, quam videri.*

Quod illis ex gentis more: hoc ſponſæ ex puriore ſponſi ſui amore; oculum unum liberat, & eo ſponſum aſpicit, alterum occultat, & aliis claudit. Et hinc in illa tanta vis amoris, quo, ut dixi, Deum vulnerat, capit, captivat. De hac amoris vi, pulchrè D. Bernardus:

Serm. 83.

Amor, inquit, *ſibi abundat, Amor ubi venerit cæteros omnes in ſe traducit, & captivat affectus. Ipſe, qui honori meritò, meritò ſtupori, & miraculo eſt, amari tamen plus amat. Exigit* quidem *timeri ut Dominus, honorari ut Pater*; ſed magis, *ut ſponſus amari* Hæc S. Præſul de vi amoris: nec minora Richardus à S. Victore, cujus hoc effatum, hæc amoris commendatio:

Tractatu de grad. char. cap. 1.

Charitas eſt vita Fidei, robur Spei, & omnium intima vis, & medulla virtutum: Hæc vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, exceſſus corrigit, mores componit; valens ad omnia, & omnibus prævalens, quæ ipſam quoque omnipotentiam quodammodo reddidit impotentem.

Et ne videatur à vero aliena ea propoſitio, Moyſen in exemplum producit, qui ſua in populum charitate, Deo quodammodo manus ligavit, ne in nocentem populum juſtè ſæviret: *Sola*, inquit, *quæ Deum tenere poſſit, vis amoris eſt.*

§. 6.

Ad illa verba: *Ordinavit in me charitatē.*

Quæ proprietates, quæ ſigna, qui effectus & dona Charitatis, & Amoris Divini?

Amoris Divini.

PRIUSQUAM delabar ad præcipua quædam Amoris divini ſigna, quibus ſe extrinſecùs effert, ac probat, quatuor illius velut proprietates exponam, ex his enim ferè illa emanant.

I Proprietas.

Prima eſt, quam tradit D. Dionyſius de divinis nominibus: *Amor*, inquit, *eſt virtus faciens unionem.*

Et hanc cum Deo arctiſſimam teſtata eſt ſancta Chriſtina Mirabilis cum in æſtu illo, quo ardebat Divini amoris D. Lutgardi aliquando hæc dixit & candidè, & verè:

Henriquez in Lilio ciſt Tom. 1. D. 10. c. 4.

Ego vel apud inferos eſſe mallem cum Deo, quàm in cœlo cum Angelis ſine Deo. Adeò illi in votis, atque amoribus erat illa cum Deo unio, cui & conſimilis illa quæ fuit *D. Franciſci de Sales.*

Rogatus hic aliquando ab Amico, Ecquid à morte optaret magis, an rectà in cœlos evadere, ſinumque beatitatis, an ſiſti in flammis expiatoriis? Subjecit nec hoc, nec illud velim; ſed quod volet Deus: tanta illi erat cum divina voluntate conſenſio, unio tanta. Imò & addidit iſtud, quod fuit amantis, & vehementer amantis: Mihi infernus eſſet paradiſus, modò in eo & ſtaret cum Deo amor & unio; & paradiſus ipſe infernus, ſi in eo nec eſſet Dei amor, nec cum eodem unio. Imo & inferni flammæ ſuaviſſimæ, ſi eæ aut eſſent flammæ amoris, aut cum flammis amoris conſiſterent. Iis uri non tormento eſſet, ſed gaudio; non dolori, ſed voluptati, ſed deliciis. Et hoc quia in iis eſſet cum Deo unio, quod eſt amantis, & ardenter amantis.

Secunda Amoris proprietas, eſt *mutua inhæſio*, quâ ſe mutuo amant, & redamant Deus, & homo. Hanc expreſſit ſponſa cum dixit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Et hanc quoque indicat Apoſtolus cum ait: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Sic in Chriſto vivebat Paulus, & in Paulo ipſe Chriſtus; quod amantis erat, ac redamantis.

II. Proprietas.

Supra.

Sic & vivere docta Sereniſſima *Margareta*, Maximiliani II. Imperatoris filia, & Archiducis Alberti ſoror.

Hæc admiranda Montis Serrati (ad quem cum matre peregrinatum abierat) ſanctitate commota, adeo derepente in Dei amorem exarſit, ut ſtylo ferreo ſibi pectus perfoderet, virgineóque ex eo ſtillante cruore ſyngrapham conſcriberet, qua Chriſto JESU ſe in ſponſam perpetuam conſecravit.

Labuntur interea anni aliquot, & à multis ipſa, atque inprimis à *Philippo* Hiſpaniarum Rege in ſponſam depoſcitur; cui ut annueret adduci nunquam potuit; imo quò urgebatur moleſtiùs, eò ardentiùs à Chriſto, ceu cœleſti ſponſo, petebat ne ſe unquam avelli ab ejus connubio pateretur. Quod cùm ante Crucifixi imaginem ſæpiùs iteraret, aſſentiri viſus eſt Chriſtus, capite iterum, iterumque annuens ex ipſo Crucis thalamo.

Ioan. Gans in Hiſtor Archiducis Auſtriæ.

Ea Chriſti, ceu ſponſi, inclinatione, tanta cœleſtis gaudii affluentia impleri ſe ſenſit, ut jam paradiſi delitiis frui videretur.

Quæ illi cum Chriſto ab amore inhæſio, eadem & *B. Stephanæ de Soncino.* Hæc ut Chriſto, ceu ſponſo adhæreret arctius ab anno ætatis ſeptimo tria Religionis vota emiſit, & inde ab eodem in ſponſam cooptata, ut perpetuo illi amoris nexu jungeretur quàm arctiſſimè, utque ſic jungeretur, duo à ſponſo, ceu magiſtro, edocta. Primum ut per ſacram Synaxim & ſponſus in ea eſſet, & ipſa in ſponſo quàm ſæpiſſimè.

Alterum docta pro illo & agere, & pati fortia, quod amantis eſt, & quadam doloris, ac paſſionis communione quodammodo inhærentis, quo in genere illuſtre eſt, quod aliquando in exceſſu mentis vidit religioſus notæ ſanctitatis, cui nomen *Maurus* è ſacra D. Benedicti familia.

Hic in orationis æſtu, atque ardore vidit Chriſtum, Cruci affixum, & B. Catharinam Senenſem ſacræ illius humanitati ita unitam, ut cum illa videretur quaſi una, eademque humanitas; tam arcta ei erat cum Chriſto inhæſio.

Tertia Amoris proprietas, eſt *nexus animorum*; nexus amantium: is porrò nexus poſitus eſt in aſſidua cogitatione, memoria, ac voluntate; quâ ſibi invicem junguntur amantes. Sic Deo, ceu amori ſuo, junctus aliquando R. P. Didacus Martinus, cujus virtutem, atque memoriam Peruanæ gentes quaſi tutelarem habent. Is ſeptem millia amatoriarum jaculationum quotidiè numerabat. Quod ille interdiu, hoc ferè qualibet nocte factitaſſe dicitur R. P. Nicolaus Lancicius, qui à Deo, & Angelo cuſtode id beneficii impetrarat: ut ad ſingulos quadran-

III. Proprietas.

P. Nic. l. 1. de amore Dei.

quadrantes evigilaret, iretque totus in orationes ejaculatorias, quibus peractis ſomno iterum mox reddebatur: uti notarunt, qui cum illo aliquando peregrinati.

IV. Proprietas. Quarta proprietas Amoris, eſt *Extaſis*: ut enim loco citato D. Dionyſius: *Extaſim facit Divinus amor, amatores ſuo ſtatu dimovet, & ſui juris eſſe non ſinit; ſed in ea, quæ amant penitus transfert.* Et hanc oſtendit Paulus cùm ait: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*; ſic tanquam verus amator extaſim patiens. (Suprà.) Et hanc quoque paſſus Deus cum homo factus, & Verbum caro factum.

Eandem extaſim paſſa eſt aliquando B. Angela de Fulginio (cujus corpus penitus integrum vidi, & ſuſpexi in oppidulo Fulginio, unde & ipſa nomen hauſit.) Vidit illa mentis oculis Amorem ad ſe venientem, quo habitu non expreſſit ipſa, nec exprimere potuit: vidit tamen, & illo capta exclamavit: *Tu es ego, & ego ſum tu.* (Bollandus 4. Ian. in ejus vita cap. 4.)

Ecce extaſim, ecce tranformationem amantium: attendamus & ſigna: Ea alia ſunt, atque alia, pro alio, atque alio divini Amoris appulſu.

Supra c. 20. Eadem B. Angela tria declarat illius ſigna è quibus:

Signa divini Amoris. Primum eſt, ut amans voluntatem ſubmittat voluntati amati, hoc eſt divinæ.

Secundum, quod amorem omnem creaturarum exuat, eum ſaltem, qui amori creatoris, ſeu amati, videtur aliquo modo contrarius, atque adverſus.

Imò Deum amet, Deumque in corde habeat, præterea nihil. Ita habuit *D. Franciſcus de Sales*, qui hæc ſæpius de ſeipſo: *Omnes meæ divitiæ in corde meo ſunt; & in hoc Deus ſolùs eſt; præterea nihil.*

Et hic ille amoris æſtus in quo auditus non ſemel exclamare. Quod ſi in corde meo eſſet vel unica ſcintilla amoris, quæ non eſſet in Deo, aut de Deo, aut ſecundùm Deum, optarem illico mihi findi, ac diſſilire cor, ut ex illo expiraret ea ſcintilla ſtulti illius amoris.

Stultum vocabat omnem eum amorem, qui non eſſet Dei. Et is quoque ſenſus fuerat *S. Ignatii*, fundatoris Societatis JESV, qui dicere ſolitus: Se vivere non poſſe, ſi quid in anima ſua humanum, & non omni ex parte divinum advertiſſet, hoc eſt ſi alium à Deo amorem.

Ita *B. Ioanna*, è Dominicana familia à ſanctitate illuſtris, à morte apparens *Magdalenæ à S. Alexis*, hæc illi: *Deum cogita, Deum ama, Deum quære perinde ac ſi in terra, & in cælis nihil eſſet, niſi tu, & Deus.*

Tertium, quod amans ſtudeat aſſimilari amato: ut ſi hic pauper ſit, & pauper ille eſſe velit; ſi deſpectus, & ille deſpectus; ſi afflictus, & ille afflictus. Hæc illa de ſignis divini Amoris; quem purum amat cœleſtis Animarum ſponſus, uti aliquando indicavit B. Margaritæ de Cortona, cui dum ſe viſendum exhibet, ſimilia etiam ſigna oſtendit: ſic enim ad illam: *Filia mea delector in amoribus puris.* Tum illam edocuit, qui eſſent puri in Deum amores. Ex his: (22. Febr. in ejus vita, c. 5. n. 104. & 240.)

Primus: *Amore ejus libenter emori.*

Ita Paulus eo incenſus amore, cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

Ita B. Angela de Fulginio, vitam æſtimabat mortem, & mortem vitam, ut uni Deo viveret, nec ſibi, nec mundo.

Secundus, *cum aliis colloquia fugere, ut cum uno Chriſto colloquatur.*

Imò cum nullo eſſe, adeoque nec etiam ſecum, ut cum Deo ſis.

Et ita fuit *D. Franciſcus de Sales*, qui ſemper in Deo, nuſquam ſecum.

Hauſerat nimirum illud, quod aliquando hauſerat *Taulerus* ex viro ruſtico, quem Deus illi ſpiritualis vitæ magiſtrum dederat. Eum rogarat, *Vbinam Deum inveniſſet, cui adeo junctus erat?* & ex illo audierat: *Deum ibi inveni, ubi meipſe amiſi, & ubi me inveni, ibi Deum amiſi.* Et ita te amittas oportet, Amice Lector, ut Deum invenias.

Tertius, *nullum illius ergò tormentum detrectare, ne inferni quidem; ſi ita Deo videretur.*

Sic B. Angela de Fulginio, in amôre Dei non videbatur ſibi intepeſcere poſſe, licet eſſet damnanda.

Quartus, *etiam tormenta in amoribus habere, & prima vota.*

Et ita habuit B. Thereſia, cui hoc ſolemne erat lemma: *Aut mori, aut pati.* quod, & in omni vita tenuit in votis, & quod mireris, etiam à morte, à qua ſe videndam obtulit cuiquam valde afflicto; & hæc illi: Si qua ex cauſa carere vellem immortali, qua fruor beatitudine, illa eſſet unica, ut poſſem amplius pati.

Quod ipſum & in corde habuit, & in ore frequentiùs *R.P. Iacobus Sancius*, qui cùm deliberaret de ineundo vitæ ſanctioris ſtatu, preceſque funderet in D. Petri, hanc è ſacro tabernaculo vocem erumpentem audiit, atque excepit: *Eſto de Societate nominis mei.* Audiit, & paruit, atque in Dei amore, & patiendi deſiderio ita promovit, ut nihil illi frequentius in ore eſſet, quàm hæc duo verba: *Amare, & pati.* Et verò & amavit, & paſſus eſt.

Quintus, *Dei amor, uſque purus*; hic eſt fugere conſolationes, etiam à cœlo, Deoque immiſſas.

Et ita fugit, & fugere docuit *D. Franciſcus Aſſiſius*, qui iſta aliquando. Cùm Dei ſervus divinitus viſitatur, dicat: Iſtam conſolationem mihi peccatori, & indigno miſiſti Domine: ego illam tuæ committo cuſtodiæ, quia tui theſauri me ſentio eſſe latronem.

Sic & fugit B. Jacoponus. Hic aliquando reperiens in ſua cellula Chriſtum ingenti lumine circumfuſum, dixit ei: *Foras Chriſte.* cui Dominus: *Veni, intra, ô fili.* & ille: *Non intrabo*, inquit, *niſi exieris*; haud enim me tali dignor & honore, & ſolatio.

Dixit, nec intravit niſi abſcedente Chriſto; adeò alienus erat illius amor ab omni ſolatio, etiam ultrò oblato, etiam cœleſti ac divino.

Sextus, *appetere contemni, & deſpici.*

Ita David & vilis eſſe amavit, & abjectus in domo Dei.

Qui iſta habuerint in via, Deum habebunt in patria; inquiebat Chriſtus, Magiſter optimus illi ipſi B. Margaritæ.

Et hæc è multis divini amoris ſigna, è quibus aliqua paulò fuſiùs diducam. Ex his

Primum eſt Deum, ceu ſponſum ſollicitè quærere, nec deſiſtere niſi inveneris.

Ita quæſivit ſponſa, quæ per vicos, & plateas dum ſponſum quærit, nec invenit; ſic ad vigiles: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* in quæ verba ſic Bernardus, & ipſe Sponſi cœleſtis amantior: (Cant. c. 3.)

O amor, præceps, vehemens, flagrans, impetuoſe, qui præter te aliud cogitare non ſinis, faſtidis cætera, contemnis omnia præter te; te contentus, captivam ducis rationem, & intellectum; mirabiliter triumphum agens rerum omnium. (Serm. 79. in Cant.)

En omne quod cogitat iſta, quod loquitur, te ſonat, te redolet, & aliud nihil: ita tibi, ipſius & cor vendicaſti, & linguam.

Secundum, à quærendo Sponſo cœleſti, hoc eſt Deo ter Opt. ter Max. nullis mundi blanditiis, nullis molliculæ carnis illecebris avocari.

Non abduci blanditiis, nec ſeduci fallaciis: toto corde, tota anima, tota virtute diligere eſt; inquit D. Bernardus. (Serm. 24. in Cant.)

Tertium, à Deo amando nec onere abduci, nec labore retardari: imò nec onus, nec laborem ſentire, eſt probè amantis.

Qui amat, non laborat, inquit D. Auguſtinus, *omnis enim labor non amantibus gravis eſt. Solus amor* (De rudibus Catechiſ.)

eſt,

eſt, quod nomen difficultatis erubeſcit. Et alio loco idem S. Præſul:

In Lib. de ſanct. virginitate.

Nullo modo oneroſi ſunt labores amantium; ſed ipſi delectant, ut venantium, aucupantium, piſcantium. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur.

Quartum divini Amoris ſignum, eſt ipſo onere erigi, atque attolli; laboribus gaudere, atque exultare, tormentis omnibus, ipſique morti inſultare. Sic inſultavit olim invictus Chriſti Martyr S. Tiburtius, qui ſic ad Torquatum judicem:

Acta Marty.

Applica equuleos, ſuſpende Chriſtianos, damna, percute, incende, univerſa denique ſupplicia adhibe: ſi exilium minaris; hoc philoſophantibus eſt totus mundus: ſi mortis ſupplicium evadimus mundi carcerem: ſi ignes, majora his in cupiditatibus incendia vincimus. Decerne quidquid libet, omnis nobis vilis eſt pœna, ubi pura comes eſt conſcientia.

Tiburtium mox ſecuti Marcus, & Marcellianus fratres, ut natura, ſic & virtute, & amore Dei germani; quibus pedes clavis acutis ad ſtipitem affixi cùm eſſent, ſic auditi cecinisſe:

Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum: nunquam tam benè epulati ſumus, quia modo cœpimus eſſe fixi in amore Chriſti. Utinam, ô Iudex, nos ſic eſſe permittas, quamdiu hujus corporis tegimur indumento.

Quintum divini Amoris ſignum præcedenti affine, eſt nulla vi, nec ſuperum, nec inferorum, à Dei amore dimoveri poſſe. Et hic fuit Apoſtoli in Deum amor, & hæc in Chriſtum charitas, quam ſic bellè expreſſit Epiſtola ad Romanos:

Cap. 8. v. 38. & 39.

Certus ſum, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV:* quem Apoſtoli amantis æſtum dum perſentit, & ipſe illius amans D. Chryſoſtomus, ſic exclamat:

Hom. 2. de laud. Pauli.

O animam furentem inſania! ſed quæ ſobrietatem pariat! omnia, quæ in cœlis, quæ in terra, quæ ſub terra, quæ ſupra cœlos ſunt viſibilia, & inviſibilia præ amore Chriſti tranſcendens, nihil æſtimabat. Utque nihil æſtimare probèt. *Hac charitate*, inquit, *ornatus Paulus, tyrannos, ipſumq; Neronem, velut quoſdam culices æſtimabat; hac mortem, cruciatum, & mille ſupplicia ludum puerorum: hac Paulus vinctus IESV-CHRISTI, magis quàm diademate coronatus, gloriatur: hac etiam coarctatus carcere cœlum habitabat. hac libentiùs verbera excipiebat, & vulnera, quàm alii bravia diripiunt: hac labores non minus ac requiem, dolores non minus quàm præmia, quàm triumphales pompas, & trophæa, diligebat.*

Hæc de D. Pauli charitate, D. Chryſoſtomus, à quo delabor ad

Sextum divini Amoris ſignum; illud eſt *languor* animi ab amoris vehementia quodammodo languentis, ac ſenſim deficientis.

Cap. 5. v. 8.

Is fuit ſponſæ, quæ ſic aliquando in amoris ſui Cantico: *Adjuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.*

Complutenſes vertunt, *Quia vulnerata charitate ego ſum.* Arabicus: *Quia ego ſum amor vulneratus.* O amor! ô languor! ô vulnus charitatis! Sponſa non jam amans, ſed amor ipſe, ſed ipſe languor, ipſum & vulnus amoris. *Sic non deficientes langueſcite, ſic in amore ſponſi mecum adoleſcite*, inquit Guilielmus: languor enim ille, non eſt defectus, *non finis amoris; ſed incrementum.*

Serm. 48.

Benignam, ac ſuavem amoris illius vim, atque indolem pulchrè depingit Gilbertus Abbas: *Non languet amor*, inquit, *ſed languet amans. Ubi viget amor, ibi viget languor, ſi abſit, quod amatur. Quid eſt languor niſi affectio quadam de abſente dilecto, amantem conficiens.* Hic *amor*, utpotè *vehementer potentem ſimul afficit, & carnem, & mentem: illius extinguit laſciviam, hujus & lætitiam perſtringit quodam triſti affectu; & deſiderio abſentis dilecti languet caro; dum ejus languidior, & remiſſior motus efficitur; languet animus, dum æſtuantis voti nimietate conficitur.*

Ubi ſic languoris illius indolem, & vim deſcripſit: tum cauſam illius hanc reddit: *Quia nimis exæſtuans amor patientis, animi vires exhaurit, & liquefactum in hac exercitatione ſe fugit animus; amoris violentiam ferre non valens.*

Ubi rationem hanc adjecit, tum illius languoris fælicitatem ſuſpiciens, ac demirans, exclamat: *O potens, & prapotens paſſio charitatis, ſi non temperatur, non toleratur. Iure potens, quæ animum, quem poſſederit, ſuiipſius effecit impotem.*

Abſit verbo invidia, adſit & injuria: eſt ſui quodammodo impos, quiſquis eſt amans.

In ejus vita.

Ita ſui, ſed piè impos fuit B. Maria Magdalena de Pazzis. Hæc enim cum Dei amorem totis præcordiis accepiſſet, curſitare per domum, & obvias quaſque ſorores apprehendere dextra, atque ad Dei ſui amorem excitare: tum hortum ingredi, ut libero quaſi, & patenti aëre expiraret amantis illud: *O amorem! ô amorem!* tum æs campanum pulſare, & omnes evocare, & inclamare iſtud: *Excitemus omnes, ut amorem hunc ament.* Tum altiore ſpiritu ingeminare illud: *O amor! ô amor! amate mortales hunc amorem, amate.*

En æſtus, en ardores divini Amoris, à quo & ſui impos, & impar tanto amori, affuſa etiam frigida, & manus, & brachia, & ſinum aſpergere, ac temperare ſolebat. Quid facias? ſui, ſine nævo, eſt impios, quiſquis caſtè Deum amat.

§. 7.

Ad illa verba: *Ordinavit in me charitatē.*

Incitamenta quædam ad Dei amorem.

PRIMUM petetur à ſummo bono, qui Deus eſt adeoque objectum ſummi Amoris. Deus enim bonus eſt per eſſentiam, adeóque bonus infinitè & amandus infinitè. Ex quo conſequens eſt illud: Primum.

Primò, à nemine amari poſſe tantum quantum dignus eſt, niſi à ſeipſo.

Secundò, à creatura amari poſſe, ac debere ſine ulla limitatione, ullóve amoris termino, & hoc, quia objectum eſt, & finis amoris; finis, inquam, quem ſibi præſcribere debet amor, & hoc ſine limite, ſine termino.

Ut medicus non ponit terminum ſanitatis, quæ finis eſt ſuæ curationis; ſed meliorem, atque meliorem ſine fine exoptat, ac procurat: ſic & amans Deum anima, nullum illius amandi finem ponit, terminum omninò nullum: ſed abit in infinitum magis, ac magis amando: quod ipſum agnovit, docuit, ac fecit D. Bernardus, qui ſic aliquando ad ſuos, & ſic hodie ad nos:

Vultis a me audire quare, & quomodo diligendus eſt Deus? Ego dico, quod cauſa diligendi Deum, Deus eſt; Modus, diligere ſine modo. Lib. de Amore Dei.

Unde, ut ſcitè Lactantius: *In cæteris rebus laudatur mediocritas; in Dei amore non item;* in hoc enim exceſſus probatur, & placet.

Secundum, eſt ipſius Dei in nos amor: urget ille nos, & perurget. Secundum.

Vulgatum illud. *Si vis amari, ama;* & iſtud: *Magnes amoris, amor.* Nihil enim ad redamandum potentius eſt amore: hunc in alio ſi videris, indubiè ſi homo es, amabis. quam in rem pulchrè Seneca:

Fruſtra quæris maleficas ad amorem, oſtendam tibi maleficium, ama, & amaberis. At Deus nos amavit, & ſummè quidem, ideóque & ſummè à nobis eſt amandus, ſi modò il ſumus, qui à natura ſumus, homines; qui à gratia, Chriſtiani. Auguſtinum audi: In Lib. de Catechiſ. rudibus.

Nulla major eſt ad amorem invitatio, quam amantem amore prævenire: & nimis durus eſt animus, qui ſi dilectionem nolebat impendere, nolit rependere. Hæc Auguſtinus;

guſtinus, qui & Dei ter Opt. ter Max. amorem in hoc oſtendit, quod ut homini ſe inclinaret amando, ſe hominem fecit, & faciendo amavit, ut redamari poſſet.

Suprà c. 4. tom. 3. *Quæ major*, inquit, *eſt cauſa adventus Domini, niſi ut oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis, ſi amare nolebas, redamare cura.*

Tertium. Tertium divini Amoris incitamentum ſunt beneficia, quibus cœleſtis illa manus abundè nos cumulavit vel ab ipſa mundi origine, imò vel ab ipſo mundo, quem totum hominis eſſe voluit. *Omnia*, inquiebat Apoſtolus, *veſtra ſunt*; in quæ verba doctè Magiſter Sententiarum: *Omnia*, inquit, ſcilicet *ſuperiora, æqualia, & inferiora. Superiora quidem noſtra ſunt ad perfruendum, ut Deus. Æqualia ad convivendum, ſcilicet Angeli. Inferiora ad uſum*, ut terra, aqua, aer, ignis: imò & ipſi cœli, ipſa aſtra, quæ in ea influunt. Quod ſi *omnia noſtra* ſunt, & nos, ut per amorem Dei ſimus, neceſſum eſt. Et hoc ipſum eſt, quod muta quadam voce clamat Univerſi machina quanta, quanta eſt.

1. Cor. 3. v. 22.

L. 2 de Confeſſione c. 10. *Cœlum, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, undique mihi dicunt, ut amem te Domine, nec ceſſant dicere omnibus, ita ut inexcuſabiles ſint*; inquiebat D. Auguſtinus, qui idipſum inculcat, & urget ex ipſa Univerſi fabrica, ejuſque elegantia ac nitore: ſic enim ait:

In Pſal. 145. *Ubique pulchritudo operis tibi commendat artificem. Miraris fabricam, ama fabricatorem. Non ita occuperis in eo, quod factum eſt, ut recedas ab illo, qui fecit. Hæc enim, quibus occuparis, ſub te fecit: ſub ſeipſo te fecit. Si hærebis ſuperiori, calcabis inferiora: ſi autem recedas à ſuperiori, iſta tibi in ſupplicium convertentur.* Et hoc incitamentum, eſt à beneficio creationis.

Quartum. Quartum ducetur à beneficio Incarnationis, de quo magnificè D. Auguſtinus:

Lib. de Rudib. Catech. *Ama*, inquit, *amorem illius, qui amore tui deſcendit in uterum Virginis, & ibi amorem ſuum amori tuo copulavit, humiliando ſe, ſublimando te. Conjungendo lumen ſuæ æternitatis limo tuæ mortalitatis.*

Quintum. Quintum, abundantiùs haurietur à Chriſti Domini paſſione veluti immenſo quodam divini Amoris oceano; de quo ſic B. Laurentius Iuſtinianus:

In faſcicul. Div. amor. *Clamant alapa, ſputa, clavi, lancea, irriſiones, & verbera, ut ipſe toto corde, totiſque viſceribus diligatur, qui pro dilectione noſtra talia ac tanta pati dignatus eſt.*

Sextum. Sextum erit ab hominis ipſius infœlicitate, ſi Deum ſuum non amet. Ut enim D. Auguſtinus:

Lib. de Trinit. *Magna hominis miſeria illa, cum illo non eſſe, ſine quo non poteſt eſſe. Et tamen ſi ejus non meminit, nec diligit, cum illo non eſt.*

Septimum. Septimum erit facilitas quædam Deum amandi; nihil enim illo Dei amore faciliùs & obtineri, & dari poteſt. Audi de hoc argumento Euſebium Emiſſenum: ſic ille quondam:

Hom. 2. de Symbolo. *Ecce quid à te requirat immenſa illa pietas, quod facilè poſſit implere nuda paupertas, deſpecta mediocritas, indocta ſimplicitas. Non per multas diſtraheris ambages, nec duris neceſſitatibus occupandus involveris. Quod à te, & pro te repoſcitur, intra te eſt: id eſt oris famulatus, & cordis affectus. In anima tua repoſuit omnia animæ tuæ præſidia Deus tuus, ut unde peccatum egreditur, inde & peccati medicina peteretur.* Et hinc

Octavum. Octavum incitamentum ad eundem Dei tui amorem; magna ſcilicet fœlicitas, & de hoſte tartareo, imò & de peccatis omnibus (qui ferè ſoli animæ hoſtes) reportata victoria. Hanc Ore aureo exponit, ac prædicat D. Chryſologus; qui ſic olim ad ſuos, ſic modò ad nos:

Super illud: Diliges Dominū Deum tuum. *Ama, ô homo, Deum, ama totus, ut poſſis omnia ſine labore vincere, & delere peccata: Tenera militia, delicati conflictus eſt, amore ſolo, de cunctis criminibus reportare victoriam*; addo ego, & coronam beatæ æternitatis: hæc enim amori Dei, Dei charitati reſpondet, & tanta erit in Patria, quanta & hæc fuerit in via.

Et hæc è multis ſunt incitamenta ad Dei tui amorem: qui ut purus ſit, etiam hoc à te exigit, ut gratis detur, gratis reddatur; nec enim charitas eſt *mercenaria*, ut ſcitè notavit D. Bernardus, quem juvat, hîc audire:

Non ſine præmio diligitur Deus; etſi abſque præmii intuitu ſit diligendus. Vacua namque charitas eſſe non poteſt; nec tamen mercenaria eſt, quippe non quærit, quæ ſua ſunt. Affectus eſt amoris, non eſt contractus venditionis: Non, inquam, eſt contractus, qui vulgò dicitur, *Do, ut des*: Do amorem, ut cœlum, ut gloriam reddas cœleſtem: non ita eſt contractus amoris; ſed omninò gratuitus, & ſine mercedis ullius expectatione, aut reſpectu: etſi enim hæc nunquam daretur, attamen Deo daretur amor. Et hoc ipſum eſt, quod advertit D. Auguſtinus, in illa mali dæmonis, dæmonis invidi verba, qui ſic ad Deum de Iobo: Tract. de diligendo Deo.

Nunquid Iob gratis colit Deum? quaſi diceret, minimè; ſed ob ingentia cœlo benigniore collata illi beneficia, ob auri, argentique vim, ob pecorum abundantiam, ob copioſam ſupellectilem, ob prolem numeroſam; verbo uno, quia illi ex voto fluunt omnia: ex qua invidi dæmonis expoſtulatione, *ad hoc provocamur hic ab adverſario, ut gratis Deum colamus, quando ille quærens quod objiciat, pro magno ſe putat inveniſſe, cum dixit: Nunquid Iob gratis colit Deum? Non quia viderat cor ipſius; ſed quia videbat divitias ejus.* Iob c. 1. v. 10. Hom. 31. & 30.

Hæc ubi de Iobo, deque mali dæmonis genio, atque invidia extulit Auguſtinus: tum ſic ad nos delabitur:

Cavere igitur debemus, ne ad præmium diligamus Deum. Quid enim propter præmium dilecturus es Deum? Quale præmium eſt, quod tibi daturus eſt Deus? quidquid aliud tibi dederit, minus eſt ipſo. Colis non gratis, ut aliquid ab eo accipias. Gratis cole, & ipſum accipies.

Et ita Deum coluit, Deum amavit ipſe D. Auguſtinus, D. Tereſia, D. Philippus Nerius, D. Ignatius, D. Franciſcus Xaverius, aliique veri amatores, quibus in oculis, in votis, in re etiam ipſa purus fuit, ac defæcatus in Deum amor. Et hic eſt, quem ipſe Servator optimus commendatum eſſe voluit, Matth. 22. dum ſic ad Iudæos primùm, dein etiam ad omnes: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua.* In quæ verba obſervat Aponius ordinatam in Eccleſia, hoc eſt in electis, charitatem ex contemplatione ſummi ordinis, qui eſt in Sanctiſſima TRINITATE.

Primus ordo, expreſſus his verbis: *In toto corde*, reſpicit Æternum Patrem; qui in Divinis eſt Principium ſine Principio, ut in humanis cor.

Secundus ordo, declaratus his vocibus: *In tota anima*, refertur ad Filium, qui eſt Verbum Divinum, & procedit via intellectus.

Tertius ordo, notatus hac loquendi formula: *In tota virtute*; ſpectat ad Spiritum ſanctum, qui procedit via voluntatis, & eſt veluti robur, & brachium in Divinis.

Et hæc è multis de Amore Dei, breviùs quidem, quia, ut dixi, ſunt ad normam exhortationum ad omnes Chriſtianæ, & Religioſæ perfectionis amatores, quæ ſanè perfectio maximè poſita eſt in Charitate, ſeu Amore Dei: fuſiùs alii, qui de ejus natura, affectionibus, atque effectis diſputant ex norma in Scholis uſitata.

TRACTATUS
DE AMORE PROXIMI.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis Charitatem continuam habentes.* 1. Pet. c. 4. v. 8.

PETRUS, & PAULUS, prima naſcentia Eccleſiæ lumina, Columnæ Principes, gemini Orbis oculi, idem oſtendunt, idem ſuſtinent, idem aſpiciunt.

1. Pet. c. 4. PETRUS, quidem dum ſic ad Judæos: *Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes.*

Ad Coloſſ. c. 3. PAULUS autem dum ſic ad Coloſſenſes: *Super omnia hæc, Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.*

Ecce, ut bellè conſpirant ſupremi illi Eccleſiæ Doctores, Evangelicæ tubæ; juvat illos audire, & audita enucleatius explicare, & luci rurſum reddere: Sic ergo Petrus, Apoſtolorum Princeps.

Ante omnia. Hæc in prima Epiſtola, quam ſcripſit ad Judæos, qui erant in Græcia, & quos ipſe Chriſto, & Eccleſiæ pepererat eo ipſo anno, quo Antiochiâ Romam venit.

Iis porro enixè commendat *Charitatem*, eamque in primis reponit: *Ante omnia*, inquit.

Poſtquam illos abire juſſit à vitiis, quibus antea Ad Coloſſ. 3 verſ. 2. inſorduerant, & ad virtutes Chriſtiano homine dignas tranſire; eadémque *cum Chriſto paſſo cogitatione armari*, tum ad extremum, quaſi pro coronide, addit: *Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis Charitatem continuam habentes*; & ne à ratione vacua abiret ea hortatio, illam addit: quia *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Quæ omnia priuſquam accuratiùs exponam, ad D. Pauli verba ſtylum vertam. Sic ille:

Verſ. 14. *Super omnia hæc Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Ubi à vitiis avocavit Apoſtolus, à fornicatione, libidine, omnique immunditia, ubi ab avaritia, aliiſque ſcelerum monſtris, tum ad ſolida virtutum magnarum ſtudia evocat, longumque earum catalogum contexit, vultque electos Dei, Sanctos, & dilectos, virtutes illas, velut urbanam Verſ. 12. cœleſtémque veſtem induere, videlicet *miſericordiæ viſcera, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam*; tum ad extremum ſubjicit: *Super omnia hæc* Verſ. 14. *Charitatem habete*; quod ne gratis prolatum videatur, ſubdit illud inſtar omnium, *quod eſt vinculum perfectionis*, vel ut Vatablus exponit, *vinculum perfectum*, Hebræo more, qui miſericordes appellant, *Viros miſericordiæ*, obedientes, *filios obedientiæ*, *calicem benedictionis*, calicem benedictum. Dicitur autem *Charitas vinculum perfectionis*, vel quia virtutes omnes unit, vel quia in ea omnes uniuntur; quod ab Interpretibus declaratur triplici ſimilitudine; è quibus hæc prima.

Videtur Apoſtolus è virtutibus omnibus conflare corpus aliquod myſticum, cujus anima ſit charitas: ſicut enim anima corpus perficit ut illius forma: ſicut inter ſe unit omnia membra, & ſi tollatur illa, omnia membra paulatim diſſolvuntur, & pereunt; ſic & virtutes omnes (excepta Fide, & Spe) Charitate ſublata deficiunt. Inde meritò à D. Thoma *Charitas* dicitur, & eſt veluti quædam *virtutum forma*, & hæc prima ſimilitudo rem illam ponit in aperto.

Secunda ducitur ab ædificio ſpiritali, quod à virtutibus omnibus, velut illius partibus exurgit; & quarum *unio* ſit *Charitas*, adeoque ſicut in ædificio materiali, ſublata inter ſe partium unione, corruit illud, & in molem informem defluit, atque degenerat: ſic & virtutes omnes ſublata Charitate, quæ illarum eſt compago, evertuntur; ſi, ut ante dixi, *Fidem*, & *Spem* excepens. Et hæc ſecunda ſimilitudo rem ponit ſub oculos.

Tertia petitur à centro, & circumferentia circuli: ſicut enim lineæ omnes à centro ducuntur ad circumferentiam, & ab hac ad centrum redeunt: ſic & virtutes omnes, quæ vitæ hujus, ceu circuli lineæ ſunt, & à Charitate, ceu centro exeunt; & ad Charitatem, ceu centrum, revertuntur, & circulum faciunt, cujus circumferentia eſt perfectio. Et hinc movetur, imo & ſolvitur prima quæſtio, pro qua fuſiùs explicanda ſit

§. 1.

Ad illa verba: *Ante omnia.*

Cur ante omnia?

HUic quæſtioni fiet ſatis partim per ea, quæ protuli Tractatu præcedenti de *Amore Dei*; cùm enim idem ſit habitus Charitatis, qui in Deum tendit, ut ſummum bonum: & qui in proximum propter Deum; neceſſum eſt, ut quæ dignitas, quæ vis, & excellentia tribuitur *Amori Dei*; eâdem & tribuatur *Amori proximi*; cùm tam hic, quàm ille ab eodem charitatis habitu procedat.

Patet deinde eadem charitatis præſtantia ex iis; quæ attuli in explicatione, & paraphraſi, tam mei thematis, quàm ex loco D. Pauli, quem jam citavi, atque explicui.

Patebit denique ex iis, quæ ſubjecturus ſum; & quidem:

Ex eo, quod ante inſinuavi, quia *Charitas* eſt quaſi *forma*, non eſſentialis; ſed accidentaria, quæ Fidei, & omnibus bonis operibus, vitam, valorem, & meritum tribuit in ordine ad finem ultimum. Charitas enim Fidei, & reliquis omnibus virtutibus dat

Primò ſtatum virtutis; ubi enim eſt Charitas, ibi exulat peccatum lethale, regnat virtus, ſuumque habet ſtatum, & regnum; aliaaque virtutes hoc eodem ſtatu, & regno ſuo donat, ut inde homo abſolutè virtute præditus, juſtus, ac ſanctus denominetur, & ſit.

Secundò, Charitas tribuit eis dignitatem, vim, & efficaciam merendi; facit enim hominem quaſi divinum, Dei amicum, & filium: adeoque illius opera quaſi divina, digna, & grata Deo, ut eis proinde æterna præmia adpromittat.

Tertiò, tribuit eiſdem ordinem ad finem ultimum, Charitas enim totum hominem, omniaque, quæ in eo ſunt ad Deum dirigit. Et hinc *ante omnia*, & *ſuper omnia* eſt Charitas. Supereſt ut videamus, quæ ſit illa, & quanta ex Apoſtoli mente, ac veritate.

§. 2.

Ad illa verba: *Charitatem continuam habentes.*

Quæ ſit illa Charitas continua?

Charitas continua quæ?

CHARITAS alia extrinſecus ſe prodit, atque oſtentat: de hac Divus Bonaventura ſic in ſpeculo ad Novitios: *Deferre humiliter ſocius honorem, Charitatis eſt fraternæ fomentum, conſcientiæ bona, illuſtriſque animi evidens argumentum.* Alia intrinſecus eſt, de qua hîc Apoſtolus cùm ait: *in vobiſmetipſis.* Et hanc continuam eſſe vult Apoſtolorum Princeps. At quænam illa? vox græca ἐκτενῆ alias atque alias patitur interpretationes: quæ Charitatis veluti dotes ſunt, aut partes: 1. enim ſignificat *extenſam.* 2. *Vehementem, & celerem.* 3. *Conſtantem, & perſeverantem.* 4. *Liberalem ac profuſam.* 5. *Cordialem.* 6. *Fortem.*

Ecce ut in unica vocula ludit pios Interpretum labor, ut qualitates Charitatis bellè explicat. Ex illis igitur hæc Prima: Charitas extenſa ſit oportet. Et ea fuit Apoſtoli, de qua ſic D. Chryſoſtomus:

Hom. 13. in 2. ad Cor.

Cor Pauli dilatavit Charitas, nihil latius corde Pauli, quod totam Orbem complexum eſt.

Charitas extenſa.

Hujus porrò cordis extenſionem, & latitudinem dum amat, ac demiratur D. Chryſoſtomus, æſtu quodam ſeu amoris, ſeu ſtuporis excitus, abit in hæc vota:

Hom. 32. in Ep. ad Rom.

Cordis illius pulverem videre vellem: quod ſi quis totius Orbis cor dixerit, & elementum primarium ſalutis noſtræ, non erraverit. Cor iſtud adeo latum fuit, ut in ſe ſuſciperit integras urbes, populos, & gentes.

Hæc de corde Pauli os illud aureum, quæ ego de aliorum quoque Apoſtolorum cordibus dixero: hæc adeo lata fuere, ut Orbem univerſum ſint complexa, uti deinde viri Apoſtolici, quos inter è minimâ Societate JESU Ignatius ejuſque ſocii, qui & ipſi jam inde à prima illius infantia, Orbem propè univerſum ſunt compleat: adeo extenſa, atque effuſa in illis Charitas.

Juvat illius temporis meminiſſe, quo Ignatium habuit Italia, Xaverium India & Japonia, Lainium Gallia, Rodericium Luſitania, Fabrum Hiſpania, Jaium Germania, Paſchaſium & Salmeronem Hibernia, Codurium Velitræ, Bobadillam Inſula Ænaria; omnes omnino tanquam exploratores expeditos, tam *ad bellandum* contra Divini Numinis hoſtes acerrimos, quàm *ad gradiendum* ad ultimos utriuſque Orbis fines: adeo illis cor latum, adeo extenſa fuit in proximum Charitas.

Joſue c. 14. v. 11.

Spectavimus Charitatem ad omnia loca, & utramque Solis domum protenſam: videamus ad omnes omninò perſonas exporrectam; has enim æquali vultu, ac fronte aſpicit Chriſtiana Charitas, eique nihil intereſt *Crœſus, Irúsve* ſiat.

Ad Celantiam.

Neſcit Religio noſtra perſonas accipere, inquiebat D. Hieronymus, *nec conditiones hominum; ſed animos aſpicit ſingulorum, ſervum & nobilem de moribus pronuntiat. Sola apud Deum libertas eſt, non ſervire peccatis: ſumma apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus.*

Quod ſi Religio noſtra neſcit perſonas accipere, neſcit & Chriſtiana, & Apoſtolica Charitas, neque hæc conditiones hominum aſpicit; ſed animos ſingulorum. Et ita aſpexit S. Franciſcus Xaverius, infimis æquè ac ſummis officioſa charitate inſerviens.

Si veheretur navi, & alto jactaretur mari, per foros, & roſtra curſitare, & nauticam turbam cogere ad ſacram catecheſim; & hæc Indiarum Apoſtolus, & à ſancta Sede Nuntius Apoſtolicus.

In ejus vita.

Si continenti teneretur, campanulæ ſono, ac tinnitu pueros evocare, ac mendiculos cogere in compitis, in plateis, & ſub nudo jove edocere quæ capita Fidei, quæ formandis moribus opportuna eſſent documenta. Et hæc vir tantus.

Si à Catecheſi, à Concionibus eſſet aliquod otium, aliquid vacui temporis, illud omne dare pauperculis, & morbidis in Xenodochiis; imò & eorum corpora curare, curare & vulnera; & lue infectorum ſaniem non ſemel exugere, illuſtri charitatis prodigio: & hoc quidem omne, ut & animos illorum curaret, & animi vulnera, id eſt peccata; & ex iis quaſi manantem ſaniem detergeret: adeo extenſa in omnes S. Xaverii charitas; à qua certè abſunt illi quàm longiſſimè, qui in hominibus, non animos ſpectant; ſed quæ corporibus adjacent phaleras: puta genus, divitias, veſtes, aliaque ejuſmodi de mundi pompa: quod & à Chriſtiana charitate alienum eſt, & ratione,

Audiant illi Senecam licet Gentilem, & ab eo ſtultitiam ſuam agnoſcant, & damnent:

Quemadmodum, inquit, *ſtultus eſt, qui equum empturus, non ipſum inſpicit; ſed ſtratum ejus, ac frenos; ſic & ſtultiſſimus eſt, qui hominem ex conditione, quæ veſtis modo nobis circumdata eſt, æſtimat.* Epiſt. 47.

Hæc Romanus ſapiens, cujus judicio ſi ille ſtultiſſimus; at quàm maximè Dei calculo, & lege Charitatis, quæ in omnes æquè extenſa: & quæ homines aſpicit, non conditionem, quæ veſtis eſt.

Sed ne longiùs, hæc de prima Charitatis dote attigiſſe ſit ſatis.

II. Vehemens & celer.

Altera eſt, quod ſit *vehemens & celer*, uti hic interpretantur Pagninus, & Vatablus. Et ea fuit R. P. Emmanuelis Ortega è Societate, apud Peruanos ſatis nota. Creſcunt per Peruvium amnes mirum in modum, collectiſque imbribus aucti, ac violenti, barbarorum caſas, pagos, & oppida non ſemel abripiunt multis hauſtis mortalibus. Id cùm fieret Ortega fluvio ſeſe committere non dubitavit, nandóque Indos fluitantes aſſequi, ut jam jam morituros ſuprema expiraret abſolutione: factus & ipſe homines capiens, etiam in aquis, ac fluviis tumentibus, charitate profectò magis vehementi, & rapida, quàm ſit ipſorum torrentium fluxus, ac rapacitas. Rho de Amore proximi.

Vidiſti charitatem ſanè vehementem in Patre Emmanuele, attende in D. Franciſco Xaverio, & vehementem, & celerem. Celeritatem colliges ex itineribus, quæ obivit ab uno Orbe in alium. Primò illum vidit Gallia, tum Italia propè tota; tum Luſitania; denique India, & Japonia; aliæque Africæ, atque Aſiæ regiones, & Inſulæ; in quibus luſtrandis, qui viarum longitudinem, locorumque diſtantias metiri volet, atque ad calculos revocare, inveniet Xaverium decennii duntaxat ſpatio, centies mille paſſuum millia devoraſſe: & devoraſſet etiam plura in Synarum regno, aliiſque regionibus, niſi curſum Charitatis illius, ac celeritatem, æterna quies interrupiſſet. Franciſci Remondi Orat. 12 de S. Xaverio.

Theodoro Studitæ, *homo ales, inſolens Angelis, & hominibus ſpectaculum.* Catech. 35.

Et Xaverius à Charitate, & celeritate quaſi *ales* & hominibus, & Angelis, & ipſi Deo jucundum fuit ſpectaculum. Et hæc pro ſecunda Charitatis dote.

III. Conſtans, ac perſeverans.

Tertia eſt, quod ſit etiam *Conſtans, ac perſeverans.* Non probatur ſuperis ea Charitas, quæ ſeſe remittit, & aliqua laborat inconſtantia; & modò ſeſe explicat, modò ſe contrahit: *Conſtans* ſit oportet, ac *perſeverans* etiam in arduis.

Ejuſmodi fuit R. P. Joſephi Calatayndo, qui nunquam ceſſabat ab animarum præda, quæ Charitatis opima eſt præda. Interdiu enim uſus amœna Solis luce peccatorum tenebras diſſipabat: noctu verò in alto contemplationis lumine, ardoréque eos Deo commendabat, exiſtimans ſibi periiſſe horas

ras omnes, quas non dediſſet ardenti in proximos Charitati, quæ in illo ad extremum conſtans fuit, & perſeverans.

Argumento ſit illud, quod præter alios labores nunquam intermiſſos, etiam trigeſies in expeditionem ad Mauros emiſſus ſit, à quibus nunquam ſine opimis animarum ſpoliis reverſus eſt.

IV. Liberalis, & profuſa. Quarta dos Charitatis eſt, quod ſit etiam *Liberalis, ac profuſa*: quidquid enim boni habet, aut habere poteſt etiam cœlo benigniore, id omne profundit, atque abjicit: ut proximo benè ſit, ſaltem, ne malè.

Et ea fuit Moyſis in populum Charitas, adeò liberalis, ac profuſa; ut etiam optarit deleri de libro vitæ, quod ſummum ejus erat bonum, nè de eo nocens populus deleretur. ſic enim ad Deum:

Exod. c. 32. v. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Libro utique divinæ prædeſtinationis, cui inſcribi, ut ſummum bonum; ita deleri ſummum videtur malum: quod certè elegiſſe in Moyſe liberalis fuit, ac profuſæ in proximum charitatis.

Ad Rom. c. 9. v. 3. Cujus etiam fuit D. Paulus, qui & ipſe optavit *anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis*.

Anathema, Hebraicè *Cherem*, quod teſte Budæo ſignificat ſeparationem, ſucciſionem, exitium æternum, hoc eſt extremum: quod tamen heroico quodam Charitatis exceſſo optavit Paulus; optavit, inquam, ſeparationem, non à Charitate Chriſti: ſed à beatitate, & gloria cum illo.

In hoc Chriſti, id eſt Domini ſui, ac magiſtri aliquo modo Charitatem imitatus; ut enim doctè notavit Origenes: *Et quid mirum, ſi cum Dominus pro ſervis maledictum ſit factus; ſervus pro fratribus anathema fiat.*

Hoc exemplo ſeu Moyſis, ſeu etiam Pauli, permoti viri à ſanctitate illuſtres, à Charitate toti igniti, idem exoptarunt, quos inter

B. Jacoponus; qui & in hac mortali vitâ labores, dolores, ærumnaſque omnes, ac ſupplicia quaecumvis gravia ſuſtinere peroptabat: & in alterâ immortali etiam inferni ignes, atque incendia, ut hominum peccata elueret, atque expiaret.

Et ea quoque fuit Charitas S. Catharinæ Senenſis, quæ optabat ſuo corpore obſtruere os inferni, ne quæ anima ampliùs in illum ingredi poſſet.

Huic ſuppar fuit & Charitas Alfonſi Rodriguez, è Societate noſtra Coadjutoris longè ſanctiſſimi, qui & ipſe ad quaſlibet inferni pœnas ſeſe offerebat, ut & unus aliquis criminoſorum, ſeſe ad bonam frugem recipiens in gratiam cum Deo rediret.

Et hæc pro liberali, atque effuſa in proximum Charitate dicta ſint; cui accedet, & alia dos ejuſdem

V. Cordialis. Charitatis; videlicet quod ſit *Cordialis*, hoc eſt plena affectus teneri, & compaſſionis. Et ea fuit Charitas D. Pauli: cordialis fuit illa, hoc eſt ab intimo affectu cordis, de quo auguſtum illud, & ſacrum

Hom. 32. in Ep. ad Rom. D. Chryſoſtomi: *Cor Chriſti, erat cor Pauli.* Quid divinius? *Tabula Spiritus Sancti.* Quid purius? *atque Charitatis volumen.* Quid amplius? quid porrò legeres in eo volumine? quos videres typos, & characteres? non alios, quàm illos, quos aliquando

2. Cor. c. 11. v. 29. impreſſit in Epiſtolâ ad Corinthios: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandaliſatur, & ego non uror?*

Si quis ex iis, quos Chriſto, & Eccleſiæ pepererat, infirmaretur, ex compaſſionis affectu infirmabatur & ipſe Paulus. Si quis ſcandaliſaretur, & ipſe ab eo ſcandalo urebatur totus; verbo uno induebat eoſdem affectus, quos filii induiſſent, & hoc quidem ex Charitate, quæ in eo erat *cordialis*.

S. Paulum imitatus eſt Nepotianus de quo S. Hieronymus in ejus Epitaphio ad Heliodorum: ubi ſic de illo:

Clericatum, non honorem intelligens, ſed onus, primam curam habuit, ut invidiam humilitate ſuperaret, ſubvenire pauperibus, viſitare languentes, provocare hoſpitio, lenire blanditiis, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, cæcorum baculus, eſurientibus cibus, ſpes miſerorum, ſolamen lugentium fuit.

Hæc de Nepotiano Divus Hieronymus: ſimilia de Sancto Exuperio, quem ex Charitate illa *cordiali*, ab intimo compaſſionis affectu, ad miſerorum levamen, ac ſubſidium tranſiſſe docet etiam corpora levando.

Exuperius, inquit, *Toloſæ Epiſcopus, viduæ Sareptenſis imitator, eſuriens paſcebat alios, & ore pallente jejunus, fame torquetur aliena, omnemq; ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogavit.* Epiſt. 4. ad Ruſticum.

Torquetur, inquit: crederes in ſe ſentire, quod in ſe ſentiebat proximus, & eo malo torqueri, quo ille: tanta eſt à Charitate ſympathia: hanc expertus ipſe Paulus, ad quem redeo, de quo extat & illud D. Chryſoſtomi: *Nullus tanto affectu mala propria,* Homil. 2. de laud. Pauli. *quanto Paulus deflebat aliena*: Porrò fletus ille adeò perennis in eo fuit, ut crebrò *fleviſſe legatur, riſiſſe* Hom. 6. in Matth. *nunquam, æquè ac Chriſtus.*

Ex illo compaſſionis affectu, qui à Charitate, ceu fonte oritur, naſcitur & illud, quod horreas, quod fugias, illud omne, quod proximo tuo incommodo eſſe poſſe exiſtimaris, nihilque magis oderis, quàm illi vel minimam creare moleſtiam: quo in genere illuſtre habea documentum, atque exemplum in R. P. Thoma Sanctio. Sexaginta annorum ſenex Abs de Amore proximi. erat, ſapientia clarus, & à doctis ingenii monumentis clarior. Is de viâ feſſus, paulò poſt quàm ſocii ſe cubitum recepiſſent, cùm appuliſſet, ne cuiquam illorum ſomnum rumperet, ad oſtium collegii noctem inſomnem traduxit, adeo ſuæ commoditatis oblitus, ut alienæ conſuleret, quod in illo eximiæ, & *cordialis* Charitatis fuit. Ubi hæc orto Sole innotuit; ſocios inter, & bonum Patrem orta lis eſt, & Charitatis contentio, dum illi conqueruntur, & dolent à ſomno ſe excitatos non fuiſſe (optaſſent enim etiam excitari omnes, ut Charitati, quæ nunquam indormiſcit, ſuus datus fuiſſet locus) hic autem dum ſeſe operosè excuſat, & culpam, ſi quæ fuit, ſibi uni vult imputari, Ecce ut *cordialis* Charitas alieno commodo ſtudet, & ſibi uni eſt incommodo. Ab hac porrò deſcendo ad aliam ejuſdem Charitatis dotem, & quaſi partem. Ea eſt, quod ſit etiam VI. Fortis. *fortis*, hoc eſt, quæ nulli cedat, ne morti quidem, cui tamen omnia cedunt: *Fortis* enim *ut mors di-* Cant. 8. v. 6. *lectio*.

Et ea fuit S. Laurentii, invicti Martyris, igne ſuperior, ſuperior & morte; ut enim de illo S. Leo Serm. 1. de S. Laurentio Pontifex: *Flammis ſæva crudelitatis ſuperari Charitatis Chriſti flamma non potuit. Segnior fuit ignis, qui foris uſſit; quàm qui intus accendit.* Hæc S. Pontifex de Chriſti flamma, hoc eſt amore, quæ ego de amore proximi; cujus exempla petemus non ab Eccleſiæ infantia, & quaſi cunis, in quibus calebat ea Charitas, ſed, quod mireris, à mundo, jam quaſi à ſenio frigeſcente, hoc eſt à noſtra hac ætate.

Fuit Genuæ adoleſcens, cui nomen Iacobus Dei, qui cùm nihil haberet, quod pauperibus daret præter ſeipſum: ſeipſum dare decrevit, ſeque vendere ad tranſtra in triremes, quod vitæ genus à pleriſque morte pejus ducitur; imo longa, ac tædioſa mors ab infami ſervitute. Sed Charitas nec ærumnas moratur, nec ſervitutem, & hanc, & illas amore proximi quæſivit Iacobus: quæſivit & emptorem: ſed Dei Numine factum eſt, ut non invenerit: Et ſanè Charitas vendi non debuit, nec indoles tam generoſa in illis ſordibus volutari.

A ſervitute, quæ civilis mors eſt, ad ipſam mortem delabor, neque hanc exhorruit *fortis ut mors dilectio*; imò morte fortior:

Ad Philippinas navigabat Didacus à ſancto Iago; cùm ecce (incertum quo caſu) aperta carina navis, Oceanum admiſit: in ea rerum deſperatione, dum omnia diſſonis clamoribus, & miſerabili complentur ejulatu; Didacus ſedulas aures jamjam morituris præbuit, ſecurus periculi, atque naufragii: expiatis omnibus, qui aderant, plurimiſque in proximum littus enatantibus, eandem & ipſe aleam ſubiturus, à navis margine deſilit in Oceanum, ſalutem in undis quæſiturus, quam in navi deſperaverat: ſed ecce è tabularis audita propè intermortua vox eſt, revocantis, ut verbum audiret de æterna ſalute ſecum adhuc acturi. Exarſit ad eam vocem in Didaco germana ſocietatis Charitas, & quanquam horrida undique etiam paululum cunctanti mortis imago in oculos incurreret, deſertiſſimi homuncionis felicitatem ſuæ præferens vitæ, ad eum audiendum in fotos reverſus, vix expiatoria formula hominem abſolverat, cum vaſto hiatu ſubſidente navi, immanſque lapſu coëunte, Oceano hauſtus eſt, felix omninò, qui & illum, & plures alios ſuo naufragio in portum deduxit beatitatis.

Rho Hiſtor. Vers. l. 1. c. 3.

Huic ſuppar fuit ea Charitas, quæ in Franciſco Rodericio eluxit. Redibat ille ex Japonia, illius Societatis procurator, per maria procellis infeſta, felici tamen uſus navigatione ad uſque Tagi oſtia: ad quæ alliſa ad ſcopulos navi, pretioſiſſima onera demerſa; multique fluctibus hauſti mortales, multi etiam cymbis excepti; ex iis una advolaverat ut Franciſcum fluctibus ereptum, in tutum aveheret; at ille in tabula fluctuans, & pereuntes audiens, abſolvenſque, Charitatis magis, quàm vitæ retinens, mori maluit, quàm animas Chriſti ſanguine quæſitas, dum undis abſorbentur, dæmoni relinquere glutiendas, illuſtri ſanè documento Charitatis, atque exemplo.

§. 3.

Ad eadem verba: *Mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes.*

Quæ ſint motiva ad mutuam illam charitatem?

Ex iis quædam ſunt communia, quædam particularia: & hæc, & illa paucis in medium producam. E communibus illud

I. Motivum. Quod homines.

Primum, tanto hominis, & ejuſdem naturæ communio, quæ nos ad mutuam illam Charitatem muta quadam voce hortatur, & monet: quod agnovit, & prædicavit Seneca, cui hoc Univerſum, quantum, quantum eſt, eſt veluti communis patria, imò & vaſta civitas, cujus pars ſit omnis homo, ſit licet Schyta, ſit Getha, ſit barbarus, nihil intereſt.

Lib. de Ira c. 32.

Nefas, inquit, *nocere Patriæ: ergo civi quoque: nam hic pars patriæ eſt, ſanctæ partes ſunt; ſi Univerſum venerabile, ergo & homo homini; nam hic in majore urbe tibi civis eſt.*

Hæc Seneca, qui debita Charitatis officia homini cuilibet vult exhiberi, tanquam concivi, imò tanquam parti, & membro magni corporis.

Epiſt. 95.

Omne, quod vides unum eſt, inquit, *membra ſumus corporis magni, natura nos cognatos edidit, cum ex iiſdem gigneret.*

Quod ſi cognatos, certè amicos, & mutuæ Charitatis vinculo conjunctos. Et hoc primum eſt ad illam motivum, toti humano generi commune.

II Motivum Quod Chriſti conſanguinei.

Secundum, eſt particulare Chriſtianis, qui à Chriſto dicuntur, & ſunt Chriſtiani, qui ejus corpori, & ſanguini participant, & ab eo quodammodo ſunt *Conſanguinei*: Et hoc eſt, quod altè commendavit D. Bernardus: *Conſanguinei*, inquiebat, *ſumus in ſanguine Chriſti.* Quod ſi conſanguinei, utique etiam eo nomine Charitatis mutuæ nexu copulati.

Quod ſi tamen ea conſanguinitas, quæ eſt à Chriſti ſanguine, petatur ex eo, quod illius ſanguine redempti, & quaſi ſpiritualiter geniti; hoc toti hominum generi commune, adeóque ex eo etiam communis, & mutua Charitas inter omnes.

III Motivū. Quod fratres.

Aliud incitamentum illis affine, eſt, quod ſimus etiam *fratres*. Vis fraterni nominis, & amoris eſt longè maxima, ut annotavit D. Chryſoſtomus in illa verba Domini ad Cain: *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

Clamat, inquit, non loquitur; non tacitè ſubmurmurat; ſed altè clamat, & eò quidem ut è terra in cœlos uſque evadat ea vox: tanta vis eſt fraterni nominis, & amoris, quem violaſſe ſummum nefas, quod nec terra ſuſtinet, nec cœlum patitur.

Hac fratris appellatione uſus Abraham, ut jurgium, quod exurgebat inter Paſtores ſuos, & Paſtores Loth, ſopiret, atque extingueret: *Ne ſit*, inquiebat, *jurgium inter me, & te: fratres enim ſumus.*

Erat Loth Abrahæ ex fratre Nepos, dicitur tamen frater, hebraico more, qui cognatione junctos fratres appellabant, & hac amica fratria voce, & jurgia tolli, & diſcordiæ ſemina ſuffocari poſſe, ac debere credebat Abraham, & concordiæ pacta firmari, atque retineri: & meritò; eſt enim ingens pondus ad amicitiam, amorémque conciliandum in fraterno nomine: quod ſi à natura tantum eſt, quantum accedet à gratia; quæ & Chriſtianos quaſi fratres facit, & religioſos eodem fratris vinculo inter ſe connectit, felici ſanè, ac fortunato nexu, de quo extat magnificum illud Divi Auguſtini:

Serm. 25. vel ut alii 27.

Melior eſt fraternitate ſanguinis, Chriſti fraternitas, quoniam illa interdum ſibi eſt inimica; Chriſti autem fraternitas ſine intermiſſione pacifica eſt. Illa inter ſe communia cum æmulatione dividit: hæc etiam cum gratulatione communicat.

IV Motivū. Quod diſcipuli Chriſti.

Sed & aliud eſt incitamentum, hoc ſcilicet, quod ea dilectio, & Charitas ſit ſignum, nota, ac veluti teſſera Diſcipulorum Chriſti; ad quos olim ſic magiſter optimus:

In hoc cognoſcent omnes, quod Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.

At cur ea dilectio ſignum eſt? Non erat alia nota, quæ Chriſti Diſcipulos ab aliis diſcerneret? poterat enimvero dari donum linguarum, donum prophetiæ, donum miraculorum, aut alia ejuſmodi, cœli, & gratiæ chariſmata; cur igitur ea non dedit? certè quia illi in primis curis erat Charitas; quod liquidò oſtendit in eâ oratione, quam ad Patrem habuit ſub extremum ævi brevioris. Sic enim ad illum:

Ioan. c. 17.

Rogo, ut unum omnes ſint; ſicut tu, & Pater in me, & ego in te. Ut autem ſint, non quidem identitate naturæ (hoc enim adynaton) ſed Charitatis, & animorum unione, ſic pergit: *Ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis: ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* At quæ illa claritas? Hic ſudat Interpretum labor.

L. 6 de Fide c. 4.

D. Ambroſius, ait eſſe gloriam filiationis divinæ, quam Chriſtus per naturam habuit: Apoſtolis autem dedit per gratiam.

Toletus hîc, eſſe Divinitatem filii, quam eis jam communicavit in Euchariſtiâ; in quâ unà cum corpore, & anima Chriſti, etiam Divinitas communicatur, per concomitantiam, uti loquuntur Theologi.

Maldonatus cenſet, eam claritatem eſſe dilectionem, à quâ habebant Diſcipuli, quod unum eſſent: hoc enim amor ſuo quaſi jure ſibi vendicat, ut è duobus, imò è multis unum faciat. Quod probat illud Ariſtotelis ex Platone; de duobus amicis, qui à Vulcano petierunt ſubjici incudi, & igni, ut ſic liquefacti unum fierent, in unum coaleſcerent.

Act. c. 4. v. 32.

Sic in ipſâ Eccleſiæ infantiâ fideles ita coaluiſſe videbantur. *Multitudinis enim credentium erat cor unum, & anima una*: una dico, non phyſicè; ſed moraliter:

nec

nec enim hic placet idea illa Platonica, ſeu anima communis in ſingulis individuis; nec intellectus unus in multis, ut fortè voluit Averroes: Sua enim ſingulis eſt anima, ſuus intellectus, ſuum cor, idque ab aliis diſcretum, ac diſtinctum: unum tamen ab amore, & Charitate, in quâ, ut doctè annotavit Tertullianus, Evangelica lex conſiſtere videbatur; quam dum ſuſpiciunt, & amant Gentiles, una eorum vox de Chriſtianis hæc erat: *Vide, ut ſe diligant, ut alter pro altero mori ſint parati.*

Apolog. 39.

Hanc porrò Charitatem dum amat, ac demiratur Pachomius, ex Gentili Chriſtianus; ex milite monachus factus eſt, & parens Monachorum. Et hæc paucis de Charitate, & unione Chriſtianorum inter ſe: hæc ubi ſenſim defecit, inſtituta cœnobia, in quibus vigeret. & hoc erit

V. Motivum Quod Religioſi.

Aliud incitamentum, quod unius, ejuſdémque inſtituti religioſi; quorum unionem dum aſpicit, commendátque S. Baſilius, ſic in Conſtitutionibus monaſticis:

Cap. 19.

Homines ex diverſis nationibus, & regionibus profectos, per exactam morum ac diſciplinæ ſimilitudinem adeo velut in unum coaluiſſe, ut in pluribus corporibus unus tantùm animus eſſe videatur, viciſſimq́, plura corpora unius animi inſtrumenta. Et hoc D. Gregorio interprete indicare viſum eſt monachi nomen, quod & ſolitudinem ſignificat, & fraternam unionem. μόνος enim, id eſt *unus*, & *ſolus*. Quod ſi ea unio in omnibus religioſis Ordinibus ſervata, maximè, (quod bonâ aliorum veniâ dixerim) in minimâ noſtrâ Societate, in quâ ab infantia in unum coaluerunt homines è nationibus, & regionibus diverſiſſimis.

VI Motivũ. Quod Societatis JESV.

Fuerunt illi initio numero decem non ampliùs, *Omnes ut locis, atque nationibus: ita & natura, ac linguis, conſiliiſq́, diſſimiles*, ut disertè notavit Orlandinus. Et quidem

L. 1 Hiſtor. Societ.

S. Ignatius Biſcaienſis, S. Xaverius Navarrus, Faber Allobrox, Laynius Seguntinus, Salmeron Toletanus, Bobadilla Palentinus, Rodericus Luſitanus, Broetus Picardus, Iaius Allobrox, Codurius Delphinus. Itáque Hiſpani, Galli, Luſitani, Itali, Allobrogæ, omnes tamen mutuæ Charitatis nexu, ita coujuncti, ut una gente, uno parente genitos credidiſſes. Quod illis: hoc deinde & aliis in eadem Societatem aſcriptis, hoc & in Provinciis, hoc & in Collegiis viſum non ſine amabili ſtupore, dum in unum ita coeunt nationes longè diverſiſſimæ.

Certè ea diverſitate viſus fuit delectari ipſe S. Pater Ignatius, idcóque cum & Provincias inſtitueret, & nova fundaret Collegia, ſolitus erat in ea cogere è diverſis nationibus homines. Ex uno diſce omnes.

Cùm in Siciliam vocaretur Societas, in eam deſtinavit Patres omnino duodecim; omnes è diverſis nationibus. Sic Mamertini, & Panormitani Collegia initio habuerunt Hiſpanos, Gallos, Italos, Luſitanos, Belgas: ita diſponente ipſo S. Patre Ignatio, qui mirè gaudebat & illa nationum diverſitate, & ſimul earundem inter ſe unione, quam & demonſtrat, & exigit Inſtituto ſuo impoſitum nomen Societatis, id eſt ſacræ cujuſdam militiæ.

L. 8 Hiſtor. Societ.

VII Motivum. Quod Societas, id eſt militia ſacra.

In hac certè neceſſaria eſt unio, & militum, & agminum inter ſe, & in ea unione ordo quidam militaris, qui ſi abſit, neceſſum eſt & ſolvi acies, & fœdè diſſipari, turbatis ſcilicet ordinibus. Unde & vulgatum illud: *Multitudo inordinata potiùs eſt victima, quàm pugna.*

Quod ſi in profana militia adeo neceſſarius ordo, neceſſaria & unio; multò magis in ſacra, qualis eſt ipſa JESU Societas; in quam cadere poteſt & illud Sponſæ de Sponſo: *Ordinavit in me Charitatem*: vel, ut ad rem præſentem alia verſio: *Vexillum ejus ſuper me Charitas.*

Cant. c. 2.

Diſtinguuntur acies per vexilla ſub quibus militant: diſtinguuntur & Nationes imò & Regum, Cæſarúmque turmæ. Si vexilla rubra videris, Burgundica arma, & acies prædicabis; ſin autem alba, Gallica laudabis; ſi nigra Cæſaris Aquilam ſuſpicies, & Cæſaris arma formidabis: & ita de aliis. Sic in ſacratiore militiâ religioſi Ordines, hi virtutem unam in primis curis habent, atque amoribus, alii aliam: minima IESU Societas Charitatem, velut militiæ ſuæ vexillum oſtentat.

Accedit & alterum, quod Religioſus Ordo, ipſaque etiam JESV Societas, ſit veluti ſchola quædã ſapientiæ: in quâ nemo doctus niſi magiſtra Charitate.

VIII Motivum. Quod Schola Sapientiæ.

Teſtem produco è multis unum D Dominicum, qui hoc de ſeipſo multa doctus experientia: *Plus in Charitatis codice didici, quam in univerſa Scriptura.*

At quid in hoc codice legebat, quid diſcebat vir ſanctus?

In primo folio illud Apoſtoli: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur*, & cætera. *1. Cor. c. 13.*

In ſecundo iſtud: *Supportantes invicem in Charitate.* *Ad Coloſſ.*

In tertio: *Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini.* *c. 3.* *Lucæ c. 6.*

Ecce quæ in codice Charitatis legerat S. Dominicus, & quæ ex eo hauſerat altioris ſapientiæ placita Et ipſe hauries Amice Lector, ſi eum diligenter evolveris, utque evolvas ad extremum tibi ſub oculos ponam illud Chriſtianæ Charitatis motivum; quod ſuis aliquando poſuit D. Auguſtinus, dum ſic ad illos.

IX Motivũ. Quod Charitas ſit Chriſti tunica. *Tract. 103. in Ioan.*

Charitas eſt tunica inconſutibilis Chriſti, quæ ad unum Deum pervenit, & in unum omnes colligit: quod ſi tunica Chriſti, eáque inconſutilis, *non ſcindamus eam.*

In funeſta illa, terris cœloque inviſa tragœdia, in qua Deus homo pependit in fatali ligno, milites viſa illius tunica inconſutili, dixerunt ad ſeipſos, *non ſcindamus eam.* Quæ illi non nimiũ malè: hæc tu, mi Lector, dicas quàm optimè.

Charitas eſt tunica Chriſti, eáque inconſutilis, non ſcindamus eam verbulo alpeniore; non affectu nationali, non jactu diſcordiarum ſemine inter fratres, & amicos, non alio quovis peccati nævo, *non ſcindamus eam.* Ne nobis eveniat aliquando, quod infelici Ario: de quo illud Servatoris optimi, qui apparuit diſciſſa veſte S. Petro, Alexandriæ Epiſcopo, & hæc illi: *Arius veſtem meam, quæ eſt Eccleſia, dilaceravit.* Dicam ego mutata dumtaxat vocula: *Veſtem meam, quæ eſt Charitas, dilaceravit* ille ſuſurro, ille maledicus, ille detractor, ille verbo factóve fratri ſuo injurius: *dilaceravit* enimverò fraternam Charitatem, quæ Chriſti eſt tunica. Ne in te cadant eæ querelæ, juſtáque expoſtulatio, ſedulus attende, benevole Lector.

§. 4.

Ad illa verba: Mutuam in vobiſmetipſis charitatem habentes.

Quæ ſit Regula mutuæ illius Charitatis?

HANC expreſſit Salvator optimus cùm ſic ad legis Doctorem quærentem ex ſe quod eſſet mandatum magnum in lege? Reſpondit enim: *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum ſicut teipſum. Ea eſt regula dilectionis*, inquit Auguſtinus. Ut hæc ponatur in aperto, claráque luce, videndum erit, quomodo ſeipſum quiſque diligat? quomodo deinde & proximum? hoc enim ex altero ut ducatur, eſt neceſſe. *Matth. c. 22.*

Seipſum diligere convincitur homo aliis, atque aliis argumentis.

Primum eſt, quòd cum ſeipſo conſentiat quàm optimè; imò membrum unum cum alio, oculus cum manu, manus cum pede; & ſic de aliis, quibus componitur homo. Primum Argumentum

[illegible]

[illegible]

In homine, inquiebat Hippocrates, *confluxio una, conſpiratio una, conſentientia omnia.*

Et hoc eſt, quod tibi, quod amori in teipſum das, ô homo! da & proximo: qui & ipſe ejuſdem quaſi corporis eſt membrum: ſicuti ergò non patereris, ut oculus à manu, manus à pede, pes à capite diſſentiret; ſic nec patere, ut à proximo diſſentias. Sentias igitur quod ille, velis quod ille: & hoc fuit Pauli votum, hæc oratio: *Deus patientiæ, & ſolatii*, inquiebat, *det vobis idipſum ſapere.*

Ad Rom. c. 15. v. 5.

II. Argumentum. Secundum argumentum, quo probatur homo ſeipſum amare, eſt, quod benè ſibi afficiatur, benè ſibi velit, & faciat etiam benè. Quod ex eadem membrorum inter ſe conſpiratione oſtendit Galenus. Sic enim ait: *In corporibus noſtris unum conſpiratum, confluxumque eſſe, ac omnia inter ſe mutuo affici.* Sic oculus manui, manus pedi afficitur benè. Et hunc affectum etiam naturæ ſenſu prodit, dum unum alteri condolet, atque ſuccurrit.

L. de facult. natur. c. 13.

Non poteſt, inquit altiore cothurno Tertullianus, *corpus de unius membri vexatione lætum agere, condoleat universum, & ad remedium collaboret, eſt neceſſe.*

L. de Pœnit. c. 10.

Quod corpori, quod membris, quod nobis ipſis damus, demus & proximo; ut enim diſertè D. Ambr.

Hæc utique naturæ lex eſt, quæ nos ad omnem ſtringit humanitatem, ut alter alteri tanquam unius corporis partes invicem deferamus, nec detrahendum quicquam putemus, cum contra naturæ legem ſit non juvare.

Lib. 3. offic. c. 3.

III. Argumentum. Tertium argumentum, quo ſeipſum amare videtur homo, eſt quædam erga ſe paſſio, atque compaſſio; ea qua fit ut unum membrum alteri compatiatur, & ſi patiatur unum, videatur pati & alterum. quod ipsâ experientiâ, veritatis utique magiſtrâ, oſtendit D. Auguſtinus:

Quando, inquit, *eſt aliqua coarctio, ſi alter alterum calcet; lingua dicit calcas me. Non ipſa calcata eſt: Quid eſt ergò quod ſonat, calcas me? Si & ille reſpondeat, libera es, ô lingua, in ore tuo vocem habes; ego ſi calcavi, pedem calcavi, ſed calcas me Charitas dicit, calcas me, compaſſio unitatis, & vinculum ſocietatis, dicit.*

In Appendice Serm. 17.

Quod corpori, & ſingulis membris, quod & tibi; hoc & proximo: ſi hic patiatur, & illi compatiaris eſt neceſſe: ſi doleat ille, & ipſe doleas, oportet. hunc enim ſenſum tibi ingenerare debet compaſſio unitatis, & vinculum ſocietatis.

IV. Argumentum. Quartum argumentum, quo ſeipſum diligere oſtenditur homo, eſt ſedula cura corpuſculi, ut alatur benè; imò & lautè: ut tegatur, non ſacco, & cinere; ſed byſſo, & purpura.

Quod tibi, hoc & proximo: *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Benè tuam, quippe unum corpus ſumus in Chriſto, & alter alterius membra*, ut rectè Apoſtolus. Quod ſi unum cum proximo: profectò quod nobis, hoc & ipſi. Hinc illud præclarum Divi Paulini, magni Præſulis monitum: *Cave te ſolum ames: ſi te amas, parem tui curam & pauperis gere.* Unus quippe es cum illo.

Iſai. c. 58. v. 7.

Ad Rom. c. 12. v. 4.

Epiſt. 32. ad popul.

V. Argumentum. Quintum argumentum, quo ſeipſum ſincero amore proſequi dignoſcitur homo, eſt animæ, ſalutiſque cura, ne illi à culpâ malè ſit, ne ab imminente Dei juſtitia etiam malè, ne ab ignibus æternis peſſimè: quæ nobis cura, quæ ſollicitudo; eadem & proximo, iidem pro illo ad ſuperos gemitus, eædem lacrymæ, eædem placando Numini preces, eadem & jejunia: quod aurea ut ſolet eloquentia aperit D. Chryſologus. Sic enim inquit:

Revera fratres, ſi eſſemus unum, & humanum corpus, ſi eos, qui pereunt noſtra eſſe viſcera crederemus, afflictione jejunii, precum gemitu, effuſione gemituum jugiter clamaremus. Domine ſalva nos perimus, & ſtuderemus nobis in noſtris fratribus ſubvenire, ne ſæviente gladio, ſanguinis noſtri mare videremus in terris; nec tanta corporum, ſed nec animorum naufragia ſentiremus; atque humili voce precaremur: Domine ſalva nos, perimus. Hæc aurea ſandi copia Chryſologus.

Serm. 20.

Sextum argumentum, quo in ſeipſum amore ferri convincitur homo; eſt, quod ſeipſe, affectus, paſſiones impetuſque animi etiam turbulenti, ſumma cum æquitate toleret. Animula hæc quamdiu hoc corpore, ceu navi, hoc mundo, ceu mari, jactatur; ſuos habet æſtus, ſuos ventos, ac tempeſtates; & quidem tot, quot inſurgunt pugnantes inter ſe paſſiones, ſeu eas iræ, ſeu triſtitiæ, ſeu inſolentia lætitiæ eſſe velis. *VI. Argumentum.*

Ab his, ut circumferatur afflante quaſi vento, ſuſtinet tamen, inſigni patientia, nec ſeipſe excutit, etſi cum alto gemitu uſurpare cogatur illud Iobi: *Factus ſum mihimetipſi gravis.* *Cap. 9. v. 20.*

Quem ipſe tibi exhibes, exhibe & proximo, ejus nævos, etiam graviores, tolera, culpas diſſimula, paſſiones fortiter ſuſtine, quamvis illæ te premant, memor illius quod obſervavit Seneca;

Societas noſtra lapidum fornicationi eſt ſimillima, quæ caſura niſi invicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinentur, quo ſcilicet ſibi obſtant, ac ſe invicem premunt. *Epiſt. 95.*

Porrò ſi quem obſtare tibi, ſi te premere ſenſeris, & tamen ſuſtinueris, eum te illi præſtabis, quem tibi; cumque ſuſtinebis uti & teipſum; ſicque nec cades ipſe, nec ille, aliàs caſurus & tu, & ille, niſi invicem obſtitiſſetis.

Septimum argumentum, ex quo noſcitur hominis in ſe propenſio, & amor; eſt cura boni nominis, quod ſibi eripi non patitur; imò, ne patiatur, ſi fortè perperam à ſe aliquid actum ſit, quà poteſt celat, ac tegit. Ita paſſim ſuos nævos tegunt homines amantes ſui, nec detegere ipſi, nec ab aliis detegi volunt; ſed potiùs, quà licet, obtegi. *VII. Argumentum.*

Quod tibi, hoc & proximo: ſit tibi bonum ejus nomen, & bona fama in primis curis, atque amoribus: & ſi in eo maculam deprehenderis, cave ne eam reveles, ne in apertum producas: ſed quà potes cela, & tege; & in eo Dei tui in te amorem imitaberis. *Videt ille ignominiam tuam, nec revelat*, inquit Damianus. *Ecce videt, & tacet: videt, nec manifeſtat: videt, nec judicat: videt, nec vindicat.* *Serm. 56.*

Vide pariter & tu proximi tui pudenda ſcelera, & tace: vide, nec manifeſta; vide, nec judica: vide nec vindica: & ſic Deum imitaberis, tuùmque in proximos amorem teſtaberis.

Ita teſtatus aliquando Conſtantinus, & nomine, & re etiam ipſa Magnus, qui dicere ſolitus. Si Sacerdotem quempiam deliquiſſe vidiſſet; ſuo pallio, ſua purpura operuiſſet. Tantus illi in proximum amor, quem ut imiteris, AMICE LECTOR, tibi in religioſo pulvere unum aliquem oſtendo, qui fratris ſui pudendum ſcelus etiam celare, ac tegere exemplo ſuo docuit.

Ex antiquis Patribus unus aliquis monitus è Junioribus quempiam in cellulam ſuam furtivè admiſiſſe procacem fœminam; ad eam ſe cōtulit unà cum delatoribus, & cum in illam primus intraſſet, advertit fœminam ſub viminea corbe latitantem. Quid deinde? ſuper illam ſedet, & ſedendo ſcelus obtegit; tum ſic ad accuſatores illos: Ite, ite, & cellulam luſtrate ſeduli, feram indagate, ſceleſtam quærite, fugate. Eunt, redeuntque, nec uſquam apparet fœmina: tum acrius delatores increpat ſenex, ac dimittit: dein etiam & fœminam.

Movit ingenioſa illa ſenis charitas reum, & permovit, meliora deinceps & ſpopondit, & dedit; nimirum apud cordatos, plus ſæpè valet indulgens caritas, plus tectum ſcelus, quàm apertum. Aperire enim ſubinde eſt iræ, & zeli inclementioris, atque in pœnas accenſi; tegere verò amoris eſt, & paternæ conniventiæ, imò & prudentiæ. *P. Taſſis in Annuer.*

Et hæc pauca de Charitatis regulâ; déque in proximos Charitate. Plura ſcio dici poſſe: ſed hic ſtudeo brevitati, & amo, non verborum tantùm, ſed & rerum compendia.

TRACTATUS DE MANSUETUDINE.

DE hac & illa Virtute multi multa, ex natura, ex Sanctorum placitis, ex hiſtoriis, ex antiquitate, ex omni penu eruditionis: ego apis matinæ more, modóque, è multis pauca delibabo, tibíque reddam, Benevole Lector, etiam uti ſpero cum fœnore.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Pſal.36. v. 11.

§. 1.

Quid ſit Manſuetudo?

MANSVETVDO preſſiùs definiri poteſt ex Philoſophiæ legibus, & placitis: & deſcribi latiùs, ac fuſiùs ex licentia quadam orationis, petita ab illius ſeu proprietatibus, & affectionibus, ſeu etiam effectibus. Et hac, & illa ratione depictam tibi ſub oculos ponam, AMICE LECTOR.

L. 4. Ethic. Ariſtoteli, *Manſuetudo eſt mediocritas circa iram.* Modum enim huic ponit, ne liberiùs, quàm par Definitio. eſt, evagetur; ne rationis limites excedat, ne deflectat ad extrema: in his enim eſt vitium: uti & *Virtus in medio.*

Lib. 2. Rhet. Eidem Philoſopho, *Manſuetudo eſt depreſſio, & ſedatio iræ.* Iram enim, quæ altiùs æquo aſſurgere ſolet, quæ effervelcere, atque ebullire, deprimit, ſedat, temperat.

D. Thomæ Aquinati, *Manſuetudo eſt virtus, quæ ſecundum rectam rationem moderatur iras.* Conſonat ea definitio cùm illâ, quæ eſt Philoſophi.

Leſſio, breviùs, *Manſuetudo eſt iræ moderatrix.*

Gloſſæ in caput 5. Matthæi: *Manſuetudo eſt dulcedo animi, quam non vincit amaritudo.*

Ira, quæ felle plena eſt, amaritudinem gignit, quam illicò vincit, ac ſuperat enata quædam à manſuetudine animi dulcedo: vel ſi mavis, impedit, ac præfocat fœtum illum iræ, videlicet felleam in corde amaritiem.

Deſcriptiones. Et hæ ſunt Manſuetudinis definitiones ex Lycæo hauſtæ, & ſcholis: Subjicio ejuſdem deſcriptiones ex Sanctorum Patrum liberiore ſenſu.

Homil. 15. in Cant. D. Gregorio Nyſſeno, *Manſuetudo eſt nota, & character divinæ mentis*: facit enim ut puſillus homo Deum veluti referat, atque exprimat.

L. 7. Strom. Et hinc Clementi Alexandrino dicitur, & eſt, veluti quædam *aſſimilatio, atque imitatio Divinitatis.*

In Stylicon. Claudiano, Poetæ ingenioſiſſimo: *Manſuetudo* (quam etiam cum clementia confundere videtur) *eſt magni cuſtos mundi, & maxima natu Cœlicolûm.*

Hunc enim aſpectabilem mundum cuſtodit, ac fovet, ne vel Omnipotentis irâ perdatur, ac pereat: vel etiam iratorum hominum æſtu impotentiore labefactetur.

Tum etiam, ſi Cœlicolis ſui ſint fœtus, ſuæque proles; ea eſt natu maxima, adeóque prima, ac nobiliſſima.

Lib. 2. offic. c. 7. D. Ambroſio, *Manſuetudo eſt veluti philtrum cæleſte, ac prope divinum*, quo in ſui amorem omnes alliciat, atque trahat.

Avena trahit equum, ramus ovem, nux puerum, magnes ferrum, feſtucam ſuccinus, & homines omnes manſuetudo ad ſe rapit.

D. Chryſoſtomo, aureo Oratori, eſt veluti *cordis medicina.* Nimirum illi Ira venenum eſt: alexipharmacum autem, ac remedium Manſuetudo. Ut enim Sapiés in proverbiis: *Manſuetus vir, cordis medicus.* Hom. 6 in Acta. Cap. 14. v. 30.

D. Ambroſio, ad quem redeo, *Manſuetudo eſt virtus Regia*: ex quo iſtud ejuſdem Doctoris velut oraculum. *Maxime manſuetudo in Rege præcipuum.* L. Hexam. Hinc illud Cyrilli Alexandrini ad Theodoſium Imperatorem: *Decet ſupremas Intelligentias, ut ſereno ſint, & placido ſemper animo.* Et inde in Titulis Imperatoris hi ferè principem obtinebant locum. *Tranquillitas, & Serenitas.* Et hæ manabant à manſuetudine, ut radii à Sole.

Climaco, *Manſuetudo eſt adjutrix obedientiæ, dux religioſæ ſocietatis, furentium frænum, iraſcentium expultrix, magiſtra gaudii, imitatrix Chriſti, Cœlitum proprietas, vinculum dæmonum, ſcutum amaritudinis, fundamentum patientiæ, janua Charitatis; Spiritus Sancti diverſorium.* Gradu 24.

Ecce quibus coloribus Manſuetudinem pingit, exprimitque Climacus; non aliis certè, quàm magnarum Virtutum coloribus, atque formis.

Denique *Manſuetudo eſt Virtus homini veluti adnata, & maximè propria*; imprimiſque Virorum fortium. Hinc illud Ovidii ad Auguſtum:

Quo quiſque eſt major, magis eſt placabilis ira.
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni:
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.
At lupus & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcumque minor nobilitate fera eſt.

Et hoc ipſum eſt, quod indicatum voluit ea parabola, in quâ dicitur: *Simile Regnum cælorum Homini Regi*, qui prandium fecit, ſervóſque miſit, qui ad illud invitarent quàmplurimos; qui, ubi in unum collecti, ſtatim adjicitur. *Intravit Rex ut videret diſcumbentes,* Matth. 22. v. 11.

Hic injicitur quæſtio ad rem noſtram accommoda, cur in fronte parabolæ legitur *homo Rex?* & in illius calce *Rex tantum?*

Reſpondet D. Hieronymus, quia initio manſuetum, & miſericordem ſe oſtendebat, poſtea verò iratum, & ultorem. Lubet illum audire:

Quando invitabat ad nuptias, & agebat opera clementiæ, hominis nomen appoſitum eſt: nunc autem quando ad ultionem venit, homo ſiletur, & Rex tantum dicitur.

Nimirum Manſuetudo hominem ſpirat, & ſonat: Ira verò, & juſtè ſumpta ultio, ac pœna, Regem oſtendit; vel potiùs in Rege judicem.

Et hæc è multis pauca de notione, & natura Manſuetudinis: ſubdamus alia de ejus officiis, ac deinde de gradibus illius.

Officia duo potiſſimum ſunt. Primum, appetitum ſenſitivum, & iraſcibilem ita cohibere, ut oblatis iraſcendi occaſionibus, iracundiæ motus omninò comprimat, ſi recta ratio id faciendum eſſe perſuaſerit. Ejus officia.

Alterum, ut quando eadem ratio dictat habenas Iræ laxandas eſſe, hujus motus omnes ita temperet, ac regat, ut juſtum nunquam excedant modum. Ex quo hoc etiam liquet, proximam hujus Virtutis materiam, eſſe iram; cui modum à ratione præſcriptum imponit: nunc ad varios illius veluti gradus deſcendamus, pro quo ſit

§. 2. Quæ

§. 2.

Qui ſint gradus Manſuetudinis?

ALios, atque alios recenſent SS. Patres, atque Interpretes, è quibus hic

I. Gradus. Primus, verba mollia, & in quibus nulla ſit aſperitas. Et qui ejuſmodi ſunt, dicuntur *ore* manſueti; imò & *corde*: quia ea verborum lenitas, ac ſuavitas non poteſt manare niſi à corde leni, ſereno, ſemperque tranquillo.

Eam manſuetudinem nos exemplo ſuo docuit Chriſtus Servator optimus, cui nunquam in omni vita verbum juſto aſperius excidit, lenia omnia & amantia.

Offertur illi mulier adultera, urgeturque ut lapidibus obrui patiatur; inclinans ſe ſcribit in terra, in pulvere, & eorum, qui ſupplicium depoſcebant, ſcelera conſcribit, nec verbulo carpit aſperiore: abeunt illi, tum ſic ad mulierem: *Ubi ſunt, qui te accuſant? Nemo te condemnavit, nec ego te condemnabo: Vade, & jam amplius noli peccare.* Quid mitius, quid blandius illis verbis? *Joan. c. 8. v. 10.*

Nimirum is animo manſueto genius eſt, id corde, & ore manſuetis in more poſitum; & receptum in omni vitâ, in converſatione, cum æqualibus; imò & cum ſubditis: ne cum his quidem verbulum durius, atque aſperius.

Ea oris manſuetudo, ea verborum lenitas commendata in Roberto Bellarmino, qui in religione ſuos inter fratres & ingenio fuit mitiſſimo, & verbis ſemper lenis, & placidus, nec auditus unquam verbulum aſperius eloqui.

Et in Purpura, jam Dominus familiam omnem manſuetiſſimè continuit, & ſi quid à domeſticis peccaretur in obſequio, aut penitùs diſſimulabat, aut verbis leniſſimis emendabat.

Rho Virt. hiſt. l. 6. c. 6. Quæ Cardinali Bellarmino in Purpura manſuetudo fuit: fuit & in regio diademate Philippo II. Hiſpaniarum Regi: nihil illo in verbis mitius, nihil manſuetius fuit, nullum verbulo lædere, nullum unquam pungere ſolitus, ne famulum quidem etſi reum: etſi ab eo læſus ipſe, atque offenſus.

E multis, quæ produci poſſent, unum illud ſit argumento. Vigilaverat ad multam noctem, literáſque ad Pontificem de graviſſimis Chriſtianæ Reipublicæ negotiis exararat ipſe, cùm ecce eas aulico, qui erat ab Epiſtolis, dedit, ut complicatas, obſignataſque ſigillo regio, inſcriberet: ille ſemiſopitus, & haud ſatis attentus, Epiſtolam recentem, non pulvere, ſed atramento inſpergit, totamque maculat, atque corrumpit.

Quid deinde? exanimaverat hominem caſus inopinatus, nec aliud expectare poterat, quàm verborum tonitrua, itarumque fulmina. At nihil horum expertus: ſerena quippe fronte Philippus. *Huc*, inquit, *aliam chartam*: iterúmque ſcribere exorſus, Epiſtolam de integro compoſuit. Magna ſanè in tanto Rege manſuetudine, in quâ profectò ſeipſo major fuit: & major, in eo quòd tam ſui Dominus, quàm tot Regnorum.

II. Gradus. Secundus Manſuetudinis gradus in eo ſitus eſt, quòd inſoleſcentes, atque impotentiores aliorum iras, molliore reſponſo quis excipiat, & frangat: nihil enim magis homini pronum, quàm ut aliorum iras, æſtuſque paſſionum aſperioribus verbis retundat, & in jacientem, ceu telum immiſſum, quodammodo remittat; ut enim vulgò dici ſolet: *Malo nodo malus quærendus eſt cuneus.*

Et hoc fortè ex vitio verum eſt; at non ex virtute: ex hac enim, lenia plerumque omnia: exempla tibi dabo, Amice Lector, eorum imprimis, quibus nec ad iraſcendum cauſa defuit, nec poteſtas ad ulciſcendum.

Primum erit Antigoni Macedoniæ Regis. Is caſtra poſuerat in locis paludoſis, in quibus ad alia incommoda etiam acceſſerat annonæ caritas, & fames. Hinc in eum excandeſcere miles, & convitia jacere. Audierat omnia Antigonus, utpote cùm inter dicentes, & audientem palla intereſſet, quam ille leviter commovit, & *longius*, inquit, *diſcedite, ne vos Rex audiat.* *Seneca l. 3. de Ira, c. 22.*

Ecce ut iras frangit reſponſio mollis, etiam in cœca Gentilitatis nocte, è qua & aliud quoque nobis affulſit in Philippo Macedonum Rege; in quo & ſingularia eluxit manſuetudo, *ingens*, ut ait Seneca, *inſtrumentum ad tutelam regni.* Inter alios Athenienſium Legatos venerat ad illum Demochares, ob nimiam, & procacem linguam, *Parrheſiaſtes* appellatus.

Audita benignè legatione, Philippus: *Dicite*, inquit, *mihi quid poſſim quod ſit Athenienſibus gratum?* Excepit Demochares. *Te*, inquit *ſuſpendere.* Exorta circumſtantium indignatio ad tam inhumanum reſponſum, quos Philippus conticeſcere juſſit, & Therſitem illum ſalvum, incolumémque dimittere. *At vos*, inquit, *cæteri Legati nuntiate Athenienſibus multò ſuperbiores eſſe, qui iſta dicunt, quam, qui impune dicta audiunt.* Hæc de illo Seneca: quod hic allatum volui, ut etiam à Gentilibus edocti probè Chriſtiani, diſcant pro aſperis, & inhumanis, mollia, & humana reddere, inſigni profectò manſuetudine, cujus. *Supra c. 23.*

Tertius gradus hic erit, ne iraſci quidem, néve commoveri; quod certè indicium eſt animi pacatis & qui ubique ſuus eſt, & ſuorum motuum Dominus; iis enim fræna laxat cùm vult, & contrahit cùm ira lubet. III. Gradus.

Elpidius Cappadox Monachus rogatus à Joanne Anachoreta, quid præclari unquam egiſſet, reſpondit: *Annis quadraginta Sol me nunquam comedentem aſpexit.* Tum Joannes, *Nec me*, ait *quadraginta annis iraſcentem vidit*; adeo placida, & pacata illi mens fuit: & talis Senecæ judicio fuit etiam Diogeni Stoico, de quo ſic ille:

Contumeliam tibi fecit aliquis? Nunquid majorem, quàm Diogeni Philoſopho Stoico? cui de irâ cum maximè diſſerenti adoleſcens protervus inſpuit: tulit ille leniter, & ſapienter: *Non quidem*, inquit, *iraſcor: ſed dubito tamen an iraſci oporteat.* Hæc apud Senecam Philoſophus, qui, ſi hæc ex veritate ſuderit, & non ex inani quadam jactantia, atque affectatione, ſanè Chriſtianis quamplurimis ruborem injiciet, & pudorem. *Supra c. 38.*

Ejuſdem generis eſt iſtud, quod refert ille ipſe Sapiens Romanus de Catone, cui cùm cauſam agenti in frontem mediam inſpuiſſet Lentulus, vir factioſus, & impotens, abſterſit faciem, & *affirmabo*, inquit, *omnibus Lentule, falli eos, qui te negant os habere.* Hæc ille vultu ſereno, amica voce, animo imperturbato.

Sed quid iſta foris emendicamus, cùm abundè ſuppetant domi.

Paſchaſius Broetus, unus è decem primis S. Ignatii ſociis iter habebat per agrum, in quo demetendia frugibus ad triginta homines occupati. Hi continuo pannoſum conſpicati Patrem, cœperunt habere ludibrio, & onerare conviciis. Ad quem verbórum ſonitum, quaſi ad jucundam ſymphoniam, ſuo innixus baculo, ut avidis auribus omnem exciperet, eodem veſtigio conſtitit, neque prius gradum movit, quàm illi partim ſatietate, partim pudore finem conviciandi fecere. *Alegambe. Heroes Caritatis c. 9.*

Tum verò Paſchaſius erigens ſeſe, placidóque vultu meſſores intuitus, quaſi de beneficio gratias acturus. *Deus*, inquit, *vobis benefaciat filii, ac benedicat.* Dixit & manu ſimul ſalutare Crucis ſignum ad benè precandum expreſſit.

Non

Non tulit inſolitam eam manſuetudinem ruſticana turba; extemplo enim velut attonita ad ejus jam jam obverſi pedes ſe abjecit, veniamque petiit. Et qui prius conviciatores extiterant, tantæ virtutis deinceps fuere præcones. Tanta vis eſt boni exempli, quod & in alio ejuſdem Societatis liquido apparebit.

Erat is Fernandius ſancti Franciſci Xaverii quondam ſocius, & adjutor in animarum converſione, dum concionem haberet, Japon unus aliquis petulantior attracto quantum potuit fœdo phlegmate, in ejus faciem inſpuit. deterſit ille modeſtè, & ne verbulo hominem arguit, cœptum ſermonem proſecutus: adeo paſſionum omnium, imprimiſque iræ victrix manſuetudo, quæ iis, quibus altiùs inſederit, etiam ſenſum omnem ademiſſe viſa. Et hic illius, ut dixi, tertius eſt gradus.

IV. Gradus. Quartus eſt, æquo & pacato animo injurias tolerare, ſeu ille bonum nomen, famamque impetant, ſeu etiam fortunas; imò ſi & vitam, quæ ſummo eſſe ſolet in pretio.

Ab Abſalone fugiebat David, Pater optimus rebellem filium: fugienti occurrit Semei, maledicus in paucis, & hæc illi: *Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial*: indignantur, infremunt, inſurgunt Davidi fideles famuli, quos inter *Abiſai filius Sarviæ*, qui etiam ſic ad Regem: (2. Reg. c. 16. v. 7.)

Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput ejus. Quid hic David hominum mitiſſimus? *Quid mihi, & vobis filii Sarviæ? Dimitte eum ut maledicat.* Verè, inquit D. Ambroſius: *David fortis in prælio, manſuetus in imperio, patiens in convitio; ferre magis promptus, quam referre injurias.* Nimirum illud excelſi, illud regii eſt animi, & verba maledica, & convitia ferre non ſolùm æquo, ſed immoto animo: *Ille magnus, & nobilis eſt, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus exaudit.* Et ita Semei convitia, ceu canis latratus, audiit David: qui ſic deinde ad Deum ſupplex: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* (Verſ. 9.) (L. 2. Offic. c. 7.) (L. 2. de Ira. c. 32.)

Erant in Davide alia magnarum virtutum decora quibus Deum ſibi propitium faceret: at manſuetudo principem locum tenêbat, & ideo eam objici amat divinis oculis.

Vidimus in regno, ſceptróque manſuetum animum; ſpectemus etiam in Purpurâ, in Thiarâ.

Eam nobis in Purpurâ dabit Alexander Urſinus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui in terris vivere deſiit anno hujus ſæculi vigeſimo ſexto.

Illi malevolos aliquis auſu inſolentiore per inſidias vitam eripere parabat: ſed cùm eæ ex impii voto non ſucceſſiſſent, rabie quadam actus, qui ferrum non potuerat, calamum ſtrinxit, Epiſtolam exaravit refertam convitiis, & Cardinali tranſmiſit. Redditæ ſunt illæ eùm jam ſacris eſſet operaturus. Reſeravit, legit, tulit eo vultu, iis oculis, quibus etiam officioſas legiſſet: tum addidit illud dignum Purpurâ, dignum & ſuo ſanguine, ſuiſque natalibus: *Tandem aliquando oblata eſt optatiſſima occaſio injuriæ condonandæ propter te, tuoq; exemplo Deus.* (Philippus Alegambe in Biblioth. Societatis.)

Dixit, fecit, Epiſtolam reſcidit, unáque etiam inimicitiam, & ne quod extaret injuriæ illatæ veſtigium, quod deinde perſequi poſſent ejus conſanguinei; Epiſtolæ ſic reſciſſæ partes ad cereum ardentem combuſſit; ſicque ignem igne meliore vicit: ignem iræ, ignem vindictæ, igne manſuetudinis, igne Chriſtianæ Charitatis.

Et hæc in Purpura Cardinalitia: ſpectemus quid in Thiara Pontificia.

In Pium hujus nominis V. libellum famoſum ediderat unus aliquis, & quidem vel maximè probroſum. Eum ad ſe adduci juſſit pius Pontifex, tum viam aperuit ut parcere poſſet. *Hæc*, inquiebat, *non in Pontificem, Chriſti Vicarium; ſed in fratrem Michaelem Giſlerium ſcripſiſti* (hoc enim nomine gaudebat, eùm adhuc eſſet in familia religioſa.) Ita factum eſſe annuentem, dimitti juſſit, monitum abſtineret exinde maledicâ linguâ, famoſiſque ejuſmodi libellis, ne maledicendi libidine vitæ diſpendium faceret. (Surius in Com. rerum in Orbe geſtarum. p. 829.)

Et hoc è Petri Sede manſuetudinis exemplum, atque miraculum; attendamus alia in eos, qui aliorum bona, fortunáſque diripuerunt: & hæc enim injuria eſt, quæ iras provocat, & vindictam expoſcit, niſi & hanc, & illam reprimat, & cohibeat manſuetudo.

Cardinali Rupefucaldio ſurripuerat aliquis è ſecretiore conclavi non levem pecuniæ ſummam, nec latebat furti author, & reus. Contra eum tamen nec quicquam movit ipſe, nec ab aliis moveri paſſus eſt: imò quod in eo mireris, & ames, malefacta benefactis obruit, & furta beneficiis cumulavit: quod altioris animi fuit, & ſublimioris cujuſdam Chriſtianæ manſuetudinis gradus: in quo & ſtetit Monachos inter unus aliquis, de quo Ruffinus in vitis Patrum. (V. Gradus.)

Ab hujus cellula monachus alius panem ad vitam ſuſtentandam neceſſarium ſuffurari ſolitus erat; non ſine ſenis optimi injuria, gravique damno. Suffurantem viderat non ſemel, & tacuerat etiam ad extrema vitæ limina, in quibus cum eſſet, intuitus fratrem illum, qui ſibi furtivè panem auferre ſolebat; ſic ad illum: *Accede huc ad me frater*: acceſſit ille timens, ac tremens, utpote ſibi malè conſcius: verebatur enim, & meritò, ne ſibi in faciem ſcelus objiceret. at nihil horum obtruſit: alia quippe omnia meditabatur patiens, & manſuetus animus; & verò alia dedit: nam & latrunculi manum apprehendit, & oſculo dignatus eſt; adjiciens etiam illud dignum ceris melioribus: (L. 4. n. 74.)

Gratias ago manibus iſtis, fratres, quia per eas arbitror me intrare in regnum cœlorum. Et certè intrabat comite patientia, duce manſuetudine, cui terra viventium eſt hæreditas, ut infra videbimus: ſed inſtitutum proſequamur.

Injurias bono nomini, & fortunis illatas vidimus, & quidem victas, pugnante, ac triumphante de illis manſuetudine: ſpectemus etiam alias in ſanguinem, & vitam.

In carceres, & vincula venerat D. Cyprianus, ac deinde in theatrum, in quo vitam Chriſti causâ poneret, inclyta cœlo victima. In oculis erat carnifex, & jam ſub ejus ferro Cyprianus, cum ei & injuriam remiſit, & mortem condonavit: & inſuper aureos quinque ſupra viginti dari voluit, ſicque malefacta benefactis compenſavit, inſigni ſanè & poſteris omnibus commendanda manſuetudine, cui dici potuit, quod in panegyrico Theodorici, pius, & doctus Orator: *Exhibes robore Principem: manſuetudine Sacerdotem.* Et iſtud, quod S. Ignatius Martyr in Epiſtolâ ad Trallianos, de illorum Antiſtite Pollybio, *cujus ipſa compoſitio, magna eſt diſciplinatio, manſuetudo autem ipſius potentia.* (Ennod. in Pan.)

Denique & illud D. Hieronymi de Theophilo Alexandrino, cujus manſuetudinem dum extollit; ſic eum affatur: *Blandiris ut Pater, erudis ut magiſter, inſtituis ut Pontifex.* Sic enim & ſuis ablandiri, & ſuos erudire, & nos inſtituere venerar Divus Cyprianus. Blandiri ut pater inſigni Charitate, erudire ut magiſter doctrinâ, & eloquentiâ altiore, inſtituere ut Pontifex illuſtri ſanè manſuetudine, etiam ſub carnificis ferro, manuque. (Epiſt. 62.)

A ferali theatro, & ſævientium tumultu, deſcendamus in amicam, quietamque ſolitudinem: in hac obvia

obvia nobis erit Eulogii Alexandrini manſuetudo; probata, & annis omninò quindecim gravem luctam paſſa.

Serm. 2. in converſ. S. Pauli.

Triplici velut ariete manſuetudo noſtra pulſatur, inquit Divus Bernardus, *verborum injuriis, damnis rerum, corporis læſione. In his tribus, omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio manſuetudinis, probata eſt illa virtus, quam nihil honum videtur concutere potuiſſe.*

Audivimus in Davide victas ab illius manſuetudine verborum injurias, in aliis damna rerum, in D. Cypriano corporis læſionem: ſed & in his, & illis brevem luctam, breve certamen manſuetudo pertulit: videamus quàm longum in Eulogio Alexandrino. Eſt certè qui luctam ad horam ferat, ad diem; at qui ferat ad annos, eámque quotidianam: is omninò rarus eſt; & is fuit Eulogius.

Heribertus Roſweydus in vitis Patrum, l. 5. p. 673.

Cùm ab Antonio Monachorum Patre, ac duce, rediret Eulogius, fortè in viâ jacentem vidit mendiculum, abjectum homunctionem, membris omnibus captum: imò & elephantiacum, tum illi injecta hæc è cœlo cogitatio. *Hunc mendiculum excipe, domi admitte, cura, fove.*

Admiſit cogitationem illam Eulogius, ceu cœleſte lumen: tum ſic ad mendiculum. *Vis frater, ſuſcipio te in domo mea, & quacumque potero ratione ſuſtento.* Annuit mendiculus, & quidem perlubenter. Tum Eulogius: *Vadam ergò, & aſellum meum, quo veharis, adducam.* Ivit, adduxit, vexit, in domum ſuam admiſit, & cibo, potu, medicamentis, balneis, aliiſque obſequiis fovit, recreavit; delinivit ipſe ſingulari cura, & inexplicabili comitate.

In iis Chriſtianæ Charitatis officiis jam abierant anni quindecim; cùm mendiculus tot beneficiorum immemor, mali dæmonis impulſu, cœpit ab eo diſcedere velle; imò & Eulogium, benefactorem ſuum injuriis, maledictis, & conviciis impetere; & linguam (quæ illi, captis aliis omnibus membris, ferè reſtabat unica) totam explicare in Eulogii opprobrium; ſic enim ad illum: *Fugitive, qui propriam domum devoraſti, furatuſque es alienam ſubſtantiam; in me ſalutis tuæ occaſionem reperiſſe te credis.* Quid hîc Eulogius? an ſubiraſci? an indignari? an homunculum domo ejicere? minimè verò: ſed hæc illi. *Noli mi Domine talia loqui: ſed dic potiùs, in quo te contriſtaverim, & mox emendo.* Debuerat amica illa vox, & ad alia quævis obſequia officioſa Charitas hominem delinire: at exacerbavit magis, ſic enim rurſus ad illum: *Vade, nolo tuas illas adulationes, & blandula verba, projice me in publicum, obſequiis tuis minimè egeo.* Cui deinde Eulogius: *Obſecro te, placare, iras pone, & ſi quid in te à me peccatum ſit, edicito.* Cui mox elephantiacus: *Tuas illas irriſiones non fero, ſubſannationes tuas non tolero. Nec mihi ampliùs placet hæc parca vita, ſobria menſa. Volo, volo carnibus ſaturari.* Nec mora carnes apponit Eulogius, ori illius admovet, monet, urget, ut quantum lubet accipiat, devoretque dum ſit ſatur. At ſaturari non poteſt inſatiabilis maledicendi libido: ſic enim illam rurſus expuit. *Non valeo tecum eſſe ſolitarius, age, & me ſolitudine illa libera, publico redde, redde plateæ, & frequenti populo.* Cui Eulogius: *Ecce adduco, ſi voles magnam fratrum meorum multitudinem, hac recreari poteris, & ſolitudinem illam tuam ſolari, ac levare.* Quid hic mendiculus? an miteſcit? an acquieſcit? minimè gentium: ſed exacerbatur magis, & ſic ad Eulogium: *Nec te, nec fratres tuos, tui utique ſimiles, videre volo, nec ultra te ſuſtineo:* tum furere magis, ac ſeipſum concutere, efferatóque animo, ac voce truculentâ inclamare: *O violentiam! ô violentiam! non patior hîc diutiùs teneri, in publicum ire volo, in eum locum me projice, unde ſuſtuliſti.* Quid tandem Eulogius? magnum Antonium conſulit, ab eóque audit, ne diſcedat à priſtinis in mendicum officiis: ſed malefacta benefactis compenſet, & iras inſolentes, & convitia omnia inſigni petientia, ac manſuetudine vincat. Rediit ergò, venit, vicit, triumphavitque Eulogius, & ad extremum uſque ſpiritum, elephantiacum ſuum tulit, nutriit, fovitque, victor illius, & ſui; à quâ deinde victoriâ cetenariis à Deo ſolis viſus eſt coronari. Tantum apud Superos valuit invicta illa manſuetudo! ad cujus ultimum gradum deſcendo.

VI. Gradus.

Is eſt ejuſmodi; ſi contumelias, convitia, & adverſa quævis, lætus, atque exultabundus excipias, ac toleres, etiam equuleos, cataſtas, rotas, ferrum & ignes, ipſámque per vulnera mortem. Hic enim, & *fortitudinis*, & *manſuetudinis excellentiſſimus eſt gradus*; imò tam hujus, quàm illius miraculum.

Collat. 12. c. 13.

Refert Caſſianus è Chriſtianis unum aliquem à Gentilibus mirè vexatum, rogatúmque, *quid miraculi feciſſet Chriſtus, quem coleret?* Reſpondiſſe: *ut his, aut majoribus, ſi intuleritis, non movear, nec offendar injuriis.* Quod ſi miraculum eſt nec moveri, nec offendi injuriis, majus certè etiam in iis gaudere, atque exultare: quod profectò feciſſe legimus Apoſtolos, prima naſcentis Eccleſiæ lumina, ac deinde Martyres, invictos Chriſti pugiles.

Act. c. 5. v. 41.

De Apoſtolis quidem manavit iſtud ad poſteros: *quod ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine* Jesv *contumeliam pati.*

De Martyribus autem, quod omnibus inceſſerent lætitiis, etiam in tormentis.

Teſtes volo liberas illas D. Laurentii, etiam de craticula ad tyrannum voces: *Aſſatum eſt ſatis, verſa, & manduca*; crederes non lento igne uſtulari; ſed epulo lautiore refici. & hinc exultatio.

Teſtes & illas S. Tiburtii, qui candentibus prunis nudo pede inſiſtens; *ſe ſuper roſas ambulare* jactabat: & inde illi lætitia.

Hiſt. Anglic.

Teſtes & illas, quas audiit Anglia non ſine ſtupore amabili, ſive tuas, ô Campiane, cùm ad mortem pro religione damnatus exclamares Ambroſianum illud: *Te Deum laudamus.* ſive tuas, ô Servine, ejuſdem pro Fide ſupplicii reus proclamate, cùm diceres iſtud: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.*

Thren. c. 3. v. 30.

Lib. de Patientia.

Et hæc tum fortitudinis, tum patientiæ, & manſuetudinis ſuere miracula, in quæ venerunt Apoſtoli, & Martyres, grandes animæ, provocatæ, vel ipſo Chriſti exemplo, de quo illud Ieremiæ vaticinium: *Saturabitur opprobriis.* Et hoc Tertulliani: *Saginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat.* Crederes illum opprobria eſurire, & iis ſaturari, imò & ſaginari, quod patientiæ, & manſuetudinis fuit miraculum; quod utinam attendant, ament, & reddant ætates omnes longè conſequentes, ſicque ſibi viam aperiant ad Superos, æternámque beatitatem.

Lib. ad Martyres.

L. de Anima c. 55.

Certè ſic ſibi pararunt Martyres, quos Tertullianus appellat *pugiles veritatis, milites Chriſti, victores ſæculi.* de quibus & hoc ejuſdem Authoris: *Tota paradiſi clavis, tuus eſt ſanguis*, ô Martyr invicte. Addam ego, & tua patientia, tuáque manſuetudo: nec enim ſine hac, & illa ipſe ſanguis paradiſi clavis fuiſſet.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Manſueti autem hæreditabunt terram.* Pſalm. 36. v. 11.

Quæ ſit illa terra?

In eâ concione, quam Chriſtus, magiſter optimus, habuit olim de octo beatitudinibus, & hoc ipſum inſinuaſſe auditus, cùm dixit: *Beati mites,*

Matth. c. 5. v. 4. *quoniam ipſi poſſidebunt terram.* vel, ut legit Auguſtinus: *hæreditate poſſidebunt.* vel, ut Arabicus: *hæreditabunt.* vel denique, ut Syrus: *hæreditatis jure poſſidebunt terram.* Videtur alluſiſſe Chriſtus ad hoc Davidia: *Manſueti autem hæreditabunt terram.* *Pſal. 36. v. 11.*

At quæ eſt illa terra? SS. Patres, atque Interpretes in varias diſcedunt opiniones.

D. Chryſoſtomus, Enthymius, Theophilactus, exiſtimant intelligi terram hanc, quam pede terimus, terrena videlicet, eorúmque hæreditatem, ac poſſeſſionem, in quam veniunt mites, & manſueti: conſentit Divus Auguſtinus. *L. de Serm. Dom. in monte.*

I. Terra, hæc aſpectabilis. Ita Moyſi hominum mitiſſimo conceſſit liberalis Dei manus poſſeſſionem terræ promiſſæ, quam etſi non adiit ipſe; adiere tamen Hebræi illius beneficio: data quippe eſt grata Superis ejus manſuetudini.

Quod illi; hoc & aliis lapſis deinde ſæculis: homines quippe, qui ad humanitatem, hoc eſt manſuetudinem, comitatem, urbanitatem à natura ficti, formatíque ſunt, faciliùs iis, qui ejuſmodi ſunt, & terras, & poſſeſſiones, & regna, & imperia relinquunt, quàm iracundis, immanſuetis, immitibus, efferis: ab his enim plerumque etiam vi ea, quæ poſſident, avellunt.

Alexander Severus, Imperator, nomine quidem Severus: at reipſa mitis, comis, urbanus. ea fuit in omnes manſuetudine, ut nemo unquam ab ejus latere ſubmoveretur, nemo ab eo diſcederet ſubtriſtis, alienus ab eo nemo, blandus omnibus, omnibus affabilis; Patrem diaiſſes, non Imperatorem. *Lampridius in ejus vita.*

Ea manſuetudine, & comitate ſuboffenſa ejus mater Mamma, & uxor Memmia, Sulpitii Conſularis viri filia: hoc etiam illi obtrudere eſt auſa.

Molliorem tibi poteſtatem, & contemptibiliorem Imperii feciſti. Cui ille reſpondit; *Sed ſecuriorem, atque diuturniorem.*

Nempe Imperia, quæ manſuetudo, comitas, & urbanitas tegit; & ſecuriora ſunt, & magis diuturna, quàm ea, quæ premit ſupercilii plena, plena aſperitatis, plena iracundiæ poteſtas: hanc enim excutere conantur homines, & ſi non poſſint, convellere: quia eam vel non patiuntur, vel certè nonniſi inviti, ac gementes: illam autem ſponte admittunt, & cum gaudio ſuſtinent.

Maneat ergò inconcuſſum illud, quod mites, & manſueti hæreditabunt, & poſſidebunt terram etiam hanc aſpectabilem.

II Terra, id eſt cœlum. D. Hieronymus, Baſilius, Cyrillus, aliíque Divi Patres per terram intelligi credunt cœlum ipſum, quod viventium eſt terra: uti hæc, quam calcamus morientium. Conſonat huic interpretationi Scriptura, illudque imprimis Vatis Regii, cujus hoc votum, hæc expectatio: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* *Pſal. 26.*

Ex cujus ſenſu cœlum ipſum eſt terra, non craſſa, & opaca: ſed ſubtilis, & lucida. quod ut in aperto ponatur, illud ſtatuo ex Cornelio, aliiſque; cœlum empyreum, quod erit aliquando ſedes beatitatis, ex materia compoſitum, & forma, quæ ſuo ſplendore, nitore, amœnitate mirè recreabit oculos, ſenſuſque beatorum: nec enim animæ ſoli ſua erit beatitudo; ſed & corpori: illa petetur ab objecto ſpirituali, ac puriſſimo: à Dei eſſentia, Angelorum aſpectu, & animarum: hæc autem ab objecto corporeo, quod ſub ſenſus cadet, eoſque mirum quantum oblectabit.

Apocal. c. 21. & 22. Ita D. Joannes in exceſſu mentis, vidit cœleſtem Jeruſalem in quadro poſitam; ejuſque fundamenta extructa, & illuſtria omni lapide pretioſo. Et hanc Civitatem, hanc terram hæreditabunt manſueti: quam enim potiùs? eſt illa terra: ſed viventium: ſed beatorum, ad quam aſpirant puriores animæ, ad quam anhelabat Regius Vates, cùm ſibi in terra morientium ſolatium faceret, jactaretque illud in faventes auras. *Tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium.* *Pſal. 141.*

Et hæc fuit, eritque aliquando juſtorum omnium portio, atque hæreditas. Demus aliquod illius objectum fidelibus oculis.

S. Athanaſia in æſtu orationis à ſeipſa diſceſſit, viditque mentis oculis nubem lucidam, Solis ipſius æmulam, & in ejus veluti centro Virum forma mirè ſpecioſum, & amabilem, radios quaquaverſum emittentem, & eò quidem ut & nubem ſuo lumine, & Solem etiam ſuo vinceret; cúmque ea ſpecies illius oculis ſæpiùs fuiſſet objecta; ſic ipſa ſecum loqui, & quærere: *Ecquis eſſet ille Vir? & unde aureus illi lucis amœnæ nitor, fulgorque? Ecqua illi virtus? & unde ea illi ſpecies, & forma?* Hæc cogitanti, ac dicenti, ea vox auribus intonuit; vox unque cœlo lapſa, quæ fuit ejuſmodi. *Surius tom. 4. p. 648.*

Virum hunc, cujus ſpeciem, fulgoremque admiraris, humilitas, & manſuetudo ita ſplendidum reddiderunt.

Tum animo illius hæc injecta cogitatio, par tibi erit in cœlo ſpecies, par lux, & nitor, in terra viventium, ſi par fuerit humilitas, & manſuetudo in terra morientium.

Maneat ergò ratum, fixúmque illud; manſuetos hæreditare terram, id eſt cœlum. Sed & alia terra eſt, eáque manſuetis hæreditas.

Ea eſt *Cor hominis*, omneſque illius micationes, ac motus; manſuetus enim & cor (quod illi pro terra) & omnes illius affectiones poſſidet, ut agrum Dominus: quippe manſuetus ſui Dominus eſt, Dominus & paſſionum ſuarum. Ita D. Bernardus. Sic enim inquit: *III. Terra, id eſt cor. & carnis motus omnes.*

Hanc ergò terram corpus noſtrum intelligo, quod ſi poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat ſuper membra ſua, neceſſe eſt ut ſit ipſa mitis. *Serm. 1. in feſto SS. omnium.*

Divi Hilarius & Ambroſius, per *terram*, quæ manſuetis erit pro hæreditate, intelligi credunt, illud ipſum *corpus noſtrum*: ſed donatum beatitate, hoc eſt, incorruptione, atque immortalitate: hoc enim poſſidebit anima beata, & æternùm quidem.

Conſentit D. Leo: *Terra*, inquit, *promiſſa mitibus, & in poſſeſſionem danda manſuetis, caro Sanctorum eſt. Poſſidebunt illam mites pace perpetua, nihil unquam de eorum jure minuetur, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, ut periculum vertatur in præmium, & quod fuit oneri, ſit honori.* Hæc Sancti illi Patres. *Ser. in feſto Sanctorum omnium.*

Sunt alii, qui per *terram*, quam jure quaſi hæreditario poſſident mites, opinantur intelligi debere *hominum* etiam *terrenorum corda*; affectuſque, quos ſibi conciliant, & quodammodo ſuos faciunt manſueti. *IV. Terra, id eſt hominum corda.*

Ita ſuos fecit Abbas ille, de quo Theodoretus: Rexit hic Monachos omninò quinquaginta, annis quinque ſupra quadraginta, quibus nec iratus unquam, nec acerbus, nec aſper, aut ſeverus ulli: & hinc, ſuorum, non Abbas modò, & Pater; ſed Dominus, & quaſi poſſeſſor: omnes enim ſuos fecerat diuturna illa, & inſigni manſuetudine, quia omnium corda, affectuſque poſſederat. Nec mirum, quia, ut annotat D. Chryſoſtomus: *Nihil manſuetudine violentius.* Non arma, non ferrum, non ignes atque incendia: hæc corpora domare poſſunt, & frangere: at animum ſola manſuetudo vincere, ſola poſſidere *terram*, hoc eſt, *mortalium corda*, & hoc manſuetudinis ſummum eſt bonum, ut pauculis verbis ſic explicat Symmachus: *Amari, coli, diligi majus imperio eſt.* Igitur & majus quid imperio eſt manſuetus, quia & amatur, & colitur, & diligitur, ut ex dicendis magis eluceſcet. *Hom. 58. in Gen.* *Lib. 10. Epiſt. 28.*

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Delectabuntur in multitudine pacis.* Pſalm. 36. v. 11.

Quæ ſit illa Pax, & quàm varia?

VIDIMUS quæ manſuetorum ſit terra, quæve hæreditas; ſpectemus, quæ ab hac, & illa dimanent bona: multa ſunt, & præclara, inter quæ ſummum, eſt *Pax*; imò *multitudo pacis*: à qua manſueti *delectabuntur*, vel ut vertit Ruffinus, *deliciandi*, vel ut D. Hieronymus, *epulandi*. Verè enim *Pax*, hominibus ſunt delitiæ, ſunt epulum. At quænam illa *Pax*? & quàm varia?

I. Pax cum ſeipſo.

Prima eſt homini cum ſeipſo; quod ut aperiat, & quaſi ſub ſenſum ponat, D. Chryſoſtomus utitur quadruplici ſimilitudine.

Prima petitur à ſolitudine, in qua multa quies, ſtrepitus omnino nullus.

Homil. 29. ad Popul.

Secunda ducitur ab altiſſimi montis vertice, quem tenuis perflat aura, & Solis radius attingit purus.

Et huic, & illi ſimilem facit manſuetorum animam, cui eſt ſolitudo interior, & ab illa multa, & profunda quies; eſtque inſtar excelſi montis, quem nulla paſſionum aura, nullus affectionum inordinatarum turbo exagitat, nulla triſtitiæ nubes obvelat, aut tegit: ſed perennis animi ſerenitas, & ab hac purior divini Solis radius.

Suprà.

Mens hominis manſueti, inquit, *montis vertici ſimilis eſt, auram quidem habenti tenuem, purum verò radium, pura fontium fluenta, multaſq; florum amœnitates, & ſicut dies clara, & ſerena.*

Tertia ſimilitudo trahitur à navi, quæ in portu eſt, libera, & ſecura ab æſtu maris violentiore, à ventorum turbinibus, ab undarum montibus, quibus agitari ſolet ea navis, quæ alto mari vehitur.

Manſuetudo, inquit, *animam noſtram in perpetua tranquillitate, & quaſi in portu conſtituit.* Homil. 34. in Geneſ.

Quarta ſimilitudo eſt à bello inteſtino, à domeſticis tumultibus, à quibus nulla homini eſt Pax: etſi extrinſecùs ſint pacata, & quieta omnia.

Nihil, inquit, *animum ita in tranquillitate, & quiete eſſe facit, ut manſuetudo. Hæc omni diademate, & gloria conducibilior. Quid enim beatius, quam inteſtino liberari bello? Nam quamvis plurima pace ex bello externo fruamur, ſi intra nos cogitationum naſcitur tempeſtas, tumultus, ſeditio, nihil nobis externa pax proderit: ſicut & nihil miſerabilius eſt Civitate, quæ licet præſidiis, & muris benè ſit munita, intus tamen cives foveat proditores.* Hactenus Orator aureus. Supra, Hom. 34.

II. Pax cum Deo.

Altera *Pax*, quæ à manſuetudine homini affulget, eſt cum Deo, quo cum nullum illi bellum eſt: quî enim illi bellum eſſet? cùm nulla paſſione, nullo affectionis depravatæ impetu abripi ſe ſinat, nec à Deo ſuo, ceu centro, avelli: nimirum ubique liber, ubique ſuus, ubique & Dei eſt omnis manſuetus, adeòque in alta & ſecum, & cum Deo pace. Ut enim diſertè S. Leo:

Tunc eſt vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro, animo judice regitur: & animus, Deo præſide gubernatur. Serm. 2. de Quadrag.

III. Pax cum proximo.

Poſtrema pax manſuetis, eſt cum proximo: quidni enim cum illo ſit pax perennis? quem nec reipſa, nec verbulo lædit: imò qui læſus ignoſcit, qui affectus injuriis parcit; qui malefacta benefactis compenſat, atque obruit; utpote filius pacis, qui cum Davide dicere poteſt illud: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Pſal. 4. v. 9.

TRACTATUS DE CLEMENTIA.

PAUCA dixi de MANSUETUDINE, quæ cùm ſit affinis CLEMENTIÆ, reſtat, ut de hac etiam aliquid, nè Lectorem deſtituiſſe videar in argumento planè ſimili, pro quo ſit

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Clementia præparat vitam.* Proverb. c. 11. v. 19.

Quæ ſit Clementia? Et quod inter Manſuetudinem & Clementiam diſcrimen?

Diſcrimen.

MANSUETUDO, & CLEMENTIA ſunt veluti duæ ſorores, veluti gemini bonæ mentis oculi, veluti duo brachia, quibus proximum amplexatur, & arctiùs ſtringit quiſquis eſt homo, & probè conſcius humanitatis, quam induit. Eſt tamen hanc inter, & illam aliquod diſcrimen: & quidem

I. In Materia.

Primò, in *Materia* (ut ita loquar) *proxima*. Manſuetudo enim proximè occupatur circa iram, *Clementia* verò circa vindictam externam.

II. In Forma.

Secundò, in *Objecto*, & ratione (ut ita dicam) *formali*. *Manſuetudo* enim vindictam mitigat, ne obtemperet iræ, & hoc, quia conſentaneum eſt animo rationali iræ dominanti: *Clementia* autem, quia id conſonum, & decorum homini poteſtate in alium prædito.

III. In Officiis.

Tertiò officiis. *Manſuetudinis* enim id veluti primum eſt officium, appetitum ſenſitivum, & iraſcibilem ita continere intra terminos rectæ rationis, ut oblatis iraſcendi occaſionibus, motus iracundiæ etiam omnino comprimat. Alterum, ut quando eadem ratio dictarit habenas iræ laxandas eſſe, hujus motus, impetúſque ita temperet, ac regat, ut juſtum nunquam excedat modum. Hinc illius, ut dixi, *materia*, eſt *ira*; *modus* autem eſt veluti *forma*. Dictat enim quando iraſcendum, quomodo? quantum? cur? & quæ de cauſa?

Clementiæ autem officium, & veluti munus eſt, in malis, pœniſque inferendis, primò, non uti tota poteſtate, neque explicare omnia imperii jura. Alterum aliquid remittere de pœna, & ſic infra meritum delinquentem punire: hoc enim exigit honeſti, decorique ratio. Leſſius de Iuſt. & Iur. lib. 4. c. 4. dub. 5.

Sicut enim in præmiis conferendis ita explicari, effundique debet benignitas, ut etiam aliquid adjiciat ſupra meritum: ſic & ſupplicio aliquid detrahat, ſitque hoc ſemper infra demeritum. Et illud quidem vel exemplo Dei ter Opt. ter Max. qui dicitur ſemper punire citra condignum, & ultra condignum præmiari. Et hujus, & illius ratio peti debet, hinc ex pœna, quæ cùm ſit aliquod naturæ malum, debet minui, quantum recta ratio patitur: & inde ex præmio, quod cùm ſit naturæ,

& virtutis

& virtutis: bonum tantum augeri poteſt, ac debet, quantum admiſerit recta ratio, & bona Reipublicæ gubernatio.

IV. Perſonas

Quartò, *Manſuetudo* & parem cum pari rectè componit, & ſuperiorem cum inferiori ritè conjungit, ac ſociat. *Clementia* verò propriè ſuperiorum eſt, Regum, Principum, Magiſtratuum, Judicum, ad quos ſpectat delinquentes plectere; ne Reipublicæ nocere pergant.

Et hæc paucis de differentia, quæ intercedit manſuetudinem inter, & clementiam: nunc propiùs accedo, & quæro Quid ſit *Clementia?* qua in quæſtione more meo, primò preſſiùs definiam, deinde deſcribam latiùs.

Quid Clementia?

Seneca libro ſecundo de Clementia ad Neronem Cæſarem, plures illius definitiones proponere tutiùs putavit: *Ne*, inquiebat, *una definitio parum rem comprehendat.* Itaque ex illo has accipe:

Lib. 2. c. 3.

Ejus definitiones.

Clementia eſt temperantia animi in poteſtate ulciſcendi. vel *Eſt lenitas ſuperioris adverſus inferiorem in conſtituendis pœnis.* vel *Eſt inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda.* vel denique *Eſt moderatio, aliquid ex merita ac debita pœna, remittens.* *Clementia enim ea eſt, quæ ſe flectit citra id, quod meritò conſtitui.*

Et hæ definitiones Clementiam oſtendunt, & in aperto ponunt; dum illius quaſi partes explicant; imò & effectus produnt; ſicque ut cum Theologis loquar, & à *Priori*, & à *Poſteriori* exponunt, atque definiunt.

Deſcriptiones.

Venio ad illius deſcriptiones liberiore manu, calamoque exprimendas, ex his

Prima eſt, quam aliquando extulit ingenioſus Poëta Claudianus, cum Stiliconem in cælum vehit. Clementiam vocat *magni cuſtodem mundi, & maximam natu Cælicolum.*

Clementia. I Cuſtos mundi.

Meritò ſanè *magni cuſtos mundi* eſt Clementia, niſi enim eam adhibuiſſet Deus veluti cuſtodem, jam pridem periiſſet mundus, ob immanem illam, perennémque ſcelerum eluviem, qua etiam Superos ad vindictam provocat, Deumque ipſum quodammodo cogit, niſi parata jam ejus fulmina, aut ſuſtineret, aut etiam excuteret Clementia.

Ut autem ſuſtineat, aut excutiat, optare videtur aliquos, qui ſe interponant, & juſtam illius iram emolliant; ne cogatur, quia juſtus eſt, & æquus Judex, pœnas à ſontibus repetere. Quod Moyſi, Viro ſanctiſſimo, haud obſcurè ſignificavit, cùm ſic ad illum:

Exod. c. 32. v. 10.

Dimitte me; ut iraſcatur furor meus contra eos.

Sermo 38. de diverſis.

Dimitte me, inquit D. Chryſoſtomus, non quod eum Moyſes retineret: nihil enim ipſi locutus erat; ſed tacitus coram eo ſtabat: verùm illi occaſionem præbere volebat orandi, ut in eos clementiam ſuam exerceret. Et hinc mihi in manus venit alia clementiæ deſcriptio, quæ dicitur *opus Dei.*

II. Opus Dei.

Ita magnus, & heroicus ille Vates; cùm de Judæis malè multandis funderet oracula, punire, vocat *alienum opus ejus, & peregrinum ab eo.*

Iſai. c. 28. v. 21.

Meritò *alienum*, quia vindictam de ſceleratis exigere, ab illius nativa bonitate alienum eſt: cui, ut piè canit Eccleſia, *proprium eſt miſereri ſemper, & parcere.*

Eſt etiam *peregrinum*, & quaſi aliunde ſumptum, & quidem invitè, ac reluctanter. Hinc cùm ingenti eluvione totum penè humanum genus ſceleratiſſima vita jam infame, ac perditum, deleret; dicitur *tactus dolore cordis intrinſecus.* Quod ſcilicet pium, & placabile Numinis cor miſeratio caperet pereuntium, non tam ſua juſtitia; quàm pervicaci, & inſaniſſima eorum malitia. Et hoc, ô Deus! ô immenſa Bonitas! ô infinita miſeratio! quia ut de te pulcherrimè Sapiens:

Gen. c. 6.

Sap. c. 12. v. 18.

Tu dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos.

Hæc nimirum, ô Deus! tua eſt tranquillitas, & placidi animi affectio, humaniſſimè jus admoventis ad facinus aliquod puniendum; & hoc quidem quàm parciſſimè; quia nempè, ut annotat Sapiens: *cum magna reverentia diſponis nos.* hoc eſt, ut græca habet verſio; *cum parſimonia, temperantia, bonitate*, quæ etiam de jure ſuo ſemper plurimùm remittit.

Nec mirum, quia, non ut ſervos nos punit, non ut vilia mancipia: ſed, ut ait Ieremias: *ut filios honorabiles, & pueros delicatos*, vel, ut Septuaginta vertunt, *filios dilectos, parvulos, delicatos.* vel, ut in ſancta lingua: *filios appretiandos, & pueros delitiarum*; vel denique, ut alii: *filios regales*, quibus proinde parcit cum ſalva juſtitia poteſt: & ſi punire neceſſum eſt; quàm parciſſimè punit, & quàm mitiſſimè. Et hoc, quia punire opus eſt ab eo alienum, & peregrinum; parcere verò proprium divinæ clementiæ: quam ut imitari ſtudeant, qui in terris vice Dei mortales regunt; addam & aliam ejuſdem virtutis deſcriptionem, etiam ex Sapiente petitam. Ex hac dicitur, & eſt *Clementia Regnorum cuſtos*; ſic enim inquit:

Cap. 31. v. 20.

Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus ejus.

III. Cuſtos Regnorum.

Prov. c. 20. v. 28.

Hebræi vertunt: *fulcit thronum ſuum.*
Septuaginta: *Cuſtodia eſt Regi.*
Lucifer Calaritanus: *Tutela eſt Regi.*

Et verò, ita omnino eſt, Clementia & Regi eſt *cuſtodia*, eſt & *tutela*; atque etiam Regnis.

Senecam audi, de hoc argumento, magnificè diſſerentem. Sic enim libro primo de Clementia, quem & Neroni inſcripſit, atque ad illam probè formatum voluit.

Errat, inquit, *ſi quis exiſtimat tutum eſſe Regem, ubi nihil à Rege tutum eſt. Securitas ſecuritate mutua paciſcenda eſt. Unum eſt inexpugnabile munimentum, amor civium.* At unde amor? utique à clementia; ab hac ergò una, & cuſtodia, & tutela Regni, ac Regum; ab hac & inexpugnabile munimentum; quod unum ſi deſit, cætera deeſſe neceſſum eſt; Ut enim Latinus Orator: *Malus diuturnitatis cuſtos, eſt metus, contràq; benevolentia fidelis eſt, vel ad perpetuitatem. Etenim, qui ſe metui volunt, à quibus metuuntur, eoſdem metuant neceſſe eſt.* Cujus probè conſcii prima Regnorum Regúmque capita in id unum incubuerunt toti, ut clementia ſubditorum animos ſibi devincirent, & à ſe averſos conciliarent; certi illius, quod deinde pronuntiavit Antigonus, Macedonum Rex: *Clementiam plus poſſe, quàm violentiam.*

Cap. 19.

Urgebatur hic ab amicis, ut ſi Athenas caperet; eas validis præſidiis communiret, ne quando deficerent: quibus ille ſcitè reſpondit, ſe ſemper in ea ſententia fuiſſe, ut crederet, *clementiam plus poſſe, quàm violentiam.* Et certè plus poteſt; illa enim animos civium devincit, & Regi jungit quàm arctiſſimè: hæc autem ab eo avertit, & in arma, in cædes ſollicitat, atque abripit; & hinc (ut rectè annotavit Seneca) *Non minus Principi turpia ſunt multa ſupplicia; quàm medico multa funera. Remiſſiùs imperanti meliùs paretur*: cujus rationem reddit ex hominis genio petitam.

Natura, inquit, *contumax eſt humanus animus, & in contrarium, atque arduum nitens, ſequiturque faciliùs, quàm ducitur. Et ut generoſi, ac nobiles equi meliùs facili fræno reguntur; ita clementiam voluntaria innocentia impetu ſuo ſequitur, & dignam putat Civitas, quam ſervet ſibi. Plus itaque hac via proficitur.*

Lib. 1. de clementia. c. 24.

Hæc Sapiens Romanus de Clementia, & Regum, ac Principum in ſubditos indulgentia; à qua tranſeo ad aliam Clementiæ deſcriptionem.

Eam extulit Vopiſcus, dum clementiam eſſe dixit *Primam Imperatorum dotem.*

In Aureliano.

IV. Prima dos Imperatorū.

Scio alias Regibus, & Imperatoribus eſſe dotes ſive à blandiente fortuna, ſive à cunis, & natalibus.

Ab his in dotem veniunt (ut ita loquar) montes aurei, ſupellex opulenta, ſuperba palatia, urbes, Provinciæ, Regna, Imperia, coronæ, & ſi voles, hoſtilia arma detracta victis, currus barbarorum ſanguine cruenti, & parta bello ſpolia: & hæc viro forti pro dote ſunt: at audeo dicere, hæc inter, *Clementiam primam eſſe dotem*: ut enim diſertè Seneca.

Lib. 1. c. 16. *Nulla dos, nullum ornamentum Principis faſtigio dignius, pulchriusq́, quàm illa corona ob cives ſervatos*, quod eſt clementiæ.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Clementia præparat vitam.* Proverb. c. 11. v. 19.

Quæ ſint Clementiæ partes?

Cum ipſa Clementiæ virtus in alios, atque alios actus ſeſe extrinſecùs explicet, atque effundat, fit ut aliæ, atque aliæ ſint illius veluti partes, è quibus hæc eſt

Pars I. Benefacere, malefactoribus.

Prima, iis benè velle, benè facere, qui etiam tibi voluerint, aut fecerint quàm peſſimè: quo in genere ſingulare eſt illud, quod de Roberto, Francorum Rege Chriſtianiſſimo, memorant Annales.

Ipſo die cœnæ Domini in illius mortem conjuraverant duodecim omninò capita, & quidem primæ notæ Duces: verùm, ut verticibus coronatis invigilat amabilis Dei providentia, iniqua conſpiratio detecta, captique illi Duces ut dixi duodecim. Quid inde? an abeat in iras Robertus? an in ferrum, & vindictam? minimè

Alia Regibus, alia infimæ ſortis hominibus mens eſt, & cogitatio, aliáque conſilia.

Helgandus in ejus vita. Primùm eos ſervari jubet in domo Caroli Calvi; deinde regalibus dapibus refici, tum ipſo die Dominicæ Reſurrectionis, ſacro Chriſti corpore præmuniri, tum etiam poſtridie cùm audiſſet à Judicibus damnatos, eos omnes amore Chriſti abſolvit; adjiciens & illud dignum Chriſtianiſſimo Rege: *Non debere damnari eos, qui ſacrant cibo, potuq́, cœleſti præmuniti.* Sed ne quid ejuſmodi deinceps attentarent, ſeverè monitos ad ſua remiſit; & hic actus primus, & nobiliſſimus Clementiæ, cui ſuppar eſt

II. Non male facere.

Alter, ſaltem malefactoribus non malè facere: quod & uſurpavit ille ipſe Chriſtianiſſimus Rex Robertus, cujus clementia etiam in fures ſæpè ſæpiùs enituit; à quibus ſi ſurreptum aliquid ſibi advertiſſet, liberali joco dicere ſolebat: *Illis erat magis neceſſarium, quàm nobis.* Et hoc regiæ clementiæ fuit: ſed verbo dices tantummodo expreſſum; demus aliud, quod re etiam ipſa. Cum perſenſiſſet ſibi à quodam dimidiam oram chlamydis ex auro textili auferri: *Recede*, inquit, *hinc; ſufficiat tibi, quod abſtuliſti, quia & alteri neceſſarium erit, quod reliquum eſt.* Erat profectò impudens, & audax, facinus, etiam in veſtem tantùm manus injeciſſe, etiam vel oræ partem excidiſſe, quod & injurium perſonæ regiæ, & ipſi etiam reo propudioſum; & tamen quantum quantum fuit, elevat regio joco, & latrunculum abire ſinit etiam impunè.

Caſimirus Sendomirenſium Dux cum Joanne Cornaro totam noctem ita feliciter luſerat, ut colluſori omnia auferret. Ille damni dolore, iraque provectus, Duci alapam impingit. Extrema metuenti, Caſimirus ignoſcit; dolori amici culpam, tranſcribit, adeóque in ſe transfert: monitum ne tam duriter ageret, & per ludum ſubditos everteret. Laudamus hoc in alieno decus, cur ſibi proprium quiſque non facit?

At fortaſſis, inquies, Dux, Comes, Nobilis ſum, homines viles iſta ferre tenentur, ut mea dignitas ſit conſpicua, teneor minimè. Dignitas tua benefaciendo inclareſcat; ſi malefica eſt, infra omnes eſt. Dæmonis eſt potentiam oſtentare nocendo, torquendo. Magno viro ſatis eſt contra injuriam, referendi poteſtas, ut aiebat Coſmus Medices ad ultionem inſtigatus. Quis verò viſus? ex eodem omnes luto in eoſdem omnes imus pulveres, & de purpura, & de ſparto. Multi melius emendantur clementia, & lenitas omnibus rara eſt, etiam in hoſte. Sed ne iſta fuſius. Vidimus quis ſecundus actus Clementiæ.

III. Reo ipſi non facere malè.

Tertius erit, ſi reo ipſi non feceris malè, neque in ejus cutem ſævieris: ſed in ea tantùm, quæ ſceleri fuerint velut inſtrumenta: in ea quodammodo animadvertere, juſtitiæ eſt; non autem in ipſum reum, clementiæ.

Et ita aliquando feciſſe legitur Albertus, Boiorum Dux. Invenit hic novum pœnæ genus in homines.

Rho hiſt. viri. l. 7. c. 2. Conſpirarant Viri nobiles, atque etiam apud exteros, militum delectus fecerant, ut civili bello turbarent omnia. hos, cùm ſine tumultu in poteſtatem redegiſſet, & occidere poſſet, utpote convictos infandæ rebellionis, ſatis habuit annulorum gemmas, quibus conjurationis tabulas obſignarant, ſuper incudem frangere, ſicque illos ſimul, & comperti ſceleris, ſimul & ſuæ clementiæ, ac manſuetudinis admonere: cui nec illud ſatis. Ne aliquid de hujus veniæ laude ultrix aliquando fama decerperet, vindice ſcilicet apud poſteros memoriâ, vetuit reorum nomina hiſtoriæ inſerri, vel ex eo tantùm, quòd etiam in ipſa nomina ſævire, pars aliqua vindictæ videretur. Et hic mihi erit tertius actus clementiæ, ad quem accedet

IV. Ad pœnam invitè trahi.

Quartus, ſi quandoque vel recta ratio, vel publicum bonum, vel etiam privatum, exigere videatur, ut aliqua reo imponatur pœna, in eam non deſcendat Princeps, niſi invitus, ac reluctans. Et ita ſub initium aditi regiminis, deſcendiſſe viſus eſt Nero Cæſar, de quo ſic ad illum Seneca:

Lib. 2. ſub initium. *Animadverſurus in latrones duos Burrus, præfectus tuus, vir egregius, & tibi Principi natus, exigebat à te, ſcribere, in quos, & ex qua cauſa animadverti velles: hoc ſæpè dilatum, ut aliquando fieret, inſtabat. Invitus invito cum chartam protuliſſet, traderetque, exclamaſti: Vellem neſcire litteras.*

Hæc ubi de Neronis clementia protulit: tum æſtu quodam, ſeu amoris, ſeu ſtuporis quaſi excitus, Inclamat:

O dignam vocem, quam audirent omnes gentes, quæ Romanum Imperium incolunt: quæq́, juxta jacent, dubiæ libertatis; quæque ſe contra viribus, aut animis attollunt. O vocem, in concionem omnium mortalium mittendam; in cujus verba Principes, Regesq́, jurent. O vocem priſcæ generis humani innocentia: dignam, cui redderetur antiquum illud ſeculum: ſæculum dico aureum, quo digna ſanè vox illa generoſa, index magni animi, magnæque lenitatis, quæ ſi duraſſet in Nerone, grata in poſteros omnes iviſſet ejus memoria, quibus deinde ingratiſſima, ac deteſtabilis accidit ab inſigni crudelitate; & eò quidem ut Neronem dicere, ſit tyrannum immaniſſimum proclamare. Sed inquies, diſciplinæ eſt neceſſaria ſeveritas. Credo. Vide ne & tibi. Sigiſmundus Rex Poloniæ ad ſeveritatem hortanti, *Qui ſcis*, inquit; *an à te incepturus ſim?* Poſtquam hoc illi, tum & addidit regium illud: *Carnificum eſt timere, ne non habeant, quos puniant, bonorum Virorum optare, ne ulli pœna digni ſint; ſin autem, habeant quibus ignoſcant.*

Sed ne longiùs, tranſeamus ad alium actum clementiæ: is erit

V. Pœna ſit, quam fieri poterit leviſſima.

Quintus in hoc poſitus, ut ſi delinquenti pœna aliqua ſit infligenda, ſit illa quàm leviſſima, quantum ſcilicet æquitatis, & boni communis, privatique ratio patietur. Et hæc eſt moderatio, quam in

Principe,

Principe, ac Judice requirunt ſacræ paginæ, vel ipſo Dei, ter Opt. ter Max. exemplo; qui ſi ad pœnas aliquando ire debuit: ad eas modò digitum unum appoſuit, modò plures, modò totam manum explicuit. (*Velaſquez in Epiſt. ad Philipp.*)

Erat Pharao ſuperbum caput, & cœlo rebelle, atque adverſum; ad ſumenda de eo ſupplicia accedit Deus, & ſolo digito utitur; ut plagam ranarum, & cyniphum immittat. Hinc exclamant Magi: *Digitus Dei eſt hic*: eo ſcilicet tantùm opus erat ad plagam leviſſimam, à qua orditur vindex ſcelerum Deus; cujus & potentiam in digito agnoſcunt, & bonum ſi & clementiam. (*Exod. c. 8. v. 9.*)

Balthaſſar Rex impius, & ſacrilegii reus, graviore erat ſupplicio multandus; imò & ipſa morte: ſententia illi capitalis fuit inſcribenda; non uno ſolùm, ſed pluribus digitis inſcribitur; ſic enim de illa apud Danielem.

In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis. (*Cap. 5. v. 5.*)

Pharao, cùm ad pœnas leviores nihil de obſtinatione ſua remitteret, quia majore erat ſupplicio damnandus, expanditur ultrix Dei manus. Sicque ad illum: *Nunc extendens manum percutiam te, & populum tuum peſte, peribiſq́ de terra.* (*Exod. c. 9. v. 15.*)

Et hanc moderationem adhibet Deus in exigendis à reo ſuppliciis: incipit à leviſſimis, & digitum tantùm unicum apponit: tum ſi ingraveſcat culpa; digitos aperit ad pœnam graviorem: denique ſi graviſſima, & lætali pœna ſit opus, totam manum extendit: clariùs explico, ſupplicium infert: ſed quantum exigit, & cogit utilitas, aut neceſſitas, non amplius.

VI. Sit quãtum eſt neceſſaria, nec amplius.

Quod ipſum ratione duce agnovit, atque extulit Seneca ubi enim hanc ſubintulit quæſtionem: *Quid ergo? non aliquando caſtigatio neceſſaria eſt? Quidni? ſed hæc ſincera cum ratione. Non enim nocet; ſed medetur ſpecie nocendi. Quemadmodum haſtilia detorta ut corrigamus, adurimus, & adactis cuneis non ut frangamus, ſed ut explicemus, elidimus ſic ingenia vitio prava, dolore corporis animiq́ corrigimus.* (*Lib. 1. de Ira c. 5.*)

Nempe medicus primò in levibus vitiis tentat non multum ex quotidiana conſuetudine inflectere, & cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere; ac valetudinem, tantum mutata vitæ diſpoſitione, firmare. Proximum eſt ut modus proficiat. Si modus, & ordo non proficit, ſubducit aliqua, & circumcidit.

Si nec adhuc quidem reſpondet, interdicit cibis, & abſtinentia corpus exonerat. Si fruſtra molliora ceſſerunt, ferit venam, membriſque, ſi adhærentia nocent, & morbum diffundunt, manus affert, nec ulla videtur dura curatio, cujus ſalutaris effectus eſt.

Ita Legum Præſidem, Civitatiſque Rectorem decet quamdiu poteſt, verbis, & his mollioribus, ingenia curare, ut facienda ſuadeat, cupiditatémque honeſti, & æqui conciliet animis, faciátque vitiorum odium, pretium virtutum: tranſeat deinde ad triſtiorem orationem, quæ moneat adhuc, & exprobret. Noviſsime ad pœnas, & has adhuc leves, & revocabiles decurrat. Vltima ſupplicia ſceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit.

Interſit, & rei publicæ: *ut documentum omnium ſint, & qui vivi noluerunt prodeſſe, morte certè eorum Reſpublica utatur.* (*Cap 6.*)

Hactenus Seneca; qui in pœnis irrogandis, aut delinquentis commodum ſpectari vult, aut publicam utilitatem, & pro modo puniendi neceſſitatem, nec ultra quàm hæc exigat, procedendum; ſic enim, inquit:

Parcendum eſt etiam improbis civibus, non aliter quàm membris languentibus; & ſi quando miſſo ſanguine opus eſt, ne ultra, quàm neceſſe ſit, incidas. (*Lib. 1. de Ira.*)

Ne porrò ultra incidas, docet *hebetare debere aciem Imperii*; ſic enim ad Neronem, tum clementem ac moderatum, & capitalia ſupplicia horrentem:

Hæc eſt, in maxima poteſtate, veriſſima animi temperantia, & humani generis incomprehenſibilis amor, non cupiditate aliqua, non temeritate incendi, non priorum Principum (Tiberium, Caligulam, & Claudium intelligit) *exemplis corruptum, quantum in Cives ſuos liceat, experiendo tentare; ſed hebetare aciem imperii.*

Pulchrè *hebetare aciem*, ne ſi nimis acuta ſit, profundiùs incidat, quàm & ratio poſtulet, & juſti moderamen Imperii, & ipſum etiam votum Imperantis.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Clementia præparat vitam.* Proverb. c. 11. v. 19.

Quibus, & qua via?

IBIT in annos, & ſæcula, imò & in ipſam æternitatem Theodoſii Magni auguſtum illud, & pium votum: *Vtinam mortuos ſuſcitare poſſem.* Solebat ille ob reverentiam Paſchalis feſti compeditos dimittere, atque etiam vitam donare: cùmque aliquando à ſuis rogaretur, cur neminem eorum, à quibus lædebatur, capite plexiſſet, reſpondit illud, quod erat in votis, atque amoribus: *Vtinam & mortuos ſuſcitare poſſem.* (*D. Chryſoſt. hom. 6. ad pop. Antioch.* — *Ruffinus.*)

Tantum ſcilicet aberat à tollenda ſubditis vita; ut eam etiam quavis de cauſâ ablatam reddere voluiſſet, ſi fuiſſet in ejus manu. Et hoc primum Clementiæ munus eſt, aliis vitam præparare, vitam donare, & ſuos quà licet ſervare. (I. Subditis.)

Quod & fecit Alfonſus, Aragonum Rex. Is aliquando inſimulatus à ſuis nimiæ lenitatis, vel ex eo quòd ſervaret omnes, neminem perderet, ſcitè objecit regium illud:

Malo multos mea clementia, & manſuetudine ſervare; quàm paucos mea ſeveritate perdere. Hominum enim eſt clementia; belluarum feritas.

Quod ſi hominis eſt clementia: multò magis Regis, Principis, Sapientis.

Sapiens, inquit Seneca, *multa remittet, multos parum ſani, ſed ſanabilis ingenii ſervabit. Agricolas bonos imitabitur, qui non tantùm rectas, proceraſq́ arbores colunt; ſed illis quoque, quas aliqua depravavit cauſa adminicula quibus regantur, applicant. Alias circumcidunt, ne proceritatem rami premant. Quaſdam infirmas vitio loci, nutriunt. Quibuſdam aliena umbra laborantibus cœlum aperiunt.* (*Lib. 2. de Clementia, c. 7.*)

Hanc ſimilitudinem, modumq́ue ſervandi, ubi ab agricultura petiit; tum ſubjicit: *Secundùm hæc videbit perfectus ſapiens, quod ingenium, qua ratione tractandum ſit, quomodo in rectum prava flectantur.* (Quo modo?)

Et hic unus eſt modus ſubditos, etiam culpæ alicujus reos, vitæ reſervandi.

Alius eſt delinquentis ætatem ſpectare, modumque delicti: & hunc, & illam attendi voluit Seneca in ea, quæ à ſapiente inferri debet, animadverſione:

Parcit enim ſapiens, conſulit, & corrigit. At qua ratione? diſce ex eodem: *Aliquem*, inquit, *verbis admonebit, pœna non afficiet; ætatem ejus emendabilem intuens. Aliquem invidia criminis manifeſtè laborantem, jubebit incolumem eſſe; alium quia deceptus eſt, quia per vinum lapſus.* (*Lib. 2. de Clementia, c. 7.*)

Hæc ubi de modo ſuos vitæ ſervandi protulit Seneca, tum ſubjicit magnificum illud.

Hæc divina potentia eſt, gregatim ac publicè ſervare: multos autem occidere, & indiſcretos, incendii ac ruinæ potentia eſt: quod & de civibus, & de hoſtibus dictum eſſe vult: hos enim etiam ſalvare, clementiæ eſt: perdere autem ſæpè crudelitatis: quam ne incurrat (*Lib. 1. de Clementia, c. 26.*)

currat is, in cujus manu vita, & mors quodammodo eſt, quia & Imperium; docet Seneca quando & parcendum hoſtibus, & quando donanda vita.

II. Hoſtibus. *Hoſtes*, inquit, *dimittet ſalvos, aliquando etiam laudatos, ſi honeſtis cauſis, pro fide, pro fœdere, pro libertate in bellum accincti ſunt.* Sed, inquies, illata gravior injuria; hanc remittere ut clementiæ videri poſſit; at punire Juſtitiæ eſt, atque æquitatis, cum qua pugnare non debet clementia: nec enim virtus cum virtute pugnat.

Huic nodo ſanè difficili cuneum quæſivit, obtulitque Seneca, dum ſic olim: *Duabus de cauſis punire Princeps ſolet, ſi aut ſe vindicat, aut alium.*

Si ſe, aut inde ſolatium quærit, aut aliquam poteſtatis oſtentationem; aut in reliquum ſecuritatem.

Lib. 1. de Clementia c.20. & 21. Si ſolatium: *Principis*, inquit, *major eſt fortuna, quàm ut tali ſolatio egeat.*

Si potentiæ oſtentationem: *Manifeſtior eſt vis illius, quàm ut alieno malo opinionem ſibi virium quærat.*

Si, in reliquum ſecuritatem: & hanc obtinet à clementia, veniáque, quam dedit: *Perdidit enim vitam, qui debet, & qui alienam de capite ſuo ſententiam expectavit, in Servatoris ſui gloriam vivet, pluſque nomini ejus conferet incolumis, quam ſi ex oculis ablatus eſſet.*

Sin autem alium vindicat, & alienas injurias: & in his, *hac tria lex ſecuta eſt, quæ Princeps quoque ſequi debet, aut, ut eum, quem punit, emendet: aut, ut pœna ejus cæteros meliores reddat: aut, ut ſublatis malis ſecuriores cæteri vivant. Ipſos facilius emendabis minore pœna; diligentiùs enim vivit, cui aliquid integri ſupereſt. Impunitatis genus eſt, jam non habere pœnæ locum:* uti non habet, qui nec vitam habet. Hanc ſanè ſervaſſe Clementiæ eſt, abſtuliſſe crudelitatis, niſi aut neceſſitas, aut boni communis ratio exegerit.

III. Principi. Deſcendo ad alium, cui clementia vitam præparat; Is erit ille ipſe Princeps, qui vitam aliis aut donavit, aut ſervavit. Huic omnes vitam amant, vitam optant quàm longiſſimam; & boni, & mali: ut enim ille ipſe Alfonſus, Aragonum Rex de ſeipſo: *Ego juſtitiâ bonis gratus ſum, malis autem clementiâ*, quod ſi & his, & illis gratus, nemo certè omnium eſt, qui huic audeat ſtruere periculum; nemo, qui non velit, ſi poſſit fortunam avertere ab eo, ſub quo pax, ſecuritas, dignitas florent, ſub quo opulenta civitas, copia bonorum omnium abundat; uti profectò abundat ſub eo Principe, qui abundat clementia: huic ne hoſtes quidem vitam invident, quia ut rurſum Alfonſus: *Nihil magis adverſarios flectit, quàm placabilitatis, manſuetudinis, & clementiæ nomen.* Quod ſi hos flectit, multò magis cives inflectit, ut ei velint eſſe quàm optimè, cujus probè conſcii Imperatores Auguſti, & verbis, & factis ſibi nomen à clementiâ fecerunt. E multis unum alterúmve produco.

Primus erit Fridericus III. Imperator Auguſtus, & pacis amans. Huic fortè Aulici non ſine ſtomacho, & atra bile, retulerant è ſubditis nonnullos in ejus majeſtatem conjeciſſe dicta quædam injurioſa bono ipſius nomini; quibus nihil commotus adjecit illud dignum Cæſare.

Viros Principes poſitos eſſe quaſi in ſignum, ad quod omnes virulentæ linguæ tela dirigerent, atque conjicerent, deinde etiam expoſitos non ſecus ac turres præaltas, quas fulmina feriant, dum interim humilia tecta prætereunt. Tum addidit & illud: Benè nobiſcum agitur, cùm verbis tantum impetimur. Dixit, & aulicis os occluſit, & vindictæ etiam manum, futurus ipſe poſteris omnibus exemplo & ſingularis clementiæ, & altioris animi, nec ultionem ſpirantis. Et rectè: *Ultio enim doloris confeſſio eſt. Non eſt magnus animus, quem incurvat injuria. Ingens animus, & verus æſtimator ſui, non vindicat injuriam, quia non ſentit.* Vel ſi ſentit, non indulget ei ſenſui doloris: ſed animo altiore, & Chriſtiano reprimit.

Alfonſus Aragonum Rex graviter offenſus ab eo, in quem plurima, & magna beneficia contulerat, iræ tamen temperavit; ſic ſecum reputans: *Cur ego illi ſuccenſeo, cùm Deus longè majora in me beneficia contulerit, & tamen ego longè Deo ingratior ſim, quam ille erga me.* Beyerlinck in Apoſtog.

Hæc ille probè memor ſui, & illius quod extulit aliquando D. Auguſtinus: *Dicit aliquis non poſſum diligere inimicum meum, quem quotidie veluti hoſtem patior crudeliſſimum. O quicumque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, & non conſideras quid tu feceris Deo.* Serm. 5. de S. Stephano.

Sed hoc, inquies, in Chriſtiano Chriſtianum eſt: demus aliud, quod etiam in Gentili.

Erit is Antoninus Imperator, cujus erga ſubditos rebelles clementia patebit ex parte Epiſtolæ, quæ etiamnum extat apud Vulcatium Gallicanum, & quam hìc viſum eſt aſcribere. Sic habet:

Nemo Senatorum puniatur, nullus fundatur ſanguis viri nobilis, deportati redeant, proſcripti bona recipiant. Utinam poſſem mortuos ab inferis excitare. Non enim unquam placet in Imperatore vindicta ſui doloris, qui etſi juſtior fuerit, acrior videtur.

Hactenus Cæſar Auguſtus, verè in hoc Auguſtus, & pius; cujus clementiam Senatus his acclamationibus eſt proſecutus:

Antonine pie, Dii te ſervent. Antonine clemens, Dii te ſervent. Tu noluiſti, quod licebat; Nos fecimus, quod decebat. Commodo Imperium juſtum rogamus, progeniem tuam nulla vis lædat; Commodo Antonino Tribunitiam poteſtatem rogamus, præſentiam tuam rogamus. Philoſophia tua, patientia tua, doctrinæ tuæ, nobilitati tuæ, innocentiæ tuæ ſanſta precamur. Vincis inimicos, hoſtes exuperas: Dii te tuentur.

Hæ fuerunt inter feſtivos plauſus, & publica gaudia Senatus acclamationes, quas auguſta tanti Imperatoris clementia expreſſerat. Et meritò, ut enim pulchrè Seneca:

Nihil in hac aura mortali majus eſſe poteſt, quàm injurias in ſummâ poteſtate pati; nec quicquam eſſe glorioſius Principe impunè læſo; nec denique quicquàm eo amabilius, & carius. L. 1. de Clementia c.20.

Appello rurſus fidem, atque authoritatem Romanorum, apud quos Titus Veſpaſianus, ob clementiam ſingularem, atque humanitatem, dictus eſt *Amor, ac delitia generis humani.* Appellatione profectò & illi perhonorifica, & aliis invidenda: quid enim in vitâ optabilius, quàm ut publica voce dicatur quis, & ſit ex veritate, & ſine adulationis fuco; *Amor, ac delitia generis humani?* Et is eſt, quiſquis in altiore poteſtate humanus eſt, & clemens: uti è contrà, quiſquis in eadem inhumanus, & ferox, odium eſt, & horror, & veluti nauſea quædam humani generis, quem ideo ex illo extruſum, ejectúmque vellet quiſquis huic ævo mortali vivit, ac ſpirat; imò quiſquis & immortali; adeo exoſa eſt inhumanitas, inclementia, feritas. Nec mirum, quia ut hominum eſt clementia; ſic belluarum feritas. Ne ea velut infami ſtigmate notetur, quiſquis in mundo hoc clavum tenet; Senecam audiat, ſibiqne ſcriptum illud intelligat. Suetonius in ejus vita.

Quemadmodum Domini crudeles tota civitate commonſtrantur, inviſique, & deteſtabiles ſunt; ita Regum & injuria latiùs patet, & infamia, atque odium ſeculis traditur. Quanto autem non naſci meliùs fuit, quàm numerari inter malo publico natos? Excogitare nemo quicquam poterit, quod magis decorum regenti ſit; quàm clementia, quocumque modo is, & quocumque jure præpoſitus cæteris erit. Eò ſcilicet formoſius id eſſe, magnificentiúſque fatebimur, quo in majori præſtabitur poteſtate, quam non oportet noxiam eſſe; ſed ad naturæ (hoc eſt clementiæ) *legem compoſitam.* Lib. 1. de Clementia, c.18. & 19.

TRACTA-

TRACTATUS
DE PACE ET CONCORDIA CHRISTIANA.

ANTIQUIORES Sophi, ut pacem ſubjicerent oculis mortalium, eam pinxere ut Heroinam in paucis gratioſam, inſignibus ornamentis decoram, ad ſignificanda eximia quædam Dei dona, quæ inveheret. Nam alicubi ſpicis coronata viſebatur, alibi roſis, aut oliva, interdum laurea corolla.

Figmentum eſt, & quidem ingenioſum, quod apertè declarat à Pace opulentiam, atque omne genus felicitatis in Orbem induci: ab illa veris delicatiſſimi roſas, placidamque vitam, & lauros triumphales in Urbes, in Provincias, in Regna importari; quæ omnia aliis enucleatiùs exponenda relinquo. Hæc enim Pax nec Chriſtianis propria eſt; ſed etiam Ethnicis communis, nec tam virtus, quàm virtutis fructus, nec ſemper in noſtra poteſtate: ideòque ea prætermiſſa, in præſens tractabo, Primùm de Pace, quæ eſt homini cum ſeipſo: tum etiam de illa, quæ eſt cum proximo: denique de ea, quæ eſt cum Deo ter Opt. ter Max. Hæc enim propriè & Chriſtiana dicitur, & eſt virtus, & in noſtra manu, liberoque arbitrio, eaque frui quilibet poteſt, ſi modo velit: utque velit, hanc illi inſcribo pagellam, pro qua ſit

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Dixit eis, Pax vobis.* Ioan. cap. 20.

Cur Chriſtus Magiſter Optimus, uſus ſit ea ſalutandi formula: Pax vobis?

I. Ratio. AD primum ut fiat ſatis, id ſtatuo, Chriſtum, Servatorem Optimum, uſum eſſe formula ſalutandi Hebræis uſitata, & communi: hi enim interpoſito nomine Pacis ſe mutuo conſalutabant, & quidem hac formula: *Scialom lecha*, hoc eſt, *Pax tibi.* Quod Græci dicunt χαῖρε, & Latini *Salve.*

Id videre licet 2. libro Regum cap. 18, ubi quod nos habemus: *Dixit ad Regem, Salve Rex.* In hebræo eſt: *Dixit ad Regem, Pax.*

Ad quem morem eò loci, ac temporis uſurpari ſolitum alludit Regius Vates, cùm ita canit: *Rogate quæ ad pacem Ieruſalem.* Hoc eſt, *Salutate Ieruſalem*, & precamini illi pacem: hoc eſt, omne genus bonorum, ac felicitatis: illud enim ſub nomine *Pacis* comprehendi exiſtimabant; ut notat Genebrardus, qui loco verſionis illius Symmachi, & Theodoreti: *Salutate Ieruſalem*, vertit ipſe: *Optate illi bonorum omnium affluentiam.* *Pſal. 121. v. 6.*

Et hæc prima ratio, ob quam à Chriſto aſſumpta ea ſalutationis formula.

II. Ratio. Altera conſonat fini, quem ſpectabat, & operi, cujus causâ è cœlo in terras elapſus Patris Æterni Filius: & quam eleganter expreſſit D. Chryſoſtomus: *Unigeniti hoc præcipuum opus fuit, diſtantia copulare, conciliare pugnantia.* *Hom. 11. in Matth.*

Cœlum à terra, Deus ab homine mirum quantum diſtabat: à peccato primi Parentis, Incarnati Verbi hoc præcipuum opus fuit, & hic labor, eos inter ſe copulare, & jungere Pacis æternæ fœdere, vinculòque, & ſimul etiam *conciliare pugnantia.* Homini cum Deo eſt veluti pugna quædam, & cum peccato perenne bellum, atque irreconciliabile: eo ſublato, venit Chriſtus conciliare pugnantes inter ſe nexu Charitatis, & vinculo Pacis; & hanc dum uſurpat in formula illa ſalutationis, ſimul etiam precatur, & donat; & hoc duabus illis voculis, *Pax Vobis.* Hæc prima fuit beatiſſimi oris ſalutatio: *hoc primum verbum*, inquit D. Chryſoſtomus, *poſt reſurrectionem dixit, Crucis merita colligens, quæ ſunt pax.* Quippe ſtratis humani generis hoſtibus, domita morte, ſpoliato erebo voluit ſignificare pacem eſſe omnium laborum ſuorum meritum Paſſionis fructum, Crucis trophæum, commune omnium emolumentum. Et hinc mihi ducitur

III Ratio. Tertia ejuſdem ſalutationis ratio, à Pace, quæ ſummum in terris bonum, quod dum attendit, amatque D. Auguſtinus, hæc illius elogia prodit:

O Pax, Eremitarum mater, Cœnobitarum pater, Monachorum ſoror, tu Patriarcharum vinculum, tu Prophetarum vehiculum, tu Apoſtolorum refugium, tu Martyrum ſolatium, tu Confeſſorum baltheus, tu Virginum tripudium, tu viduarum ſpeculum, tu conjugatorum ſpectaculum, tu malorum præſidium, tu tyrannorum odium, tu latronum ſuſpendium. *Serm. 2. ad Fratres ſuos in Eremo.*

Ubi hæc pacis elogia congeſſit S. Præſul, tum elatiore ſtylo, vocéque exclamat:

O Pax, Dei ædificium, te non poſſunt deſtruere Principum fulmina, inſultus dæmonum te in nullo lædere poſſunt. Tu pauperem divitem facis, tu divitem mendicantem perducis, tu contenta in cunctis, ditior univerſis.

O Pax, tu mentis ſerenitas, animi tranquillitas, cordis ſimplicitas, amoris vinculum, charitatis conſortium.

Ubi hæc encomia velut in cumulum collegit, tum vota ſua explicat, atque ad illam vel retinendam, vel perquirendam omnes ſic adhortatur:

Qui te habet, teneat; qui te non habet, te perquirat; qui te perdit, te requirat, ſi filius Dei eſſe peroptat. Et hoc Sanctiſſimi Præſulis eſt votum, petitum ex ſummo Pacis bono, quod & ſpectavit Servator Optimus, cùm uſus ea ſalutandi formula, *Pax vobis*: ſed cur, inquies, tertiò repetita? Ut & hic explicetur nodus, ſit

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Cur tertio dictum à Chriſto: Pax vobis?

EX SS. Patribus, & Scripturæ ſacræ Interpretibus colligo triplicem homini Pacem eſſe, uti & triplex bellum: *Pax triplex.*

Una Pax homini eſt ſecum, & hanc agnovit, ac prædicavit D. Ambroſius.

Altera Pax eſt homini cum proximo, & illam extulit D. Chryſoſtomus.

Tertia Pax eſt puſillo homini cum Deo, ter Opt. ter Max. & hanc commendavit Theophilactus.

Et hæc quidem illi dum explicant locum iſtum *Cap. 4.* D. Pauli ad Philippenſes: *Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto IESV.*

D. Auguſtinus, aliam pacem agnoſcit, & commendat, & quidem etiam triplicem; videlicet *Cordis*, *Oris*, & *Operis*. Sic enim olim ad Fratres ſuos in eremo:

Supra. *Habete in corde, in ore, & in opere pacem.* Ubi ſic ad ſuos, tum oſtendit quæ ab hujus triplicis Pacis defectu pullularint mala, jam inde ab ipſis mundi cunis.

Nam ſi Cain, inquit, *pacem habuiſſet in corde, non irruiſſet in fratrem ſuum. Si Abſalon pacem habuiſſet in ore, non impugnaſſet Patrem. Si Iudas habuiſſet pacem in opere, non fugiſſet ad laqueum.*

Hæc nempè ſcelerum monſtra extulere, qui pace illa caruere: & quidem *Cain*, quia deſtitutus illa *Cordis*, hoc eſt fraterni amoris *pace*, innoxium ſanguinem fudit infamis fratricida.

Abſalon autem, quia nec illam pacem habuit, *in Ore*; ſed potius fucata verba, & blandas ad populum affectati regni illecebras, in Patrem arma movit; in eum rebellis, & hoſtis armatus.

Denique Magiſtri proditor infamis *Iudas*, quia pacem illam non ſervavit *in Opere*: quia, inquam, opere, & facto non probavit, ſibi redditus, & conſcientiæ, ſibi reſtitutus & Deo; ad laqueum confugit, & ſimul cum vitâ pacem perdidit, & quidem æternam. Tanti intereſt Pacem opere ſervare, ac retinere etiam ad ultimam uſque brevis ævi metam.

His ita ex SS. Patrum calculo conſtitutis, ad quæſtionem initio propoſitam. hoc reſponderi poſſe credo, triplicem à Chriſto Diſcipulis optati, darique Pacem: cum Seipſis, cum Proximo, cum Deo, ideoque ter repetitum illud benè ominatum, *Pax vobis*: Ut porro triplicem illam Pacem in nos ipſi derivemus, fuſiùs explicandum, quæ ſit illa Pax, in quo poſita, & quæ ad illam obtinendam viæ; pro quibus ſit

§. I.

Quid ſit illa Pax hominis cum ſeipſo?

PAx illa eſt, quæ unum quemque in ſeipſo componit, & tranquillat. Eam Philoſophi antiquiores aliis, atque aliis appellationibus & deſcripſerunt, & ornarunt.

Stoici appellabant *modeſtam quietem, ſolitudinem tranquillam.*

I. Modeſta quies! *Modeſtam* dico *quietem*, qua qui præditus eſt, opera omnia facit cum ſumma, & ſua, & aliorum quiete, ſimilis *aquæ Siloë, quæ labuntur cum ſilentio*, hoc eſt, ſine ſtrepitu, ſine murmure, ſine turbis: ſecus alii, qui inſtar torrentium rapiuntur, & fluunt; non ſine ingenti murmure, ſtrepitu, & fragore, qua & ſuam internam pacem turbant, & ſimul etiam externam aliorum; & hoc quia non habent in ſeipſis pacem, hoc eſt, *modeſtam quietem*; ſed nec *ſolitudinem tranquillam.*

II. Solitudo tranquilla. Eſt porrò duplex *Solitudo*. Una *Mentis*: altera *Corporis*, inquit Bernardus; una exterior, interior altera.

Exterior eſt *Cella*, in quam ſeſe libenter recipit, ſeſe continet mens tranquilla; ut in ea pacem inveniat, & tranquillitatem. Et hanc, & illam in eâ invenit lacteus Doctor Bernardus, qui dicere ſolitus. *Mihi cella cælum*: meritò cœlum, quia ut hoc à celando nomen invenit; ſic & illa: nimirum cella hominem celat, & aliorum oculis eripit, ſibique quodammodo reddit, ac ſervat; & hinc ſolitudo tranquilla, & à ſolitudine mira animi tranquillitas, quam expertus vir in paucis religioſus, Thomas à Kempis, ingenuè fatebatur ſe non inveniſſe pacem *niſi in angello cum libello: in angello*, inquam, cellulæ, in quo & ipſe, mi LECTOR, pacem invenies, extra potiùs perdes, nec in eam redibis qualis exiſti: veriſſimum enim illud Senecæ: *Quoties inter homines fui, minor homo redii.* *Minor* dico, hoc eſt, minus liber, minus ſuus, minus tranquillus. Et hæc de exteriori illa ſolitudine, à quâ multa pax, multa tranquillitas.

Altera eſt *Solitudo mentis*, eáque interior, quam D. Bonaventura vocabat, *ſecretum mentis*, in quo mens, dum ab omnibus aliis ſecernitur, & ſibi uni vacat, ſibi loquitur, ſecum agit; tranquillitatem invenit, & pacem cum ſeipſo. *Dom. 6. poſt Pentecoſt. Serm. 1.*

Et hanc quæſivit, atque invenit David, etiam in aulæ ſtrepitu, in negotiorum tumultu, in armorum, bellique turbine, in quo etiam jactabat illud: *Singulariter ſum ego donec tranſeam*: hoc eſt ſingularis, *Pſal. 140.* & ſolitarius, ea quam dixi mentis ſolitudine, quâ etiam fruitur animus in medio negotiorum æſtu, in hominum frequentia, ac tumultu. Et ſic illa quoque fruebatur S. Ignatius, Societatis JESU parens, ac Fundator, qui ſingulis horis ſeipſum revocabat ad examen, & conſcientiæ tribunal, ibique cum ſeipſo loquebatur, cum ſeipſo agebat, cum ſeipſo pacem inveniebat, ac fovebat in illa interiori ſolitudine, in quâ & tu, AMICE LECTOR, pacem tecum invenias eſt neceſſe, alibi eam fruſtra quæſiturus; ac ne quidem orbe toto, ſi eum decurriſſes te uno relicto.

Apud Socratem querebatur unus aliquis, quod etſi varias mundi regiones peragraſſet, pacem tamen, & optatam animi tranquillitatem non inveniſſet: cui Philoſophus. *Nec immeritò*, inquit, *tibi evenit, tecum enim peregrinabaris.* *Seneca Epiſt. 104.*

Quod illi Socrates: hoc multis objici poſſet, quibus nulla pax, nulla obvenit tranquillitas, & hoc quia *ſecum* ipſi *peregrinantur*, ſemper foris, domi nunquam: ſemper cum aliis, raro, aut nunquam ſecum.

Deſcendo ad alias ejuſdem *Pacis cum ſeipſo* appellationes, eaſque plenas gravitatis, ac majeſtatis, *III. Tranquilla ſerenitas.* quas inter facilè princeps eſt illa Pythagoræorum, qui eam nominabant *ſerenam quandam, & immutabilem tranquillitatem* qualis eſt mundo ſupra Lunam, cui comparat Seneca ſtatum Sapientis:

Talis eſt, inquit, *Sapientis animus, qualis mundi ſtatus ſupra Lunam, ſemper illic ſerenum eſt.* *Epiſt. 59.*

Et talis etiam eſt Chriſtiani, & Religioſi animus ab illa pace, quam habet cum ſeipſo: ab illâ enim ei perennis tranquillitas, perennis & ſerenitas: quia ut ſupra Lunam nullæ ſunt nubes, venti nulli, turbines nulli, nulla tonitrua, nulla fulgura, fulmina nulla; tempeſtas omninò nulla: ſic ei, qui pacem obtinet cum ſeipſo, nulla triſtitiæ mœroriſque nubes incumbit; nullæ pluviæ puſillanimitatis, à quibus liqueſcat quodammodo, ac ſolvatur animus; nulla irati pectoris tonitrua, fulmina vindictæ nulla, nulla à paſſionibus inſurgentibus tempeſtas; ſed perpetua tranquillitas, perpetua & ſerenitas; quæ profectò internæ illius Pacis ſummum eſt bonum.

Et hoc aſſecutus erat S. Ignatius, Societatis JESU Fundator, quem ab æquabili illa, & nullis perturbationibus obnoxia ſerenitate, *Templum Pacis* appellavit Joannes Texeira, Vir è Franciſcana familia clariſſimus. *Rho Hiſt. vir. l. 1. c. 10.* Verè *Templum Pacis*, quod in eo reſideret, & quaſi coleretur Pax Chriſtiana, & cœleſtis.

Porrò Pacem illam, perennémque tranquillitatem vel ex hoc argumento colliges, quod ipſe ſibi aliquando propoſitum voluit.

Si caſu

Si caſu aliquo, Societatem (quam ipſe infinitis propemodum laboribus, manifeſtóque Dei inſtinctu, condiderat) omninò diſſolvi contingeret, iotra quartam horæ partem, ſe conſuetæ tranquillitatis compotem futurum. Adeo illi tranquilla & ſerena mens erat, adeo profunda Pax, à qua etiam de illo dici potuit iſtud Poëtæ:

——— *Si fractus illabatur Orbis,*
Impavidum ferient ruinæ.

Ut & te etiam, mi Lector, ſi minus impavidum, ſaltem ad Dei tui voluntatem paratum inveniant, quæ te ferient ruinæ; ſeu eæ fortunarum fuerint, ſeu famæ, ſeu ſanitatis, ſeu etiam vitæ; pauca ad pacem illam obtinendam, media ſub oculos ponam.

§. 2.

Quæ media ad obtinendam pacem cum ſeipſo?

I. Medium, Conſcientia bona.

PRIMUM quod occurrit eſt veluti baſis, ac fundamentum pacis illius internæ hominis cum ſeipſo: Illud autem eſt teſtimonium bonæ conſcientiæ: ab hac ſumma pax, ſine illa, pax nulla, quies animi omninò nulla: *Non enim eſt pax impiis, dicit Dominus.*

Conc. 1. de Lazaro.

Ratio petenda ex ipſa conſcientiæ natura, hanc D. Chryſoſtomus appellat *Tribunal* quaſi *divinum à Deo mentibus noſtris impoſitum; quod nec pecunia corrumpitur, nec adulationibus acquieſcit.*

In eo tribunali, ad quod velit nolit ſiſtitur animus, eadem ipſa conſcientia eſt *amarulenta accuſatrix;* eſt *Iudex ſeverus;* eſt *carnifex immiſericors, adhibens cogitationes,* & malè geſtorum pertinacem memoriam, & quaſi *ſuſpendens in equuleo, lateráque radens ungulis;* ut eleganter, & verè ille ipſe Orator aureus, cui conſonat D. Ambroſius, cui conſcientia non ſolum eſt accuſatrix, & judex; ſed ultrix quoque, & vindex:

L. 7. epiſt. Ep. 44.

Sibi, inquit, *unuſquiſque animum ſuum ſeverum judicem, ſui ultorem ſceleris, & vindicem criminum habet;* nec ut velit declinare poteſt; nec illius oculum, aut manus effugere: qui enim effugiat? qui declinet? cùm ipſa conſcientia ſit *Oculus* intima quæque pervadens: ſit *Virga vigilans, & oculata. Virga* quidem, ut feriat; *oculata*, ut non aberret; cujus appellationis authorem habeo D. Bernardum, quem juvat hic audire:

Nullus, inquit, *moleſtior oculus ſuo cuique, non eſt aſpectus, quem tenebroſa conſcientia ſuffugere magis velit, minus poſſit.* Porrò aſpectus ille, aſpectus eſt *aſſiduus*, qui & animi intima pervadat, & pungat, & lancinet; & quæ ab illo pax? quæ requies? omninò nulla.

Cap. 7. v. 19.

Conſcientia mala eſt *vermis* arrodens intima tenaci dente: eſt *ignis*, adurens, & conſumens etiam animi medullam. *Vindicta carnis impii, ignis & vermis,* inquiebat Eccleſiaſticus, & quæ cum eo verme, quæ cum illo igne pax? penitùs nulla.

Ep. 97. ad Lucilium.

Conſcientia eſt *flagrum*, quo continuò vapulat mens ſibi malè conſcia. De hac extat illud præclarum Senecæ: *Conſcientia ante peccatum eſt frænum, poſt peccatum eſt flagrum;* & quæ cum eo flagro pax? quæ requies? certè nulla.

Denique ut cum D. Bernardo finiam *Infernus quidam, & carcer animæ rea conſcientia.* Quod ſi infernus, ſi carcer, ecquæ in eo Pax? profectò nulla. Ut ergò ſit; ſit bona conſcientia, ſit mens conſcia

Prov. c. 15.

recti; *ſecura mens quaſi juge convivium.*

Hebræi loquuntur *bonus corde*, vel *bonum cor*, hoc eſt hebraïco idiomate, bona conſcientia: Cor enim pro conſcientia uſurpant Hebræi; hæc ſi bona fuerit, ſi ſecura, ſi pacata, ab illa pax ſumma, & ſummum propè bonum.

Lib. 3. de Anima, c. 11.

Conſcientia bona, inquiebat Hugo Victorinus, *titulus eſt religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, theſaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti, liber ſignatus & clauſus, in die judicii aperiendus.*

Et hæc bonæ conſcientiæ ſeu nomina, ſeu encomia ſunt, ex quibus conficies, quod confecit Divus Bernardus:

Nihil eſt jucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conſcientia: premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit ſecura. Et verò quidni ſecura, cùm ab illa ſumma pax, ſumma ſecuritas, ſumma tranquillitas, ſumma ſerenitas?

Et hanc, & illam expertus D. Auguſtinus ad bonæ conſcientiæ teſtimonium, ceu arcem muniſſimam, ceu aſylum internæ pacis, confugiebat: ſic enim ad eos, qui, vel de ſe malè ſuſpicari, malè ſentire, malè loqui. *Senti de Auguſtino quidquid libet, ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet*, hoc mihi plus ſatis ad pacem. L. 2. contra Petilianum c. 1.

Hæc D. Auguſtinus, cui inter ſiniſtras de ſe ſuſpiciones, inter maledici oris dicteria, inter æmulorum calumnias alta pax erat à bona conſcientia. Amplius aliquid S. Tiburtius Martyr, cui etiam inter equuleos, & cataſtas, inter rotas, & ignes, inter extrema ſupplicia profunda pax à bona conſcientia; quâ fretus, ſic ac tyrannum: *Omnis nobis vilis eſt pœna, ubi ſecura comes conſcientia.* In ejus vita.

Et hoc primum, ac potiſſimum medium eſt ad pacem homini cum ſeipſo: venio ad aliud, & quidem illi ſatis affine.

II. Medium. Recta ratio.

Eſt autem illud ejuſmodi, ut caro rationi, & ratio ſubdatur Deo: ut enim ſcitè D. Leo Pontifex Maximus: *Tunc eſt vera pax homini, quando & caro animo judice regitur, & animus Deo præſide gubernatur.* Serm. 1. de Quadrag.

In homine, ceu microcoſmo, duæ ſunt partes, corpus, & anima, caro, & ſpiritus: ut in eo ſit alta pax, neceſſe eſt, ut caro, ceu pars inferior; animæ, & rationi, ſeu parti ſuperiori, ſubjecta ſit: & ipſa ratio, Deo, ſeu Primæ, & ſummæ rationi ſubdita; & hinc, quod conſequens eſt, animus ſit in homine velut judex, qui ſtatuat, qui decernat quid agendum, quidve non agendum, quid ſequendum, quid fugiendum. Ubi autem animus, & ratio ſic decreverit, ne fortè aberret, à Deo, ceu Præſide, ſe duci, ac regi patiatur; quod ſi patiatur, tunc homini erit vera Pax, non fucata, non adulterina; ſecùs autem, ſi paſſio regimen aſſumat, ſi frænum ſi clavum tenere velit, ac moderari; tunc enim nulla pax, nulla tranquillitas; ſed acre bellum, pugna perennis, confuſio, & chaos immane in homine, ceu parvo mundo: nec enim ſe regere poterit ille, nec alios; ut enim diſertè Seneca:

Si vis tibi ſubjicere omnia, te ſubjice rationi, multos reges ſi ratio te rexerit. Epiſt. 37.

Ratio, inquam, quæ bonæ mentis oculus, qui ne caliget, procul ſit paſſio, procul & affectus vitioſus: *ibi enim errat oculus, ubi errat affectus.* hoc eſt, ibi ſæpiùs errat humana ratio, ubi errat humanus affectus, ceu inſolens paſſio: ne porrò ſic erret, ut jam dixi: caro ſubjiciatur rationi, & ratio Deo. Ambroſ.

III. Medium, Attende tibi.

Aliud medium conſequendæ Pacis cum ſeipſo, eſt illud ab Aſcetis, & Majoribus noſtris ſæpiùs & repetitum, & commendatum duabus iſtis voculis. *Attende tibi*, quod ſi feceris, nec aliorum negotiis teipſe implicabis, nec curioſiùs inquires quid agant fratres tui, multò minùs quid Superiores, quod tamen vitium etiam ſubinde irrepit in religioſas domos; imò & olim irrepſit in ipſam Chriſti familiam, & collegium Apoſtolicum.

Quæſierat Chriſtus à Petro, & quidem iterum, iterúmque illud amantis: *Simon Ioannis diligis me?* & audierat iſtud redamantis: *Domine tu ſcis, quia amo te.* Ioan. c. 21. Tum etiam expoſuerat illud, quod ſummi erat momenti, & quod Petrum tangebat vel maximè, *qua ſcilicet morte eſſet Deum clarificaturus.*

Expoſuerat, inquam, ſed verbis perobſcuris: *Cum eſſes junior, cingebas te, & ibas, quò volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis.* (Verſ. 18.)

Hæc ſubobſcurè, & quaſi ænigmaticè dicta explicare, atque evolvere neceſſum erat, & certè ſic à magiſtro evolvi, atque explicari, petere debuiſſet benè doctus in Chriſti ſchola Diſcipulus: ſed nihil horum petiit: imò ſui quaſi oblitus, primò ad Joannem, dein ad Chriſtum converſus: *Domine hic autem quid?* ſubinjecit. De ſe nihil quærit, pro ſe nihil loquitur, nihil cogitat: de alio quàm maximè, cui proinde Dominus: *Sic enim volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere.*

Quod Petro Chriſtus: hoc pleriſque mortalium, etiam exercitatis in ſpirituali vita, etiam religioſis, qui ſui immemores, aliorum plus æquo memores, curioſiùs in eos inquirunt, & mente, ſi minus voce ingerunt iſtud: *Hic autem quid?* quibus illicò Dominus: *Quid ad te? Tu me ſequere.* Teipſe inſpice, teipſe cura, de aliis minimè. Quid enim illa ad te?

Verùm, inquies, at proximus, at frater malè, & perperam multa agit, de eo quærere eſt officii mei. Næ multum erras vir bone, Apoſtolum audi, qui in ſimili cauſa ſic olim ad Romanos:

Cap. 14. v. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Quod Romanis, hoc & tibi. Sed ne longiùs.

IV. Medium. Contentum eſſe ſua ſorte.

Tranſeo ad quartum medium obtinendæ Pacis cum ſeipſo, eſt autem illud, ut vivat quiſque contentus ſua ſorte, & ſua quaſi virtute ſe involvat; quod inſinuat antiquum illud, & probatum etiam Sapientibus: *Quod ſis, eſſe velis, nihilq; malis.*

Id exemplo ſuo nos probè doctos voluit B. Joannes Canonicus Regularis in Anglia. Is aliquando rogatus à nonnullis, Cur non complecteretur perfectius Inſtitutum, videlicet Monaſticum, duo perbellè objecit. (Surius in ejus vita.)

Primum, in quolibet religioſæ vitæ genere poſſumus in virtute non contemnendos fructus facere.

Deinde, fateor, inquiebat, ingenuè, me necdum Inſtituti mei abſolutam, atque in ſuo genere conſummatam perfectionem aſſecutum eſſe, cujus igitur eſſet temeritatis, cujus & imprudentiæ, laxioris vitæ etiam minima vix obſervantem, arctiori interim diſciplinæ me tradere, & ſublimiora me, velle profiteri.

Hæc ille ex quadam animi demiſſione, humilique de ſe ſenſu, ex quo id etiam conficies.

Te natura hunc quaſi finxit, te fortuna in eo locavit gradu: melius dico, te amabilis Dei providentia in eo ſtatu eſſe voluit, eſſe velis, quod natura, quod fortuna, quod Deus eſſe voluit, & fruêris optata pace cum teipſo; ſi ad alia aſpires, nec in illis conquieſces, quia velis nolis, iis carebis; nec in iis, quæ poſſides, quia tibi minimè probantur, & placent; nec in teipſo pacem habebis, quia domi habes, qui te turbet, & torqueat; ſcilicet, ad alia mentem avidam, mentem anhelam. Ne porrò habeas domeſticum illum internæ pacis hoſtem, Ambroſium audi, ſic ille quondam ad Epiſcopum Vercellenſem, & ſic hodie ad te:

Lib. 3. ep. 21. *Aſſueſce unus eſſe, ut vita tua quandam picturam exprimat, eandem ſervans imaginem, quam acceperat.*

Aſſueſce, inquam, *unus eſſe*, non multiplex, non varius, affectu ſcilicet, & deſiderio, *ut vita tua quandam picturam exprimat.*

V. In ea ſpectare Dei nutum, ac voluntatem.

Pictura, ubi à perita pictoris manu, colorem imbuit, formam accepit, & hanc, & illum tenaciter retinet, *eandem ſervans imaginem, quam acceperat.* Quod illa, hoc & tu. Pictor eſt Deus, magnus omninò artifex, is potenti, peritáque manu te talem effinxit, talis eſſe velis: ſi nobilem condidit, benè habet, eſto nobilis; ſi de hominum grege, ſi de vulgo, & talis eſto. Si pauperem, ſi abjectum in oculis mortalium, eſto & talis in oculis tuis, atque amoribus: ſi vegetum, & corpore valentem; bonum factum, & is eſto: ſi contrà, infirmum, ac debilem eſſe voluit, & cum inſigni patientia is eſto: denique ſi liberum, & tui juris, is eſto: ſi ſervum, ſi captivum, & is etiam eſto, & ſic imaginem, quam à Deo, ceu pictore, acceperas, ſervabis in ævum, & ſimul etiam pacem cum teipſo.

Sic illam ſervavit Ludovicus Cancerus, è Dominicana familia.

Redibat ille ex America in Hiſpaniam; cùm ecce poſt emenſum feliciter Oceanum, in ipſo propè Hiſpalenſi portu, certè in patriæ terræ conſpectu à Turcis capitur. Quid inde? an vultum mutavit? an animum abjecit? Certè & hunc, & illum mutare debuit, nulla quippe homini libero major calamitas, quàm captivitas, & barbarorum ſervitus; ſed neque hæc, neque illa illius animi quietem turbavit: imò nec faciem. Luſtrabatur captivorum agmen coram nobili Gallo, qui hominis frontem in tanto omnium luctu lætitiæ propiorem demiratus: quæſivit, quomodo in illo infortunio lætus ageret? Cui ille: *Dei nutum, ac voluntatem in me exequi, mihi enimvero volupe eſt. Quid enim? an non Dei toti ſumus? An non Dei nutu, atque imperio volvuntur omnia? Quid ergò ultra quærimus? quid noſtra fata diſponimus? Ego certè in ejus voluntate acquieſco.* Obſtupuit ille, hominemque à Piratis redemptum, liberum abire juſſit. Fecerat ille in portu naufragium ſuæ libertatis, niſi eum ſua ſervaſſet tranquillitas, & animi quies etiam in ea jactatione.

Eandem animi quietem, quæ manat ab illa conſenſione cum divina voluntate, & gradu, in quo te illa poſuerit, ſervare juſſus eſt *Mathias de la Sauls* è Societate noſtra Coadjutor temporalis, ut loquimur.

Faceſſiverat ille moderatoribus ſuis per annos complures gravem moleſtiam præpoſtero Sacerdotii deſiderio, cætera bonus, & virtutum propè omnium laude ſpectabilis: jamque eo deducta res erat, ut res ſibi ſuas habere poſtridiè jubendus eſſet, niſi & quietem illi, & in ſuſcepto gradu conſtantiam attuliſſet divina miſeratio; hac annuente ad lectuli pedes ſecundùm quietem aſtitit illi S. Ignatius, & manu exitium comminatus eſt, ſi in malè concepto deſiderio perſeveraret. (Allegambe Heroes Charitatis Anno 1617. c. 2.)

Quid deinde? eo viſo ita commotus eſt bonus frater, ut primo mane fluentibus oculis, altoque gemitu ad pedes Superioris acciderit, obſecrans, obteſtanſque ſibi fieri poteſtatem permanendi in Societate, & adepto in ea Coadjutoris Temporalis gradu; quod & factum eſt.

Sic illi reddita quies cum ſeipſo, ſic & jactari ultra deſiit: Tanti refert, ut ſua quis ſorte ſit contentus, ut cum Deo, & Majoribus ſuis conſentiens.

Ab illa porro conſenſione, ac pace; datum illi & aliud cœlo probante beneficium, ut noſtris contagioſa lue affectis miniſtraret, in eóque miniſterio, (quod omnibus votis ambierat) occideret ipſe nobilis victima charitatis.

VI. Seipſum patienter tolerare.

Aliud medium obtinendæ pacis illius internæ eſt, ut quia ſuos quiſque patitur manes, ſuos & defectus, ſeu eos natura intulerit, ſeu etiam culpa, eos quales quales ſint, cum patientia feras, nec immodicè te crucies, memor illius, quod S. Franciſcus Sales dicere ſolitus, quandoque & ſæpius felicem, ac fortunatam eſſe culpam, quam ſequitur ſuipſius cognitio, & propriæ infirmitatis conſcientia, quæ monet ut in poſterum benè cauti ſimus, benè & providi, diffidamus nobis, fidamus & Deo, abjecti in oculis noſtris, elatiores à divina manu, auxilioque opportuno.

Deum

Deum aliquando enixè rogarat D. Gertrudis ut libera eſſet ab aliqua, qua laborabat imperfectione etiam ſine culpæ nævo, cui Chriſtus:

Bleſius in Monil. c. 4. *Eccur me velles privari eo honore, & te eo præmio? certè quando tum illa & pugnas, & vincis, & me ſummo honore afficis, & te ingenti mercede, præmioq́; cumulas. Cur igitur ea liberam te velis. Certè non velis, ſi te, & me amaveris.* Hæc illi Servator optimus, qui, & ſimilia aliquando S. Mechtildi. Interturbabat eam inſita quædam, ut aiebat pigritatio, & ſomnolentia, qua fiebat, ut inter Miſſarum ſolemnia etiam ſubinde dormitaret. De illa dum apud Chriſtum, ceu ſponſum amanter conqueritur; hæc illi Dominus: *Si nihil in te invenires, quod diſpliceret tibi, in quo meam in te bonitatem agnoſceres, in quo & indulgentiam.* Audit Mechtildis, acquievit, & pacem invenit.

§. 3.

Quid ſit Pax illa cum Proximo?

HANC Pacem non tam definivere SS. Patres, quàm deſcripſere, & aliis, atque aliis appellationibus notavere; ut quaſi oculis ſubjiceretur: ſunt autem eæ appellationes velut indices dignitatis, majeſtatis, ac ſanctitatis, quæ ab illa Pace, ceu fonte, manant. Has inter

I. Pax nota Chriſtianitatis. Prima eſt hæc, quod *Pax* illa ſit veluti *nota Chriſtianitatis*: quod & agnovit, & altè prædicavit Conſtantinus Magnus, Imperator Auguſtus. Hic cùm in ſacro Epiſcoporum cœtu orationem haberet plenam majeſtatis, inter illuſtriores Chriſtianitatis notas, repoſuit concordiam, & pacem; quæ opinio eò invaluit, ut ex ejus notione, ac pronuntiatione agnoſceretur Chriſtianus. Et ita agnitus Sanctus

Bollandus tom. 2. Ian. 27. Iulianus Dalmata, ætate quidem juvenis, at moribus & Chriſtiana prudentia ſenex. Hic cum propter Anagniam, Campaniæ urbem, iter haberet, in impii Flaviani ſatellites incidit, quos hac à Chriſto præſcriptâ formulâ ſalutavit: *Pax vobis fratres.* Quo ex ritu ſalutationis conjecturam duxere haud falſam, Chriſtianum eſſe. Et certè eum eſſe ſe faſſus eſt. Ita primùm captus, dein cæſus, tum equuleo tortus, denique capite minutus, cœleſti priùs voce ad pacem æternam invitatus, terris vivere deſiit, & cœlo cœpit. Tantum illi profuit ea nota Chriſtianitatis.

II. Eccleſiæ Lex. Secunda Pacis illius appellatio eſt iſta; quod ſit velùti muta quædam *Eccleſiæ lex.* Sic eam indigitavit S. Cyrillus, cum melleam illam ſalutationis formulam à Servatore uſurpatam exponeret *Pax vobis.*

Lib. 12. in Ioan. c. 54. Sic enim ait: *Lex quadam Eccleſiæ tradita eſt; in ſanctis enim congregationibus hoc ſæpius ad invicem dicimus.* Et jure ſanè meritiſſimo: *Pacem enim & ad nos, & ad Deum habere; fons, & origo bonorum omnium eſt.* Unde nemini mirum videri debet, ſi dicatur antonomaſticè *Pax, Eccleſiæ lex*; & quaſi totius Chriſtianæ legis compendium, imò & corona.

III. Proœmium rei ſacræ. Tertiò, eadem Pax à ſacerdotibus Myſtis dicta *Præmium rei ſacræ*, quam appellationem plenam religionis eleganter expoſuit D. Chryſoſtomus ſcribens in Epiſtolam ad Coloſſenſes, quando, inquit, fuerit ingreſſus Antiſtes, continuò injicit fortunatum

Hom. 3. in ep. ad Coloſſ. illud, ac primum *εἰρήνη πᾶσι.* *Pax omnibus.* Quando ſermonem facit, & concionatur: *Pax omnibus.* Quando benedicit: *Pax omnibus.* Quando jubet ſalutari: *Pax omnibus.* Quando peractum fuerit ſacrificium: *Pax omnibus.* Et hæc formula in Eccleſia Græca uſurpari ſolita ab Epiſcopis; in Latina verò: *Pax vobis.* Et hæc Pacis denuntiatio, præcipuâ religione fiebat, cum accederent ad arcana myſteria cōficienda; cujus ratio hæc erat, quòd Sacramentum pacis, & unitatis magnam animorum conſenſionem poſtularet. Et hinc factum, ut D. Athanaſius illud: *Pax omnibus, Pax vobis*, ſapienter appellarit *Proœmium rei ſacræ.* & quaſi auguſtorum miniſteriorum introitus, qui, ut manaret etiam ad auditores & Laicos, Diaconus Epiſcopi juſſu clarâ voce pronuntiabat illud: *Nemo contra aliquem.* Ut omnes intelligerent in Aræ conſpectu, & pacificæ hoſtiæ ſacrificio, omne animorum diſſidium, ſi quod fuerit, eſſe deponendum. Et meritò, ſi enim *Chriſtiani omnes*, ut aiebat Tertullianus, *Sacerdotes ſunt Pacis*, omnium corda eſſe debent altaria, pace, & amore inaurata.

Et certè ea eſſe voluit, ea pronuntiavit D. Chryſologus, cùm alta mente, vocéque Pacem nominavit *Altaris Dominici cœleſtem ornatum*, cœleſtem ait, non terrenum: neque enim è terris petita ea pax; ſed è cœlo: neque profano in loco reponenda; ſed ſacro, ſed Dominico, cùm ſit illius veluti nativus ornatus: vel ſi mavis, dic Pacem illam cum proximo, in corde, ceu altari ſuo, conſtituendam, ut illud ornet, exornetque veſte Charitatis, Superis, Deoque mirè grata; quia cœleſtis quidam illius eſt ornatus, à quo *filia Ieruſalem*, id eſt Anima, ceu Regina aſſiſtit ad Chriſti, ceu ſponſi, dextram, *in veſtitu deaurato*, hoc eſt, in Charitate, quæ eſt primò erga Deum, ſecundò erga proximum: ab hac, & illis *Charitas* D. Chryſologo dicitur, & eſt *perfectio ſanctitatis.* Serm. 149. IV. Altaris Dominici ornatus. Serm. 53.

Lubet audire aurea eloquentia etiamnum ſpirantem in ſcriptis: ſic olim in terris de Pace, ſic modò è cœlis:

V. Perfectio ſanctitatis. *Pax fratrum, voluntas Dei eſt, jucunditas Chriſti, perfectio ſanctitatis, juſtitiæ regula, magiſtra doctrina, morum cuſtodia, atque in rebus omnibus laudabilis diſciplina.* Hæc ubi extulit in laudem Pacis, tum longiùs effunditur, & ait: *Pax dilectionis eſt mater, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium manifeſtum.* Poſtquam hæc encomia protulit, tum oſtendit, quomodo *Pax* ſit *perfectio ſanctitatis.* ex eo ſcilicet, quod virtutes omnes (in quibus eſt ſanctitatis perfectio) in ſe quaſi una contineat, & ea ſe una diducat.

Meritò, inquit, *Chriſtianæ virtutes vireſcant in eo, qui unanimitatem Chriſtianæ habet pacis. Vireſcunt*, inquit, ut primo vere plantæ ſolent: crederes in Animâ, quæ pacem habet, virere, florereque virtutes omnes aſpirante ſuaviore cœli aura; à qua etiam & hi in ea fructus, de quibus hæc ille ipſe S. Præſul:

Pax eſt, quæ hominem ſpoliat ſervitute, dat nomen ingenuum, mutat apud Deum cum conditione perſonam, ex famulo filium, liberum facit ex ſervo.

Et hæc de Pacis illius ſeu naturâ, ſeu affectionibus, ſeu etiam effectibus, quibus ut fruamur probè, ſubjicit illud Chriſti ad Diſcipulos.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Hoc eſt dicere: *In pace vos dimiſi, in pace vos inveniam.* Sic nimirum *proficiſcens voluit dare quod deſiderabat, rediens in vobis invenire. Cœleſte mandatum eſt ſervare quod dedit, una vox eſt, inveniam quod dimiſi.* Ut porrò inveniat; ſic etiam ad nos: *Servemus ergò Fratres mandata, quæ vitæ ſunt; teneat ſe profunda pacis nexibus colligata fraternitas, & ſalutari vinculo Charitatis mutua ſe dilectione conſtringat.* Ioan. c. 14.

§. 4.

Quæ incitamenta ad Pacem illam cum proximo?

I. Ab hoc mundo aſpectabili. PRIMUM ducitur ab hoc ipſo orbe ſpectabili, quem Tertullianus dixit Deum eſſe *modulatum*, quod ſcilicet eum è quadam velùti harmonia, & concentu elementorum aptè, & ſapientiſſimè coagmentarit, ut proinde meritò pronuntiarint Philoſophi apud Caſſiodorum. *Elementa ſibi mutuis complexibus illigari, & mirabili conjungi fœderatione*; ex qua, ut ait Ariſtoteles, oritur *concinna quædam, & quaſi modulata partium mundi conſenſio, quæ harmoniam unam* Lib. 2. Var. Epiſt. 39. Lib. de Mundo c. 5.

efficit

efficit longè omnium pulcherrimam, quam & verè, & eleganter dixit eſſe *nutricem, & conſervatricem univerſi.* Quod ſi hujus & tutrix, & conſervatrix eſt concordia; eadem & hominis, qui parvus mundus eſt.

II. Ab homine. Et hinc mihi petitur ſecundum invitamentum ad illam, qua de agimus concordiam; & pacem; quam Seneca ex ipſo naturæ gremio eruendam cenſuit. Sic ille quondam è Licæo polinore.

Epiſt. 95. *Natura nos cognatos edidit, cum ex iiſdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit.*

Cognatos edidit, inquit: & hinc ab illa cognatione debet eſſe alta pax: ſed etiam major ex eo, quòd, ut addit: *membra ſimus magni corporis*, membra dico, in quibus proinde magna conſenſio, & conſpiratio, qualis eſt inter membra humani corporis, in quo ſi pes cum manu, oculus cum lingua, membra cum membris non conſentirent; ſed potiùs diſſentirent, & quaſi pugnarent inter ſe, non hominem diceres; ſed monſtrum hominis, certè ab humanitate degenerem. Ut porrò non ſit degener, neceſſum eſt, ut ſicut in humano corpore membra cum membris conſentiunt; ſic & homines inter ſe, veluti membra magni corporis: & hoc ex ipſa naturæ lege, cui pondus ingens addet etiam lex divina, & Chriſti votum.

III. A Lege Divina & Chriſti voto. Deus Opt. Max. cujus eſſentia bonitas, ac pulchritudo, Græcis ἑναρχικὴ, id eſt, velut *Regina unitatis*, hanc etiam in nobis amat, ac requirit: Ut enim ipſe; ita & nos unum eſſe quodammodo vult: utque ſimus, ipſe Dei Filius mortali carne jam indutus, & Deus-homo, ſic pro homine ad Patrem venit cœleſtis Orator:

Joan. c. 17. v. 20. *Rogo ut omnes unum ſint: ſicut tu Pater in me, & ego in te: ut & ipſi in nobis unum ſint.*

At qua, inquies, unitate? non ea, quæ in divinis eſt individuæ naturæ unitate (hoc enim adynaton) ſed religionis, ſed fidei, ſed Charitatis unitate; ſed animorum concordia, & voluntatum conſenſione, quæ etiam ex eo petetur; quod ut *membra ſumus magni corporis*; ſic & eodem pane veſcimur, eadem

IV. A Menſa Euchariſtica. utimur menſa, menſâ dico Euchariſticâ, à qua & in nobis magna unitas animorum, ac voluntatum, cujus teſtem amo, teſtem volo Apoſtolum:

1 Cor. c. 10. v. 17. *Unus panis*, inquit, *& unum corpus multi ſumus: qui de uno pane, & uno calice participamus.*

Ita nimirum illa menſa, quam Arnobius appellat *menſam myſterii*, à Servatore noſtro quàm optimo inſtructa, ut eſſet arcanum Societatis, conteſſeratio fidelitatis, & blandum, ac potens amoris illicium, quod & nos Chriſto, ceu capiti, jungeret, & inter nos ipſos connecteret Charitatis vinculo, & inviolabili concordiæ fœdere; ut ſolent membra cum membris.

Quod ſi nos ſic nectat, erimus in Eccleſiâ, *ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ ejus.*

Benè, *ſicut novellæ*, hoc eſt germina *olivarum*, quæ perpetuam pacem, ceu oleam viridantem efferant in annos, & ſæcula.

V. Ab acie, in qua ſtamus. Optimè cenſuit, optimè dixit, qui cenſuit, & dixit vitam hominis militiam eſſe ſuper terram; eſt enimverò militia, in qua nobis acre bellum, & formidabile cum inferis, cum malo dæmone; qui ſi uniti ſimus, vincimus; è contrà, ſi disjuncti, vincimur. Hinc illud Tertulliani ad Martyres, Athletas

Cap. 1. Chriſti: *Diabolus vos inveniat munitos, & concordia armatos, quia pax veſtra bellum eſt illi.*

Quod Martyribus, hoc & Chriſtianis omnibus; quibus concordia pro armis eſt, & pax pro thorace,

VI. Ab Eccleſia in qua Deo ſervimus. & galea, quibus tecti, contra aëreas illas poteſtates & dimicent, & vincant; & hinc mihi injicitur aliud invitamentum ad eandem cum proximo pacem; videlicet ab Eccleſia, in quâ cœlo, Deóque militamus. Hanc D. Cyprianus *Columbam* dictam eſſe credit etiam ipſo ſacrarum Scripturarum oraculo, *quod oris oſculo concordiam pacis cognoſcat.* De unitate Eccleſiæ.

Unde etiam manaſſe exiſtimo illud apud Ægyptios Emblema, in quo tum pro Eccleſiæ, tum pro pacis, ac concordiæ ſymbolo, ac hieroglyfico pingebantur duæ columbæ, quæ ſe mutuò oſculabantur in ſignum pacis, amoris, ac concordiæ; & quaſi *commixtionis animorum*, ut annotavit D. Cyrillus Jeroſolymitanus, & Tertullianus, qui in ipſa Gentilium luce, atque auribus loquens de Chriſtianorum inſtituto, mirificum illud protulit: *Amicitia, animaq; miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus.* Cath. 5. Myſt. Apolog. c. 39.

Alludit ad pacem ſuis numeris abſolutam, quæ in primis naſcentis Eccleſiæ temporibus, etiam Paganis, ac Gentilibus amori erat, atque admirationi, & in quibus, un & omnium rerum erat communicatio: ſic & veluti quædam animorum commixtio, in qua conſummatæ virtutis, ac concordiæ repoſita perfectio.

§. 5.

Quæ media ad pacem illam cum proximo?

PRIMUM, ac potentiſſimum nobis ſuggerit Apoſtolus his verbis ad Galatas: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* hoc eſt, Pacis, Charitatis, ac concordiæ, quæ ex vero lex eſt Chriſti. Cap. 6. v. 2.

At quæ, inquies, ſunt ejuſmodi onera, quæ portare nos oporteat ad ſervandam cum proximo pacem? I. Defectus naturales aliorum tolerare.

Theophilactus exiſtimat eſſe, vitia deerrantis naturæ, ſeu ea corporis eſſe velis, ſeu ab hoc etiam animi, qualia ſunt, acrior cholera, tardior melancholia, frigidior pituita, ferventior ſanguis, & ab illis enaſcentes defectus, quos ut in aliis toleres jubet lex Charitatis, pacis, ac concordiæ.

Qui celer eſt, & iracundus, ferat ſegnem tardumque: ſegnis autem ferat vehementem illius impetum; inquiebat hîc Sanctus Chryſoſtomus.

Sed dicet unus aliquis, ea vitia me premunt, ea me quodammodo cingunt, & urgent, qui patiar?

Patieris enimvero; imò, vel ex hoc ipſo, quòd te illa premunt, inter homines, & in hominum ſocietate te eſſe ſenties, aliàs non futurus. Senecam audi: *Societas noſtra* inquit, *lapidum fornicationi ſimillima.* In hac lapides contra naturæ vim, atque impetum quaſi penduli in aëre ſuſtinentur, vel ex eo, quòd ſibi invicem junguntur, quod ſe premant: & niſi premerent, non eſſet fornicatio; ſed lapidum decidentium tumultuariè abjecta congeries. Epiſt. 95.

Sic & omnis humana ſocietas, vel ex hoc ſuſtinetur, ac durat: quod alter alterum premat, ſeu lapis lapidem; premat, inquit, adverſa ſibi, atque averſa complexione, quam toleres eſt neceſſe, ſi homo eſſe velis, & in hominum ſocietate verſari.

Hæc ergò prima ad Pacem via, defectus aliorum ſeu naturales, ſeu etiam vitioſos tolerare: imò & iis compati, & hæc altera ad Pacem ducit ſemita, ad quam ingrediendam nos invitat Apoſtolus, dum ſic ad Corinthios: II. Etiam compati.

Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. 1. Cor. 12.

Si pedi manus, ſi manui compatitur oculus, & hoc vel eo ſolùm, quòd membra ſint unius ejuſdémque corporis, quidni & nos aliis compatiamur, cùm *ſimus membra magni corporis?* hoc eſt, humani generis.

Ita non ſine inſigni quodam amoris miraculo compaſſus aliquando B. Iuniperus, S. Franciſci ſocius, qui reo ad id ſupplicii damnato, ut ei eruerentur oculi, à Judice enixè petiit, unum ſibi erui; alterum reo. Ecce ut alterius etiã malefici onera portare amavit vir ſanctus. Et hæc, ut dixi, ſecũda ad Pacem via. Wadingus tom. 1. Ann. Minorum.

Tertia

III. Aliorum peccata portare.

Tertia eſt, etiam aliorum peccata portare quantumvis enormia.

Ita portavit Moyſes, cum Judæos, rebellia cœlo capita, & infamem eorum idololatriam portavit; imò hæc ad Deum extulit exceſſu quodam amoris:

Exod. c. 32. v. 31.

Aut dim tte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro, quem ſcripſiſti.

Ita portavit Gentium Apoſtolus, qui hoc in cœlos votum emiſit: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.*

Ad Rom. c. 29. v. 31.

Ita denique (ut omnes conſecter) portavit S. Lutgardis, quæ cum ſæpiùs ad Deum pro homine ſcelerato ſupplex veniſſet, nec tamen eam, quam à cœlo ſperabat gratiam, impetraſſet: hæc ad Deum in ſummo caritatis æſtu:

Lilia Ciſterc. tom. 2.

Aut dele me de libro vitæ, aut dimitte illi hanc noxam. Cui hæc indulgens Numen: *Ecce remiſi illi, quia confidit tibi; uti & aliis, qui deinde in te fident.*

Et hæc illuſtres animæ, benè doctæ à Superis aliena peccata portare; imò pro illis anathema dici, & eſſe; nec adeo mirum; ut enim ait Origenes: *Si Dominus pro ſervis maledictum ſit factus; quid mirum ſi ſervus pro fratribus anathema fiat?*

IV. Injurias illatas condonare.

Et hæc certa ad amorem, ad pacem via; cui ſuppar eſt alia, ſi nimirum alterius ſcelere læſus, atque offenſus, non toleres ſolùm, verùm etiam condones, atque remittas, quo in genere illuſtris extitit Thomæ Garnetti Charitas, cujus in extremo vitæ limine, extremæ quoque voces, quas ad poſterorum memoriam referre hic juvat: ſic ille è ſcala ferali, velut è pulpito.

P. Ribad. l. 2. c. 5.

Transfuga Rous me prodidit, parcat illi Deus. Satelles Groſſius mihi manum injecit, parcat illi Deus. Epiſcopus Londinenſis me in carcerem abripi juſſit, parcat illi Deus. Eundem, qui illi à ſecretis eſt, neſcio quid in aurem ſuſurrans, mihi reddidit iniquiorem, parcat illi Deus. Dominus Guielmus, Turris Præfectus magnoperè inſtitit, ut addicerer, parcat illi Deus. Eques Henricus Montacutus Advocatus Regius multa contra me commentus eſt, parcat illi Deus. Addidit deinde preces pro Rege: animamque magnam, tot, & tam atrocibus injuriis majorem, intercluſa vitalis ſpiritus via, in cœlos emiſit invictus Athleta Chriſti; pacis imprimis amans, ac fraternæ charitatis etiam in hoſtes; quibus injurias omnes volens, lubensque remiſit. Et hæc, ut dixi, tuta ad Pacem eſt via, cui jungitur & alia, ſi diſſidentes inter ſe, & inimicitiis gravioribus diſtractos conciliare, jungereque ſtudueris; quod feciſſe legimus S. Bernardum Clavonium.

V. Diſſidentes conciliare.

Erat in Civitate Urgelitana nobiles inter ac cives, grave ac diuturnum diſſidium; quod etiam ad arma, mutuaſque cædes provitabat. Et has, & illa ut impediret vir Dei, pro ea, qua valebat & apud hos, & apud illos gratia, rem totam ex voto compoſuit. quod etiam miraculo probarunt Superi: cùm enim ad Civitatem Vicenſem rediret, medioque ab illa milliari diſtaret, ecce campanæ omnes, quaſi gratulabundæ ſponte, & nemine manum admovente, inſonuere; plauſum utique daturæ magno illi, ac fortunato pacificatori. Ut & tibi dent aliquando, age, quà licet diſſidentes concilia, atque in priſtinam amicitiam pacemque revoca. Id ſi feceris, etiam cœlo judice plauſum feres, & ab hoc etiam Olivam æternæ quietis, ac pacis.

§. 6.

Quæ Pax cum Deo? Et quæ ad illam via?

Ut ea quæſtio ponatur in aperto, claraque luce, primò videndum erit; quod? & unde cum Deo bellum? tum etiam quæ Pax? & unde petenda?

Unde bellum cum Deo?

Sedulus olim, & anxius quæſivit Malachias, poſſitne homini cum Deo bellum eſſe? ſi affiget, inquiebat, *homo Deum?* Hebraïcè *Kaba*, quæ vox aliam, atque aliam patitur etymologiam.

Septuaginta vertunt: *Si ſupplantabit homo Deum ſuum?*

Pagninus: *Si rapiet, fraudabit, extorquebit homo Deum ſuum.*

Vatablus: *Si ſpoliabit homo Deum ſuum?*

Rabbi Abraham: *Si corrumpet, perdet homo Deum ſuum.*

Syrus, & Arabicus: *Numquid opprimet homo Deum?*

Hæc, inquam, quæſivit Malachias non ſine ſtupore. Ecquid enim luteus homo, pulvis, umbra, vanitas, in Deum inſurgit, bellum illi intentat, & movet, & quaſi ſingulari certamine cum eo congreditur? congreditur enimvero auſu intolerando.

Fuit, non ita pridem Toloſæ adoleſcens non infimæ ſortis, qui cùm incidiſſet in ſocios liberiores; imò & atheos, ex frequentiori cum illis congreſſu, & ipſe ferè in atheiſmum incidit; priuſquam tamen eò devolveretur amentiæ, experiri voluit num aliquod in cœlis Numen? fuit autem experimentum illud, & novum, & inſolens. Adulta æſtate, Sole jam ad occaſum inclinante Toloſa egreditur, & ſolus ſine teſte, ſine arbitro, in aperta virentis prati planitie, pileum deponit, chlamydem exuit, gladium ſtringit quaſi ſingulari certamine hoſtem petiturus. At quis, inquies, ille? Mirum profectò. Deus eſt, & Summum in cœlis Numen. Hoc lingua, hoc ferro petitur, atque impetitur, Ait enim quaſi furiis adactus adoleſcens: age, ſi quod in infimis, ſi quod in ſummis Numen, erumpe, mecúmque congredere.

Quid hîc, mi Lector? Vidiſti, ut bellum Deo intentet homuncio, terræque filius; ut illum provocet, ut vocet in campum, ut nudato ferro petat: attende quid Deus, quid è cœlis evocatum quodammodo Numen: in arenam deſcendit, venit in certamen Deus ipſe, non ferro armatus, non fulmine timendus, ſed gratia; ſed miſericordia multùm amabilis: Adoleſcenti furibundo pro armis eſt ferrum; Deo miſericordia. Derepentè enim viſum eſt patere, atque aperiri cœlum; atque ex eo elabi chartula miri candoris, in quâ cœli typis melioribus erat impreſſum illud: *Miſerere mei Deus.* Chartulam labentem excipit adoleſcens, explicat, legit, & ſimul ita ea Deum agnoſcit, & miſericordiam amat, ſibique deinde, ac Deo per ſalutarem pœnitentiam redditur.

Spectaſti, benevole Lector, quomodo malè ſanus adoleſcens Deo bellum indixerit, ſtulto quidem niſu auſuque nefando. Quod ille, & lingua, & ferro facit: hoc & peccator omnis re etiam ipſa: Deum enim impetit, & quantum in ſe eſt *ſupplantat*, *fraudat* ſuis perfectionibus, *ſpoliat* attributis, *corrumpit*, *perdit*, *opprimit*, ut perſpicaci mente, ut diſerto calamo notavit Malachias.

Primùm enim quà poteſt Dei ſapientiam, & omniſcientiam reſpuit, & vigilem divinæ mentis oculum, ſemperque mortalibus apertum; aut ſopitum, aut clauſum omninò credit: ait enim *in abſcondito cubiculi ſui. Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* Ezech. c. 8. v. 12.

Ecce ut Deum quaſi cæcum facit peccator: non videt, inquit, Nos. Ecce ut illius providentiam, ac bonitatem tollit, dicit enim: *dereliquit Dominus terram*; quaſi illam nec curet, nec regat, quod ſanè quàm alienum ſit ab illius providentia, & bonitate, nemo non videt: & tamen ut ſit, peccator improbo niſu & hanc & illam atroci bello impetit, & quà poteſt, deſtruit: ait enim etiamnum illud quod vidit, quod improbavit, quod damnavit Vates regius: ait, inquam, pudendum illud, ac deteſtandum: *Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo? non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Et cùm hoc Pſal. 72. Pſal. 93.

dicit,

dicit, cùm facit, quid aliud, quàm Deo bellum indicit.

Maneat igitur indubitatum illud Deo per peccatum lethale bellum quodammodo indici, quod quidem

Primò indictum eſt in Empyreo cœlo, in Dei regia, in ſede futuræ beatitatis, à malis utique geniis.

Apoc. c. 12. *Factum eſt prælium magnum in cœlo*, aiebat altiore ſpiritu Evangeliſta.

Deinde & illud inſtauratum in Paradiſo terreſtri, ab Adamo generis noſtri parente.

Denique lapſis longè ſæculis à peccatoribus omnibus.

Ut porrò huic bello terminus aliquis poneretur, in terras è ſinu Patris Æterni deſcendit Dei Filius,

Ad Coloſſ. c. 1. *pacificans per Sanguinem Crucis ſuæ, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis.*

In terris quidem hominem, in cœlis autem Deum, quos poſitis veluti armis amico fœdere junxit. Ut autem ſit illud, & maneat æternum; media quædam ſubjungam ad pacem illam cum Deo ter Opt. ter Max.

Primum erit à fuga peccati, à quo uno bellum

Pſal. 139. eſt, & prælium: ut enim disertè Regius Vates: *Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia*, vel ut vertit D. Hieronymus: *Tota die verſati ſunt in præliis*: Ut enim ii, qui prælia meditantur, & parant, aciem inſtruunt, militem ſuo quemque ordine collocant, atque in hoſtem immittunt: ſic & peccatores, qui in Superos, Deumque pugnant, tot veluti acies inſtruunt, quot peccata capitalia committunt, atque in Deum, ceu hoſtem, immittunt: & hinc acre prælium, in quo jacitur alea æternitatis: ne porro malè jaciatur, ponenda

I. Unde pax cum Deo? arma ſunt, & pax inſtauranda. Ea inſtaurabitur à ſalutari pœnitentia, à gratia, quæ ab illa fluet, & à fuga peccati, quod unum ſi ſuſtuleris, & bellum ſuſtuleris, & belli cauſam; & ſimul etiam pacem induxeris, quæ ut diuturna ſit, imò ut æterna, nonnulla è multis media producam.

Media Pacis cum Deo. Primum, ut jam inſinuavi, eſt à fuga peccati.

D. Baſilius & nomine, & re etiam ipſa Magnus,

I. Fuga peccati. dum in S. Gordii Comitis, ac Centurionis laudes excurrit, hoc de illo etiam memorat. Urbanos tumultus, fori clamorem, tribunalium faſtum, armorúmque ſtrepitum fugiſſe, & in ſylvas, inviaque

Bollandus 3. Jan. nemora effugiſſe, vel ideò tantum, ut aliena peccata fugiſſe videretur, nec auditu, nec oculis, nec ullo unquam ſenſu uſurpaſſe.

Quod ſi etiam in alienis peccatis, illi fuga paci fuit, ac ſaluti: quid fuiſſet in propriis?

Enimvero pro his fuga præceps, perennis, æterna. Et ea tibi eſſe debet, ô Anime! ut cum Deo tuo ſit pax alta, pax æterna. Sed & alia quoque ad hanc eſt via. Quæ ſit illa quæris?

II. Fuga occaſionum peccati. Eſt etiam fuga occaſionum peccati, quæ ſanè in mundo, & frequentes ſunt, & formidabiles, quod longa experientia doctus D. Bernardus ſic exclamat.

Heu mihi Domine, quia undique mihi bella, undique

Serm. 6. in Quadrag. *tela volant, undique pericula, undique impedimenta, quocumque me vertam, nulla uſquam ſecuritas eſt, & quæ mulcent, & quæ delectant timeo, esuries, & refectio; ſomnus, & vigilia, labor, & requies militant contra me.* Hæc Bernardus: iſta Chryſoſtomus, Orator aureus:

Hom. 12. ad Popul. *In bello ſtamus in mundo, in circuitu noſtro impii ambulant, peccatores intendunt arcum, hic quidem aures ſagittat, ut jucundè detractiones audiamus; hic autem oculum excitat in laſciviam, ille verò linguam, ut fratribus inferat convitia, hic autem ventrem in ingluviem irritat, ille verò manum in avaritiam, & rapinam, alius verò pedes movere in malitiam hortatur.* Quid hæc inter? quid inter tot illecebras, & peccandi occaſiones? Certè nihil magis opportunum, magis neceſſarium, quàm fuga.

Dixit olim cuidam Chriſtus: *Sequere me.* Ille autem dixit: *Domine permitte mihi primum ire, & ſepelire Patrem meum.* Cui Dominus: *Sine ut mortui* Luc. c. 9.

ſepeliant mortuos ſuos. Tu autem vade, & annuntia regnum Dei.

Hic quærit D. Auguſtinus, cur non dederit huic facultatem ad opus tam pium, quale erat Patrem ſepelire: ultimum ſanè eſt, quod Parenti à filio exhibetur officium. Cur igitur id negat Incarnata Dei Sapientia? Reſpondet: *Excuſatio removetur, ut vocatio firmaretur. Pium erat, quod facere volebat, ſed docuit magiſter, quid præponere debuiſſet.* Nempè, manere cum Domino, Dominum ſequi, nec domum redire: ſi enim rediiſſet, non defuiſſet, qui à propoſito, & vocatione revocaſſet; ne porrò revocaret, occaſio fuit omninò fugienda: quod, ut in omni peccandi periculo veriſſimum ſit, maximè verò in luxuriæ: cujus probè conſcius Joſeph ab hera ſollicitatus, pallium in manibus ejus dimiſit, & fugit.

Serm. 6 de verb. Domini.

At cur, inquies, fugit? Vir mulierem, robuſtus infirmam? Cur non potiùs è manibus pallium extrahit admotâ vi, quod illi erat facillimum? Reſpondet Ambroſius.

De vita Joſeph. *Contagium judicavit, ſi diutiùs moraretur, ne per manus adultera libidinis incendia tranſirent.*

Si hæc Joſephus, innocens animula, ſpeculum pudoris, exemplar caſtitatis; quid nos abjectæ in terras animæ? quid infirma, & lutea vaſa? quid pusilli homunciones? Certè cùm ii ſimus, *quantam poſſumus à lubrico recedamus, in ſicco etiam parum fortiter ſtamus*, ut disertè, & verè Seneca. Epiſt. 17.

Ita receſſit S. Martinianus Anachoreta, qui propria doctus experientia; cùm in cellulam neſcio quam mulierculam, ſpecie quidem pietatis, admiſiſſet, & peccato propè conſenſiſſet, facti pœnitens ſe primùm in ignem conjecit, ut qui venereo igne priùs arſerat, arderet deinde elementari, tum etiam pactum iniit cum Nauclero, ut ſe in rupem tranſportaret; anguſtam quidem illam, & terribilem, utpote ſitam in medio mari: ſed ut rebatur, fidam ſibi ſtationem, & remotam ab omni hominum conſortio, & peccandi occaſionibus. In ea ſex omninò annos exegit ſub nudo Jove, famem expellens modico pane, & ſitim aqua, quam illi per menſium intervalla, ex condicto deferebat Nauclerus. Sed ô malum! mali dæmonis invidia! excitata tempeſtate è naufragio appulſa puella, non tam fluctibus, quàm cacodæmonis artibus, ac malo dolo, in rupem evadit, & Martiniano ſe ſiſtit, exclamatque miſerandum illud: *Miſerere mei, ſerve Dei, manumq; porrige, & opellam, alias in fluctibus perituræ, accommoda.*

Bollandus 13. Febr. in ejus vita. c. 3. & 4.

Quid hîc Martinianus? Et hæ, inquit, dæmonis artes, hi doli, hæ fraudes. Dixit, & Crucis ſigno ſe muniens in mare abjecit: ſatiùs ducens etiam huic infido elemento ſeſe committere, quàm periculo peccandi illata jam in rupem puella. Sed, ô amabilem! ô mirabilem Dei providentiam, ex imo maris fundo elapſi Delphines duo Martinianum excipiunt, atque in ripam exportant. Abiit ille lætus, & reliquum vitæ mortalis peregrinando exegit.

Habes, Amice Lector, quod mireris, quod ames, quod imiteris; occaſionum celerem, conſtantémque fugam; ac præſertim ubi à fœminarum conſortio, à luxuriâ periculum imminet: quod ſanè vix declinabis, vix evitabis ſine fugâ: alia quippe vitia, aliæ tentationes vincuntur reſiſtendo; luxuria nonniſi fugiendo.

Tranſeo ad aliud medium obtinendæ cum Deo Pacis: erit illud ab inſigni ingruentium tentationum victoria. III. Tentationum victoria.

Quamdiu hanc carneam molem, ceu vivum, ac ductile ſepulchrum circumfert immortalis animus;

circum-

circumfert in eo & domeſticum hoſtem; quo cum illi bellum acre, anceps pugna, difficilis victoria. Hanc ut aſſequaris, neceſſum eſt, ut in ipſas tentationes, ceu hoſtiles cuneos, incurras fortiter, & vim vi repellas.

Ita Franciſcani Montfortenſes, à D. Benedicti exemplo probè docti, ſi quod à malignis ſuggeſtionibus, à carne, ceu domeſtico hoſte, caſtitati periculum immineret, arma conſueta in eum expedire.

At quæ, inquies, arma? quæ olim D. Benedicto: nam aut denſos in vepres nudis inſilire corporibus, ut non uno vulnere voluptatem conficerent: aut eadem culicibus (quæ eò loci maximè ſæviebant) objicere fodicanda; ſatis intelligentes cum ſanguine effluere libidinem,

Spectaſti in religioſâ veſte, hoc eſt, propè in cinere, ac cilicio, victores animos: ſpecta etiam in Purpurâ Cardinalitiâ, & primo juventæ flore.

Impuri nebulones, ut Antonii Caraffæ Cardinalis, in caſtitate retinenda conſtantiam probarent, puellam forma ſpectabilem, ſermone procacem, habitu meretricio, in ejus, adhuc in lectulo quieſcentis, cubiculum ſummo mane immiſerunt; & quidem multis oneratam promiſſis ſi pelliceret ad amplexus. Ad primum illius aſpectum exiliens, ad oſtium accurrit: ſed illorum fraude, dolóque occluſum invenit. Quid igitur? famulos contenta voce inclamavit; at nullus audiit. Puellam acriùs increpuit: at ſurdæ cecinit, & procaci. Quid deinde? Caminus erat, & in eo luculentus ignis: ingenioſa caſtitas; eo, ceu armis, pugnavit, ut ignem igne vinceret: batillo enim uſus ingenti cineris nube, ardentibusque prunis, petulantis meretriculæ os, crines, ſinúmque implevit ac ſemiuſtulatam, miſeréque ejulantem fugavit, illius, & ſui victor

P. Rho in hiſtor. Virt. l. 7. c. 8.

glorioſus: fortè doctus à D. Franciſco Aſſiſio, ad ea, contra libidinem, arma convolare.

Hic enim aliquando à meretricula ad vetitum torum invitatus, ſibi de carbonibus è vicino foco diductis, lectulum fecit, eíque ſeſe nudum inſtravit, ut ignem igne extingueret: & verò etiam extinxit ad ſtuporem, & miraculum: nam, & ex hoc ardenti lectulo ſurrexit illæſus, & meretriculæ illi, melioris animi, ac pœnitentiæ cauſa, authorque fuit.

Wadingus. tom. 1. Annal. Minorum.

Ita denique repulit è Societate JESU religioſus Pater, qui à fœmina, nobili quidem genere, at ignobili animo, quaſi ad ægram Confeſſionis causâ vocatus, cùm ad oſcula, vetitóſque amplexus urgeretur, nec alia eſſet ſeſe expediendi ratio, & os & faciem infami luto fœdavit, ne animum aliquo ſcelere fœdaret. Ingenioſa quippe neceſſitas id ſuggeſſit conſilii, ut per corporis ſordes, turpiores animæ ſordes (quæ à peccato relinquuntur) evitaret, inſigni ſanè tentationis victoria, ad quam invitari te velim, Amice Lector, ab ea, quæ te manet, laureâ cœleſti & coronâ beatitatis.

Ian. Nicii exempla virtutum.

B. Darlugdacha, B. Brigidæ Virginis alumna, cùm igne concupiſcentiæ incendi, & propè ardere ſe ſentiret, calceamenta carbonibus accenſis implevit, pedeſque illicò immiſit, ut ignis ignem vinceret, & dolor dolorem ſuperaret. Et certè vicit, ſuperavitque: hæc enim illi prophetico ſpiritu Brigida: quia ſic & pugnaſti, ſic & viciſti filia; ignis fornicationis nec tibi nocebit in hac vitâ, nec in alterâ, ignis gehennæ infernalis: ſed & hoc, & illo libera, ibis in refrigerium beatæ æternitatis. Tantum intereſt vel ſemel importunè ingruentem tentationem, opportunè, & generoſè viciſſe.

Bollandus 1. Feb. in ejus vita, c. 10.

TRACTATUS
DE CASTITATE.

Ad illa verba: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Sap. c. 4. v. 1.

OPONIT hic Sapiens caſtam, piamque ſobolem incaſtæ, atque impiæ: & illam huic præfert, quod illa ſæpè ſit longæva, ſemper autem honorata, & proſpera: hæc autem brevioris ævi, infamis, atque infauſta.

Sed cur Caſtitati jungit pulchritudinem? cur & claritatem? & hic, & ille nodus nobis erit diſſolvendus, pro quo ſit

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Quàm pulchra eſt caſta generatio.* Sap. c. 4. v. 1.

An Caſtitati benè juncta pulchritudo?

QUÆSTIO hic moveri poteſt tum de pulchritudine corporis, tum etiam de eâ, quæ eſt animi: & hanc, & illam Caſtitati benè jungi pronuntio. At de illa reclamabit unus aliquis, imò reclamabunt Viri ſapientiſſimi, multa ſæculorum edocti experientia, reclamabunt & Sancti Patres. Quis enim neſciat, quæ pulchritudini cum Caſtitate ſit pugna, quæ, & quàm periculoſa lis, atque contentio, à qua in vulgus, & propè paræmiam abiit illud Ovidii: *Lis eſt cum formâ magna pudicitiæ.*

Quòd ſi lis eſt, ſi pugna, qui jungi velis? Certè non velis ſi attenderis quid ſit pulchritudo, ea maximè, quæ eſt corporis; nam de hac primùm hic eſt quæſtio.

Theophraſto, viro in paucis erudito, Pulchritudo dicitur *fraus ſilens*: *fraus* quidem, quia fallaci ſpecie decipit, & fallit incautos, etiam *ſilens*, vel ſolo ſui obtutu, ſine ullo verborum ſtrepitu, aut fuco orationis.

Pindaro, Poëtæ nobili, Venuſtas corporis, eſt *præco Veneris, & dulcium amorum*, qui dum Virginum, & puerorum palpebris inſidet; & venerem tacitè commendat, & prædicat, & ad dulces, hoc eſt impudicos, ac molles amores invitat. Et hanc voles jungi caſtitati?

Ode 8.

Platoni, ex Antiquioribus Sapientiſſimo: *Pulchritudo eſt flamma quædam, fulgorq; è corporibus emanans*, qui eos, in quos inciderit, inflammat, atque accendit: ſed flamma impuriore, & ſplendore caſtæ menti noxio.

In Timæo.

Socrati, inter Philoſophos nominato: *Pulchritudo eſt crudelis tyrannus*; imò *tyrannis* ipſa, quæ inſuperabili violentia iis dominatur, qui illi ſe ſubjecerint.

Et hoc profanorum Authorum de Pulchritudine corporis eſt judicium: hæc cenſura, & quidem acris, atque acerba: nec mitior SS. Patrum.

Certè D. Gregorius Nazianzenus, pulchras formas illicientes, non elegantiùs, quàm veriùs appellabat *Dulcem illecebram, charum venenum*; qualis fuit ille fructus *pulcher aſpectu*, qui communem viventium omnium matrem perdidit, & cum illa Poſteros omnes longè conſequentes. *Oratio 43.*

D. Baſilius ſpeciem illam venuſti corporis vocitabat *aculeum voluptatis*, quem illicò immitteret in ſpectantium oculos, atque animos.

Quod ſi Sapientum calculo ea ſit pulchritudo, corporis, quis illi nexus cum caſtitate, quæ nullum habet cum venere, cum carne, cum voluptate conſortium? Eſt enimverò nexus, & quidem à natura, à recta ratione contextus.

Ecquid enim eſt pulchritudo corporis ſi naturam ſpectes? ecquid ſi rationem, ceu magiſtram, audias? ecquid ſi judicium & Sapientum, & Sanctorum.

Platoni, *Pulchritudo maximè omnium amabilis, & naturæ privilegium.*

L. 6. de Rep. Publio Syro, *formoſa ſpecies muta commendatio.*

Laërtio, pulchritudo *quavis Epiſtola efficacior ad commendationem.* Quò vocari poteſt illud, quod refert Quintilianus. *L. 5. de vita Philoſoph.*

Erat Athenis matrona nobilis, venuſta, & ſingulari ſpecie, quæ in forum prodiens à Judicibus extorſit, quod Iſperides ſummus Orator non impetrarat. Nimirum plus potuit ad commovendum Judicum animos ipſa corporis venuſtas, cum quadam oris, colorisque ſuavitate, quàm excultæ orationis nitor, atque elegantia; adeo verum quod ante dixi: *Formoſa ſpecies muta commendatio.*

Carneadi, Pulchritudo eſt *regnum ſine ſatellitio.* Sua latera ſtipant Reges numeroſo ſatellite, quo de fortunis ſuis ſecuri, de vitâ tuti ſint: at ſibi ſatelles, ſibi tutela eſt pulchritudo, cui invidet nemo, blandiuntur omnes.

Tertulliano, Pulchritudo eſt *felicitas corporis, divinæ plaſticæ acceſſio, animæ veſtis.* Sic enim ille, cæteroquin gravis cenſor omnium inanitatum, ſeveruſque morum magiſter.

De cultu fœm. c. 2. *Accuſandus decor non eſt: ut felicitas corporis, ut divinæ plaſticæ acceſſio, ut animæ aliqua veſtis urbana.*

Chryſoſtomo, Oratori aureo, Pulchritudo eſt magnificum divinæ potentiæ opus, ac donum. τοῦ θεοῦ σοφίας ἔργον. *Divinæ ſapientiæ opus.*

Quod ſi ea eſt pulchritudo: ſi benignioris *naturæ privilegium* ſingulare, quidni & illi à natura ſit arctior nexus cum caſtitate?

Quod ſi *maximè omnium amabilis*, quidni & illi conſenſio cum caſtitate, quæ & ipſa caſtè eſt amabilis.

Quod ſi *muta* quædam *commendatio*, eſt ipſa corporis venuſta ſpecies: & caſtitas ipſa ſibi *muta commendatio*, ſibi *ſatellitium* eſt. Seipſam enim commendat, nec Oratoris vocem, ac laudationem requirit; nec *ſatellitium*, per ſe tuta, ac ſecura

Quod ſi decora oris forma eſt, *felicitas corporis*, quidni, & felicitas animæ, qualis eſt caſtitas. Quod ſi *divinæ plaſticæ acceſſio*, & eadem eſt caſtitas, quæ tota Deum habet authorem: quod ſi animæ *veſtis urbana*, & veſtis animæ melior eſt caſtitas; uti & Dei *opus*, ac *donum*; quo certè abutuntur ii, qui pulchritudinem detorquent ad profanos, inceſtoſque amores, ad libidinem, ad venerem, ad voluptatem, non ſine gravi naturæ injuria, ac Dei. Optimè autem utuntur ii, qui ſpeciem corporis conciliant cum animi ſpecie, quæ ſola eſt à virtute, à caſtitate. Maneat igitur inconcuſſa, firmaque ea veritas, Pulchritudinem etiam corporis benè jungi cum Caſtitate, nec illi cum hac litem eſſe, nec pugnam, niſi à vitio, & uſu quàm peſſimo.

Quod ſi pulchritudini etiam corporis ſua cum caſtitate conſenſio, multò magis illi quæ eſt animi: hoc eſt illi, quæ manat à virtute caſtitatis; cui ſua quoque eſt pulchritudo, & ex ea ſingularis quædam amabilitas. Ut enim ſcitè Romanus Orator: *Virtute nihil eſt amabilius, quippe cum propter virtutem eos etiam, quos nunquam vidimus, amemus.* *In Lælio.*

Quod ſi cuilibet virtuti ſua ineſt pulchritudo, ſuáque ex ea amabilitas; audeo dicere multò magis caſtitati, à qua, ſi ab ulla alia virtute, mira humanæ menti accedit pulchritudo.

Componitur Virginitas cum Margarita, cujus (ut ait Plinius) *Dos omnis in candore.* At unde ille candor? ab influxu puri roris. *Si purus ros influxerit, candorem conſpici*, inquit Plinius. *Lib. 9. c. 35.*

Et Virginitatis (quæ cœli eſt Margarita) *Dos omnis eſt in candore.* At unde & hujus candor? unde & pulchritudo? utique à puriore cœleſtis gratiæ rore, atque influxu, ubi ab illo candor, ibi & amabilitas, & quidem tanta, ut magnetis inſtar, & trahat, & trahatur: trahat, inquam, non ferrum, ſed Deum; trahatur, non ad frigidum Septentrionem, verùm ad Meridiem, ubi cubat Sponſus: *Ubi Deus, ibi pudicitia*, inquiebat Tertullianus, & *ubi pudicitia, ibi Deus*; ibi & Chriſti in animam, ceu ſponſam ſuam eſt amor. Fatendum enim etſi omnis Anima juſti dici poſſit, & eſſe ſponſa Chriſti; præcipuo tamen jure, & ſpeciali ratione Virginibus id gratiæ datur, ut nominentur, & ſint ſponſæ Chriſti: & hoc quia à Virginitate pulchræ ſunt, atque amabiles, & ſimul etiam ad Sponſi ipſius naturam, geniumque magis accedunt. *De cultu fœm. c. 2.*

Joëli nominatur Chriſtus *Vir pubertatis*, vel, ut ad rem meam, Septuaginta: *Vir virgineus.* *Cap. 1.*

Hieronymo dicitur *Sponſus virginalis.* *In Ioël.*

Epiphanio, *Sponſus incorruptionis.* *pag 152.*

Ambroſio, *Dei ſapientia, Dei ſanctitas, Dei caſtitas.* *Lib. 1. de Virg.*

Quod ſi *Vir* ſit *virgineus*, ſi *Sponſus virginalis*, ſi *Dei caſtitas*, quid mirum ſi Virgines amet? ſi eas in ſponſas aſſumat?

Ita aſſumpſit D. Catharinam Virginem; deinde & Martyrem: aſſumpſit, inquam, in ſponſam, inſerto etiam in digitum ſponſali annulo; in ſignum caſti amoris, cui, ut *pulchra, caſta generatio*: ſic & amabilis. *Ribad. in ejus vita.*

Et certè quidni ſit amabilis, vel ex eo, quod *cum Angelis ſimul conſita, ſupernarum virtutum particeps, & incorporearum naturarum comes individua*: ut rectè Amphilochius, cui addo aliquid amplius, ex antiqua memoria.

Priſci (ut annotavit Clemens Alexandrinus) res in mundo pulcherrimas, & amabiliſſimas ad Numinum nomen, & dignitatem efferebant. *In Protrep.*

Ita *Verecundiam* veluti *Deum* conſecrarunt. Ita *Pudorem* eſſe Deum Xenophon in Sympoſio aſſeruit, illique Athenis publico in loco in Acropoli, fuiſſe aram poſitam Pauſanias, & Heſychius authores ſunt. *In Attic.*

Fabella quidem, & Antiquorum commentum, è quo tamen ea veritas erui poteſt, & Verecundiam, & Pudorem, qui caſtitati comes eſſe ſolet, aliquid propè divinum nanciſci, unde & hominibus in veneratione ſit, & ipſi Deo in amoribus.

Eſſe porrò in caſtitate divinum quid, docuit D. Hieronymus in Epiſtola, quam ad Mauritii filiam ſcripſit, ut eam edoceret quàm pulchra eſſet caſta generatio cum claritate: ſic enim ad illam:

In originem tuam reſpice, genus intuere, gloriam nobilitatis adverte; ac non hominis tantum eſſe, ſed Dei filiam, & divinæ Nativitatis nobilitate decoratam. Ita te exhibe, *Epiſt. 14.*

ut in

ut in te cœleſtis Nativitas appareat, & tua divina ingenuitas clareſcat.

Virginem appellat *Dei filiam*, quid altius? *divinæ Nativitatis nobilitate decoratam.* Quid pulchrius eo decore? Vult, ut in ea *divina ingenuitas clareſcat.* Quid clarius ipſa divina claritate? ab illa vult, non animam dumtaxat, ſed & ipſum corpus effulgere. Sic enim ad illam in eadem Epiſtolâ: *Cæleſte hic aliquid in corpore humano refulgeat.* Ecce quis à Caſtitate fulgor, quæ claritas, non terrena; ſed cœleſtis.

De ſingularitate Clericorum. Nec mirum, cùm (ut ſcitè D. Cyprianus) *Caſtitas ſit pronuba ſanctitatis, munimen invictum ſanctimoniæ, acquiſitio meritorum, ubertas gloriarum:* gloriarum dico, non hujus mortalis ævi, in quo plerumque vanitas: ſed alterius immortalis, in quo vera gloria, & beatitas.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Sap. c. 4. v. 1.

Quare cum claritate, & quæ ſit illa claritas?

VT cum bona Lectoris venia, utar terminis in ſcholâ uſurpari ſolitis, *Claritas*, una eſt *Phyſica*, *Moralis* altera.

Phyſica, eſt illa, quæ ſub oculos cadit, & quæ cœleſtis lucis quaſi eſt æmula.

Moralis, eſt ea, quæ vel in hominum æſtimatione poſita, vel quæ Superis probata, quæ Deo grata; & quæ bonæ menti lucem ſuam affert, ac claritatem; ſed virtutis lucem, atque candorem. Et hæc, & illa claritas benè juncta Caſtitati.

Caſta fuit Catharina, & Virgo quàm mundiſſima, Martyr etiam invicta, & illius facies cœleſti luce illuſtrari viſa etiam à cuſtodibus carceris, etiam *In ejus vita.* ab Imperatrice, quæ etiam inde altiorem fidei lucem animo hauſit.

Caſta fuit Cœcilia, & ipſa Virgo, & Martyr, & illius oculi, frons, facies, totumque corpus à Valeriano ſuperno lumine collucere viſum.

Caſta fuit Agatha, & ipſa Virgo, & Martyr, cujus carcer etiam à cœleſti lumine ſplendere conſpectus eſt, emanante luce ex ipſa Agathæ facie, velut è fonte illius luminis toti illi loco circumfuſi.

Caſta S. Walburgis, & ipſa Virgo, cujus facies *Bollandus 21. Feb. c. 11.* Solis inſtar & lucere, & ardere viſa non ſine amabili ſpectantium ſtupore.

Quod illis Virginibus, hoc & aliis quamplurimis conceſſum cœli gratia, ac favore; diceres & Solem, & ſidera Virgines agnoſcere, Virgines amare velut affinia ſibi lumina; quæ ut magna ſint; at majora illa, quæ animis appellunt à Caſtitate: ab hac in Virgines effunditur *Claritas* quædam: ſed *Moralis*, ut loquuntur Theologi; ſed quæ hominibus, quæ Superis, imò quæ Deo ipſi eſt in pretio: nec mirum, quia Deo cognata, cognata Angelis, & ipſi quodammodo adnata cœlo; & inde *Moralis* illa *Claritas* Caſtitati juncta quàm optimè.

Benè cenſuit, benè dixit, qui natales veræ caſtimoniæ è cœlo duci, & ab eſſentiâ divinæ mentis quodammodo derivari dixit:

Carmine de Virg. *Prima Trias Virgo eſt*, ut in ſua Theologia cecinit D. Gregorius Nazianzenus, cui conſenſit D. Ambroſius, cujus & hoc effatum:

Lib. 1. de Virg. *Virginitas à cælo acceſſivit, quod imitaretur in terris: hæc, nubes, aëra, ſidera, Angelosque tranſcendens, Verbum Dei in ipſo ſinu Patris invenit.*

Invenit, inquam, *Virginitas*, & è cœlo quodammodo accerſitum in terras deduxit, ut Verbum, quod in ſinu Patris erat Virgo, eſſet & Virgo in ſinu Matris. & ab illo Virgines omnes ad inſtar SS. Triadis, ad inſtar divini Verbi, eſſent in terris veluti Dei, non natura, ſed imitatione puritatis. Et hinc prima, ac potiſſima *Claritas* caſtæ generationis, quod Dei quodammodo ſit genus.

Addo alteram illi inferiorem, quam altiore ut ſolet ſtylo extulit D. Chryſologus: hæc itaque repoſita, quod *ſemper Angelis cognata Virginitas*: quod *Virgines de familia Angelica deputantur*, ut diſertè Tertullianus, quod cum Angelis *cognationem* quodammodo habeant, atque *affinitatem*, ut ſcitè advertit D. Gregorius Thaumaturgus, quo auctore vera Virginitas pari ſorte, ac propè ſimili felicitate perfruuntur in terris, qua in cœlis Angeli: facit enim ex hominibus Angelos, quod divinæ metamorphoſeos genus in animæ ſanctæ, hoc eſt, caſtiſſimæ Dei Sponſæ, epithalamio poſuit Regius Vates. Inſcripſit enim Pſalmum illum victorialem, & triumphum pudicitiæ *pro iis, qui commutabuntur*, ut habent Septuaginta: ut autem Hebræi *ſuper Lilia*, vel *pro Liliis*, ubi per *Lilia* D. Hieronymus intelligit Virgines, quæ rejectis veteris vitæ exuviis, & mortalem exuentes luxoriantis animi, corporisque effigiem, in Angelos feliciſſimè commutantur. Amplius dico & pluſquam Angelos, quod appoſitè notavit D. Chryſologus, cujus illa ſunt aurea: *Serm. 143. Ad Uxorem l. 1. c. 4 Serm. 2. de Angelis.*

In carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt; ſed cæleſtis. Et ſi vultis ſcire, Angelicam gloriam acquirere majus eſt, quàm habere: eſſe Angelum, felicitatis eſt; Virginem eſſe, virtutis. *Serm. 143.*

Dum hîc ſtylo notat Orator aureus:

Primum eſt, quod Angelicam gloriam, hoc eſt, puritatem habere, ſit naturæ, ſed acquirere virtutis: Angeli illam habent à natura: Virgines à virtute, quod majus eſt, atque excellentius: quantum enim intereſt cœlum inter & terram; tantum inter opus naturæ, & gratiæ: ſed puritatem habere in Angelo, opus eſt naturæ; in Virgine acquirere, opus eſt gratiæ. Et hinc

Alterum quoque conficit: *Angelum, eſſe felicitatis: Virginem, eſſe virtutis*: at felicitati virtus præferenda; igitur & Virgines Angelis.

Et hinc alia petitur Virginitatis gloria, quod illius vita ſit cœleſtis, non terrena; adeòque quod Virgines cœlis aſcribendæ, in cœlis reponendæ potiùs, quàm in terris.

Quod ipſum vel ſolo naturæ lumine agnovêre, ac protulêre Veteres etiam Gentiles, fidei luce deſtituti, de quibus ſic D. Hieronymus: *Minervam quoque, & Dianam, Virgines Deas finxit error Gentilium: & inter duodecim ſigna cæli, quibus mundum volvi putant, Virginem collocarunt.* *Lib. 1. contra Jovinianum*

Credebant enim Virgines cœlo natas, cœlo dignas, in cœlis quoque collocandas. Et verò ſi ſummus mundi artifex Deus pateretur, ipſi Angeli, cœleſtes illi genii, & ſupremæ cœlorum Intelligentiæ, Virgines ex hac mundi ſublunaris fæce, ex hominum colluvione in cœlos abriperent; uti olim abreptus Helias, qui quadriga ignea impoſitus, raptus in cœlum eſt, triumphantis in morem, & hoc quia caſtimoniâ, ut palmatâ indutus; in quo Divi Patres Angelorum miniſterium agnoſcunt, & prædicant, Heliæ, ut opinantur debitum, vel ex hoc uno, quod virgineum florem, & perpetuam animi, corporisque integritatem in omni vitâ coluiſſet.

Et hinc caſtæ generationi inuſitata *Claritas*, inuſitata & gloria, vel ex eo, quod *caſtus* beatorum ſpirituum manibus in cœlum quodammodo pervehatur; quod veluti quadrigas habeat, in modum igneorum equorum volitantes, quæ per purum, & liquidum aëra, purum animum delicatè attollunt, & reverenter cohoneſtant; quòd ipſum intuens B. Ephrem, exclamat:

Tom. 1. in encomio Caſtitatis. *O caſtitatis currus ſpiritualis, poſſeſſorem ſuum in ſublime evehens.* Evehens, inquam, primùm animo, cogitatione, affectúque: quamdiu durat hæc vita mortalis; tum etiam re ipſa à felici obitu, migratione que è vivis: ut conſtat ex ſacris hiſtoriis, quæ legentibus paſſim occurrunt, & quas ideo hic non inſero.

Vidimus, & animo, ſi non oculis hauſimus caſtimoniæ claritatem, quæ eſt à communione cum Deo, cum Angelis, cum cœlo, beatarum mentium domicilio: attendamus quæ ſit à communione cum Chriſto.

Fuit Chriſtus, Servator optimus Virginis filius; Imò & Virginitatis: ſic enim eum appellandum cenſuit S. Leo Pont. Max. cujus hoc pium admonitum.

Serm. 1. in Epiph. *Diligite caſtimoniæ puritatem, quia Chriſtus Virginitatis eſt filius.* Et Chriſtianus, ſi modò caſtus, ſi purus, ſi virgo, *Virginitatis* & ipſe eſt *filius.*

Liberum, inquies, audaxque pronuntiatum, quod non efferrem, niſi vadem haberem & ſponſorem D. Cyprianum, qui ait, nihil jam carni nos debere, utpote *renatos ex aqua, & pudicitia*: Pudicitiam veluti parentem agnoſcit, & aliè prædicat

Lib. de bono Pudicitia. D. Cyprianus, ex eáque nos renatos eſſe vult; non terris, ſed cœlo; non terrena, ſed cœleſti generatione; à qua hoc nanciſcitur homo, ut *Dei ſit imago*

De diſcipl. & habitu Virginum. *reſpondens ad ſanctimoniam Domini,* ut ille ipſe annotavit D. Cyprianus.

Si porrò quæſieris quæ ſit illa *ſanctimonia Domini*, audies ex D. Gregorio Nyſſeno, eſſe *incorruptionem.*

Eſt ea ſancti illius Præſulis animadverſio; iiſdem nominibus Deum, & pudicitiam ornari. Nam Deus propriè in divinis oraculis nominatur *incorruptus*, utpote, qui nec pollui, nec corrumpi, nec violari poteſt, quod idem de Virginibus dicitur; dicuntur enim & hi *incorrupti*, & *Virginitas* ipſa dicitur *incorruptio.* Et hinc ſumma illius claritas, cui accedit deforis & alia ab Angelorum fideli cuſtodia, ac protectione, quam expertæ Virgines quamplurimæ, Cæcilia, Agnes, Agatha, & trecentæ aliæ, quæ tutores pudicitiæ ſuæ clariſſimos illos genios habuerunt, etiam cùm ad proſtibula, meretriciasque cellas ducerentur: ubi nullius unquam pudor violatus, ut colligere eſt ex Annalibus Eccleſiaſticis. Nimirum eò loci, ac temporis impuram hominum libidinem, & furibundum impetum reprimebant, & coërcebant Angeli. Et hinc pulchrum illud

L. 1. de Virg. Divi Ambroſii cum Virgines alloqueretur: *Neque mirum ſi pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum moribus militatis.* Et hinc etiam alia claritas, Angelici ſcilicet mores, & Angelica vita: Et certè quidni Angelica? cùm ut ſupra diximus Virgines Angeli ſint, non natura; ſed imitatione, ſed virtute, à qua & illud aſſequuntur, ut ſint quaſi perenne ſacrificium, quo placatur Numen, & conciliatur.

Hojuſce aſſertionis authorem habeo D. Ambro-

Ibidem. ſium, qui Virginem appellat *Pudoris hoſtiam, victimam Caſtitatis.*

Sacrificium immortali Deo oblaturi victimas quærunt, aut fruges, quas offerant: hi boves, illi agnos, alii columbas innocentes, iſti par turturum: at homo pudicus totus hoſtia eſt, totus ſacrificium, totus holocauſtum, in Salomonis templo ſacrificium erat matutinum, & veſpertinum, in animo caſto juge ſacrificium, etiam in dormiente, vel alia omnia cogitante, vigilat caſtimonia, & ubique templum extruit, in corde aram erigit, & hoſtiam ferit; imò ipſa eſt hoſtia quiſquis eſt caſtus, & hinc ſumma illi, cœlo judice, claritas, à quâ accedit & altera ei affinis, quod eadem caſtitas Martyres faciat. Vadem habeo eundem Ambroſium, qui hæc de Virginitate & benè, & ſapienter:

L. 3 de Virg. *Non ideo laudabilis Virginitas, quod in Martyribus reperitur: ſed quia ipſa Martyres facit.*

D. Ambroſio conſentit D. Auguſtinus, cujus

De honeſtate mulier. hoc effatum: *qui caſtitatem in ſeipſo cuſtodire volueris, Martyr eris:* Martyr dico, non ſanguinis; ſed caſtitatis: & hoc martyrii genus cuique obvium etiam in alta pace, nec pro eo expectanda perſecutio, aut quærendus tyrannus, Diocletianus, aut Maximianus unus aliquis; quod clarè demonſtrat D. Auguſtinus in illud Apoſtoli: *Fugite fornicationem.*

Nemo, inquit, *dicat, fratres chariſſimi, quod temporibus noſtris certamina eſſe non poſſunt: habet enim & pax noſtra Martyres ſuos: nam libidinem fugere, pars magna martyrii eſt.*

Cum DD. Auguſtino, & Ambroſio conſpirat D. Hieronymus, cujus hoc pronuntiatum: *Habet*

Ep. 8. de Virg. *& pudicitia ſervata martyrium ſuum, eo, quo membra cæduntur, horrore quidem mitius; ſed diuturnitate moleſtius*: ut obſervavit Divus Bernardus.

Serm. 90. in Cant. Quod ſi caſtitas ſervata martyrium eſt, & ſi caſtus omnis eſt Martyr, quid & hoc, & illo clarius? Maneat ergò, quod erat in quæſtione, caſtitati benè necti claritatem: ſupereſt, ut paucis, more noſtro, dicamus, quæ ad eam ſervandam præſidia.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Quàm pulchra eſt caſta generatio.* Sap. c. 4. v. 1.

Quæ ſint maximè opportuna ad ſervandam Caſtitatem præſidia?

NOn eſt mei conſilii omnia proferre: ſed è multis pauca, eáque, ut videbitur, potiora, & quidem meo more, breviter, & ſuccinctè; ut digito quaſi notaſſe videar; non fuſiùs, & quaſi aperta effuſæ orationis manu deduxiſſe.

Cœleſtis animarum Sponſus de Sponſa, uti decebat, ſollicitus, deque illius ſalute, atque incolumitate anxius, & ſapienter providus, hæc apud ſe, hæc apud ſuos: *ædificemus propugnacula argentea.*

Cant. c. 8. v. 9. *Ædificemus*, inquit, in quo liquidò apparet, quis in iis labor, quæ contentio; nec enim ſine ingenti molimine, ſumptuque aſſurgunt *propugnacula*, maximè *argentea*, qualia Sponſæ ſuæ molitur, & parat; *argentea*, inquam, hoc eſt, ſplendida, pretioſa, quibus Caſtitas in tentatione defendatur, hoſtéſque arceantur.

At quorſum, inquies, *propugnacula?*

Rationem reddit D. Auguſtinus; quia inter omnia ſponſæ, id eſt, virgineæ mentis, certamina,

Serm. 259. de Temp. *duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria.*

At rurſus unde *duriora?* cauſam hanc ſubjicit: quia *gravem caſtitas fortita eſt inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur.*

Quis ille quæris? ne foris quære, domi eſt, & in mediis penetralibus, in teipſa, ô Sponſa! imò tu ipſa, ut proinde teipſam timeas oportet, cum teipſa pugnes, teipſam vincas, & quidem quotidie; ubique vicens, adhuc timeas; quia ut vincatur, nunquam ex toto vincitur: & quia ſic non vincitur; ideo alia, atque alia ædificanda ſunt propugnacula, alia, atque alia quærenda præſidia; è quibus hoc

PRIMUM PRÆSIDIUM

A Deo, & Diva Matre Caſtitas petendum.

A Deo certè petendum eſſe, & cognovit, & extulit, & ſua doctus experientia, prædicavit

Sap. c. 8. v. 21. Sapiens: *Vt ſcivi, inquiebat, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det.*

Religioſus unus aliquis vel ſola unius mulierculæ recordatione, iis agitabatur ſtimulis carnis, ut illis expedire ſe nulla ratione poſſet: quodcumque ageret, quocumque ſe verteret, ſequebatur mali pertinax tentatio. Quid igitur? adhibet alias atque alias carnis macerationes, ut eam vel edomet, vel frangat. Adhibet, & orationem, & nihil promovet. Abit in agrum, ſi fortè liberiori in aere importunas cogitationes diſſipet; nihil proficit. Spes igitur propè omnes deſperabundus abjicit, & triſtior conſidet, cùm ecce eum derepente delapſa cœlo lux circumdingit, & hæc de luce vox auditur:

Surge, viciſti per me ſolum. Nimirum à Deo ſolo in Caſtitatis certamine, & ſperanda, & expectanda victoria.

Et ſic eam & ſperavit, & expectavit Sapiens, & hinc, inquit, *adii Dominum, & deprecatus ſum illum.*

Si ille Dominum adiit, ſi deprecatus eſt illum; & tu adeas, & tu depreceris eſt neceſſe, ſi modò continens eſſe velis. Sanè à Deo ſolo is eris, à teipſe minimè, minimè etiam ab homine quiſquis demum ille ſit: ut enim D. Auguſtinus, & vecordis animi, *Epiſt. 89.* & ſtulti eſt credere: *Cum carne pulchrum faciat Deus hominem: animo caſtum, ab homine fieri*, non eſt illud aut opis humanæ, aut eloquentiæ, aut induſtriæ: divini eſt laboris, divinæ & miſerationis, quam ut in te derives, orationem adhibe: ut enim & ſapien- *Orat. 1. de Orat.* ter, & verè D. Gregorius Nyſſenus, Oratio *pudicitiæ præſidium eſt, ac tutamen.*

Hoc uſus Gentium Apoſtolus, qui ut ſtimulum carnis reprimeret, Angelúmque ſatanæ; ter Dominum rogavit, ut à ſe diſcederet: quod ut fecit, *2. Cor. 12.* ſimul audiit: *Sufficit tibi gratia mea*; gratia dico, non natura, cujus probè conſcius D. Auguſtinus idem ſibi præſidium cenſuit adhibendum, cùm ſic ad Dominum:

L. 10. Conf. c. 29. *Continentiam jubes, da quod jubes Deus*, inquit, quod nullus præter te dare poteſt. Dabit enimverò cœli gratia, & Virginis Matris beneficio: quod ut in aliis ſeſe explicat; ſed vel maximè in ſervanda, ac retinenda caſtimonia; quod expertus D. Bernardus, ſic unumquemque prudenter admonebat:

Serm. 2. ſuper Miſſus. *Si carnis illecebra naviculam concuſſerit mentis, reſpice ſtellam, voca Mariam*: & ſtatim ceſſabit navicula concuti, & ſedabitur omnis illa tempeſtas ab impuro Veneris afflatu excitata, ſuáque menti redibit tranquillitas, & ab hac caſtimoniæ pax alta, nitor argenteus, & lux aurea.

Ita redit aliquando fratri Religioſo, cui cognomen *A Ripa*: is cùm eſſet virgineæ puritatis amantior, Dei Matrem per dolores ſuos rogare, obteſtarique cœpit, ut ſibi cordis munditiam elargiri dignaretur. Adfuit indulgens Virgo, Dei Mater, eique ſe videndam obtulit, petitque ecquid ſe vellet: cui ille: *Annales Minor.* *O Virgo virginum, cordis puritatem.* Tum illa virgineam manum pectori admovens, apprimensque hæc illi: *Accipe puritatem iſtam.* Dixit, & videri, audirique deſiit: reliquit tamen eam cordis munditiam altè cordi illi impreſſam.

Quod huic, id deinde lapſis longè ſæculis *P. Iacobo Ledeſmæ*:

Ex Hiſpania Romam tendebat, ut Societatem *Hiſt. Societ. Parte 2. L. 6. n. 65.* iniret, cùm ecce gravis illum agitavit dubitatio, an caſtitatis, quam profeſſurus erat, leges ſervare poſſet. Ergò in preces ſe abjicit, opémque & Dei, & Divæ Matris ardentiſſimè efflagitat. Audiit & hæc, & ille: & clienti ſuo mox adfuit Virginum Mater, & Patrona, & ſe in clariſſima luce, ac ſpecie auguſta videndam obtulit, ſtipantibus latera Maria Magdalena, & utraque Catharina, Senenſi, atque Alexandrina: tum ſic illum Deipara affari, *Caſtitatis dono dignum eſſe, qui tam ardentibus votis eam poſtulaſſet.* Et hic primus à Virgine Matre favor, cui adpromiſit & alterum, affuturam ſe abeunti è mortalitate Jacobo, utpote clienti ſuo.

Hæc ubi dicta, factáque, mox, quaſi peracta ſcena, comites in ſublime ferri viſæ, & auditæ concinere illud de caſtitate encomium:

Præclara res eſt Caſtitas,
Majora ſed ſunt præmia,
Quæ continenti dat Deus.

Ita P. Rho in Hiſtoriis virtutum, aliique: Fer- *Lib. 7. c. 8.* nandius tamen, qui Romæ interfuit Theologiam docens, cùm hæc Ledeſma prodidit, ex virgineo illo cantu hoſce verſiculos refert:

Quantum eſt donum caſtitatis,
Quod Deus confert pietatis?

Potuit ille SS. Virginum chorus, & hos, & illos verſiculos eò loci, ac temporis uſurpaſſe. Parum intereſt, modò de re ipſa conſtet, uti conſtat, maneatque indubitatum illud, à Deo, & Diva Matre; forte caſtitati præſidium eſſe.

SECUNDUM PRÆSIDIUM

A ſacro-ſancta Euchariſtia, ceu potens Caſtimoniæ tutela.

PRIMVS Adam corpus habuit è terra adhuc virgine, non vulgari puritatis commendatione: ſed mox illud infecit peccatum, virgineámque illam puritatem detraxit, inflammato etiam, ignitis erebi ſcintillis, fomite; quo arſit, & exarſit etiam in ſæcula.

Secundus Adam, ideſt CHRISTVS, ut huic malo medelam faceret: & ipſe corpus ſibi aptavit, & quidem etiam è terra virgine, hoc eſt, è Matre Virgine; & hoc, ut à ſui communione Virgines faceret, hoc eſt puras, candidas, lucidas à caſtimonia mentes; imò & corpora, itaque *antiquam plaſmationem* *Lib. 3. c. 31.* *in ſe recapitulatum veniret, ſive reſtauraret*, ut annotavit D. Irenæus, quod ipſum longè ante, præſaga mente, calamóque ſignarat regius Vates, dum ſic de Chriſto:

Qui mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas, vel, ut vertit *Pſal. 147.* D. Hilarius: *ſicut fruſta panis*; in quo & lux immenſa, & Solis velut ſplendor, & cryſtalli nitor à puriſſima Chriſti carne, quæ etiam vim ſui candoris, ac lucis mirabiliter effundit in eos, qui devotè, & piè ejus participes fiunt. quod & advertit D. Irenæus, cujus & hoc effatum:

In carne Chriſti occurrit, paterna lux, & à carne, cum *Lib. 4. c. 37.* *rutila in nos venit; & ſic homo devenit in incorruptelam*, & miram quandam accipit pulchritudinem, qua dum animum paſcit, atque oblectat Zacharias Prophe- *Cap. 9. v. 17.* ta, Animam à Chriſti corpore ſic lucidam, ſic incorruptam, appellat *Pulchrum Dei.* At unde *pulchram?* unde & Pulcher Chriſtus, & pulchrum ejus corpus, quod ſui participes pulchros facit, & à caſtitate candidos: ut enim ille ipſe Zacharias.

Quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vi- *Ibidem.* *num germinans Virgines?* quem locum cùm explicat Paſchaſius, vult animas à Chriſti corpore, *& candore lilii, & rubore ſanguinis decorari.* B. Joannes, Chriſti Scriba, & ab intimis illius ſecretis, *dealbari*; ſic enim de illis in altiore exceſſu mentis: *Qui la-* *Apoc. c. 7. v. 14.* *verunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.* Stolas dicit, id eſt corpora, quibus animæ veluti amiciuntur, & teguntur, quæ ſi fortè mala libidine maculoſæ fiant, hoc Agni ſanguine dum tinguntur, ſimul & eluuntur, & dealbantur.

Quod ab Agni ſanguine Caſtitati præſidium eſt; hoc & à ſuaviſſimo JESU nomine, quod præſaga voce *ſcutum cordis* appellavit Jeremias; hoc & à fide in JESUM: atteſtor Hieronymi fidem, atque authoritatem. Cum te, inquit, in lectulo *Epiſt. 22.* compoſitum, *dulcis libidinum pompa concuſſerit, arripe*

ſcutum fidei, hoc pugnabis, hoc vinces, hòc de venere, & cupidine triumphabis: nec tibi illius ignes, nec hujus ſagittæ nocere poterunt.

Solemni die, dum ſacra Hoſtia per compita deferretur, comitabatur Philippus II. Hiſpaniarum Rex, & quidem nudo, apertóque capite, æſtus erat eo die ſummus, monitus, ab aulicis, ut ſi non operto capite incedere vellet, umbellâ ſaltem ſibi Solem, æſtúmque defendi pateretur; quibus ille dignam objecit Catholico Rege ſententiam: *Innocens hodiernus Sol eſt*; nudóque vertice ire perrexit.

Si Sol ille aſpectabilis, mundi lux, & ardor, innocens fuit, & hoc, quia eodem die lucebat, ardebatque Sol alius; nempè Chriſtus in Venerabili; mutans paucis audeo dicere: neque tibi nocere poſſe tartareos ardores, atque incendia, ſeu ea à carne excitari voles, ſeu à malo dæmone, luxuriæ præſide; ſi tibi luceat, ardeatque in Euchariſtia Sol melior, & purior.

Leoni Pereriæ, adoleſcenti nobiliſſimo, & præfervido, gregarius miles colaphum impegerat, & fugam arripuerat in obvium fortè templum, velut aſylum; eum ibi aſſecutus Pereria, injectâ in collum una manu, altera pugionem jugulo adprimebat, cui miſellus ille, viſa, quam fortè Sacerdos, vicinam ad aram ſuſtulerat de more, hoſtia divina. *Per hanc, te*, inquit, *obſecro, parce.*

Simul precantis vox, ſimul & noſtæ pulſus juvenia animum, iraſque fregit. Exclamavit enim illicò: *Hæc te juvat*; ſimulque pugionem vaginæ reddidit. Nempe edomitus ad Euchariſtiæ præſentiam furor.

Quod ſi edomitus ille, fractúſque furentis iræ ardor: audeo dicere, & edomandas, & frangendas ſagittas omnes, teláque omnia, quæ è feroce, fatalique pharetra emittet Cupido, emittet & infernus ipſe: ſi modò ad ſacratiores aras, ad Euchariſtiam acceſſeris, eo, quo par eſt pietatis ſenſu.

Bollandus 20. Jan. S. Euthymius Abbas, cùm ad aram faceret, & factum Chriſti corpus, populo de more diſtribueret, primùm vidit in eo officio ſibi comites Angelos: deinde quoſdam à Dominici corporis ſumptione, velut à Sole quodam illuminari: obſcurari alios. Nempe malis ab Euchariſtiâ, profunda nox, triſteſque tenebræ: bonis autem ab eadem alta lux, & velut amœna dies. Et hæc tibi erit, Amice Lector, etiam in nocte tentationis, ſi modò ad eam veneris velut ad aſylum, & fortè propugnaculum adverſus omnes ſeu molliculæ carnis, ſeu dæmonis inſultus.

TERTIUM PRÆSIDIUM

A Sanctis Virginibus, quæ cælo, & cæleſtibus jam additæ periclitantes de Caſtitate adjuvant.

AB *Jove*, ut aiebant antiqui, *principium*: Chriſtianè & meliùs, *à Deo principium* omnis boni, omnis auxilii, & ſecundùm Deum à Sanctis, & in materia (qua de agitur) à Virginibus, cœlo jam aſcriptis, & donatis beatitate: ab illis, inquam, periclitanti de Caſtitate præſidium, & quidem primò, ut ante paucis inſinuavi, à Virginum Regina MARIA: quod ut in aperto ſit, & clara luce, non verbis (quibus plerumque minor habetur fides) ſed factis, atque exemplis, (quibus ut turior: ſic & firmior fides) demonſtrabo.

Bernardus de Buſtis de Coronatione Mariæ Part. 12. Puellula quædam Virginis amantior, ejuſque invocationi mirè addicta, etiam aviculam, quam cavea clauſam tenebat, docuerat garrire ſacrum illud, ac ſolemne, *Ave Maria.* quod & garrire probè docta, atque inter cantus ſuos ſæpiùs miſcere. Sed ô ingens aviculæ malum! dum fortè cavea elabitur, & longiùs evolat, in mylvum incidit, avem rapaciſſimam; à qua & capta mox, & aſportata, mox etiam diſcerpenda. Dum inter ungues ſic captiva tenetur, & roſtri aculeos, morſúſque perſentiſcere incipit, recurrit opportunè ſacra lectio, & lætum *Ave Maria*, quod & accinit: & ecce mirum illud: ad illas voculas, ceu fulmine percuſſa avis rapax, & effera, & prædæ aſſueta, prædam dimittit ex unguibus, & mortua mox concidit, pœnas utique datura pro furto, & rapina unius aviculæ, quæ tantum dixerat: *Ave Maria.* Hæc eo periculo jam libera ad puellulæ, ſeu Dominæ ſinum revolavit, & caveæ ſuæ, ſeu meliori cuſtodiæ reddita.

Quod ſi MARIÆ nomen, voce tantùm, non ratione, non mente invocatum, ita profuit, quantum proderit ubi ex rationis dictamine, ex ſenſu pietatis fuerit invocatum? proderit enimverò vel maximè; ac præſertim adverſus infames, impudici, rapacis mylvi ungues, atque morſus: mylvum appello, quiſquis in caſtos involat malus prædo, quiſquis caſtitatis jugulum petit, & ruinam: adverſus hunc à Virgine, Virginum Regina præſidium. Exemplo erit Virgo, cui inditum MARIÆ nomen; inditus amor, & cultus.

Vincent. Belvacenſis, hiſt. l. 7. c. 102. Inciderat illa in militem à libidine effrænem, atque efferum, à quo parata jam vis pudori; nam & manus in illam injecerat, & oculos, & amores ſuos; nec erat ratio, qua eas declinaret: ſola enim erat ſine teſte, ſine adjutore Virguncula. Quid igitur conſilii? meminit nominis quod gerebat, & per illud rogare, urgere, obteſtanque cœpit, ut parceret pudori: & ſi minus illi; at ſaltem MARIÆ nomini, quod eadem vi, eodem ſcelere ibat violatum. Audit miles, & quaſi alius à ſeipſo, & miteſcere cœpit, & impuros amores deponere, nec auſus unquam infando niſu, infamique venere, in Virguncula MARIÆ nomen devenuſtare. Hoc igitur à Virginum Regina caſtitati præſidium: accipe aliud, quod etiam à Virginibus.

Bollandus 21. Jan de Reliquiis S. Agnetis. Sacerdos unus aliquis, cui nomen erat Paulinus, in Eccleſiâ Divæ Agnetis ſacris vacabat officiis, cùm ecce invidus dæmon ardentes ei à libidine faces injecit, & ita quidem, ut illarum impatiens à Summo Pontifice petierit, ut ſibi uxorem ducere liceret, & ſic flammas illas, uti rebatur, vincere, atque extinguere. Subriſit ad illa Pontifex, & hominis ſimplicitati compatiens, annulum aureum ſmaragdo illuſtrem ei miſit, juſſitque ut eum digito Sanctæ Agnetis immitteret, eámque ſibi ea ratione deſponſaret.

Paruit illicò, & annulum illius Divæ digito inſeruit: admiſit illa ſponſalem annulum, & quaſi illius amans, ac retinens, digitum contraxit; utique retentura.

Ita Paulinus ſponſus, & Agnes ſponſa.

Quid deinde? quod amet, quod miretur omnis ætas. Ab Agnete, ſeu ſponſa, velut affuſa aqua extinctus eſt omnis ille cupidinis ignis, & accenſa in Paulino, ſeu ſponſo, caſti amoris incendia: adeo verum illud Virgines cœlis additas in auxilium venire clientibus ſuis, cum de caſtitate certamen eſt, quod & luce clarius apparebit in S. Urſula, ſociiſque Virginibus.

Annuæ Coll. Valencenenſis An. 1603. Valencenia, urbe Belgica, & nobili, Virgo quædam non infimæ notæ ſeſe Deo, & D. Urſulæ voverat, concepto etiam perpetuæ caſtitatis voto, cui dum inſidiatur impudicus adoleſcens, monſtrata via clancularius in cubiculum Virginis irrepit, ſeſeque abdit quàm occultiſſimè.

Aſcendit Virgo fraudis, & inſidiarum penitùs inſcia, fuſiſque de more veſpertinis precibus, cœpit præter ſolitum tota contremiſcere, & nunc huc, nunc illac circumſpectare, & perſpicacis inſtar columbæ velut umbram timere accipitris. Quid deinde? caſtigat imbellem animum, & fortis adlaborat

borat eſſe, metu diſcuſſo; ſed frustra: crebreſcit horror, augetur metus, virginei pudoris vel præcurſur, vel comes, vel etiam tutor; à quo illi quàm optimè: nam luſtrans omnibus cubiculi angulis, tandem Caſtitatis inſidiatorem ſub lectica reperit abditum; qui deprehenſus mox exſilit, & tum blandientibus verbis, tum laſcivienti habitu ad ſcelus invitat. Non tulit petulantiam Christiana Amazon, & arreptum candelabrum tam altè in hoſtile caput impegit, ut domum vix evaſerit vivus.

Potuiſſet, imò & debuiſſet ab illo vulnere refrigeſcere impuri amoris æſtus, at contrà incaluit magis: perſanato quippe poſt aliquot menſes capitis vulnere, ad alias ſeſe convertit artes, conſultóque Mago Virginem expugnare conatur. Ita nimirum à vulnere capitis, gravius in animum gliſcebat vulnus. Semel, bis, tertiò amatorios pulveres, animorum philtra, chartáſque peregrinis characteribus exaratas, Virginis veſtibus, libris, cubiculo inſeruit: ſed interno monitore tuta Virginitas fraudem ſemper detexit. Quid hic æffrenis amor? an ſiſtat? an quieſcat? Minimè: dum enim contra magicas artes invictum ſpectat Virginis animum, vi aggreditur.

Captata ſolitudine, cùm parentes abnoctant, clancularia clave ad cubiculum evadit, ubi virgo ſtrato ſe dedit, faventibus tenebris, erumpit, involatque ceu raptor ad agnam, ceu lupus ad prædam.

Quid faciat pavida columba ſub ungue accipitris? inclamet? nullus exaudiat. Gemat? non iis movetur inceſtus amor. Luctetur? ſed certa ſtabit ab hoſte victoria.

Itaque vacua præſidio; ſed Deo plena, ad artes vertitur, & ſic ad impudoratum amaſium: *Age*, inquit, *pertinax amator, dum caſta mihi eſſe non licet, liceat eſſe cauta, erit utriuſque famæ conſultum, ſi peſſulus foribus obdatur, ne ſerò domum revertens ancilla, amores iſtos turbet, vel infamet:*

Providè, inquit, inſanus amator; *ſed comitata ibis, ne ſolitos ludos agas.* Præit ergò illa, ſuperinducta ſubucula prehenſat comes laſciniam, & dum per tenebras gradiuntur, primoréſque fores Virgo prenſat, è manibus elabitur, atque in medias ſe plateas proripit. Sic adoleſcens dum metus amorem, infamia deſiderium vincit, ad breve tempus à ſua inſania deſtitit: ad tempus, inquam, breve: cùm enim hac ratione nihil profeciſſe ſe videt, ad alias artes converſus; magicis incantationibus ſpiritus malignos per Virginis cubiculum noctu inambulare facit, ut vel ſic nocturno horrore vinceret, quam impuris amoribus vincere non potuerat: ſed neque ſic vicit: detecta enim fraus fuit, & philtrum cereo domeſtico inſertum reperit, atque exemit, denique ad D. Urſulæ, & ſociarum ejus præſidium confugit, nec defuit illud: auditum enim velut agmen Virginum, denſum illud, ac confertum moderato greſſu cubiculum pertranſire; & certè ſic pertranſiſſe teſtari potuit: tum interna quædam Virgini lux infuſa, tum etiam gaudium ſuperinfuſum, denique relicta cœleſtis odoris fragrantia, quam & ancilla, & domeſtici omnes perſenſêre, non ſine amabili ſtupore. Ita nimirum Virgines Urſulanæ in Virginitatis certamine evocatæ, & pugnantea roborant, & vincentes exhilarant, effuſo etiam cœleſti odore, vel in arrham ſui amoris, ac tutelæ: vel in præmium ſervatæ Virginitatis: vel etiam ad ſuaves tantæ virtutis illecebras.

QUARTUM PRÆSIDIUM

Ab humilitate, diffidentia ſui, & fiducia in Deum.

HÆc duo jungi placuit, quia humilitatis comes eſſe ſolet ipſa diffidentia ſui: uti è contrario nimia de ſe præfidentia humilitatis eſt hoſtis & ruina: ideóque illa ut connexa ſint oportet, ſi Caſtitatem in tuto eſſe velis, & quidem

Primò ſit profunda humilitas, & humilis de ſe ipſo ſenſus, quod SS. Patrum ſententiis & ſtatuere, & confirmare certum eſt. *Humilitas.*

Fuit is ſenſus ſeniorum, uti advertit Caſſianus, Caſtitatem, illibatúmque corporis, & animi florem obtineri, & ſervari non poſſe niſi cuſtode humilitate: ſic enim ille:

Seniores aiunt caſtitatem apprehendi non poſſe, niſi priùs humilitatis in corde fundamenta fuerint collocata. Hæc niſi profundè jeceris, Caſtitatis ædificium non extrues, & illa ſi deſtruxeris, & hoc eodem caſu deſtruas eſt neceſſe. Et hinc Divi Patres in pleriſque caſtitatis naufragium & petunt, & deplorant. Gregorium audi è Petri Sede, & pulpito Veritatis. *Lib. 6. Inſtit. Monaſt. c. 2.*

Multis, inquit, *ſæpè luxuriæ ſeminarium ſuperbia fuit: quia dum eos ſpiritus quaſi in altum erexit, caro in infimo merſit. Hi enim ſecretò prius elevantur; ſed poſtmodum publicè corruunt: quia dum occultis intumeſcunt motibus cordis, apertis cadunt lapſibus carnis*; mira Dei providentia ſic diſponente omnia, ut qui in altis poſuerit nidum ſibi, in luxuriæ cœnum profundiùs dilabatur. Ne porrò ſic dilabatur audiendus erit S. Fulgentius, qui ſic olim in Epiſtola ad Probam, ſic etiam modò è cœli regia ad nos: *Lib. 26. Moral. c. 13.*

Ut integra permaneat dicata Deo Virginitas, ſicut cuſtoditur integritas corporis; ita multò magis cuſtodienda eſt humilitas cordis: cujus rationem hanc ſubjicit, quia quæ Virgo eſt, *Virgo eſt Chriſti, quæ non poteſt Chriſto niſi humilitate conjungi*: utpote ſponſa ſponſo, qui ut humilis eſt; ſic & humilis illa ſit, eſt neceſſe: nec enim aut caſtitas ab humilitate, nec humilitas à caſtitate ſejungi in Virgine poteſt, ut in Virginum Regina oſtendit D. Bernardus & piè, ut aſſolet, & ingenioſè. Juvat illum audire: *Epiſt. 3.*

In MARIA, Dei matre mox futura, *ut placeret Virginitas, humilitas procul dubio fecit.* *Hom. 1. ſuper Miſſus.*

Ubi hoc de Virgine extulit, tum ad Virginem altioris ſpiritus & animi ſtylum ſic vertit:

Quid dicis Virgo ſuperba? Maria ſe virginem oblita, gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de Virginitate. Expedit tibi Virginem non eſſe potius, quam de Virginitate inſoleſcere. Hæc S. Præſul; qui ea doctrinæ Chriſtianæ placita hauſit ex Divis Ambroſio, Auguſtino, & aliis.

Ambroſius certò hæc olim extulit: *Debet, ut quantò caſtior Virgo; tantò ſit humilior. ſit magiſtra humilitatis, in qua eſt profeſſio caſtitatis.* *Lib. 2. in Lucam.*

Auguſtinus verò auſus & illud aſſerere: *Melius eſt humile conjugium; quam ſuperba virginitas.* Sibi, Deóque redditus Auguſtinus Caſtitatem in paucis amabat, commendabatque; at cui ſocia eſſet humilitas: ſi adeſſet illa, primas dabat Virginitati; ſi abeſſet, nec ſecundas: conjuges humiles efferebat, ſuperbas Virgines deprimebat; imò & deprimi peroptabat: hinc & illud è pulpito: *Audeo dicere, ſuperbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipſo, quo ſe extollunt, humilientur.* *In Pſal. 29.* *Serm. 59. de verb. Dom.*

Et hæc de humilitate, quæ Caſtitati comes debet eſſe individua. Venio ad aliud huic affine, quod eſt diffidentia ſui; ea Humilitatis eſt veluti fœtus: quiſquis enim ex vero humilis eſt, ſibi diffidit, & uni Deo fidit. Et meritò, novit enim, quàm *infelix, & periculoſa ſit præſumptio, multi dum ſe putabant vincere, victi ſunt*, inquiebat Divus Auguſtinus: ita victus Sampſon, victus David, victus & Salomon, victi & alii quamplurimi; & tu quoque, ſi præſumis, vincêris. Ne porrò ſic præſumas, Sanctum Iſidorum audi: *Neque in præterita caſtitate confidas, neque enim Davide ſanctior, neque Sampſone fortior, neque Salomone ſapientior es.* & hic, & illi ceciderunt; & tu cades, ſi præſumas: cujus rationem hanc reddit S. Præſul ab igne petitam: *Diffidentia ſui.* *Serm. 250.* *S. Iſidorus.*

Ante

Ante ignem conſiſtens, inquit, *etiamſi ferreus ſit, aliquando diſſolveris. Proximus periculo diutius non eris.*

Venus, Cupido, libido ignis eſt, ad eum ſi conſiſtas, ſolvêris, & liqueſces totus; nec mirum, quia ut proximus igni es, ſic & periculo.

Lib. de ſingularitate Clericorum.

Nec quiſquam ſibi proponat, & dicat, habere volo quod vincam. hoc enim eſt dicere, vivere volo ſub ruina, inquiebat olim D. Cyprianus, qui etiam adjecit opportunum illud monitum, & ſalubre:

Ibidem.

In hac parte plus expedit benè timere; quàm malè fidere: utilius eſt, infirmum ſe quis cognoſcat; quàm fortis ſi videri velit, infirmus emergat. Ita emergere viſus aliquando *S. Iacobus Eremita.*

Hic cùm & fama ſanctitatis, & gratia miraculorum inclareſceret, etiam dæmonem è puellæ Virginis corpore expulerat: illius parentes veriti ne malus ille hoſpes ſubito rediret in domum à ſe occupatam, hoc eſt in filiæ corpus, impensè rogarunt Vitum Dei, ſui ævi Taumaturgum, ut liceret illi ad dies âliquot ſubſiſtere in eremo, ſub oculis utique illius, & tutela.

Primum renuere auditus Eremita, tum victus eorum precibus, & lacrymis annuere; ſibi nimium præfidens & vitæ ante actæ innocentia fretus. Sed, ô grande malum fiducia ſui! malus genius, qui nunquam indormiſcit, qui malis noſtris ſemper invigilat; cùm ſolum Eremitam cum ſola Virguncula vidiſſet, ea uſus ſolitudine, ſine teſte, ſine judice, flammas impuri amoris in eo tam ardentes excitavit, ut iis conſumi videretur totus: itaque illarum quaſi impatiens etiam in puellam eas ejaculari, & primò blanditiis pellicere cœpit ad oſcula, ad âmplexus, ac deinde ad infandum ſcelus, cui cùm illa fortiter obſiſteret, manus in eam injecit, vim fecit, oppreſſit etiam invitam, ac reluctantem.

Viſa deinde remitti flamma, atque ab infami crimine, non dico pœnitentia ſequi; ſed pudor, ſed dolor, ſed deſperatio, à qua ad aliud immane facinus gradum fecit: ut enim pudendum ſcelus hominum oculis eriperet, celaretque improbè, miſellam Virginem, ceu victimam, ad cupidinis aras mactavit.

Quid deinde? jam inceſti reus, jam & homicidii, ad ſæculum redire parabat, & mundo reddi, qui ab illo prius abierat: ne porrò abiret, amico, qui fortè occurrerat, commiſſa à ſe crimina candidè expoſuit; expoſuit & conſilia, quibus ne pareret, monetur ut potius ad pœnitentiam ſalutarem confugeret. Ut autem eam & tutius, & ſecretius exigeret ab eodem amico cavernæ, verius ſepulchro, incluſus, in eo vixit ad annos decem, ſolis herbis victitans, & lacrymis madens.

Fiducia in Deum.

I modo, quiſquis es, tibi fide, virtuti partæ confide: & periculo vicino te committe: non committes certè ſi ſapis, ſi me audis: ſed potius diffidens tibi, & fidens uni Deo, audies illud D. Auguſtini, qui ſic olim ad animam diffidentem ſibi, & caſum extimeſcentem: *Quid in te ſtas, & non ſtas? projice te in eum: noli metuere, non ſe ſubtrahet ut cadas: projice te ſecurus, excipiet te, & ſanabit te.* Hæc D. Auguſtinus propria doctus experientia, & ipſis Prophetarum oraculis, imò & Dei, qui hæc aliquando Iſaiæ calamo, oreque: *Noli timere, quia te redemi, vocavi te nomine tuo. Meus es tu.* Hæc eſt magnifica Dei pollicitatio ad ſpem, & fiduciam erigentis.

Conf. l. 8.

Cap. 43.

Meus es tu, inquit; hoc eſt, res mea, mea poſſeſſio; non eo modo, quo cœlum, & mundus elementaris, quo animantia; & alia omnia, quorum eſt Architectus: ſed ſingulari quadam ratione, quia, inquit, *redemi te.* Cruor ille purpureus Agni immaculati pignus eſt amoris, & arrha ſpei noſtræ, ac fiduciæ. *Noli igitur timere: ſecuritatem nobis, & protectionem pollicetur*, inquit D. Cyprianus.

De exhort. Martyr. c. 10.

At quam, inquies, ſecuritatem, quam protectionem? & hanc, & illam excipe Iſaiæ verbis expreſſam:

Suprà.

Cùm tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaveris in igne, non combureris.

Aqua, & ignis ſunt grandium periculorum hieroglyphica: & in his ſecurus eris ducente te, protegente te Dei manu, ideóque ſi tranſieris, per aquas, & inſurgentes tentationum undas, ne time; tecum erit Deus, & illæ *non operient te.*

Si ambulaveris in igne tibi etiam inſito à concupiſcentia, à mollicula carne, à malo dæmone, ne metue, non *combureris*: quia *meus es tu*, & ego Pater, ego Dominus, ego tutor tuus ſum; ideoque ne metue. Et verò qui metuas? *Quis enim ei de ſæculo metus eſt, cui in ſæculo Deus tutor eſt?* inquiebat D. Cyprianus. Nullus certè, nullus omninò metus.

De Grat. Domin.

QUINTUM PRÆSIDIUM

À celeri, & honorata fuga.

AD hanc nos invitant SS. Patres, qui exponentes illud Apoſtoli, *fugite fornicationem*; uno omnes ore docent, in illa fuga ſpem eſſe, & momentum victoriæ.

1. Cor. 6.

D. Ambroſius: *Cum aliis vitiis*, inquit, *poteſt expectari conflictus*, hanc (nempe fornicationem) *fugite: ne approximetis, quia non poteſt aliter melius vinci.*

D. Ambroſio conſentit D. Auguſtinus: cujus illud pronuntiatum. *Cùm cætera vitia pugnando vinci ſoleant, ſola libido eſt, quæ fugiendo potiùs, quàm pugnando ſuperatur.*

De honeſta mulier. c. 4.

Quod ipſum è pulpito confirmatum voluit dum ſic ad ſubjectam concionem.

Contra libidinis impetum, apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum ſit fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere.

Serm. 250. de Tempore.

Cum Auguſtino conſpirat D. Hieronymus, qui hæc ingenuè de ſeipſo:

Fateor imbecillitatem meam, nolo ſpe pugnare victoria, ne perdam aliquando victoriam. Tu qui pugnas, ſuperari potes, & vincere. Ego cum fugero, non vincar in eo, quod fugero, & ideo fugio, ne vincar.

Lib. contra Vigilantium

Tum rationem adjicit cur fugiat; eamque petitam è duplici ſimilitudine, una ſerpentis, aut viperæ; altera lupi, quos, ut vincas, fugis:

Nulla ſecuritas, inquit, *eſt cum vicino ſerpente dormire: poteſt fieri, ut me non mordeat: tamen poteſt fieri ut me aliquando mordeat.*

Quod de ſerpente dixit: hoc & de viperâ, hoc & de lupo:

Quis, inquit, *juxta viperam ſecurus dormit? Nunquam cùm lupo tutus eſt agnus.*

Quod de ſerpente, viperâ, lupo pronuntiavit D. Hieronymus: hoc & de hoſtibus Caſtitatis: quos fugiſſe, eſt viciſſe. Unde liquet quod, etſi in aliis certaminibus fugiſſe ſit ignominioſum: tamen in luxuriæ bello, pugnâque glorioſum ſit: ut de hoc dici poſſit illud, quod Plinius de Cannenſi pugna memoravit, *Unde fugiſſe, virtutis ſummum opus fuit*, & ſtetiſſe vitii, ac dedecoris: ſtetiſſe enim eſt victum eſſe, ut proinde de honorata illa fuga jactari poſſit iſtud, quod in Pandectis clariſſimi Anteceſſores noſtri poſitam voluerunt, cum jus enuclearent de fugitivis: *Libertatis cujuſdam ſpeciem eſſe, fugiſſe*; manſiſſe verò captivitatis; in hac enim re, de qua agimus, fugere, eſt vincere, ſeque in libertatem aſſerere. Et ita aſſeruit caſtus Joſeph, *fugâ uſus pro armis*, ut advertit D. Baſilius Seleuciæ Antiſtes, Dominæ quippe injicienti pudendum illud: *Dormi mecum*, & jam veſtem prenſanti: veſtem tradit, ut temperantiam teneat, *nudatur veſte, ne nudetur temperantia*, ut eleganter ille ipſe S. Præſul. De hac fuga dici poteſt illud quod D. Ambroſius de fuga ſæculi:

Lib. 7. c. 28.

D. de Ædil. ed. l. 17.

Orat. 8.

Cap. 4. *Illa fuga, eſt tramet innocentiæ, pietatis aſſumpſio, via virtutis.* Et hoc eſt ſtratagema piorum, ac fortium, quos Dei ſpiritus ad vincendum, & triumphandum erudivit. In quos bellè cadit illud S. Chryſologi Apophthegma:

Serm. 550. *Bellicoſus, quod in bello fugit, artis eſt, non timoris.* Artis dico, quia *vir, qui ſic fugit, rurſum prælia bitur*, ut de ſe olim Demoſthenes, qui objicienti ſibi, quod è Cheronenſi prælio fugiſſet; objecit *Agellius l. 17. c. 21.* ipſe & illud: *Vir qui fugit, rurſum præliabitur.* Et certè Demoſtheni; imò & Reipublicæ melius fuit, fuga ſaluti ſuæ conſuluiſſe, & aureum pectus conſiliorum capax, gemmeámque eloquentiam ad dubia Reipublicæ tempora reſervaſſe: ſic enim fugiſſe, non tam fuit hoſtibus ceſſiſſe, quàm *utilitatem retrò ſitam perſequi*, ut de ſe olim dicebat Antigonus. *Stobæus Serm. 52.* Et ita in ea, quam laudamus, fuga evenit. Quiſ ea ſibi benè proſpicit, non hoſti cedit, non terga ingloriè vertit, verbo uno, non tam fugit, quàm *utilitatem retrò ſitam perſequitur*: utilitatem dico, non quæ corpori ſerviat; ſed animæ: non quæ terris; ſed cœlo: non quæ tempori; ſed æternitati.

Hujus porrò fugæ rationem ſi quæris, audies petendam ex ipſa luxuriæ natura.

Luxuria enim eſt veluti *cloaca*, è qua teter voluptatum anhelitos expirat: hunc declinare ſi voles, non ſiſtes, non pedem figes: ſed nares illicò obturabis, tranſibis, & quàm celerrimè effugies, ne te afflet, atque inficiat peſtilens odor, quem Tertullianus aliore voce uſus eleganter vocabat *libidinum vaporata momenta*. *De habitu Mulier. c. 2.*

Luxuria ignis eſt, in quo vel minimum hærere non potes, quin incaleſcas, imò & uraris, atque exuraris, ut proinde tibi neceſſe ſit, quod olim Abrahamo de fornace illa Babylonica, & Ur Chaldæorum effugiſſe, niſi in eo perire velis.

Ita effugit Patriarcha Joſeph etiam pallio relicto. At *cur pallium contra ſe in teſtimonium futurum in manibus Dominæ relinquit*, quærit Ambroſius, & reſpondet: *Cap. 5. de Joſeph.* *Contagium Patriarcha judicavit; ſi diutius moraretur ne per manum adulteræ, libidinis incentiva tranſirent. Itaque veſtem exuit, crimen excuſſit.*

Ita etiam effugit aliquando S. Carolus Borromæus. Hunc viri Principes eduxerant in ſuburbanum, ut eum à triſti illa ſeveritate, quam tenebantur hauſiſſe ab Ignatii commentationibus, abducerent. *In ejus vita* Et hoc videri potuit urbanitatis: at impudentiæ, & fraudis iſtud, muliercula in comitatu clam habuiſſe; quæ forma excellenti abuteretur in ſuum dedecus, & caſti adoleſcentis perniciem: qui cùm ſolus (dilapſis ex induſtriâ comitibus) relictus eſſet: ſub noctem, occultis ſubmiſſa ſcalis, adfuit procax mulier, jamque blandiri audebat; cùm Carolus, quem improviſa res terruerat, ſuos illicò auſteriori voce inclamat: adſunt illi, & peſtem illam abigunt: at Carolus abominatus tectum, quod periculo, & fraudi ſenſerat opportunum; inſterni mox equos juſſit, & profunda etiam nocte in urbem reverti voluit: nempe in ipſis tenebris, majores, & periculoſiores tenebras fugiebat, probè doctus in ea pugna fugiſſe, eſſe viciſſe.

Quod ſi fortè non detur effugii locus, vis inferatur, & manus etiam violenta: ſic eam aliquando intulit *Camillus Conſtantius*.

Dies erant bacchanaliorum omni licentia peſſimo more infames, cui ne ſerviret, domi ſtudiis intentus ſub horam noctis quintam tacitus conſidebat, cùm ecce à popularibus periclitante illius conſtantiæ gratia, immiſſa eſt fœmina, forma atque ornatu meretricio ſpectabilis, quæ eum de nomine ſalutavit. Ille perculſus inſolentia ſalutationis, aſſurgit, & quid tibi, inquit, hic negotii eſt? illa reſpondit: Hanc ego ubi noctem, Domine Camille, addixi. Is contra: at ego tui nequaquam indigeo, redi porro unde veniſti. Reponit illa certum ſibi, fixumque eſſe noctem ibi ducere, intutum enim eſſe per urbem ea noctis hora monilibus atque auro onuſtæ ingredi. Ille verò expulit obnitentem, juſſitque ab iis præſidium quærere ad reditum, à quibus fuerat eò perducta. Et hæc illi, tum adoleſcenti, de caſtitatis hoſte victoria, quæ & alteri præluſit: in qua Societati noſtræ additus inſignem retulit de tyranno victoriam, conſtantia ad ſtuporem, & miraculum. In Japonia quippe damnatus ad flammas in iis auditus ſuaviſſimè concinere, primùm illud: *Laudate Dominum omnes gentes.* Tum etiam iſtud: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Denique & triſagion iſtud: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Hoc nimirum exprimebat & ardor animi, & incendium divini amoris, quo & vincebatur ignis incendium, & flamma, quæ lento cruciatu corpus abſumebat. Sic generoſus animus, qui priùs Veneris igne non arſerat, nec arſit, nec ceſſit tyranni ipſius incendiis. *Anno 1622. 15. Sept.* *Alegambe, Mortes illuſtres. p. 345.*

Sed, inquies, quod ſi nec effugium ſit, nec vis ad manum, nec alia ratio declinandæ tentationis, quid tum? Age Divum Bernardum imitare.

Hic de via cùm eſſet in diverſorio nihil iſtic veritus mali. Ecce de improviſo, & furtivo gradu in cubiculum adrepit impudica mulier, & ejus lectulo propior facta etiam ad amplexus impuros ſollicitat.

Quid hic caſtiſſimus Adoleſcens, & quidem ſolus, inopſque conſilii? nec pes illi, nec manus libera: libera tamen lingua; hanc illicò expedit, & altùm inclamat: Latrones, latrones. Fugit procax mulier, accurrunt ſocii, quæritur latro, nec comparet. Abitur ergò: & ecce, nec ſic victa mulier redit; redit ad ſolitos clamores Bernardus, iterúmque ingeminat illud: Latrones, latrones. effugit iterum impudens læna, iterúmque accurrunt ſocii, nec invenitur latro. Redit & tertiò mulier, & tertiò ſucclamat Bernardus: Latrones, latrones. eodem quo priùs ſucceſſu. *Henriquez l. 1. diſt. 4. c. 2.*

Die ſequenti cùm ſe daret in viam unà cum ſociis, increpitus ab illis, quod toties errore, & ludibrio ſomnii onius erupiſſet in illud: Latrones, latrones; & ſibi, & aliis importunus: quibus ille:

Nec ſomnium fuit, nec ſomnii error, & ludibrium: ſed verè Latro, meretricula ſcilicet impudens, quæ mihi caſtitatem, ceu pretioſum theſaurum, eriperet, niſi ad clamores confugiſſem. Ad illos & tu confuge mi Lector, ſi aliàs fugæ non eſt relictus locus.

Et hæc tibi ex Sanctorum vel monitis, vel exemplis, quibus addo ex aliis etiam opportuna Caſtitati ſervandæ præſidia; è quibus etiam hoc primum. Fœminæ vocem declina, declina & conſpectum, quia ab hoc & illa præſens eſt periculum.

P. Didacus Ortiz è Societate JESU. in Peruvia Protomartyr, dicere ſolitus, Satis eſſe ad animæ ruinam, ſi dumtaxat vel alicujus fœminæ vox audiretur; ab ea nempe periculum, quale & à ſirenum voce, cantuque. Quod ſi ab illa, majus ab aſpectu.

P. Caſpar de Giray Societatis & ipſe noſtræ, cùm jam eſſet propè nonagenarius, Deo quàm maximas agebat gratias pro cœcitate, addebatque maximum omnium à Deo collatum in ſe beneficium, ne fœminam ullam videret, nempe per oculos quaſi per feneſtras, intrat libido, intrat & voluptas, atque ad animi arcem evadit, eamque occupat, gratia ſpoliat, & malo dæmoni eam tradit. Fuge igitur fœminam videre, fuge & ab illa videri, fuge & illius congreſſum. *Nieremberg.*

Venerabilis *P. Joannes Mayrus* è ſacra D. Dominici familia notæ virtutis ac ſanctitatis, deductus à

B. Bertrando ad ſe, tyronibus inter varia ſalutis monita, hoc etiam illis, ut mulierum converſationem fugerent, cujus rationem hanc addidit:

Ciſter. Ordin. *Facies mulieris ventus urens, & ſi ipſa Catharina Senenſis veniret de cœlo ad vos viſitandos, dicite ei, ut in cœlum revertatur, & illic eam videbitis.*

Quodſi à Virginibus cœlo jam additis timuit Vir ſanctus, quid ab iis, quas terra portat. Sed de hoc fuſiùs infrà.

Hic paragraphum hunc finio, claudóque aurea illa D. Ambroſii ſententia:

a Apolog. David c. 3. *Non te vincat concupiſcentia formæ: ſi non vis vinci, non congrediare peccatis, ne de te vitia coronentur.*

SEXTUM PRÆSIDIUM

A circumſpecta, & rariore virorum cum fœminis converſatione: & contra fœminarum cum viris.

VTrumque jungendum putavi, quia utrumque periculi plenum, & caſtitati inimicum, quod Divus Hieronymus diſertis verbis aſſeruit, dum ſic in Epiſtola ad Pammachium: *Nihil eſſe periculoſius viro, quàm fœminam, nec fœminæ quicquam periculoſius, quàm virum.* Cujus rationem hanc ſubjicit, addidítque ex vero, *utrumque ignem eſſe, utrumque ſtipulam.*

Quòd ſi tam vir, quàm fœmina *ignis* eſt: quodſi & hæc, & ille *ſtipula*; ſi proximiores fiant nimia & familiari converſatione, eveniet & huic, & illi quod ſtipulæ, & igni; ſtipula ab igne flammas concipit, & ignis à ſtipula trahit alimentum: ſic & mulier à viro flammas accipiet impuri amoris, & vir à fœmina ſtipulas inveniet, velut ignis ſui pabulum, atque alimentum. Et inde tam huic, quàm illi ex vicinia, & converſatione periculum, & caſtitatis certior jactura, quam & indicaſſe viſus B. Gualterus è ſacra Divi Franciſci familia religioſus in paucis.

Wadingus in Annal. Minor. To. 1. An. 10. Is enim opportunè, importunéque rogatus à quadam prænobili Domicella, cui nomen erat Maria Garxia, ut ad ſuas ædes vel ſemel veniret pii colloquii causâ: cùm iterum, iterumque, ac ſæpius recuſaſſet; tandem victus illius precibus; imò & lacrymis, venit: ſed ignem una manu geſtans, & altera paleam: quam ut igni admovit, ſtatim & ignem concepit illa, & in flammas, ac cineres abiit.

Ubi hoc ſpectaculo oculos pavit, tum ſic etiam verbulis illius aures. ſic enim ad eam:

Domina ideo tuum recuſo alloquium, licet pium, & religioſum: quia quod paleæ ignis proximus, hoc Religioſis ex mulierum familiaritate: ignem illa concipient; ignem & hi.

Dixit, & tacuit; illa verò rubore penitùs ſuffuſa ſeſe ſubduxit, & deinceps moleſta eſſe deſiit. Hic autem ſolitudini ſuæ redditus, docuit quod viro à fœminæ converſatione periculum: quod & alia ſimilitudine expreſſum voluit B. Iordanus, qui virum & fœminam cum terra, & aqua componit; & hæc, & illa ſeorſim, ac remotior, formam retinet, ac naturam: illæſa quippe, atque integra tam hæc, quàm illa: at ſi jungantur tam terra, quàm aqua; in lutum degenerat, & naturam quodammodo mutat, tantum & huic, & illi à vicinia, atque mixtura damnum eſt: quod ſi pleriſque omnibus damnum, certè & omnibus periculum: quod altiore, ut aſſolet, eloquentia exprimit D. Cyprianus. Juvat illum audire etiamnum ſpirantem in ſcriptis, in quibus alia, atque alia ſimilitudine periculum, quod eſt à fœmina, quaſi ſub oculos ponit: ſic enim de ſingularitate Clericorum:

Nunquam ſecurus cum theſauro latro tenetur incluſus, nec intra unam cavernam habitans cum lupo, tutus eſt agnus. Alligabit quis in ſinu ſuo ignem, & veſtimenta ejus non comburentur? ambulabit ſuper carbones, & pedes illius non ardebunt? lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe ſperat. incerta victoria eſt, inter hoſtilia arma pugnare. Et impoſſibilis liberatio eſt flammis circumdari, & non ardere. Difficile quis venenum bibet, & vivet. Verendum eſt dormienti in ripa, ne cadat. Qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. In hac parte expedit plus benè timere, quàm malè fidere.

Hæc acutiore ſtylo D. Cyprianus; quo cum conſpirat Divus Hieronymus, qui ſic aliquando Virgini, quæ Clerico cohabitabat:

Quid tibi neceſſe eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habes, quotidie aut perire, aut vincere? Quis unquam mortalium cum vipera ſecuros ſomnos capit? quæ, etſi non percutiat, certè ſollicitat. Securius eſt perire non poſſe, quàm juxta periculum non periiſſe. *Epiſt. 47.*

Hæc S. Doctor nervoſa, ut ſolet, eloquentia. Hæc, inquam, Virgini, hæc & tibi, pagellam hanc quiſquis legis.

Neque mihi dixeris tibi domi adverſus eas molliculæ carnis illecebras, atque blandimenta præſidium eſſe; præſidium dico à parta jam virtute, à vita ante acta, & in caſtitatis palæſtra exercitata, ab altiore, qui tibi eſt, animo, nec ad lutum illud unquam abjiciendo. Ne, inquam, id mihi dixeris, ne à virtute, & meritis adeptus prætidentior, ne ſecurior ſis, Auguſtinum audi, de hoc ipſo, qui tibi eſt periculo differentem. faciet ille te alieno periculo cautum. Sic ille de hoc:

Cedros libani ſub hac peſte cecidiſſe reperi, de quorum caſu non magis ſuſpicabar, quàm de Ambroſii, vel Hieronymi impudica turpitudine.

Cedros libani vocat à virtute, & meritis præcelſos animos, qui jam cœlum ipſum altiore vertice videbantur attingere, & tamen ab hac peſte reperit cecidiſſe: *peſtem* appellat illam cum altero ſexu converſationem, atque familiaritatem; à qua is eis fuit caſus, quem nec in Ambroſio, nec in Hieronymo extimuiſſet. Bina jungit ævi ſui lumina, doctrinæ ſanctioris, virtutúmque lumina, de quorum turpitudine non magis ſuſpicari potuiſſet, ac timere, atque de illorum caſu: attamen illorum caſus in oculis fuit, ac luce univerſi, non ſine ingenti ſtupore: & non erit etiam tuus, qui non es inter *Cedros Libani*; ſed via inter humilia myrteta, atque dumeta? erit certè ni caveas, ni abeas ab occaſione, & peccandi periculo; hoc eſt à nimia, ac frequenti cum altero ſexu converſatione; à qua in præceps acti, qui in cœlo nidum quodammodo ſibi poſuerant, & fortiſſimi quique emolliti ceciderunt.

Plinius author eſt mulierum alloquiis ſolere mulceri Leones: verúmne, hic non diſputo; ſit illud ſub lite: at extra litem hoc eſt, eos, qui à conſtantia, & fortitudine Leonis robur videbantur conſecuti, à muliebribus blanditiis ſuperatos: quæ etiam mens fuit D. Cypriani, cujus hoc pronuntiatum: *Lib. 8. c. 16.*

Quantos Leones domuit una muliebris infirmitas delicata? quantos & Hercules. *De ſingul. Cleric.*

Aiunt Antiqui mirandum Herculem, exuviis Leonis, ut fortitudinis amiculo venerandum, cum ad mulierculam quandam veniſſet Lydam, evirati, proſtitutum, puellarum choris mixtum, & & crocota muliebri tectum linum carpſiſſe, & non tam filum heræ ſuæ, quàm æternam ſibi ignominiam perneviſſe: abjecta nimirum Leonis pelle, & robore ejurato, ſe in mancipium unius mulierculæ tradiderat: adeo potentes illius illecebræ, adeo ad illas infirmum, atque impar Leonis robur; cujus probè conſcius

B. Franciſcus Senenſis, Servita. Hic cùm jam eſſet miraculis clarus, eorum luce, ac ſplendore ad ſe alliciebat etiam fœminas principes quæ ad illum venire frequentes non alio conſilio, quàm ut ſe ejus orationibus

In hiſtoria Servitarum

nibus impensè commendarent. Quid hic Vir Dei in paucis caſtus? recuſare illarum alloquium videbatur inurbanitatis, & offenſioni graviori obnoxium, admittere periculi plenum, ſaltem ab earum frequentia permoleſtum.

Quid igitur? à Dei Matre, cujus erat amantior, enixè petiit ſibi immitti ſurditatem, petiit, & impetravit. Maluit nimirum Vir ſanè religioſus eo corporis vitio licet inprimis moleſto laborare etiam in omni vita, quàm pati alloquium fœminarum, ex eoque vel minimam, quæ fortè aſpergi poſſet, labeculam, aut certè illius adire periculum.

Quod ille in reliquo vitæ curſu: hoc Urſicinus Presbyter, vir divinis propè moribus, & præſtabili ſanctimonia pollens, & qui quadraginta totos annos in miniſterio ſacro caſtiſſimè tranſegerat: hic cùm eſſet in extremo morbo, & propè ſenſuum uſu carens, ad eumque ejus quondam uxor acceſſiſſet, leviqúe tactu pertentaſſet, num adhuc aliqua eſſet arteriæ micatio, index vitæ; an verò è corporis cuſtodia exiiſſet anima: ut tactum ſenſit vir divinus, in ipſa propè morte, collectis viribus hæc ad Præsbyteram, quondam, ut dixi, conjugem: *Recede à me mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle.*

S. Gregor. l. 4. Dialog. c. 11.

Cepit illicò fructum pudicæ voluntatis: nam ſubitò ſe illi videndos obtulerunt Apoſtolici chori principes, Petrus, & Paulus, & cœleſtibus onerati coronis viæ duces fuerunt ad beatam æternitatem.

SEPTIMUM PRÆSIDIUM
A carne edomita, & ſubacta.

2. 2. quæſt. 151. art. 1.

CASTITATEM *à caſtigando* nominatam putat D. Thomas, ex eo ſcilicet, quod ut ſalva ſit, atque illibata, debeat adhiberi corporis caſtigatio. Quid enim potiùs?

Eſt corpus animæ, quod hero ſervus, quod domino vile mancipium, ideóque duriùs haberi debet, non molliùs, ne inſoleſcat.

Duriùs tractandum eſt corpus, ne animo malè pareat, inquiebat Seneca.

Cor. 1. 9.

Et ita tractavit Gentium Apoſtolus, qui ſic de ſeipſo: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.*

Eſt corpus veluti jumentum, velut aſellus aliquis, qui modò flagris tundi, & contundi, modò fame, atque inedia macerari, & tantum non confici debet, ut animo, ceu ſeſſori, benè ſit.

Et ita confecit S. Hilarion, qui quoties aliquam corporis pugnam ſentiebat, ſic illi inſultare ſolitus:

D. Hieron. in ejus vita.

Ego, aſelle, faciam, ut non calcitres, nec te hordeo alam; ſed paleis: fame te conficiam, & ſiti; gravi onerabo pondere, ut cibum potiùs, quàm laſciviam cogites.

Ita etiam corpus tractavit, ita confecit D. Gregorius Nazianzenus, qui ſic etiam de ſeipſo ſcripſit:

Equidem in hac canitie, corpus lanio, oculos premo, diurnus, nocturnuſq; curis ter miſeram animam conficio, ut eam à flamma extraham: & ne ſic quidem, niſi admodum ægrè, corpus in poteſtate habeo.

Hæc S. Præſul ætate gravis, canitie venerabilis, frigido jam, effœtóque corpuſculo: illud tamen laniat, illud conficit, & hoc, ut *à flamma extrahat*: flamma dico concupiſcentiæ: & tu juvenis, in flore ætatis, in æſtu adoleſcentiæ, corpore vivido, & præfervido, id non facies? facies certè ſi animam, ſi corpus è flamma libidinis, impurique amoris, extractum velis.

Ita extraxit D. Benedictus, qui cùm inuſitatum libidinis ardorem ſentiret, ſe nudum in urticas, atque in ſpinas induit, ſicque (uti advertit D. Gregorius) *Voluptatem traxit in dolorem, & vicit peccatum, quia mutavit incendium.*

In vit. c. 2.

Ita D. Bernardus cùm fortè leviùs oculos in fœminam conjeciſſet, ultor ſui generoſus, in ſtagnum gelidæ aquæ inſiliit, ſeſeque immerſit collo tenus, ibique tamdiu manſit, dum acriore gelu, frigidoque aquæ elemento, omnis concupiſcentiæ ardor extingueretur.

Henriquez. in Fasc. SS. Ord. Ciſt. l. 1. diſt. 4. c. 21.

Ita S. Franciſcus Aſſiſius ad reſtinguendum ſimilem ardorem, tempeſtate perfrigida nudum corpus in cumulos nivis abjecit: ut calorem frigore vinceret, & æſtum æſtu meliore. Sed antiqua, inquies, ſunt iſta, & longo, ſæculorum lapſu detrita: demus alia recentioris memoriæ. In hoc argumento, non tam verbis, quàm exemplis certandum eſt: hæc enim fidem faciunt, non iſta.

Initium ducemus à fœmina, ſexuque infirmiore. Sancia Carillo cum in ſeipſa vehementiùs ignem libidinis accendi ſentiret, doleretque, cum gelida extinguendum rata, auſu ſanè virili, hyeme ſumma, nocte perfrigida, in cupam pluvialibus aquis plenam, propè glaciatam, nuda inſiliit, & collo tenus tamdiu immerſa perſtitit, dum penitus extinctus eſſet ardor. Audax profectò, & heroïcum facinus in fœmina, quod ſuſpicient omnes, imitabuntur pauci, cuneulæ ſuæ nimis indulgentes, & valetudinis fortè plus æquo amantes. Dicent enim primam ſanitatis habendam eſſe curam, nec auſu temerario violandam.

Non abnuo, nec te ad ſimilia audendum provocari velim, niſi ad ea te impellat amor è cœlo ſpiritus: ſed neque ita abjicè, ut etiam leviores corporis vexationes horreas, ad leviuſculum valetudinis damnum.

Audi quid ea de re ſentiat, & loquatur D. Hieronymus: ſic ille quondam ad Salvinam viduam:

Melius eſt ſtomachum te dolere, quàm mentem imperare corpori, quam ſervire: greſſu vacillare, quam pudicitia. Ne porrò ſic vacilles; néve etiam hac in parte abeas à prudentiæ regula, aut in extrema deflectas; in te aut nimis indulgens, aut rigidus nimis; duo tibi veluti præcepta ſub oculos ponent Divi Patres.

Primum erit D. Gregorii Pont. Max. In his corpuſculi afflictationibus, *neceſſe eſt*, inquit, *ut artem quiſque continentia teneat, quatenus non carnem, ſed vitia carnis occidat.*

Lib. 30. Mor. c. 14.

Alterum erit D. Bonaventuræ: cenſet ille, *quod corporis moleſtia, ut proprio judicio non ſunt admittendæ; non tamen recuſandæ ſunt alieno. A ſeipſo in ſeipſum rigida debet eſſe cenſura.* Ne porrò rigidior ſit quàm recta ratio poſtulet, ſtandum erit, non tuo judicio; ſed alieno: ejus maximè, qui in ſpiritu tibi Pater eſt. Sed & hæc verbulo indicaſſe ſit ſatis, inſtitutum proſequamur; & videamus quid in hoc auſi generoſi pugiles, caſtimoniæ retinendæ amantiores, ex his aliquos producam, ut tibi ad aliquid etiam audendum animos faciam.

B. Ioachimus, Rogerio Siciliæ Regi, in paucis erat familiaris, eique & in amoribus, & in ſumma gratia, quam ſcilicet conciliarat eximia virtus, in qua miræ ſunt amoris illecebræ. Et hanc, & illam invidit meretricula, ſpopónditque futurum ut ad ſcelus illiceret. Venit igitur meretricio cultu, formâque, atque in cellulam admiſſa etiam lectuli conſortium petiit impudenti auſu. Quid hic Ioachimus? Nulla fuit mora, lectulum ſtravit ductis è foco carbonibus bellè accenſis, tum illi ſeſe inſtravit latere nudo, una ſcilicet ignei lectuli parte: relictâ alterâ, in quam, ut cubaret mulier, invitavit. Quid hic illa? Primùm attonita hæſit, tum ut vidit innoxiè incubare carbonibus, illuſtrem viri caſtimoniam demirata, ſeipſam damnavit, & amores illos ſuos; tum ad Regem Rogerium rediit, rem geſtam ex ordine narravit, & facti mirè pœnitens in Venuſiæ monaſterio ſeipſam incluſit. Tanta fuit exempli vis, quæ ut major ſit, addemus alterum recentioris memoriæ.

Henriquez. ſupra l. 2. diſt. 14. c. 2.

Foro... ...ccl... tèn agebat P. Laurentius Fuccinenſis Capuccinus, & concionem in diem proximè ſequentem parabat concubia jam nocte, cùm ecce de repente ſe in cubiculum penetravit fœmina ſpecioſiſſima, flagitioque prompta; imo & anſa hominem ad libidinem provocare. Quid hic generoſus Athleta Caſtitatis? Ubi periculum, & flammam circa ſe animadvertit; libris, & ſcriptioni intentus, ſcorto ne quidem appellato, digitum lucernæ jam accenſæ admovet; immittit, conſtanterque in illa retinet, uſque dum caro diffluceret. Mira ſanè & corporis, & animi conſtantia. Sicque ignem igne vicit, & digitum aduſſit, ne animum aduretet. Qua fortitudinis prodigio & victa meretriculæ illius impudentia, & malevolorum invidia, qui illam ſubmiſerant, ut concionatorem (qui contra illas libidinum ſordes è pulpito fortiter declamarat) iiſdem inficerent, ſicque illi authoritatem adimerent, & bonum nomen, quod ſibi fecerat vir ſanè in paucis religioſus.

Hiſtor. Capucc.

Ejuſdem generis, & fortitudinis eſt illud; quod de Antonio Roſilæo ordinis Minimorum memorant illorum Annales.

Patiebatur ille inſurgentis concupiſcentiæ ſtimulos, & inde etiam ignes, & flammas, quas ut extingueret: in ea ſpiritus cum carne pugna, igne ſibi pugnandum eſſe duxit. Ergò ſiniſtræ pollicem flammæ admovit, & interim hæc ipſe ſecum:

Age corpus meum, age mollicula caro, experire, quid tibi virium ſit ad ignem æternum? Hic enim ſequitur ad ignes impuri amoris.

Dixit, pugnavit, vicit, triumphavit, digito quidem probè uſtulato: ſed animo deinceps libero, atque ab illis incendiis immuni. Tantum intereſt vel ſemel generosè ſeipſum viciſſe. Et ſic teipſe vincas oportet, Amice Lector; ſi fortè tibi aut blandiatur mundus, aut titillet caro, aut dæmon ſcintillas excitet impudici amoris: has igne meliore vinces; atque extingues.

Quod ſi tibi non tantum ſit animi, & roboris, ut vel extremum digiti in ignem immittas: ſaltem animo, & cogitatione teipſe in infernum demitte: dicque tibi in aurem: Age anime, poteriſne habitare cum igne devorante? cum ardoribus ſempiternis? quod ſi non poteris: certè neque in igne luxuriæ, neque in incendiis inceſti amoris.

Hìc ſtylum è membrana ſubducere parabam, cùm ecce incurrit in oculos, illuſtre facinus S. Bernardi Calvonii, Abbatis ſanctarum Crucium.

Hic dum fortè vicinum caſtellum ingreditur, occurrit cuidam fœminæ, quæ ejus pulchritudinem demirata, maximè verò candorem, ac nitorem dentium, ab admiratione delapſa in impuros illius amores.

Henriquez. in Faſc. SS. Ord. Ciſter. l. 2. diſt. 9. c. 3.

Interea pulpitum conſcendit pius Præſul, & ad frequentem concionem multa dicit in illa verba: *Si oculus tuus ſcandaliſat te, erue eum, & projice abs te.*

Hæc dum jactat concitata quadam vi orationis, & miro animi ardore, monetur inſtinctu divino, amari ſe impurè à fœmina ob candorem dentium. Senſit impetum Dei ſe monentis, & Evangelici textus, quem è pulpito explicabat. Nec mora, lapide (qui fortè tunc ad manum fuit) ſpectantibus omnibus, omnes omninò dentes confregit, expuit, & in fœminas illas acriùs inſurgens, conjecit, ſparſitque, adjecta etiam vehementiore quadam reprehenſione propter impuri illius amoris æſtus: ſic enim ad illas:

Reſpicite miſeræ pulchritudinem dentium, qui jam nihil aliud ſunt, niſi putrida oſſa ſepulturæ; uti & mea pulchritudo aliquando cibus vermium. O miſeræ, dentes potiùs ſpirituales quærite, qui animæ cibum frangant, comminuant, digerant.

Hic omnes invaſit ſtupor, occupavit gemitus, & fœminas illas ſalubris pœnitentia, lacrymæ, ejulatus, quibus ubi datum eſt ſatis, ex illis duæ, cæteris & genere, & forma ſpectabiles magis, ad Sancti Præſulis pedes ſeſe abjêcere veniam ſupplices petiêre, mundóque valere juſſo ſacrarum Virginum Aſceterium ingreſſæ, vitam omnem in eo exegêre, & quàm ſanctiſſimè diem ſuum obiêre.

Et hunc finem habuit ea concio, & tragicus ille actus, quem fortè damnabit aliquis ex humanæ rationis, ac prudentiæ genio: laudabit alius ex cœleſti impulſu, quo abripiuntur nonnunquam grandes illæ animæ: quibus ex eo venia danda, quod altiore inſtinctu id moliantur, & faciant.

Certè ut ſibi, & ſuis redditus eſt Sanctus Præſul à monachis quà dolore, quà amore, quà etiam reverentia erga Patrem, blandè increpitus, vel ex eo, quod ſacro Oratori impedita loquela, & vox articulata; & ſimul etiam cibi ad vitam ſuſtentandam neceſſarii oportuna maſticatio, quibus ille:

Dominus JESUS, *qui dixit: Si oculus tuus, vel pes ſcandaliſat te, projice abs te, providebit.* Hæc ille, ſpei plenus, atque in Deum fiduciæ, quæ certè non defuit: ſed providit etiam miraculo. Nam licet edentulus totus, & articulatè, uti aliàs, loqui, & cibum maſticare probè.

Hoc nimirum amabilis Dei providentia conceſſit, & ſimplici obedientiæ, quæ paret ad litteram, & caſtitati, cujus in paucis amans fuit bonus Præſul, & inſigni, quo valuit animarum zelo; quo ſi præditus id agas quod ille; nec tibi deerit eadem cœli providentia, uti nec illi defuit:

OCTAVUM PRÆSIDIUM

A ſedula, & arctiore ſenſuum externorum cuſtodia.

ABiit in vulgus tritum illud adagium:

Tria ſunt tenerrima: *Oculus*, *Speculum*, & *Caſtitas*. *Cuſtodia ſenſuum.*

Oculus quidem, ut qui ne pulviſculum patiatur.

Speculum, quod nec minimum oris halitum.

Caſtitas, ut quæ ne leviuſculum quicquam admittat, quin & inficiatur, & labefactetur tota; ideoque ut illorum ſedula & diligentior haberi debet cuſtodia: ſic & hujus quam arctiſſima; & quidem

Primo *Oculorum*. quorum enim potiùs? hi quippe *ſunt in amore duces*, indeque & *prima adulterii oculorum tela ſunt, ſecunda verborum*, ut ſcitè D. Auguſtinus, ideoque cuſtodiendi, & vallandi ſunt illi quàm maximè; & hoc quia, qui oculo inficit, atque vincit; & Virginitatem, inficiat, ac vincat eſt neceſſe. Et hoc quia & hæc, & illi propè idem ſunt; ut annotavere Sapientes Græci, apud quos una, eademque vox *κορὴ* & pupillam oculi, & puellam, ceu Virginem, ſignificat, ut vel ex eo intelligas Virginem cuſtodiendam ut pupillam oculi, adeoque & Virginitatem. Et hoc quidem inſigni oculorum cuſtodia, quam ab ipſa Eccleſiæ infantia commendatam Christianis omnibus fuiſſe probant antiquorum ſcriptorum monumenta; inter quæ illud Tertulliani:

I. Viſus.

Serm. 87. de Temp.

Tam ſancti Viri eſt ſubfundi ſi Virginem viderit, quam ſanctæ Virginis, ſi à viro viſa ſit.

L. de Veland. Virgin. c. 2.

Et hoc D. Baſilii, qui Libavii ſcholam ingreſſus, rogatusque ut ad ingenuos adoleſcentes aliquid diceret, monuit *pudore ornari, demiſſos habere oculos, ſurſum animum.* Quam oculorum modeſtiam ſimul & verecundiam à Chriſto hauſtam oſtendit Venerabilis Beda, ad illa D. Joannis de Chriſto verba: *Cùm ſublevaſſet oculos* IESUS, hoc, inquit, memoravit, *ut diſceremus, quod oculos non erigebat huc, atque illuc.*

Et ita didicerunt à Chriſto Chriſtiani, quibus nec elati oculi, nec emiſſitii, & vagi; ſed modeſtè demiſſi, imò & ex eorum voto probè clauſi.

Ita

Ita *S. Ephram* etiam à meretricula benè doctus. Hæc fortè in virum Dei oculos defixerat, cui ille: *O mulier dic mihi, cur me uſque adeo intueris?* cui illa: *Quia ex te viro ego ſum, tu autem me ne reſpicis quidem; ſed in terram, ex qua ſumptus es, oculos tuos retorques.* Notarat procax mulier demiſſos Viro ſancto oculos, & probarat allato etiam eleganti apophtegmate.

Bollandus, 1 Febr.

Et ita demiſſos habuit, ſervavitque è Societate JESU Coadjutor in Collegio Cordubenſi ſacriſtanus; quem *D. Tereſia* in exceſſu mentis vidit in cœlos educere numeroſam animarum turbam, cujus ipſe dux erat, atque anteſignanus. Hic, ut in omni virtute excelleret, maximè verò in oculorum cuſtodia, cujus argumento eſt illud, quod annis omnino triginta, quibus Æditui officio functus eſt, Virginea quadringentas, quas vulgo devotas appellamus) omnes diſtinguebat ex voce, ex facie ne unicam, quia ne unius unquam faciem viderat, adeo ſui obſervator & oculorum cuſtos egregius: uti & illi qui oculos benè claudi maluerunt, quàm malè cuſtodiri.

Lancicius opuſc. XVII.

Et ita ſancta mulier nomine *Daria* cum orbata eſſet oculis à *S. Brigida Virgine* penit oculis benedici, ut vel ſemel mundum aſpiceret, & oculum mundi hujus, id eſt Solem: benedixit illa, & vidit: at iterum tangi oculos, & claudi voluit: tetigit *Brigida*, & rurſum oculos clauſit, ceu geminas animi feneſtras, quas occludi maluit *Daria*, quàm non benè cuſtodiri.

1. Febr.

Ita etiam *B. Iordanus* Dominicani Ordinis Generalis Magiſter, cui cùm ex morbo periiſſet unus oculus, convocatis ad ſe fratribus, ſic ad illos:

13. Febr.

Fratres agite gratias Deo, quia ego jam unum perdidi inimicum. Rebatur nimirum, & rectè, oculos ſibi inimicos, gaudebatque ſi è duobus, unum ſaltem perdidiſſet.

Ejuſdem mentis, & animi fuit Venerabilis *Cæſar de Bus*: hic utroque orbus lumine, cùm audiſſet cœcitati ſuæ indolere quamplurimos, cathedram conſcendit, atque ad frequentem concionem dixit, monuitque ut Deo gratias agerent, vel ex eo, quòd amiſſis duobus oculis, unà etiam duos inimicos amiſiſſet. Et certè ii plerumque ſunt oculi, & ita quidem, ut qui nec armis vincuntur, vincantur oculis. Sic à Madianitis victi quondam Hebræi, de quibus ita eleganter Baſilius Seleucienſis: *Cum armis vincerent, oculis labebantur, pilis, atque haſtis ſuperiores, formæ jaculis vulnerabantur.* At unde ea jacula? utique à forma hauſta per oculos, à quibus etiam ad animos evaduſit alia jacula impuri amoris, eoſque vulnerant, ac perdunt: & certè quidni ſic perderent.

Orat. 6.

Sunt oculi *libidinis pronubi, & quaſi lenæ*, ut advertit D. Baſilius.

Sunt veluti *incorporea quadam manus*, quibus animus apprehenditur, & capitur, ut annotat ille ipſe S Præſul.

De Virginitate.

Sunt veluti *prædones*, qui nos ſpoliant bonis omnibus, Dei gratia, aliiſque cœli ornamentis, quibus ante nitebat mens ſancta.

Sunt *introitus vitiorum*, ut diſertè S. Chryſologus: per eos enim in animæ penetralia introeunt vitia propè omnia, maximè verò Cupido, & Venus; & hujus, atque illius ignes, & ſagittæ.

Serm. 139.

Sunt & *retia*, quibus involvuntur, irretiuntur, & captivantur animi. Sic eos appellandos cenſuit D. Ambroſius, qui voluptatem dum ſuis depingit coloribus, ſic de illa:

Ludentibus jaculans palpebris retia, quibus pretioſas juvenum animas capit.

L. 1. de Abel c. 4.

Ecce ut retia ſua jacit voluptas, atque in animas immittit per oculos emiſſitios, per ludentes, & laſcivientes palpebras, & *telum lethali veneno illitum* admittunt, ut author eſt *Antiochus*, & mollia retia, ut author Ambroſius; ut proinde mirum non ſit cùm ii ſint oculi, ſi eorum tam ſedula, tam arcta debeat eſſe cuſtodia; imò & tam ſancta.

hom. 17.

Certè ſanctam eſſe voluere ſub ipſa Eccleſiæ initia Chriſtiani, apud quos ea invaluit conſuetudo, ut cùm Chriſti corpus ſumpſiſſent, ac deinde, (ut tum moris erat) etiam & ſanguinem, uda adhuc labra manu tegebant, eamque deinde ad oculos admovebant, tum ut eam rem oculis cariorem ſibi eſſe demonſtrarent, tum vel maximè, ut eo contactu Euchariſtiæ vis, & præſentis Numinis ſanctimonia & oculos expiaret, & decore pudicitiæ conſecraret, & firmaret cœleſti illa fidaque cuſtodia, à qua deſcendo ad aliam, quæ eſt Aurium, & Auditus.

Cyrill. Hieroſ. Catech. myſt. 5.

II. Auditus.

Benè cenſuit, benè dixit Plutarchus, cùm pronuntiavit illud Aures eſſe veluti opportunas anſas ad virtutem: & hoc verum eſt quàm maximè in natura integra, nec infecta peccati nævo: at ex illo factæ ſunt viæ ad malum: per illas enim veluti per aditus patefactos, & pervios ingrediuntur vitia, atque ad animum uſque evadunt, per illas intrant inverecundi ſermones, cantilenæ molles, amatoria verba, & inſignis quædam maledicentia, quæ ubi animum ſubiit, eum inficit, ac perdit: ne porro ita ſubeat, inficiat, perdat, audiendus Valerianus Epiſcopus Cemelienſis, qui ſic olim ad ſuos, ſic modo etiam ad nos:

Nemo inſidiantibus cantibus credat, nec ad ea libidinoſæ vocis incitamenta reſpiciat, quæ cùm oblectant, ſæviunt; cùm blandiuntur, occidunt.

Hom. 6.

Ne verò ita ſæviant, & occidant duo caſtis animis, & auribus adhibenda.

Primum ſecandæ ſunt aures, deinde ſepiendæ etiam ſpinis.

Hippocrates libro de aëre, & aqua, & Nyſſenus libro de viribus animæ, ſcribunt auribus aſperſas eſſe venulas aliquas, quæ ſi ſecentur ſteriliceſcit homo, & inſolentis libidinis impetus, aut valdè coërcetur, aut etiam penitus extinguitur.

Cap 4.

Quod naturæ, hoc & virtuti dandum: admovenda eſt auribus medica manus, reſecanda, reſcindenda colloquia, quæ Venerem ſonant, & aliud quidvis à caſta mente diſſonum, adhibendaque, ut ait Tertullianus, *Ornamenta aurium, Dei voces.*

In Scorpiac. c. 8.

Et ita adhibuit S. Bernardinus, qui etiam ad verbulum turpe rubere totus, & pudore ſuffundi, cujus probè conſcii ſocii omnes, etiam alias diſcoli, ſi fortè quid ejuſmodi in colloquium intuliſſent, adventante Bernardino, illico conticeſcere, aut ad alia converti, adjicereque illud: *Taceamus, taceamus, ecce Bernardinus.* Nimirum hæc illi erat aurium cuſtodia: quæ eadem & tibi. ſed & alia quoque

Ea erit à ſpinis; ex illo ſapientis vel monito, vel oraculo, quo docuit *aures ſepiendas eſſe ſpinis*, hoc eſt quadam morum ſeveritate, gravi vultu, & ad verba obſcœna tetrico, hoc eſt forti, & acerrima cuſtodia muniendas aures, ne libido per eas introeat. Et hæc tibi erunt pro auditus cuſtodia, cui accedet

Eccl. c. 28. v. 19.

Alia pro *guſtu*. Quis enim neſciat caſtimoniam delitiis, ſaturitate genialis menſæ, popinarum luxu, atque ingurgitationibus graviſſimè oppugnari. Hieronymum audi & ſua, & aliena doctum experientia, ſic ille aliquando:

III. Guſtu.

Non Ætnei ignes, non Vulcania tellus, non Veſuvius, & Olympus tantis ardoribus æſtuant, ut juveniles medullæ vino plena, & dapibus inflammata. Et quia ſic inflammatæ, adhibenda in victu magna moderatio, & acris ac ſevera cuſtodia, à jejunio, & aliis corpuſculi afflictationibus. Et hac, & illud adhibuit D. Hieronymus, Athleta fortis, à quibus (ut ingenuè de ſeipſo) *quidquid in me fuit humoris libidinum excoctum eſt*, atque conſumptum.

Epiſt. 10. ad Furian.

Epiſt. 22.

Hujus exemplo moti, & ratione etiam permoti, eadem caſtimoniæ ſervandæ præſidia attulere alii ſanctitate illuſtres.

B. Henricus Suſo, nunquam uſus vino, niſi die Paſchatis, eóque modico.

S. Richarius pane contentus, & ordeo, & aqua pura, quam & ſuis miſcebat lacrymis, & illa etiam cinere aſpergebat.

S. Euthymius, & alii cum eo Viri Religioſi herbis, & leguminibus victitare ſolin. Mitto alios, & tranſeo ad alterius ſenſus cuſtodiam,

IV. Odoratus. Ea erit Odoratus, qui & ipſe reſtringi debet, ne plus æquo ſeſe effundat ad hauriendos odores; afflata enim odorum ſuavitas mirum quantum animum emolliat atque effœminet, inducatque petulantis cujuſdam laſciviæ ſocordiam, cujus probè conſcii

Divi Patres, aliis, atque aliis appellationibus ſeu totidem coloribus depinxerunt.

Orat. 18. D. Gregorius Nazianzenus, in Theologia facilè princeps, *olfactum* eſſe dixit, *animum effœminantem.*

Catech. 12. D. Cyrillus Hieroſolymitanus, *voluptatis ineſcativum.*

L. 2. Pædag. c. 8. Clemens Alexandrinus, *odores* vocabat *puellares illecebras*, gynæcei proprias, tantum non meretricias.

Epiſt. 8. D. Hieronymus graviore uſus cenſura, *Peſtes, & venena pudicitiæ.*

In c. 5 ad Galatas. D. Chryſoſtomus dicere ſolitus nares accepto ſuavi odore, ſæpiùs impoſuiſſe menti; imò & *lymphaſſe ad voluptatem*, hoc eſt, indidiſſe œſtrum libidinis, & furibundum amoris impetum attuliſſe.

Ecce quæ ab olfactu, & ſuavi illa odorum fragrantia, caſtæ menti pericula, quæ & vitiorum monſtra, quæ ni arceas fideli, ſeveráque cuſtodia te in apertam perniciem trahent.

Ita traxerunt aliquando *Muleaſſem*, Regem Tunis in barbaria: hic inito prælio, cæſus, profligatusque cum celeri fuga ſibi conſulere pararet, ex ea retractus, agnitusque ex molli illa odorum fragrantia, quæ veſtes imbuerat, à proprio filio excœcatus cum duobus liberis.

Quod illi in corpore, hoc tibi in animo eveniet, ſi te ad illam odorum mollitiem enervaris, capieris ea primùm ceu laqueo, dein excœcaberis, & oculum bonæ mentis, id eſt cœleſtium intelligentiam, amittes, ac denique c[illegible]orbus etiam peribis: ſed ne longiùs

Vanio ad alium, qui humano corpori inditus eſt ſenſum, is eſt *Tactus*, cui etiam admovenda arctior cuſtodia, eo maximè, quod ille ſenſus toto corpore ſit ſparſus, atque ut ait Ariſtoteles *inter ſenſus ſit primus*, & ſine quo nullus alius in animante eſſe poſſit.

V. Tactus. Eſt ille etiam omnium infimus, præ cæteris materiæ immerſus, atque ad illius fæcem, & colluvionem abjectus, adeoque periculoſus quàm maximè.

Climacum audi, Virum à religione clariſſimum, *Gradu 15.* ſic ille: *Fit nonnunquam ut ex ſolo tactu corpus inquinetur. Nihil quippe iſto ſenſu gravius, nihil periculoſius.* Gravitatem porro & periculum inde agnoſces, quod Ariſtoteles, voluptates ex tactu perceptas, *L. 3. Ethic. c. 13.* *ſerviles, & belluinas* appellat.

D. Gregorius Nazianzenus *rabiem* quandam; *Orat 6.* D. Baſilius *lenam libidinis*, ut qui hanc provitet, ac *Lib de Virg.* foveat, ideoque cavendus vel maximè tactus, ſeu proprii corporis, ſeu etiam alieni, ſi caſtitati velis benè eſſe cautum: ut enim eleganter, & verè D. *In Vita* Hieronymus: *Tactus, & joci morituræ Virginitatis ſunt S. Hilar.* *principia.*

Teſtis erit Vir alias religioſus, ſimplex, & rectus. Hic affectu, ut opinabatur, ſpirituali, & bono, cum *B. Maria Ogniacenſis*, manum attigiſſet, ſtrinxiſſetque, illico motum in corpore perſenſit inſurgentis libidinis, cujus inſcia cum eſſet illa, è cœlo hanc vocem audiit, *Noli me tangere.*

Nimirum attactum etiam leviſſimum cœlum odit, ac prohibet; utpote periculoſum, & caſtitati inimicum, cujus probè conſcius *B. Iordanus* Ordinis Prædicatorum Generalis magiſter, matronæ nobili ac piæ, manum ſibi fortè tangenti, & abſtinere juſſit, & hæc etiam illi:

Terra bona eſt, & aqua etiam non mala, & tamen ex hujus, illiusq; contactu fit lutum. Quid frigidius ferro, & ſilice, & tamen ex hujus illiusq; contactu, atque alliſione exilit ignis.

Dixit & matronam illam pudore ſuffudit, & deinceps & illi, & ſibi benè cautum voluit: vel ex eo quod vir, & mulier ſit, quod terra, & aqua, quod ferrum, & ſilex.

Ex quibus coronidis loco id conficio. Primùm Viro religioſo abſtinendum ab omni tactu alieni corporis etiam faciei, & manuum; non modo in Virginibus, ac fœminis: ſed etiam in pueris, & adoleſcentibus.

Deinde à tactu arteriæ in puellis, ac fœminis fortè ægrotantibus. Unde nullo modo probare poſſum, in Sacerdotibus, ac Religioſis etiam primæ notæ, eam licentiam, qua tentant arteriæ pulſum, ut ex illius micatione judicent, ſitne, & quantus febrilis æſtus. Videant, qui ejuſmodi ſunt, ne alios ab illo tactu patiantur æſtus & ignes. Id certè Religioſis Societatis JESU ſeverè eſt inhibitum & prudenter, & rectè.

TRACTATUS
DE OBEDIENTIA CHRISTIANA,
ET RELIGIOSA.

Ad illa verba: *Domine, quid me vis facere?* Actor. cap. 9.

IBAT *Saulus* in Damaſcum *ſpirans minarum, & cædis in Diſcipulos Domini; cum ecce circumfulſit eum lux de cœlo*, & in luce ardor quidam igneus, quo velut afflatus in terram pronus concidit, & vocem quaſi tonitruum audiit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Hac voce, ceu tonitru, percuſſus. *Quis es Domine?* inquit: Et ille: *Ego ſum IESVS, quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Quid hic Saulus? Eum jam occuparat timor ac ſtupor, quo victus, & jam alius à ſeipſo exclamat; *Domine; quid me vis facere?* Hæc Sauli vox, hic ſpiritus, hic ardor entheus, quem dum ſuſpicit, & amat D. Bernardus, ſic gemens, ac ſuſpirans ad ſuos; imo ad omnes inclamat: *Quàm pauci inveniun- Serm. 1. de tur in hac perfecta obedientiæ forma. Heu! plures habe- Converſ. mus Evangelici illius cæci, quam novi Apoſtoli imitatores. S. Pauli.*

Ut porrò ea perfectæ obedientiæ forma magis in luce ſit, & alto quaſi die, duas movebo quæſtiones, quarum prima hæc erit, quid ſit obedientia? altera quæ etiam perfecta?

QUÆ.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Domine, quid me vis facere?* Actor. cap. 9.

Quid ſit Obedientia?

I. Eſt virtus univerſa. EAM non preſſiùs definiam, ut fit in ſcholis, & Lyceo: ſed largiùs deſcribam, ut fieri ſolet in pulpito, & fuſa ad populum concione, ex his enim *obedientiæ* deſcriptionibus, ipſa quodammodo ejus natura, atque vis magis eluceſcit, quàm ex preſſiore aliqua illius definitione. Itaque ut ad rem propiùs.

Lib. 5. Ethic. c. 5. Ariſtoteli, Philoſophorum Principi: *Obedientia* eſt *virtus univerſa*, vel quia univerſas virtutes quaſi complectitur: vel quia hac aſſurrexit Univerſi moles, & eadem quaſi continetur, & durat.

In prima illius molitione; rerum omnium fa-
Gen. c. 1. tor, ac creator Deus: *Dixit, & facta ſunt.* En promptam, & celerem *obedientiam*, dicere Creatoris, eſt fieri.

Dixit, & factum eſt cœlum: dixit, *fiat lux, & facta eſt.* fiat terra, & facta eſt; & dividantur aquæ ab aquis, & diviſæ ſunt. Ecce obedientiæ vim, atque energiam; à qua uti ſurrexit Univerſum, ſic & ab illa conſervatur, & durat: ut enim D.
2. 2 quæſt. 104. art. 3. Thomas: Virtus obedientiæ ſpectas ad *ordinem*, quem in mundo poſuit Deus, & ordo obedientiam ipſam oſtendit, à qua mira accedit Univerſo venuſtas, à qua & *κόσμος* dicitus, id eſt ornatus, & venuſtus; quæ venuſtas quamdiu durabit, durabit & mundus, ſi labefactatur illa, neceſſe eſt ut concidat, atque in chaos confuſum, ac horridum redigatur: ut proinde & verè, & præclarè dixerit D. Grego-
Orat. 9. rius Nazianzenus: *Obedientia legem terrena ſimul & cœleſtia tueri, ac conſervare.*

II. Mater, & Cuſtos Virtutum. Huic obedientiæ deſcriptioni affinis eſt illa, quam effert Divus Auguſtinus, cujus hoc effatum.

Obedientia, quæ virtus in creatura rationali, mater quodammodo eſt omnium, cuſtoſq; virtutum. Mater
Lib. 14. de Civit. quidem, quæ eas veluti concipit, ac parit: cuſtos autem, quæ eas nutrit, fovet, ac conſervat.

III. Nota Chriſtianitatis. D. Ignatio Martyri, Obedientia ſymbolum erat, ac veluti nota Chriſtianæ gentis, à qua diſcerneretur ab aliis. Sic enim aiebat: *Revereri præſtantiores;*
Epiſt. 6. *atque majores, Chriſtianum eſt.* Solent oves in vellere admittere ſtigma quoddam, ex quo noris, cujum ſit pecus.

Porrò ſtigma illud in ovibus Chriſti, hoc eſt Chriſtianis, eſt Obedientia: ut è contrà inobedientia, eſt ſtigma Antichriſti.

IV. Teſſera Societat. JESU. S. Ignatius Societatis JESU Fundator, & poſt Deum author, ut ſuos in omni virtute præſtantes amaret: ſic in obedientia planè ſingulares ac præſtantiſſimos exoptabat, aiebatque hanc eſſe minimæ Societatis ſuæ veluti *Teſſeram*: Teſſeram utique ſacræ, ac religioſæ militiæ: quam uti agnovit, amavitque B. Franciſcus Borgia; ſic & cauſus, ut Rudolphi Aquaviva, Societatis ejuſdem candidato animum flecteret.

Societatis ineundæ certus, è paterna domo in noſtram ſe receperat, & hoc præcipiti fugâ: repeti-
Ribad. in hiſt. vit. l. 4. c. 6. tus paternis precibus, mandante etiam Pontifice, tantiſper apud ſuos eſſe jubebatur, tum explorandæ conſtantiæ gratiâ, tum ut aliquid juſto Parentis dolori concederetur. Sed nec Parentis lacrymæ, nec virorum principum (qui domum reducturi aderant) nec Pontificis imperia (quæ ſubrepta eſſe dicebat) apud Adoleſcentem tanti erant, ut quicquam illis putaret tribuendum. Nec enim patiebatur ſe è ſalutis portu abreptum iterum revolvi in fluctus rerum humanarum, etiam ad breve tempus.

Quod ubi advertit Franciſcus Borgia, Præpoſitus Generalis, non aliâ, ad inflectendum adoleſcentis animum, machinâ uſus, quàm objecto obedientiæ nomine, quam aiebat à B. Ignatio datam Societati *teſſeram.* Ea audita ſeſe remiſit Adoleſcentis ardor, & eò quidem, ut ne verbulo quidem mutire auſus, lacrymarum plenus abierit, curruméque fratris conſcenderit.

Valuit obedientia, egregiæ indolis index, & poſt aliquot dies victor ad nos rediit, & tyronibus redditus, ejus ſanctimoniæ jecit fundamenta, cui deinde Salſetanæ palmæ coronam impoſuerunt.

Theophylacto, Obedientia eſt *opus Dei.* V.
Conſidera, inquit, *quod humiliari, atque obedire opus* Opus Dei.
eſt ejus, qui à Deo egreſſus eſt, & ad Deum vadit. Super- In c. 13. Ioan.
bire autem, & inobedientem eſſe, opus eſt ejus, qui à dæmonibus exivit, & ad dæmones vadit.

D. Ambroſio, Obedientia eſt *jugum Chriſti*; ſed IV.
leva, ſed amabile; ſed glorioſum. Sic enim de illo Jugum Chriſti.
melliflua, ut ſolet, eloquentia. *Portare jugum Chriſti*
ſuave eſt, ſi ornamenta putes cervicis tuæ eſſe, non onera. Serm 3. in
Erige cervicem, redimicula, non vincula ſunt. Muta Pſal. 118.
quoque animalia redimiculis gaudent, & phalerari ſibi magis, quàm nudari videntur.

Argumentum petit ab equo, & mulo, quibus etſi non ſit intellectus, geſtiunt tamen ſi phaleras indueris, quibus regantur, & flectantur partes in omnes.

Nobis eſt mens altior, atque intelligentia, quæ obedientiæ vinculis gaudet, ac triumphat. Et ita gaudere docta, atque triumphare S. Mechtildis ipſo die Veneris ſancto, dicunque, quam uti morti ſuæ; ſic & obedientiæ ſacravit Deus homo, *factus obediens uſque ad mortem*, & quidem *Crucis*: quam Chriſti obedientiam dum ſuſpicit, & amat pia virgo, quæritque quid pro illa munificentiſſimo Salvatori impendere poſſit: audiit *obedientiam.*

D. Vincentio Ferrarienſi, *Obedientia* dicebatur, VII.
parvulorum infantia, exemplo petito ab infantia Parvulorũ infantia.
JESU, quæ perfectæ obedientiæ norma fuit, atque exemplar, expreſſum Evangeliſtæ verbis:
Et erat ſubditus illis. Quis? Quibus? exclamat Ber- Luc. 2. v. 51.
nardus, & mox reſpondet: DEUS hominibus, MARIÆ & JOSEPHO: *Deus*, inquit, *cui Angeli ſubditi*
ſunt, cui Principatus, & Poteſtates obediunt, ſubditus erat Hom. 1 ſuper Miſſus.
Maria, & Ioſeph.

Hæc ubi extulit S. Præſul, tum ad Lectorem ſtylum convertit, & ſic inquit:

Mirare ergo utrumlibet, & elige quid amplius mireris; ſive Filii benigniſſimam dignationem, ſive Matris excellentiſſimam dignitatem. Vtrinque ſtupor; utrinque miraculum.

Chriſto Servatori, obedientia *cibus* illius eſt: ſic VIII.
enim ad Diſcipulos, qui fortè ingerebant illud: *Rab-* Chriſti cibus.
bi manduca; quibus mox injecit illud: *Meus cibus eſt,*
ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam Ioan c. 4.
opus ejus. v. 34.

Ita illi pro cibo, pro nectare, pro ambroſia fuit obedientia; hæc una ejus palato ſapere, cætera deſipere.

Eſt in hominibus inſolens quædam cibi appetentia, eáque in variis etiam varia.

Hercules bovinis carnibus impensè delectabatur; Achilles Leonum medullis, Tyberius Cæſar cucumere, Alexander Macedo pomis, Plato ficubus, Archelaus Philoſophus ovis, Iaſon, magnus Jureconſultus, rubro melone; alii aliis cibis capi, atque detineri, non ſine aliquo culpæ nævo, gulæque vitio impotentiora: At Chriſtus unica obedientia paſci, atque oblectari: hæc illi pro omni cibo, proque deliciis. Quæ enim potius? aliæ corpori tantùm ſerviunt, & abdomini, hæc mentem, potiorem

recta

rem utique hominis partem, alit, fovet, ac ſervat æternos in annos. Sed ne longiùs; videamus quæ deinde, & qualis ſit *obedientia*.

IX *Mors voluntaria, ſepultura voluntatis.*

Climaco, *eſt perfecta abnegatio propriæ animæ, & proprii corporis, mors voluntaria, vita ſine ſollicitudine, navigatio ſine damno, ſepultura voluntatis.*

Eſſe autem mortem voluntariam, & ſepulturam voluntatis, ſuos ut edoceret S. Franciſcus Aſſiſius, fratrem aliàs inobedientem, mandavit primò religioſa veſte exui: tum foſſam altiorem erui, deinque in ea vivum defodi ad mentum uſque. tum hæc illi; *Esne mortuus frater?* cui cùm dixiſſet ille. Enimvero Pater ſuum mortuus; imò & ſepultus: tum juſſit extrahi, hoc uno facto fratribus ſuis indicans illud. Obedientem & ſibi mortuum eſſe debere, atque etiam in vivis ſepultum.

Wadingus in Annal. Minorum To. 2. An. 11.

Sit igitur indubitatum illud, quod Obedientia ſit mors quædam. Mors, inquam, non fatali quadam neceſſitate homini impoſita: ſed aſſumpta voluntate; mors, à qua manat vita, non huic corpori, ac luteæ moli: ſed animæ; mors, quæ tamen mortis nomen, & damnum neſciat, quæ vitam donet, & quidem æternam; ubi tamen ab illa quaſi quaſi morte ſucceſſerit, & ipſius voluntatis ſepultura; hanc enim etiam aperit *obedientia*: imò & ipſa eſt illius *ſepultura*; à qua tamen nihil putredinis, nihil fœtoris aſpergatur: ſed potiùs & animæ, & corporis integritas, atque nitor; & ex illa quædam immortalitas, cujus teſtem amo, teſtem appello Aſcharium in ſancta obedientia mirè, dum huic ævi viviret, exercitatum. Hunc poſt obitam feliciter mortem, cùm fortè è ſepulchro invocaret, evocaretque annoſus ſenex; rogaretque, an eſſet mortuus? hanc ex interiore ſepulchri ſpelunca vocem audiit. *Obediens mori nequit.* Sed à Climaco ad Caſſianum veniamus: huic

Climacus gradu 4.

X. *Via ad perfectionem.*

Obedientia eſt velnti *via quadam compendioſa ad conſummatam perfectionem*; ſic eam appellandam cenſuit Joannes Abbas, & ſua etiam experientia docuit. Rogatus enim à ſuis in extrema brevis ævi meta: Qua via ad tantam vitæ religioſæ perfectionem aſcendiſſet, reſpondit hæc verba:

Numquam feci voluntatem propriam, nec aliquem docui quicquam, quod prius ego non feciſſem. Hæc ille, à quo tranſeo ad aliam obedientiæ appellationem petitam ex græca parœmia.

Caſſian. l. 5. Inſtit. c. 8.

XI. *Mater felicitatis.*

Huic, *Obedientia felicitatis eſt mater,* Petitur illa ex doctis Antiquorum monumentis, in quibus hæc aiunt: σωτῆρα, id eſt ſoterem, ac ſoſpitatorem in uxorem duxiſſe πειθαρχίαν, hoc eſt *Obedientiam*, ex quo conjugio ènata proles quam dixere εὐπραξίαν, id eſt *felicitatem*. Et hinc illa, ut dixi, parœmia; ἡ πειθαρχία τῆς εὐπραξίας μητήρ. *Obedientia felicitatis mater.*

Apologus eſt, & ingenioſum figmentum, ex quo veteres illi ſophi nos doctos voluerunt, Obedientiam ortu eſſe divinam, & mortalium genus feliciſſimis eventis, & beatitudine complere.

Quod illi quaſi per nebulam intuiti ſunt; id clara in luce vidit ſapiens, qui Obedientiæ felicitatem, atque immortalitatem pollicetur; ait enim de illa: *Radix eſt immortalitatis*, non illius, quæ vitæ huic ſervit, ac tempori: ſed quæ cœlo, atque æternitati. Ut enim D. Auguſtinus: *Sola obedientia tenet palmam, ſola inobedientia invenit pœnam.*

Cap. 15 v. 5.

In Pſal. 70.

Ita palmam obtinuit R. P. Petrus Faber, unus è decem Sancti Ignatii ſociis. Juſſus ab hoc Neapoli Romam redire ſummis caloribus, qui Romanum cœlum primò ſubeuntibus peſtiferum reddunt.

Hanc perfectionem diſſuadebant amici, ipſique etiam medici, monebantque ut cunctaretur paululum, dum pluviæ æſtum frangerent nihilominus conſtanter ire perrexit, adjiciens illud dignum Poëteris: *Homini religioſo obedire eſt neceſſe: vivere non eſt neceſſe.* Dixit, paruit, ivit, & ſimul obedire, ſimul & vivere deſiit.

Rho hiſtor. Virt. l. 4. c. 6.

Verùm non diſſimulavit è beata cœli regione palam facere, quæ ab hac obedientiâ conſecutus eſſet præmia; ſe enim videndum obtulit amico cuipiam, beata luce collucêtem, docuitque obedientiam illam, quæ mortali noxia fuerat; proficuam immortali ſibi fuiſſe, magnâ gloriæ, ac felicitatis acceſſione; quam ſcilicet unam ſpectabant, & qui imperabat, & qui parebat.

Hæc tradidit Andræas Oviedus, Abiſſinis deinde datus Patriarcha.

XII. *Virga Divina.*

Venio ad poſtremam obedientiæ deſcriptionem, quæ alias propè omnes complectitur, & omnia obedientiæ bona continet, atque oſtendit. quod ſcilicet *Virga* ſit quaſi *divina*, quæ quidquid attigerit, vertit in aurum.

Antiquis aliæ, atque aliæ nominatæ Virgæ.

Una fuit *Chemica*, aut *Magica*, cujus contactu omnia mutabuntur in aurum. Nempe hæc Veterum opinio fuit Virgas hujuſmodi fuiſſe tam potentes; unde & natum adagium, ut quod evenerat beatiſſimè ad opulentiam, id *divina virgula* contigiſſe dicerent.

Altera fuit *Virga* Moyſis, qua cœlum aperiebat, dividebat maria, & è ſicca rupe eliciebat aquarum fontes uberrimos.

Alia fuit *Virga* Minervæ, cujus attactu Ulyſſem efficiebat juvenem, ac mirè formoſum, & eundem cùm vellet, ejuſdem virgæ vi deformabat in ſenem, rugoſum, pallidum, invenuſtum.

Alia fuit *Virga* Mercurii, quam credebant ſtupendorum operum artificem. Et hæc pleraque omnis è doctis Poëtarum commentis petita, atque hauſta; ſi *Virgam* Moyſis exceperis, & hujus imitatrices, quas artibus mali dæmonis habere voluerunt Magi Pharaonis, mirabilium etiam effectrices.

Ego iis relictis ad mores tranſeo, illudque ex veritate pronuntio: *Obedientiam* eſſe *Virgam* propè *divinam*, quæ meliore via, modóque; quidquid attigerit vertit in aurum; non illud, quod è terræ ſinu eruitur, quod oculis fulget, quod avaris eſt in pretio: ſed quod bonis mentibus eſt in primis curis, atque amoribus, videlicet *Aurum* opimi, atque divitis apud Deum magni: eſt enim ea obedientiæ vis, ut actiones cæteroquin nullius apud Superos, Deumque pretii, faciat eſſe miri valoris, ac meriti: exemplis res evadet illuſtrior.

Dormire, in belluis opus eſt naturæ: in hominibus ſæpè ſocordiæ: in obediente verò aurum eſt, & gemma; & ſi quid his pretioſius: eſt enim & meriti capax, & conciliandæ æternæ felicitati valet, parandæque gloriæ deſervit. Ita obediens cùm dormit lucrum facit, & quidem ingens, ac cœleſte.

Comedere, bibere, ludere, in hominum vulgò ſæpe intemperantiæ eſt: in obediente autem & virtus, & meritum, & corona: adeo verum illud, obedientiam eſſe veluti *Virgam divinam*, quæ omnia, etiam viliſſima vertit in aurum meriti, & coronam beatitatis.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Domine, quid me vis facere?* Actor. cap. 9.

Quæ ſit perfecta Obedientia?

DIvo Bernardo interprete ac judice in his ipſis Apoſtoli verbis, primóque limine converſionis invenitur *perfectæ obedientiæ forma*; in qua tres omnino partes:

Serm. 1 in Converſ. S. Pauli.

Prima

Prima fuit *Obedientia prompta*: A cœleſti luce, qua circumdatus, & quaſi fulgure percuſſus, atque proſtratus fuit *Saulus*, audit deinde & illud: *Surge*. ſurrexit illico: *Ingredere civitatem*, ingreſſus eſt, nec ſecum ipſe diſputavit, nec tergiverſatus eſt, nec de cæcitate, qua affectus erat, conqueſtus, nec ullam aliunde moram, ac remoram injecit: ſurrexit, abiit. En *Obedientiæ* pars prima.

Altera eſt, *Obedientia tota*: accipit enim & illud à Chriſto, ſeu judice, ſeu vindice, *Et dicetur tibi*. Non interrogat ecquid dicetur? A quo? Quando? Ubi? Nihil horum quærit, nihil expectat: unum illud: *Et dicetur tibi*; hoc nimirum obedienti eſt ſatis. En *Obedientiæ* pars altera.

Act. c. 9. Poſtrema eſt, *Obedientia fortis*, & ardua ad audendum, ad patiendum etiam quidlibet: cujus teſtes illæ Chriſti ad *Ananiam* voces: *Ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

Ab hac Apoſtoli obedientia, & quæſtioni propoſitæ facio ſatis, & longiùs elabor ad illas perfectæ obedientiæ partes, quarum prima hæc erit

§. I.

Obedientia prompta.

In Reg. c. 5. DIvus Benedictus Aſcetarum inſignium Patriarcha, de ſuorum obedientia loquens, hæc extulit: *Moram pati neſcit in faciendo*, & paulò poſt exponens illam ipſam celeritatem obſequentis animi; ſic ait: *Ex occupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede, jubentis vocem facto ſequi.*

D. Benedicto conſentit D. Bernardus, qui ſic de obediente & piè, & magnificè.

L. de præcep. & diſpenſ. *Verus obediens parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manum operi; & ſe totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis.*

Divis Benedicto, & Bernardo amplius aliquid D. Hieronymus, qui agens de genio monachorum in vaſta Ægypti ſolitudine, hæc de illis:

In Reg. Monach. c. 10. *Subditi antea conabantur juſſa implere, quàm forent emiſſa, & quibuſdam quodammodo indiciis nitebantur prophetare de voluntate mandantis.*

Sic antequam hæc in actum, in imperium abiiſſet, jam parebat ſubditus, & non tam ſibi impoſita, quàm imponenda complebat. Cujus rei clarum exemplum præſtat in Beato Epiphanio Ticinenſi Epiſcopo, de quo adhuc Diacono, cùm Præſuli *In vita Epiphan.* Criſpino inſerviret, loquens Ennodius ita prædicat:

Pes illius erat oculus, dextera, cujus miniſterio quidquid optaſſet fieri, ante juſſionem ſuam videbat impletum. Præſentiunt enim bonæ mentes eorum deſideria, quibus cum integritate famulantur.

Hujus porrò obedientiæ tam promptæ, & celeris Ænigma, ſunt jacta de cœlo fulgura, de qui- *Cap. 38. v. 35.* bus illud Jobi: *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia, dicent: Adſumus.* Ita nimirum priuſquam jubeantur fulgura, eunt, revertuntur, & dicunt: *Adſumus.* Tam prompta, & expedita obtemperandi contentio; quæ ut apparet, & micat in fulgure: ſic & viſitur in obediente; cujus illuſtre exemplum habes in D. Bernardo.

Dum altior emineret in ipſo orationis æſtu, à ſeipſo abiit, & in illo mentis exceſſu JESUM vidit, ejuſque aſpectu, ac colloquiis mirè recreatus eſt: ſed ecce dum his fruitur, importunus ad aures appellit campanæ domeſticæ ſonitus, atque ad everrendam domum evocat.

In ejus vita Quid hîc Bernardus? abire à ſuaviſſimo JESU, à ſuis amoribus, ac deliciis, enimvero grave, ac durum; non abire, evocante campana, ſeu ſuperioris lingua, etiam nefas: abit illicò Bernardus; ſed non abit JESUS, ubi enim mundata ſcopis domo ad cellam ſuam rediit: JESUM reperit eodem adhuc hærentem veſtigio; audiitque illud à Chriſto: *Niſi abiiſſes, Bernarde, ego abiiſſem.* Ita nimirum inobedientes deſerit Servator optimus, & obedientibus conſtanter adhæret.

Ita adhæſit S. Lutgardi: hæc enim cùm Chriſti colloquiis & ſæpiùs, & familiariùs uteretur; ſi quan- *Lilia Ciſter. tom. 1.* do obedientia aliò evocaſſet; candidè ſolita dicere: *Expecta me hic Domine JESU, ubi me expediero, celeriter ad te revertar.* Et verò expectabat JESUS, adeo amans erat, & patiens obedientiæ, cujus probè conſcius P. *Gonzalus Sylveria*, ut natalibus illuſtris, ſic & illuſtrior effuſo Chriſti causâ ſanguine.

Hic acceptis à Conimbricenſi Rectore litteris, quibus ex urbe Portuenſi jubebatur Conimbricam quamprimum redire, repente ſe pedibus in viam dedit, nihil moratus ſocium, viroſque alios graves, qui tantulam moram ſuadebant, dum calcei feſtinatò reſarcirentur. *Aiebat enim obedientiam non pati moram, multum referre, quàm citò fiat, quod præcipi-* *Allegambe de ejus geſtis, & morte. c. 25.* *tur, tùm in iis, quæ ad obedientiam pertinent, non hora; ſed etiam horæ pars exigua, magnum ſæpè virtuti afferat detrimentum. Denique, ut in conferendis beneficiis; ita in exequendis Superiorum mandatis, quantum adjicitur moræ, tantum demi gratiæ.*

Dixit, & paruit: hyeméque perfrigida, atque humida, nulla penitus interpoſita mora iter arripuit, & quidem, quod mirere, nudis pedibus: ſicque aqua, & luto perfuſus, poſt dies aliquot Conimbricam venit, omneſque attonitos habuit tam ſingularis, & promptæ obedientiæ exemplo.

Sed hæc in religioſa quiete obedientia prompta; audi ut etiam in ſæculi tumultu, & ampliſſimæ familiæ curis.

S. Franciſca Romana, dum in oratione occupa- *In ejus vita.* tur tota, ſacróſque verſiculos decurrit, ecce à marito importuniùs evocatur: paret illicò, eundémque verſiculum tertiò interrumpit, nec abſolvit. Placuit Æterno Numini ea obediendi alacritas, atque promptitudo, & miraculo etiam probata: nam ille ipſe verſiculus litteris aureis concinnè expreſſus apparuit, non ſine illius ſtupore, & obedientiæ miraculo; quod ut in hac, ſic & in aliis dedit amabilis Dei providentia: ex innumeris unum adhuc alterúmve ejuſdem generis hîc etiam inſeramus.

Fuit inter antiquiores eremi incolas, qui ſcriptione præpeditus, & à Superiore evocatus, littera etiam imperfecta relicta, eò, quo jubebatur evolavit, quam reverſus auro perfectam invenit: nimirum apud Superos tota aurea eſt illa obedientia; quod & docebit noſtra hæc ætas.

In monaſterio Villanovano Virginum Tereſianarum, cum fortè abeſſet à choro, quæ lectionem nocturni officii recitare debebat, *Anna de S. Auguſtino*, vitæ ſanctimonia, & miraculis per Hiſpanias clara, juſſa eſt alterius vices ſupplere, & lectionem nec prævíſam, nec præparatam publicè legere: paruit illa, atque ad pulpitum feſtina acceſſit, & breviarium (quod fortè in duas partes erat diviſum) circumſpexit, & contrariam imprudens ſumpſit, & ecce, quæ nuſquam ibi lectio excuſa erat, ſubitò tota litteris aureis deſcripta apparuit, vel ad maximam promptæ obedientiæ commendationem, vel etiam *Hiſtor. ord.* ad præmium, quod, ut in hoc genere, ſic & in aliis probatum voluit Deus etiam miraculo. Patebit iſtud, non verbis, ſed rebus, atque exemplis.

S. Adelheidis Virgo fortè vinum promebat è cupa, cùm ecce evocatur ſubitò à cellaria, illa, utpote, quæ in obedientia neſciret moras, non obfirmato epiſtomio, imo verubulo ſecum aſportato abit, & ſe cellariæ ſiſtit; tum etiam matri; ac deinde, ſibi quodammodo reddita memor non obturati epiſtomii, abjicit ſe in genua, culpam agnoſcit

veniamque precatur: cui religioſa mater: Ne turberis, ſoror; ſi quod eſt damnum, reparare poteſt qui dives in omnes Deus: eamus interim in cellam vinariam. Eunt unà, & ecce comperiunt ne guttam unicam è vaſe effluxiſſe, Deo confirmante celerem illam Virginis obedientiam etiam miraculo; ut intelligas ex eo, ſi tibi curæ ſit obedientia, cætera ipſi Deo curæ fore.

In vita S. Columbani. Ita curæ fuit S. Columbani diſcipulo, & religioſo in paucis obedientiæ dedito. Promebat & hic vinum è vaſe, cùm ecce derepente à ſuo Præſule accitus, abit aperto etiam epiſtomio, nec memor, niſi diutiſſimè poſt, non obfirmati vaſis, ad cellam redit, ratus effluxiſſe quidquid erat in vaſe. Et certè effluxerat; ſed quod mirere, in aëre ita pendulum, ut ne gutta unica in terram decideret, ne gutta periret: non vinum dixiſſes; ſed quaſi nubem in aëre pendulam. Adeo ferax miraculorum obedientia.

§. 2.

Obedientia cæca.

Cap. 4. VErus illud, & veriſſimum Zachariæ oraculum: *Super lapidem unum ſeptem oculi ſunt.*

At quis ille lapis? & qui oculi? locus implexus, ac difficilis, in quo deſudant Interpretum ingenia, calamique. Ne multis te morer, Amice Lector, omiſſis aliorum Doctorum opinionibus, inhærebo ſententiæ B. Damiani, utpote quæ plurimum facit ad meum inſtitutum. Lapis ille Chriſtus eſt; Iſaiæ *Lapis angularis, pretioſus, in fundamento fundatus.* *Cap. 28.* *Oculi* ſunt Prælati, ac ſuperiores, qui etiam ſubditorum ſuorum ſunt oculi; ex vero enim obediens non alios habet oculos quàm Prælati, ac ſuperioris, cætera exoculatus, & cœcus.

Probemus illud ingenioſo Poëtarum commento, è quo tamen clara lucidáque micat veritas.

Finxerunt illi Phorcidem habuiſſe tres filias, eáſque miræ venuſtatis: ſed nulla proprium, ac peculiarem habebat oculum; ſed uno communi utebantur, quem induebant cùm neceſſario eſſent è domeſticis latebris in publicum lucémque proditura. Erat autem ille Patris oculus.

Figmentum eſt, & plenus myſterio apologus: ſi oculis ſubjicit, edocétque in religioſâ familiâ unicum eſſe debere oculum, & quidem Patris, hoc eſt Superioris, qui verè Pater eſt: eo uti debent filiæ, hoc eſt, animæ religioſæ, cùm ad opus exeunt, cùm aliquid moliuntur: ab hoc probè oculatæ, cætera cœcæ.

Eo certè uſus Apoſtolus, qui hæc de ſeipſo melioribus obedientiæ typis: *Captivo intellectum in obſequium fidei.* *1. Cor. 10.* Eſt intellectus humanæ mentis oculus, & eum captivavit, & quodammodo ſibi eruit, ut non alio oculo videret, quàm Dei, hoc eſt, ſupremi Domini.

Eo uſi etiam cæteri Apoſtoli, qui cùm viderent à Chriſto ſibi deſcriptum vitæ genus multis, & magnis difficultatibus circumſeptum, & ſupra hominum fidem laborioſum, nihilominus (ut rectè annotat S. Baſilius) *ſubmiſſa mente, judiciique cervice, obedientiæ jugum ſubiêre, alacriq; animo in pericula, in judicia, in contumelias proceſſêre.* *Conſt. Monaſt. c. 22.*

Eo etiam uſi primævi illi monaſticæ vitæ ſtudioſi. E multis unum producam, is erit *Antonius*, cognomento, & re etiam ipſa *Magnus*, in S. Paulum ſimplicem, qui relicta uxore adultera ad monaſterium venerat, & primùm repulſus; dein admiſſus fuerat, in obedientia cœca exercendum duxit: Primùm enim contextum funem juſſit retexere labore multo; tum etiam denuo contexere: panem menſæ apponere, eique aſſidere, nec tamen comedere, tum etiam aquam tota die haurire, ac deinde effundere, denique veſtem, qua tegebatur, diſſolvere, ac denuo conſuere, quæ omnia bonus ſenex obedientiæ ſtudio, atque amore explevit, nec verbulo conqueſtus de labore inutili, ac vano; ita nimirum (ut Climaci verbis utar) *pio motu inexaminato, & indiſcuſſo*, ad jubentis ſe voluntatem accommodabat; judiciumque illi ſuum omnino ſubmittebat, judicium dico, hoc eſt, bonæ mentis oculum, ne alio uteretur quàm Patris, id eſt, Superioris, quod obedientiæ cœcæ munus fuit, & pia quædam exercitatio, in qua etiam noſtra hac ætate mirè excelluiſſe viſus Sebaſtianus Davinus, apud Lugdunenſes Societatis noſtræ tyro, obedientiâ etiam Veteranis invidendâ.

Bollandus 27 Ian. in vita S. Antonii c. 8.

Jacebat in horto aridus ramus temerè abjectus eum terræ mandare juſſus, & aquam quotidie affundere uſque dum vireſceret. Paruit ille nullâ præabſurdi imperii interpretatione uſus. *Rho hiſtor. Virt. l. 4. c. 6.*

Videri poterat, & rideri vaniſſimus labor, niſi eum probaſſet eventus, docuiſſetque ab obediente etiam vinci naturam, & cœlum ipſum; quod optimi Adoleſcentis obedientiam commendare voluit etiam miraculo. Nam ab illa multorum menſium irrigatione, viror rediit, & ramus jam arbuſcula novas frondes induit, auctáque ad juſtam altitudinem; tyronibus (qui eam *obedientiæ arborem* appellavêre) exemplo fuit, atque admirationi.

Demus aliud Obedientiæ ſpecimen etiam in tyrone. Granatæ in Provincia Bœtica inter Novitios erat Juriſconſultus, & Advocatus antea nobilis, *Conſalvus Eſquinelius* nomine. Hic quo minus in rerum divinarum meditatione quieſceret, ſicuti avebat, gallinarum quarundam irrequieto garritu perturbabatur. Quam moleſtiam ægrè diu perpeſſus, tandem Rectori ſignificat. Rector interrogat, admonueritne eas unquam ut tacerent; aienti & ſe comminatum iis ſæpius; ſed fruſtra: reponit Rector, redi, & adito, capite aperto, & appoſito ad os digito, humiliter, ac benignè per Dei amorem precare, ut taceant. *Sacchinus P. 2 hiſtor. Societ. l. 8. n. 236.*

Subridere hic Doctor: atque, inquit Rector, id age. Mira res! gallinæ, ut cùm maximè perſtrepebant, infert ſe in medium ſcienter imprudens Doctor, utque erat juſſus nudo vertice appellat, cùm ecce derepentè garrulæ aves obmuteſcunt, protenſiſque collis omnes immobiles conquieſcunt. Quin etiam, quæ in ſublime, quaſi chorum ducens, aſcenderat, vocalior & moleſtior cæteris, deſiliit in humum, ſilenſque admiſcuit ſe ſilentibus; crederes obedientiæ cœcæ vim ſenſiſſe, & cœco etiam modo paruiſſe.

Sed iſta, recentioris ſunt memoriæ; demus aliud antiquioris in Veterano duce.

Is erit Abraham, qui (ut ait Apoſtolus) *obedivit* in locum ire, quem accepturus erat in hæreditatem, *& exiit, neſciens quò iret.* *Ad Hebr. 11. v. 8.* O cœcum fidei luminibus inclytum! exclamat Orator aureus, *exiit neſciens quò iret*: præclara, & laudabili cœcitate præditus.

Sed quæ, inquies, eſt iſta prudentia? quid enim? ſi ad truces, & barbaras nationes? quid ſi ad pruinas gelidi Septentrionis? quid ſi ad Leſtrygonas neſcio quas in humanâ effigie belluas? Obedienti parum intereſt, non eſt illi oculus, qui iſta ſpectet, eſt oculi cœleſtia, quo utitur iſta videre, iſta diſcernere. *Ego*, inquiebat ille Iſaiæ voce, *ante te ibo*, ego ducam, & hoc obedienti plus ſatis. *Cap. 45.* Huic in omni vita, & curſu actionum, votum eſt illud, quod olim Gizerici Vandalorum Principis, qui cùm magnum exercitum comparaſſet, & impoſuiſſet in naves, ſublatis jam anchoris, intentiſque velis; cùm peteret gubernator quò duci vellet, *Quò*, inquit, *jubet Deus.* *Procop. l. 1. de bel. Vand.*

Quod

Quod ille ex ſuperbia, & tumore; hoc religioſus ex obedientiæ lege. In hoc mundo, ceu vaſto mari navigat. At quò? ne quære, *quò jubet Deus.* Fælix omninò navigatio, cui nihil ad fælicitatem deeſſe poteſt, cui nullus alius eſſe poteſt portus, quàm ſalutis, atque æternæ beatitatis.

Sed ea vitæ alteri, hoc eſt immortali, reſervata fælicitas: demus etiam, quæ huic mortali vitæ reddita. In hac certè corporis ſanitas, corporis eſt fælicitas, & propè ſummum illius bonum, & hæc quoque conceditur obedientiæ cœcæ.

S. Columbanus cùm advertiſſet ſuos ferè omnes à graviore ægritudine lecto affixos in valetudinario diſtineri, illud ſubingreſſus, imperat ut è lecto ſe proripiant omnes, atque ad horreum properent, ut è manipulis ac ſegetibus frumentum excutiant validis lacertis. Videri poterat inſolens id præceptum, inſolens & labor, maximè debili corpuſculo, & artubus à morbo diuturniore tantùm non ſeactis. Paruit tamen plerique, & è lectulo promptiſſimi exiliunt. Pauci alias, atque alias excuſationes obtrudunt: hic capitis vertiginem, ille manuum, pedùmque contractionem, & ſtuporem; alius toto corpore ſparſam ægritudinem; alter id genus laboris imponi cui vix par eſſe poſſit robuſtiſſimus quiſque: hæc illi in obedientia malè oculati, quibus illicò S. Præſul: *Cùm ita vultis, per me licet, manete in valetudinario, & in veſtra illa ægritudine, in ea certè ad annum manebitis.* Et ita factum eſt, Deo exigente inobedientiæ pœnam: uti è contra in præmium cœcæ obedientiæ, aliis omnibus & vires additæ, & ægritudo omnis depulſa, redditáque firmior quàm unquam aliàs valetudo.

In vita S. Columbani.

Tantum apud Superos valuit obedientia cœca: At rurſum quæ, inquies, eſt illa?

Opera S. Franciſ. Tom III. exemplo 2.

D. Franciſcus eam exponere ſolitus familiari ſimilitudine. Vidi, aiebat, non ſine dulci animi mei ſenſu, unum aliquem cœcum, quem ducit parvulus catellus, & quem ſequitur, quocumque ducit: ſi lutoſa ſi aſpera eſt via, ſi & ardua, & hac ducentem ſequitur: uti & contra, ſi munda, ſi plana, ſi facilis, & illa ſequitur: ſi domum ſubit catellus, ſi Eccleſiam, ſi locum quemlibet alium, & illum quoque ſubit cœcus cœcum in morem, ut cœcus corpore, ſic & animo: fidit nimirum illi animalculo; & totum ſe illi credit; nec ſine ejus ductu pedem movet. *Et talis*, inquiebat D. Franciſcus, *eſſe debet verus, & perfectus obediens, ad obediendum cœcum eſſe expedit, oculos in obſequium Prælati claudere, & de præceptis non velit diſcernere.*

Exemplo 1.

Ille ipſe S. Franciſcus, ut rem illam in aperto poneret, uſus & alia comparatione. Da mihi, inquibat, cadaver hominis emortui, illud locabis ubi volueris, pone in molli lectulo, pone in purpura, tum ex hoc depone in nuda humo, in cinere, & ſacco, cadaveri nihil intereſt; pone humi, pone in ſublimi & nihil intereſt, nec hic movetur, nec iſtic, nec quicquam ambit, nec quicquam refugit. Et is ſit obediens oportet.

Hic verus obediens eſt, qui cur moveatur, non dijudicat, ubi locetur, non curat, ut transmutetur, non inſtat, evectus ad officium, ſolitam tenet humilitatem, plus honoratus, plus ſe reputat indignum.

Part 6. Conſt. c. 1. §. 1.

Ecce genuinam cœcæ obedientiæ ſpeciem, quam & alia ſimilitudine depingebat *S. Ignatius* Societatis JESU Fundator. Huic obediens ſimilis baculo, quo utitur ſenex, ut ſenile corpus ſuſtentet, ut greſſum regat, & labantia membra, ac pedes debiliores firmet, ne ceſpitent, ne offendant.

Porro baculo utitur ſenex pro arbitrio: ſit aura pluvia, ſit via lutoſa, ſit & lubrica, nil baculo refert. Sic nec obedienti quid agat; nil enim diſcernit, nil judicat, certus ire, quò vocarit obedientia nullo diſcrimine; quia cœco.

R. P. Lobbetii Tractatus Aſcetici. Tom. 17.

§. 3.

Obedientia fortis.

OBEDIENTIÆ vis, ac fortitudo dignoſcitur ex variis.

Primum, ex illa ipſa, quam ante dixi judicii ſubmiſſione, qua fit ut obediens proprio judicio ſeſe abdicet: & Superioris oculo duci ſe patiatur partes in omnes, ut cœcus ſolet. *Primò.*

Alterum, ex abnegatione propriæ voluntatis quam edomare, ac vincere difficillimum eſt, quod liquidò conſtabit, ſi conſtet quid ſit voluntas propria. *Secundò.*

D. Bernardo, eſt *crudelis beſtia, lupa, vipera, lepra nimis peſſima*: & hinc tale obedienti certamen eſt cum propria voluntate; atque eſſet cum crudeli beſtia, lupa, vipera, & lepra peſſima. *Serm. 4. de Reſurrect.*

Et inde viri graviſſimi in obedientia quoddam martyrii genus agnoſcunt.

Antiochus Aſcetica vita nobilis, voluntatem propriam exſcindere, perinde aiebat eſſe, ac ſi proprium effundas ſanguinem, ideóque homini imputari pro victimâ, & ſacrificio. *Serm. 39.*

Quæ fuit opinio B. Theodori Studitæ, qui dicere ſolitus ſequi alienam voluntatem eſſe *aliis cunctis ſtudiis ſublimius, & martyrii habere diadema.* *Serm. 58.*

Quod ipſum confirmavit Climacus, cùm dixit hominem religioſum Obedientiæ legibus aſtrictum, eſſe *perpetuam naturæ violentiam*, cui proinde, ut longo martyrio, debentur lauri, palmæ, immortaleſque coronæ. *Gradu 4.*

Tertium, quod *Obedientia* eſſe debeat circa perſonas *univerſa*, & patens quàm latiſſimè, quæ non ſpectet conditiones imperantis, ùtrùm bonus, aut eruditione clarus, aut proſapia, & domo nobilis; hoc ſolo contenta, quod legitimè imperet. *Tertiò.*

Hinc D. Petrus, cujus os ſine dubio cortina eſt cœli, monet, ut etiam *dyſcolis* pareatur. græcè σκολιοῖς nominavit. Eſt autem σκολιὸς pravus, & tortuoſus, & naturæ genio præfractus, mente obſtipa, & qui minimè cum aliis conveniat, cui proinde ſubjici, atque obedire arduum eſt, ac difficillimum quàm maximè. *1. Pet. c. 2.*

Quartum eſt, quod *Obedientia* circa res ipſas eſſe debeat etiam *univerſa*, hoc eſt, ad res omnes, ad omnia mandata, in quibus non apparet peccati nævus, & macula: ſint illa quantumvis gravia, oneroſa, atque abjecta, & cum propria voluntate pugnantia, imò & plena periculi, & cædi, mortique obvia; quo in genere eminere viſa eſt obedientia P. *Conſalvi Cardoſi.* *Quartò.*

Cùm emitteretur hic in vicinum pagum ut Sacramenta fidelibus adminiſtraret, Deo revelante didicit ſi illuc iret, ſe indubiè occidendum: nihilominus Superiori eò mittenti dixit: Læto, & hilari animo id ſuſcipio itineris, quia obedientia mihi vitâ eſt carior: velim tamen ſcias me eò non perventurum; neque ad te reverſurum unquam. Ibo tamen quo jubes. Prædictione reſpondit eventus: cum enim jam eſſet in via, ſic ad ſocium: Inſtat moriendi tempus, tibi conſule, & fuga elabere, teque præſenti periculo eripe: ego pergam quò fata vocant, quò Superior, & Deus jubet. Pergit porro, & ecce mox è vicino nemore, elabuntur latrones efferi, illum adoriuntur, & inflictis vulneribus fœdè ſolo inſternunt, ac trucidant. Ita cecidit nobilis Obedientiæ victima, quia ſic cadere voluit, & vitam etiam immani ferro amittere maluit, quàm Obedientiam; adeoque hæc illi pretioſa. *Godinus, l. 1 c. 10.*

Contra hanc Obedientiæ legem, invictumque robur peccant quàm maximè, qui in rebus dumtaxat facilibus, gravioribus, atque ad hominum laudem opportunis Superiorum dictis obediunt; in vilioribus autem, & difficilioribus recuſant.

Peccant & ii, qui ut magna, & graviora exequantur ſedulo, at minima facilè contemnunt; vel ob id unum quod minima videantur, & ſint.

In ejus vita *B. Magdalena de Pazzi* ad ſorores dicere ſolita: Si vel in minimam Inſtituti noſtri Regulam impingas, impingis in pupillam oculi Servatoris noſtri: qui & regulas diligit, & curat ut pupillam oculi, etiam minimas. Et ego, inquiebat, pro minimo Ordinis ſtatuto ſervando, parata eſſem etiam mundi, ac tyrannorum tormenta omnia ſubire. Eo apud illam in pretio erat vel minima regula, ex ea, quam hic tracto ſanctæ Obedientiæ lege. Ut porro qualis eſſet diſceremus, Iſaias nos ad beatorum cœtum evocavit.

Ibi Seraphinos, qui proximè ad Deum accedunt, vidit alatos, volanteſque, quæ argumenta ſunt promptiſſimæ erectæque voluntatis ad omnia obeunda miniſteria, quæ Parens Univerſi mandaverit: ſed in illis ipſis alis myſterium arcanum eſt, quod cùm ſenas alas haberent, non ſupremis in volatu utebantur, ne dedignari humum viderentur, & domicilium tantum Beatorum affectare; neque rurſus illis, quos ad pedes habebant, ne terræ amici, & affixi huic mundo infimo: ſed medias agnabant duas, quæ pectori, & cordi reſpondent; non ſine myſterio, quod benè enodat Lyranus: eum fieri illud ait, ad deſignandum, quod ſupremi illi ſpiritus, ſemper ſint parati, & ad divina aſcendere, & ad inferiora deſcendere ſecundùm Dei voluntatem.

Et hos imitari debent Viri religioſi: hos & Chriſtiani omnes, ut ſive à Præſulibus ad humilia obeunda, ſive ad ſublimia evocentur, prompti ſint, & velut alati ad juſſa omnia fideliſſimè exequenda: niſi fortè aliquod ſcelus, & malitiæ fraus imperetur. Ubi enim Dei Numen violatur, nulla debet eſſe obtemperatio, & audiendum illud Apoſtolicum.

Act. 5. *Oportet Deo potiùs obedire; quàm hominibus.* quod luce rationis vidit Seneca, cujus illud grave pronuntiatum: *Contra Rempublicam imperata non facient, nulli ſceleri manus accomodabunt.*

Vidiſti, Amice Lector, tres illas perfectæ Obedientiæ partes, eas ſpecta, & ama in actu unico. Erit hic ab Alfonſo Roderico, Societatis JESU Coadjutore, Viro ut in aliis ſingulari, ſic & in obedientiæ ſtudio illuſtri. Ex uno illius actu diſce omnes.

In ejus vita Explorandi gratiâ juſſus eſt aliquando ire ad Indos: è veſtigio, ut erat in domeſtica tunica, ire incepit; atque ab janua revocatus, rogatuſque, qui ſine pallio exire domo, & ſine publicis litteris iter ingredi auderet, aut quò demum iturus eſſet toto diſcluſus mari? Reſpondit, ſibi de pallio, & litteris nihil fuiſſe imperatum: iturum ſe porrò fuiſſe ad littus, tum ſi quæ occurriſſet navis, conſcenſurum illicò; quod ſi nulla eſſet in promptu, mare ipſum collo tenus ingreſſurum, cætera Deo permiſſurum; cujus ſcilicet nutu agerentur Superiores, & ipſe quoque obediens ageretur; ulteriora quærere non eſſe perfecti obſequii.

En cœcam, en promptam, en fortem Obedientiam, quæ ſibi nihil omninò ſervatum vult, quæ nec horret lata maria, nec pericula refugit, nec regiones quantumvis incultas, & barbaras, nec aliud quodvis aut timet, aut amat: ſed unum illud, quod obedientia dederit: quia ſcilicet in ea eſt, ut lutum in manu figuli, ut ferrum in officina fabri, quod tundi ſe patitur, & contundi, fingique formas in omnes.

Iſidoro Alexandrinæ Civitatis viro primario, poſtulanti in quoddam monaſterium recipi, dixit ejus magiſter, ſi Chriſti jugum induere velis, te totum obedientiæ ſubjice; ab eâque te fingi, formarique patere. Cui ille: *Sicut fabro ferrum ſubjectum eſt: ſic & ego obedientiæ ſubjici velim.*

At ferrum ita fabro ſubjectum eſt, ut & igneſcat totum, ut & gemat malleum inter & incudem, ut tundatur, & contundatur, ut formetur figuras in omnes: ſic & obediens, forti ſanè & maſcula obedientia, eſſe debet in Superioris ſui manu, & ſacratiore Religionis officinâ.

§. 4.

Motiva quædam ad amorem, & praxim Obedientiæ perfectæ.

ETſi Virtus omnis potentes habeat ad ſui amorem illecebras, quia tamen illæ non cadunt ſub ſenſum, ideo perſæpe minus movent: nec tam facilè allabuntur ad animum: ut porro allabantur, eumque incitent vehementius, opus eſt quibuſdam motivis, velut calcaribus, quibus & pungatur, & incitetur, è multis producam pauca. Et quia hæ meæ conciunculæ, potiſſimum ijs inſcribuntur, qui ſunt è minima Societate JESU, primum incitamentum, erit ex eo quo gaudet nomine, hoc eſt è Societate JESU: id eſt (ut eum venia dicam) è Societate Obedientium, qualis fuit JESUS primus illius parens, & auctor: quis enim potius? *I. Motivum.*

JESUS quantus quantus fuit, obediens fuit. Probemus illud in toto vitæ illius ſerie, initio ducto à primo limine. Illud fuit *Incarnatio.* Et hæc obedientiam prætulit, reddiditque Æterno Patri; ad quem Davidis ore, calamoque ſic JESUS: *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam poſui in medio cordis mei.*

In fronte libri, hoc eſt vitæ meæ uti ſcriptum, ſic & à me expreſſum illud, ut *facerem voluntatem tuam*, ô Pater Æterne, & volui, & feci, nec è ſinu tuo in ſinum Virginis deſcendi, niſi Duce obedientia.

Neque deinde in ſtabulum veni, niſi etiam eadem comite: dum enim Auguſto Cæſari obedit mater, obedit & pater è tectis Bethlemiticis in ſtabulum relegor, ibique primam aſpicio lucem, itaque naſcor ſocia ſemper obedientia, quæ & in vita comes mea: dum è Jeroſolymis in Nazareth deſcendo, deſcendo & *ſubditus illis*, matri ſcilicet, ac patri nutritio, & hoc unum eſt, quod ab anno ætatis duodecimo ad trigeſimum retulere Evangeliſtæ mei, quaſi in ea ſubmiſſione, devotaque obedientia vitæ meæ compendium eſſet: & verò fuit, fuit & in vitæ reliquo, in quo *meus cibus* fuit facere *voluntatem ejus, qui miſit me Patris*, meæ & in ea agenda delitiæ, quæ & fuere etiam in ultima brevis ævi meta: in qua pendens è cruce eam extuli vocem, obedientiæ meæ teſtem, *Conſummatum eſt*, & ſic emiſi ſpiritum, non emiſſurus certè, niſi omnia Patris Æterni præcepta fuiſſent impleta. *Ioan. c. 4.*

Quæ Chriſto dum in terris eſſet in amore fuit obedientia, eadem & cœlis addito fuit, atque imprimis, ut in ea Societate maneret, quam ſuam eſſe voluerat; Societate dico, quæ JESU dicitur, & eſt.

Probabit illud oblata aliquando ſpecies Virgini ſpectatæ virtutis, ac ſanctitatis: fuit illa *B. Ioanna ab Alexandro*, Neapolitana, cui divinitus objecta ea, quæ ſubjicio.

Orabat illa ardentius pro Societate noſtra, cùm ecce derepente viſum eſt ſacellum cœleſti quadam lumine collucere, tum in altari thronus aureus, cui inſidebat ipſe Chriſtus, quatuor è cœleſti curia circumdatus Angelis, ad cujus dextrum latus viſebatur beatiſſima Dei Mater, miro ſplendore radians, toga candida, pallioque coloris cærulei adamantibus conſpicuo: tum etiam ad ſiniſtrum latus *B. Ignatius* needum in Sanctorum numerum à ſede Apoſtolica relatus.

Erat

Erat huic facies micans, atque irradians, qualis ferè ſtellis, ac Soli, veſtis nivea, carbunculis majoribus, & quaſi ignitis diſtincta; cingulum etiam coccineum, dives ſanè, ac nitens adamante, & ſapphiro cœlis ipſis æmulo, qui oculos caperet, raperetque ſuo ſplendore, quæ omnia dum in exceſſu mentis legit prædicta Virgo, viſa eſt videre Ignatium, qui ad genua Chriſti ſupplex accidere, & Societatem univerſam ei offerre ducto initio à P. Claudio Aquaviva tum Generali Præpoſito, quem, uti & alios omnes dum aſpicit, monſtratque omnibus apertum latus, utique caſti amoris domicilium: iſta deinde ad Joannam:

Scias, ô filia mea, mihi eſſe ſummè gratum, quod à me petis, quia mea Societas eſt, quam ſemper teneo intra cor meum.

Et hoc fuit amoris in ſuam Societatem, illud etiam paternæ curæ, quod adjecit:

Ferre non poſſum, ut in mea Societate ſit aliquis notabilibus defectibus laborans, ideo volo tales ſubitò ex ea dimitti, quod pro eorum bono, qui in ea perſeveraverint, permitto.

Hæc ubi dixit, tum & addidit illud, quod & amantis fuit, & ſimul benè conſulentis:

Scias quoque filia me velle hanc Societatem meam ſic appellari quamdiu mundus durabit, & volo mea ut imitetur veſtigia, atque ut potiſſimum cæca obedientia in ea vigeat.

Denique converſus ad Matrem omnes è Societate ei donavit ut filios, eorumque curam omnino ſingularem haberi voluit.

Et hanc cœlo auſpice oblatam *Ioannæ* ſpeciem ipſa adhuc ſuperſtite Romæ deſcripſit *R. P. Lancicius*, vir magni inter nos hominis, atque authoritatis, ex quodam manu-ſcripto *R. P. Ludovici Manſoni* Provincialis Neapolitani. Ex quo id ſedulò notari ve-
Opuſc. XVII lim, quod facit hic ad meum inſtitutum, amaſſe, & voluiſſe Chriſtum, ut in ſua Societate vigeret *obedientia* ſuis numeris abſoluta, atque potiſſimum, quæ dicitur & eſt *cæca*, utpotè illi quodammodo indita vel ex ipſis cunis, vel ex Chriſti voto, atque imperio, cui parere neceſſum eſt omnes Societatis JESU alumnos, ſi modo ii eſſe veline reipſa, qui ſunt nomine Societatis JESU non degeneres filii, neque etiam ipſi S. Ignatio inviſi: dico inviſi, quia
II Motivum. neque eos æquis oculis intueri poteſt, neque in domo ſua diu pati; ab illa abeant eſt neceſſe, qui ab obedientia vel levius abierunt: quo in genere, ut antiquum illud, ſic & ſtupendum quod refert *P. Alegambe*, in opere, cui titulum fecit Heroes charitatis.

Vivo adhuc, ac ſpirante *Ignatio*, in Romana domo jacebat æger, cui medicus pharmacum media nocte ſumendum præſcripſerat.

Ut erat *Ignatius* in ægrorum ſalutem planè intentus, accerſito *P. Bernardo Oliverio*, qui fortè tunc miniſtrum agebat, operosè commendat, mandatque ut pharmacum illud conſtituta hora (erat illa noctis media) præberi curet.

Bernardus idipſum infirmorum curatori refert, ſenoque commendat. Ubi inſonuit hora, noctis medio ſurgit *Ignatius*, ægrotum adit, quæritque ex eo an potionem hauſerit. Ille nullam ſibi præbitam dicit: Quid hic *Ignatius*? illicò *Bernardum* evocat, & neglecti officii acriùs increpat, excuſantemque Infirmarii cunctationem, jubet è domo confeſtim, etiam intempeſtæ noctis ſilentio, atque horrore excedere; additque illud: haud pati ſe ſuorum in numero eos, qui ſocordes in obedientia fuerint.

Quid hic *Bernardus*? obtemperat ille, & quidem illicò, nihil cunctatus, nihil refragatus: ſed foribus exit duntaxat, & hæret in exteriore veſtibulo, quod ulterius abire non juſſiſſet *Ignatius*; qui hac conſtantia mirè recreatus, eum non admiſit tantummodo; ſed ea deinceps in æſtimatione habuit, ut Romani Collegii Rectorem haud longo poſt intervallo, adhuc penè tyronem renuntiarit.

Tantum apud S. Patrem valuit obedientia, utpotè germana filiorum ſuorum nota, & Societatis à ſe conditæ teſſera, quæ omnibus ſtimulo eſſe debet, atque incitamento, ut eam, quam à Majoribus acceperunt obedientiæ normam, & ſervent ipſi, & ad poſteros omnes tranſmittant.

Venio ad aliud hilaris, promptæque obedientiæ: III Motivum.
erit illud mors in Societate hilaris, ac fortunata.

Fuit è Societate noſtra Coadjutor temporalis, cujus meminiſſe gaudebat *R. P. Godefridus Otterſteet*, cùm hæc ſcriberem Rheni Inferioris Provincialis.

Ille ad quodcumque ſeu officium, ſeu onus à Superiore impoſitum ridenti vultu, animo hilari, & amabili voce ſubjicere ſolitus illud: *Libenter.* hac unâ vocula latina, apud Superos magis doctus, quàm multi in Academicæ luce Doctores.

Quod autem bono fratri in vita expreſſerat obedientiæ lex, & amor: hoc & in morte cœlum illi reddidit; cum enim in extrema propè hora, luctáve, Deiparæ, ceu Virginis, Matris optimæ opem, ac præſidium imploraſſet, ab eadem audiit, fauſtum illud, ac lætum: *Libenter fili, Libenter:* adeò in illo verum fuit, quod mors ſit Echo vitæ; quam enim vocem in vita ediderat, mors feliciter reddidit, reddidit & Dei Mater, eique propitia fuit in extrema illa cum morte lucta, nec in morte tantum; ſed & in judicio, in quo jacitur alea æternitatis, ad quam proinde horrent, ac tremunt etiam Eccleſiæ columnæ: at non tremit, neque exhorreſcit quiſquis in IV. Motivum.
vita obediens fuit.

Unus aliquis ab obedientia planè ſingularis ſeſe videndum obtulit ſtatim à morte, & hæc illi:

Cùm ſupremo Judici ſiſterer; ea ab illo mox audivi: *Obediens in hoc Tribunali, non examinatur; ſed benè* Maſtrilli in Conc.
is, qui imperat. Cujus apprimè conſcius D. Bernardus religioſum in obedientia eximium, rectà in cœlos emiſit, adjiciens & iſtud:

Vade fili, & IESUM, ejusq; Matrem ex me, & tota familia Clarevallenſi, ſaluta.

Dixit Bernardus, & in paradiſum abiit obedienti juſſa ſui Præſulis facturus. Eò ſcilicet apud Deum obedientia eſt loco, eo & in pretio, quod & V Motivum.
probat illud quod ſubjicio.

Fuit in Societate noſtra officio coquus, animo, ac prompta voluntate, mirè obediens, qui in mortis agone conſtitutus iſta ad Deum, ceu Judicem libera ſanè voce:

Ego feci, quod juſſiſti, da mihi quod promiſiſti. Dixit, atque ad promiſſam obedientiæ mercedem, id eſt beatitatem evolavit: Et ſic evolare ſolent ii omnes, qui ſe totos in vita obedientiæ commiſerunt.

§. 5.

Obedientiæ merces ampliſſima, participatio quædam Divini nominis.

EST ille Dei ludus amabilis, ubi unum aliquem vult mutare in melius, mutat & nomen: imò & vocat in nominis ſui communionem, adeóque & quodammodo ſui, non ſine amoris miraculo. Res exemplis erit illuſtrior quàm verbis. Exempla porrò petentur ab iis vel maximè, qui ab obedientia & terris, & cœlis illuſtriores.

In his olim eminere viſus eſt Iobus: Erat ille futurus non ſolùm fortitudinis, & patientiæ miraculum: ſed & obedientiæ prodigium, atque exemplum; cui vel in ipſo nomine præluſiſſe viſus eſt Deus, cùm enim antea diceretur *Ob*, id eſt Propheta, divinus amor, ingenioſus artifex, ex ineffabili Dei nomine *Iehova*, primam litteram addidit, ut pro *Ob* Propheta, appellaretur *Iob* Propheta Dei.

At unde ea nominis, & ominis mutatio? Utique à ſingulari obedientia, & perfectiore ad divinam voluntatem conformatione.

Invidia mali dæmonis pecua omne illi abduxerat cæſis etiam famulis: videri poterat, & verò etiam erat immania jactura, quid ad illam Iobus? *Sicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.*

Ecce amabilem cum divinâ voluntate conſenſionem.

Eadem mali genii petulantia villas ei omnes incenderat, atque in cineres redegerat. Quid ad hæc incendia Iobus? illud ipſum quod ante: *Sicut Domino placuit: ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.*

Illa ipſa cacodæmonis rabies, proles omnes illius, qui fortè in primogeniti domo menſæ aſſederant, una ædium ruina involverat, oppreſſerátque, & de hoc affertur celeri pede nuntius. Quid ad illum Iobus? hoc ipſum quod priùs: *Sicut Domino placuit; ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.* Ecce miram cum Dei voluntate conformitatem.

Ille ipſe dæmonis furor, & inſatiabilis quædam nocendi cupiditas, corpus illius omne à planta pedis ad verticem capitis immani plaga texerat, adeo ut nonniſi ſpirans cadaver videretur, & eſſet: extremum videri poterat calamitatis, & miſeriæ, ipſa etiam morte gravius.

Quid ad illud Iobus? quod aliàs ſemper: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt.*

Ecce portentoſam, & cœlis ipſis hactenus inviſam obedientiam, gratam tamen, atque amabilem, cui idcirco data nominia divini communio, ut ex *Ob*, Propheta, *Iob* diceretur, & eſſet Propheta Dei.

Vis huic ſupparem obedientiam? accipies in Abrahamo. Erat illi filius unicus; felici, ac fortunato nomine Iſaac, hoc eſt *riſus*, quia matris riſus, & parentum amor, ac deliciæ. Et tamen hunc jubetur è medio tollere: & ferro caput illi exſcindere, unáque ſpem omnem promiſſæ à Deo ſtirpis numeroſæ, & quæ arenas maris, & cœli ſtellas æquaret numero. Et tamen audit illud: *Tolle filium tuum quem diligis Iſaac.* Audit, inquam, & obedit: in montem educit, & quaſi victimam in ara collocat, ligat, ferrum ſtringit, manum levat, & validis lacertis in vulnus incumbit, & certè totus incubuiſſet, cecidiſſetque Iſaac, nobilis obedientiæ victima, niſi eam Dei manus ſervaſſet, & ferro impendenti ſubduxiſſet.

Ab illo obedientiæ miraculo, qui priùs dicebatur *Abram*, id eſt *Pater excelſus*, appellatus *Abraham*, hoc eſt *Pater multarum gentium*: quod ut fieret ex ineffabili nomine *Iehova*, detracta littera *He*; ut pro *Abram* vocaretur *Abraham*: ſicque veniret in communionem divini nominis. Ecce ampliſſima Obedientiæ merces. Vis illi ſimilem in Evangelica lege? illam excipe in Apoſtolorum Principe.

Audiebat hic primò *Simon*, id eſt *obediens*, & certè is erat, ad Dei vocem promptiſſimus, relictis etiam retibus, & Patre: hinc dictus *Cephas*, id eſt *Petrus*, vel *Petra*, ſic appellatus à Chriſto: *Petra autem erat Chriſtus.* Et Petrus, velut alter à Chriſto; imò velut alter Chriſtus, unctus, & Salvator. Tanti refert vel ſemel Deo vocanti obediſſe.

Quod *Petro*: hoc & *Paulo*, qui ex *Saulo Paulus* audit, detracta quippe littera prima ex nomine Meſſiæ, qui hebraicè dicitur *Pele*, ut ex *Saulo* in ævum omne appellaretur, & eſſet *Paulus*, hoc eſt quaſi alter, & ſecundus à Chriſto, mundi *Salvator.* Tantum intereſt, qui Deum audias, qui obedias. Ab illa certè obedientia venerunt illi omnes in conſortium divini nominis, & Dei ſortem: in hanc ut ipſe venias, Amice Lector, diſce Deo, ac Superis obedire.

§. 6.

Obedientia merces opulenta, nominis, morum, ac vita in melius mutatio, & inde etiam beatitas.

VERISSIMUM illud, & longa ſæculorum experientia probatum D. Hieronymi pronuntiatum:

Multi de terra cœli ſunt: & multi de cœlo terra. Infelix Iudas cœlum fuit, & factus eſt terra. Paulus terra erat, & factus eſt cœlum. In Pſal. 135.

Ut hæc veritas luci detur & publico, ſiſtam in argumento mihi propoſito, in *Sauli*, & *Pauli* nomine: de quo ſic D. Auguſtinus, ſuo more, id eſt ingenioſè, & doctè:

In Occidente Saulus, in Oriente Paulus. In Occidente vetus; in Oriente novus.

In Occidente peccati, inobedientiæ, pervicaciæ *Saulus*, & nonniſi *vetus* homo, id eſt homo peccati.

In Oriente autem gratiæ, obedientiæ, ſubmiſſionis, *Paulus*, & *novus* homo, qui ſecundùm Deum creatus eſt: quod ut clarius pateat, alias, atque alias *Sauli*, & *Pauli* notiones exponam; & quidem,

Primò *Sauli*, de qua ſua inter Authores lis eſt, atque contentio: ſunt enim, qui hanc voculam deducant ab hebræo *Scheol*, id eſt *infernus*: quia ut inferni os ſemper aperitur, & patet, ut omnes quà poteſt abſorbeat, atque devoret, ut flammas eructat, atque incendia: ſic & *Saulus*, & *Sauli* os, mens, cogitatio, manus, tota patebat, atque explicabatur, ut Chriſtianos abſumeret, deglutiret, perderet, atque ad rogos, & incendia raperet: erat enim totus *ſpirans minarum, ac cædis in Diſcipulos Domini.* Act. c. 9.

Aliis placet *Sauli* nomen peti à græca voce σάλος, id eſt, *inquies, commotio, fluctus, & æſtus* quidam irati maris. Et huic planè ſimilis erat *Saulus*, ſimilis ſalo, ceu mari, quod ſuos volvit, revolvitque fluctus, quot ſcilicet animo agitabat paſſiones, ſeu eas invidiæ, atque æmulationis eſſe voles, ſeu iracundiæ, vindictæ, furoris, cædis, & ſanguinis.

Aliis probatur *Sauli* vocem peti à græco σαυλός, id eſt, *vitioſus, fluxus, delicatus, leviuſculus*: & talis audiit *Saulus*, priuſquam Chriſto vocanti aures, manúſque dediſſet: at ubi dedit, mutatus in melius nomine, dictus eſt *Paulus*; in cujus etymologia etiam ludit pius Interpretum labor.

Sunt qui illud hauriant ex hebræo fonte, ex vocula *Pele*, quæ Meſſiam ſignat; quaſi ſecundus à Meſſia *Paulus*, & alter velut Meſſias.

Alii ab hebræa voce *Paal*, id eſt, *Operarius*: & is in Eccleſia, ceu Domini vinea, fuit *Paulus*: ſedulus enimverò operarius. Ipſius appello fidem, & exantlatos labores, quorum ſeriem texit in Epiſtolâ, quam ſcripſit ad Corinthios. 1. Cor. c. 12.

Alii hanc vocem *Paulus* deducunt partim ex hebræo *Pe*, id eſt *os*, & græco αὐλός, hoc eſt *tuba*: & is fuit *Paulus*, de quo magnificè, atque elitè illud D. Hieronymus: *Paulus vas electionis, tuba Evangelii, rugitus Leonis noſtri, flumen eloquentiæ Chriſtianæ, quem quotieſcumque lego, videor mihi, non verba; ſed audire tonitrua.* In Apologo ad Pammachium.

Poſtremi denique *Pauli* nomen trahunt ab ἀπὸ τοῦ παύειν, id eſt *quieſcere*, quaſi *Paulus* jam quietus totus, & ipſa in Domino quies. Ecce quæ mutatio, vel in ipſo nomine; ſed longè major in vitâ, ac moribus.

At unde, inquies, tam hæc, quàm illa? Utique ab obedientia, quam expreſſit his ipſis ad Chriſtum vocibus. *Domine quid me vis facere?* quæ verba, æqua lance dum expendit D. Auguſtinus ſic ait:

Iam parat ſe ad obediendum, qui prius ſæviebat ad perſequendum. Iam formatur ex perſecutore Prædicator, ex lupo ovis, ex hoſte miles. Ecce mutatio dexteræ excelſi! Serm. 14. de Sanctis.

excelſi ! *Adductus eſt*, inquit Auguſtinus, *ad Ananiam, & Ananias ovis interpretatur. Ecce lupus rapax adducitur ad ovem ſequendam, non rapiendam; & ne rapientem ovis expaveſceret lupum, ipſe Paſtor de cœlo, qui omnia faciebat, nuntiavit lupum venturum ovi, ſed non ſeviturum: & tamen tam immanis fama lupum illum præceſſerat, ut non poſſet ovis audito ejus nomine non conturbari. Sed lupo ſævitia interdicitur. Lupus ad ovem captivus ducitur: ab Agno pro ovibus mortuo fit ovis ſecura de lupo.*

Hactenus D. Auguſtinus; ex quo pauca ſtylo notari velim.

Primò, quod ex *lupo* formetur *ovis*, artifice obedientia.

Bollandus in vita S. Andreæ Corſ. Pellegrina, matrona in paucis pia, ac deinde S. Andreæ Corſini mater, viſa ſibi in utero geſtare lupum, qui deinde verſus eſt in agnum. Ad primum ingemuit, atque cohorruit tota: ecquid enim, aiebat, ecquid illud? an ea, quam utero fero proles à natura homo? à culpa, & feritate lupus? Næ miſeram me & infelicem matrem, cui melius omnino fuiſſet nec concipere, nec parere, nec mater audiri, & eſſe. Hæc dum ſecum Pellegrina, non ſine ſingultu, lacrymis, ac lamentis, ecce nova oculis oberrat viſio, & ex lupo agnum oſtentat; docetque gemitus ponere, & ſuum lamentis modum: futurum enim, ut ille ipſe filius, qui primùm ab efferis moribus, à vita ſolutiore futurus erat lupus, à placida indole, à manſuetudine, à vitæ innocentia agnus eſſet. Et ita futurum fuiſſe docuit eventus. Primis enim annis Andreas ad inſtar lupi ſolutus, & ferus totus; deinde ex agnelli genio mitis totus, manſuetus, atque innocens: nam & Carmelitarum habitum induit, ac deinde etiam Epiſcopalem Infulam: in hac, & illo à vita, & moribus agnus.

Quod illi deinde lapſis longè ſeculis: hoc in naſcente Eccleſiâ *Paulo*. Ante converſionem lupus, à converſione ovis, agnus; imò (quod ames, ac mireris) etiam ovium Paſtor, & Cuſtos. Tantum intereſt Deo vocanti obediſſe.

§. 7.
Inobedientiæ pœna.

VIDIMUS amplam Obedientiæ mercedem; paucis notemus paratam, cœlo vindice inobedientiæ pœnam. Hæc exigitur plerumque etiam in hac mortali vita: ſæpiùs tamen, & ſemper in altera. Hanc in præſentia non attingam, quia ſub oculos non cadit, & nos ſæpè latet; illam verò, quia etiam ſenſus ferit, uno, alteróve exemplo aperiam, ut quos ad obediendum non allicit ampliſſima merces, vel invitos rapiat, trahàtque imminens pœna.

Bollandus tom. 3 Feb. die 20. in ejus vita. S. Ulrico, Presbytero Eremitæ, pia mulier quoties panem coqueret, tres viro Dei ſubmittere ſolita. Die quadam ſolemniore per famulum tranſmittit, mandatque ſeverè ut eos S. Eremitæ in manus tradat: non obedit puer, ſed è tribus unum ſibi retinuit, inobedientiæ, imò & furti reus; & hujus, & illius pœnam ſtatim exegit Deus: cum enim de via abſconditum panem incidere vellet; eum jam in lapidem mutatum advertit: quo prodigio permotus, ſimulque ſtimulante conſcientia victus, ad S. Ulricum illico redit, & ſimul inobedientiæ, ſimul & furti veniam ſupplex petiit: certus impoſterum obedire. Et ecce pœnitentiæ, atque adpromiſſæ Obedientiæ fructus, qui jam lapis erat; iterum panis naturam, & mollitiem, & ſaporem induit.

Sed hæc, inquies, inobedientiæ pœna, quia ſimul & furti: demus aliam, quæ cœlo judice impoſita inobedienti etiam ſpecie pietatis, ac miſericordiæ.

Deferebat unus aliquis panem eidem viro Dei; & hoc ex obedientiâ: cùm ecce de via divertit in domum hominis pauperculi, & parvulis panem petentibus, etiam eleëmoſinæ nomine tradit: non tulit Deus, opus, ut videbatur miſericordiæ, factum citra, aut contra præſcriptæ obedientiæ leges, mox enim inciſus panis multo ſanguine manare cœpit. *Ibidem.*

Exhorruit miſer, & facti pœnitens ad S. Ulricum abiit, panem adhuc cruentum, & multo fluentem ſanguine detulit. Cui Vir Sanctus: *Fili, non debuiſti etiam pium opus contra mandatum præſumere.* Dixit, panem ſumpſit, benedixit, & ſuæ naturæ reddidit.

Hæc eò à me dicta, ut Viri religioſi, ne quidem eſculenta, ſpecie pietatis, dare præſumant, citra, aut contra Superiorum leges, ac mandata.

Ut enim Deo gratum, & Superis acceptum ſit opus quodcumque, etiam miſericordiæ, debet ab obedientiâ, ceu omnis boni fonte, dimanare.

Spectaſti, Amice Lector, vindicem Dei manum, quæ panem attigit, velut aliquod inobedientiæ inſtrumentum: attendamus, qui etiam ipſum inobedientem.

Tom. 2. Feb. die 13 invit. B. Iordanis, c. 9. Religioſus unus aliquis & à ſcientia, & à parta jam in ordine ſuo authoritate, juſſus eſt ædes mutare, & in conventum, ut aiunt, remotiorem abire. Non tulit illud, ut debuit, æquo animo; ratus id ſibi, licet immeritò, pœnitentiæ imponi. Hinc illæ querelæ, & importunæ ſæpè ſæpiùs auditæ voces: *Quid feci? quid commerui? cur injunctum illud? quis conſuluit? quis procuravit id mihi?*

Cùm igitur his vocibus & auras reluctantes, & fratrum etiam aures ſæpiùs fatigaret, derepentè & in terram proſterni, & voce, & omni propè ſenſu deſtitui: imò intumeſcere facies, os inflari; maximè verò querula illa lingua, ut quæ potiſſimum peccarat, pœnas daret.

Hæc inter, è fratribus unus aliquis, tum hominis miſeriâ tactus, tum ordinis nomini, famæque inde malè veritus, & huic, & illi benè conſultum volens; ſic ad Beatum Iordanum, Ordinis Generalem Magiſtrum, qui recens obierat.

Magiſter Iordane, pie Pater, & Ordini tuo conſule, & filii illius tui miſerere. Dein ad miſellum illum converſa oratione. *Recogita*, inquit, *iſtud, mi frater, eam eſſe obmurmurantiū pœnam, eam & inobedientiæ tuæ, & tot querelarum*; & ad Magiſtrum Iordanum confuge, & illi, Deóque promptiorem deinceps obedientiam vove.

Annuit ille, non voce, qua privatus; ſed nutu & animo, obedientiam Deo, & Jordano, ejuſque in officio ſucceſſoribus piè vovit, & mox illi, etiam miraculo reddita vox, & ſenſus, & ſanitas. Sicque ab obedientia reſtitutum eſt, quod fuerat ab inobedientia detractum, ut obedire diſcat, qui vindicem Dei manum effugere voluerit, ſive in hac vita mortali, quod mitius, ſive in altera immortali, quod acerbius. In hac certe Dei, ceu vindicis, dexteram ſentiunt inobedientes, & ad Superiorum juſſa pervicaces.

P. Dominicus à Coſta Capucinus à felici obitu, videndum ſe obtulit P. Michaeli Archangelo Veneto, rogantique num ex Capucinis damnarentur aliqui, adjecit: Ex Superioribus nonnullos ideo æternùm periiſſe, quòd nulla in ſubditos caritate, ac compaſſione ferrentur: ex ſubditis quoque aliquos, quòd in Superiores ſuos & murmurationes, & detractiones in publicum extuliſſent. Adeo Deo, Superiſque ingrata accidit inobedientia, adeo inviſa, damnandáque adverſus Prælatos obloquia. *Hiſtor. Seraph. P. 2.*

§. 8. Obe-

§. 8.

Obedientia Sanctorum etiam à felici obitu, ac beatitate.

VT ſcias quo in pretio etiam in cœli regia, ſinúque beatitans, ſit obedientia, exempla producam eorum, qui jam cœlis additi, nihilominus obedientiæ leges; & Superiorum præcepta in terris receperunt; ut iis permotus ipſe recipere diſcas, & religioſè ſervare ſaltem dum fruens hac aura mortali.

Henriquez l. 1 diſt. 4. c. 44. Primus, qui occurrit, eſt D. Bernardus, ad cujus ſepulchrum, ob famam ſanctitatis, & miraculorum, cùm ingens populi concurſus fieret, Abbas Ciſtercienſis, veritus ne quid inde religioſa diſciplina pateretur, habito cum aliis ſui Ordinis Abbatibus Concilio; ad ſepulchrum ejus acceſſit, atque in virtute ſanctæ obedientiæ inhibuit, ne ultra miracula faceret. Paruit Vir Dei, & deinceps nulla ibi miracula feciſſe auditus, adeò obedientiæ tenax fuit etiam poſt fata, etiam in tumulo, etiam in cœli regia.

Alter eſt Petrus Catanæus, Franciſcani Ordinis quondam Miniſter Generalis; ut in vitâ virtutibus, ſic & à morte miraculis clarus; cùm iis innumeram propè populi multitudinem ad monaſterii ſepta, ſepulchrúmque venerationis ergo alliceret, fiebat ut inde & religioſæ quieti ab undis, & tumultu peregrinorum, & paupertati ab oblationibus, frequentique anathemate, non parum decederet: cui malo, ut medelam ferret D. Franciſcus, ad illius ſepulchrum citatus venit, ſicque ad illum paucis:

Wadingus tom. 1. hiſt. Minor. An. 14. *Frater Petre, dum vixiſti, ſemper, & promptè mihi obedieras, neque tardiorem à te modò exigo Obedientiam. Præcipio itaque tibi per obedientiam, ut deinceps ceſſes à miraculis patrandis.*

Mirum dictu, viſúque! nullum ab eo poſtea factum eſt miraculum.

Ecce, ut in ſepulchri nocte ſuperioris vocem quodammodo admittit exanime corpus, & animus in luce beatitatis eandem audit, & ſequitur.

De Angelis, beatis illis ſpiritibus, verè, & eleganter, notavit illud Lactantius, quod eorum *Lib. 2. c. 17.* *unum, ſolúmque officium eſſet, ſervire nutibus Dei.*

Quod ille de Angelis, hoc audeo affirmare, etiam de Beatis, unum, ſolúmque officium iis eſſe, ſervire etiam nutibus Superiorum, quia horum nutus, ſunt Dei nutus.

Unde Origenes aiebat beatos ſpiritus habere *cæleſtes litteras*, quas ut legunt in divina mente, iis quàm celerrimè obſequuntur. Litteræ porrò illæ ſunt Superiorum aut mandata, aut etiam ſoli nutus, quos ut vident in Deo, illis obtemperare geſtiunt.

Ita geſtiit aliquando S. Franciſcus de Muret: terris ille vivere deſierat, & cœlo cœperat, cùm ecce vivere, ſpirare, & clarere viſus eſt fama miraculorum, quâ ex utraque ſolis domo acciti undique peregrini, eò confluere cœperunt; quod ut vidit Petrus de Limoges, ejus in officio Succeſſor, ratus multum remitti de quiete religioſæ ſolitudinis, de otio ſancto, de ſilentii, & paupertatis obſervantia, ab aſſiduo fluxu populorum, locéque illa miraculorum, ſepulchrum S. Præſulis adiit, & hæc ad illum zelo, vocéque aliore:

Ex M. S. Monaſterii de Grâmon. *Serve Dei, tu oſtendiſti nobis paupertatis viam, & toto conamine tuo docuiſti nos incedere per eam. Nunc verò de arcta, & ardua via, quæ ducit ad vitam, ad latam, & ſpatioſam viam, quæ ducit ad mortem, tun nos miraculis vis revocare. Prædicaſti ſolitudinem, nunc in ſolitudine fora, & nundinas vis congregare. Non ducimur curioſitate, ut tua miracula videre velimus. ſatis credimus tuæ ſanctitati. Cave igitur ne de cætero miracula facias, quæ tuam extollant ſanctitatem, & noſtram deſtruant humilitatem. Non ſic laudi tuæ provideas, ut noſtræ ſis immemor ſalutis: hoc tibi præcipimus, hoc à tua poſcimus caritate. Quod ſi aliter feceris, dicimus tibi, & per Obedientiam, quam tibi promiſimus, conſtanter aſſerimus, quia oſſa tua inde extrahemus, & ſpargemus in flumen.*

Hæc ille abreptus neſcio quo zelo, æſtuque religioſæ diſciplinæ, à qua eò delabitur, ut & ſancto illi præceptum imponat, & minas intentet ni pareat; non ſine aliqua, ut videtur, Divi illius injuria.

Ecquid enim? an non injuria eſt, oſſa ſacratiora exhumare, & magnæ mentis exuvias, ſacroſque cineres in fluentes aquas abjicere? Eſt enimvero injuria, & tamen hanc non ſpectat cœleſtis animus, doctus & in terris, & in cœlis Obedientiæ nutum ſpectare.

Et verò ſpectavit S. Præſul, atque impoſterum miracula facere deſiit; nec ea reſumpſit, niſi cum rurſum Obedientia Prælatorum ad ea patranda revocavit; ut ex iis facilior eſſet via, ad ſolemnem illius (de qua tum agebatur) canonizationem. Tum enim ea rurſus dedit Præſulum ſuorum voce, ac præcepto impulſus: adeò Obedientiæ obſervantes ſunt ſancti, à quibus hoc diſces, quiſquis religioſis Obedientiæ vincula induiſti, non exuere illa niſi cum vita, imò neque à vita. Certè, ut jam vidimus, non exuerunt Sancti, quibus ſolemne fuit, etiam è cœlo ſuperiorum voces audire, & nutus ſequi.

§. 9.

Obedientia animalium delata viris ab innocentia vitæ illuſtribus.

INnoxia hominis ætas, qualis fuit Adæ ante lapſum, imperium in animalia omnia exercuiſſet; ſed quia illam exuit homo, ſimul & dominationem illam exuit: & meritò, nec enim decebat animantia ei deinceps parere, qui Deo ſuo, authorique ſuo parere renuerat. Fatendum nihilominus ejus imperii, ac dominationis vim aliquam tranſiiſſe ſubinde ad aliquos è Poſteris Adæ, eos maximè, qui à vitæ morumque innocentia aliis ſuperiores viſi ſunt. Eorum exempla aliqua dabimus, eáque illuſtriora: ad quæ viros etiam Religioſos remittemus, ut ex illis obedire diſcant; nec immeritò. Si enim Sapiens pigrum ad formicam mittit, ut ab ea *Proverb. c. 6. v. 6.* doceatur ſedulò laborare, nec, ut ſolet, otio torpeſcere: quidni ego inobedientes ad animalia, etiam efferа magis, atque immitia, remittam; ut ab illis benè docti ſuis ſe Prælatis ſubdere diſcant.

Præmonſtratenſes oves paſcebat puer, & quidem ſine cane, fideli ovium cuſtode. Et hinc metus, hinc & querelæ. Quid ſi lupus incurrat? quid ſi rapiat, & diſpergat oves? quid me? quid illis fiet? cui religioſus aliquis pio & liberali joco, præcipe lupo, & hoc Abbatis Norberti nomine, ne ovibus noceat. Interea è ſylvis elabitur lupus, & ovem abripit. Cui puer: Siſte prædo, ſiſte raptor & ovem redde. Hoc Norbertus jubet. Sti- *In ejus vita c. 37.* tit enimverò lupus, & ovem reddidit: imò deinceps factus eſt fidelis ovium cuſtos. Tantum valuit invocatum Norberti nomen, cui paruit lupus, & ex prædone ovium, factus earum paſtor.

Quod D. Norberto fuit lupus: hoc S. Florentio urſus, cui fuit ordinarius ovium cuſtos, eas ductare ſolitus ad paſcua, & ad caulas hora præſcripta reducere; de quo ſic D. Gregorius: *D. Gregor. l. 3. Dialog. c. 15.*

Injungebatur urſo cura Paſtoris, & quas manducare conſueverat, paſcebat oves beſtia jejuna. Cum vir Domini jejunare volebat ad Nonam, præcipiebat urſo eadem hora cum ovibus reverti; cum verò noluiſſet, ad Sextam. In omnibus itaque mandatis Viri Dei, obtemperabat urſus, ut neque ad Sextam juſſus venire, rediret ad Nonam: neque ad Nonam juſſus venire, rediret ad Sextam.

Hactenus

Hactenus D. Gregorius de inſigni illa urſi Obedientia. Nec minor leonis erga alios vitæ innocentia clariſſimos.

S. Zoſimo Anachoretæ aſellus erat ad ſarcinas, & onera portanda, hunc è ſylva erumpens leo voraverat. Quid deinde Zoſimo? quid etiam ſarcinis? ut eas ipſe ferat; ſenex eſt, & imparnneri, & aſellus eſſe deſiit. Quid igitur? ſic ille ad leonem: *Amice, mihi jam iter præpediri penitus vides, annis onuſtus, onera ſarcinarum ferre nequeo, quæ ideo jumenti humeris impoſueram. Age igitur, & onera tu feras.*

Evagrius l. 4. c. 7.

Quid hic leo? Dedidicit feritatem, acceſſit; abblandiri cœpit, ipſoque corporis nutu obſequii ſignificationem facere, ſuccolare ſarcinis, eaſque vectare ad portas uſque Cæſareæ, non ſine omnium ſtupore, & obedientiæ miraculo.

Surius ex Metaphraſte in Sept.

Quod S. Zoſimo: hoc & S. Quiriaco in ſolitudine, in qua & leonem veluti famulum habuit, eique cuſtodiam adverſus feras demandavit: quod officii genus obivit ſedulò: nam & ſtatis horis, de manu ejus cibum ſumere ſolitus: & mox ad hortuli cuſtodiam remeare:

Surius ex Cyrillo Monacho in Decemb.

Quod illi: hoc & S. Sabæ Abbati in Palæſtina: cui leo cuſtos agri fuit: aſellum etiam ducebat ad paſcua, & fontem, quando aberat Monachus, curator ejus; ſed quia hic incontinentia ſe inquinavit, ceſſavit leo ab obſequio, & Monachi aſellum etiam devoravit, adeo manifeſta res eſt, in feras ſolùm innocentiam ſanctimoniámque dominari.

Et ita etiam dominari viſa in S. Kentigerno, Epiſcopo Glaſcuenſi in Scotia: Huic S. Præſuli cum ad arandum deeſſent & equi, & boves, è vicino ſaltu evocati cervi adfuerunt quàm promptiſſimè, quos & aratrum ducere juſſit.

Paruerunt illi, & modò ire ad paſcua, modò ab his ad aratrum ſtatis horis redire: ſed, ô grande malum, lupus famelicus! hic enim in unum è cervis, jam à labore fatigatum, irruens, eum devoravit, atque effugit.

Quid hic Dei ſervus? in vicinum nemus innoxias manus extendit, & hæc in faventes auras emittit: *In nomine ſanctiſſimæ Trinitatis præcipio, ut lupus, qui mihi damnum hoc intulit, ſine mora ſatisfacturus accedat.*

Mirum dictu, viſuque; lupus è ſylva proſiliens, facti illius reus, & quaſi pœnitens, cum ingenti ululatu ad illius pedes corruit, veluti rogaturus veniam, cui vir ſanctus, ait: *Surge. In nomine IESV præcipio tibi, ut loco cervi, quem devoraſti, ad ſtivam applicitus ares ex integro, quod arandum eſt.* Paruit illico lupus, jugum admiſit, & cervo alteri probè copulatus, novem omnino jugera arando explevit; & tum, quaſi perſoluto penſo, liber abire permiſſus eſt.

Bollandus in ejus vita 13. Ian.

Ecce ut Sanctis ſubjiciuntur feræ; atque ad nutum obediunt: non in terra ſolum; ſed & in aëre volucres, & in aquis piſcium genus omne.

S. Medardo puero moribus innocentiſſimis, ac deinde Epiſcopo Novionenſi, aquila obſequio gratiore inſtar umbraculi fuit, & dum ubertim plueret, ab ea imbrium diffuſione immunem ita ſervavit; ut ne guttula quidem ejus fuerit irroratus.

Surius in Iunio.

S. Franciſco paruerunt aviculæ: cum enim unà cum ſodali ſuo, horas canonicas perlegens, impediretur importuno earum garritu, ſilentium illis imperavit, impetravitque: mox enim ſiluere garrulæ volucres, nec canere auditæ; nec alas movere viſæ ſunt, donec Vir Dei horarum penſum exſolviſſet: tum enim, venia ab eo accepta, cantum reſumpſerunt argutulæ, ſylvaſque & nemora, imò & ſanctum exhilarunt.

In ejus vita

Quod D. Franciſco in volucres imperium fuit: hoc S. Antonio de Padua, in aquatile genus omne. Cùm enim die quadam ad conſcientiæ depoſitæ homines diceret, nec audiretur; ſermonem convertit ad piſces, & mutum aquarum genus. Nec fruſtra: emerſere enim è profundo mari piſces longè plurimi, pulchrè diſpoſiti, & in fine ſquammis, & pinnis annuere viſi, & ſuum Eccleſiaſten conſalutare. Adeo perſpicua res eſt, innocentiam dominari *piſcibus maris, volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.*

In ejus vita.

Et hæc quidem eò à me allata ſunt, ut homo, rationis compos, & cœlo promerendo natus, obedire diſcat, & Prælatis ſubdi, vel ipſo brutorum animalium exemplo ad id provocatus.

TRACTATUS
DE OBSERVANTIA
REGVLARI.

Ad illa verba: *Cuſtodi Legem, atque Conſilium, & erit vita animæ tuæ; & gratia faucibus tuis.* PROV. c. 3. v. 21. 22.

FRANCISCVS Borgia, Gandiæ Dux, Magnas Hiſpaniæ, Vice-Rex Catalauniæ, uxore jam vita functa cùm abire pararet à ſæculo, & mundi pompis, & ad religioſum vitæ ſtatum, ceu fidam ſtationem, ceu ſalutis adipiſcendæ portum, appellere: ſuper eo conſilio egit cum Auguſto Imperatore Carolo hujus nominis V. Domino ſuo Clementiſſimo; qui inter colloquendum hæc amicè illi objecit: Quod relictis aliis Ordinibus religioſis, & fama, & antiquitate notiſſimis, animum adjeciſſet ad Societatem JESU, quæ & nova erat, & quodammodo juvencula, in qua ne unus ſenex. Ad quæ Borgia, & facetè, & urbanè reſpondit. Mirum nec eſſe, nec videri poſſe: ſi filii juvenes, cùm mater ipſa juvenis: ſubriſit Imperator, tum ei Franciſcus conſilii ſui rationes expoſuit, & quidem tres tantùm: ſed facilè inter alias principes; è quibus hæc

Prima; quod in Societate præcluſi eſſent ad honores aditus, ad Pedum, & Infulas, ad Purpuram, Pileúmque Cardinalitium: & hoc expreſſo voto, quod edunt Profeſſi, de non ambiendis, imò nec admittendis extra Societatem Eccleſiaſticis dignitatibus, niſi ad eas cogeret quæ prima eſt in terris Summorum Pontificum authoritas, & debita illis obedientia.

Secunda, quod porta ſemper pateret iis omnibus, qui in illa minus religioſè vivere viderentur: hi enim & votis ſolvi, & ad ſæculum remitti ſolent, ne alios malo exemplo inficiant, ne Religioni officiant, & maculam aliquam inurant tam ſancto & puro corpori.

Tertia, quod in ea eſſet primus obſervantiæ regularis vigor, qui ſubinde annorum lapſu deteritur, atque deficit.

Et has inſtituti ſui rationes exhibuit Franciſcus, & Cæſar admiſit, probavitque. Ego poſtremæ inſiſtens, Societatis noſtræ religioſos, imò & quoſcumque aliorum Ordinum alumnos ad eam regularum ſuarum obſervantiam hortabor, & animabo, & hoc quidem antiquiore illo Sapientis ſeu monito, ſeu effato, ſeu etiam oraculo:

Caſtodi Legem, atque Conſilium.

In quo videtur alluſiſſe ad utramque legem, & Moſaïcam, & Evangelicam; ad illam, in qua præcepta Dei manu aſcripta, & Moyſi commiſſa: & Evangelicam, quæ à Chriſto, magiſtro quàm optimo Diſcipulis data. Et hæc, & illa debuit eſſe in primis curis, atque amoribus; vel ex ipſa ſolius Legis natura, de qua variè hîc Interpretes; maximè vero hebræi, qui pro illâ voce *Legem*, ponunt *eſſentiam*, *& ſubſiſtentiam*: quaſi verò *Lex* ſit ipſa rei *eſſentia*: ſit ejuſdem & *ſubſiſtentia*.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Cur Lex dicatur eſſentia?

DICITUR *eſſentia* à quadam cùm illa conſenſione *Eſſentia rerum* ſecundùm Philoſophos *ſunt æterna, & immutabiles.*

Et lex Evangelica, lex Religioſa, æterna ſit oportet, atque immutabilis.

Ea fuit Salvatori quàm optimo, qui de *Lege*, quam venerat & condere, & evulgare, dixit: *Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant: cælum, & terra tranſibunt. verba autem mea non præteribunt.*

Quod de Lege ſuâ expreſſerat verbo: hoc & facto in ſeipſe expreſſum voluit: neque enim è vivis abire voluit, niſi poſt extremas illas in Cruce voces, *Conſummatum eſt*: quaſi diceret, mihi nec licuit, nec libuit exire è vivis, niſi poſt conſummatam legem, adeò illi lex ea curæ fuit.

Quod illi, hoc & religioſo, qui hoc uno felix, ac beatus erit, hoc uno verè religioſus, ſi migrans è vita jactate poſſit in faventes auras & illud, *Conſummatum eſt.*

Et ita ſnos emigrare voluit S. Franciſcus Aſſiſius, qui condita ſuo Ordini Regula, eam ad amuſſim ſervari voluit, nec addito, nec dempto vel unico Iota, nec aliqua alia interpretatione aliò traducta, quàm ferret mens ipſa Fundatoris; imò & ipſius Dei, cui acceptam referebat. ſic enim aliquando ad ſuos.

Tom. 1. Opuſc. D. Franciſci.

Generalis Miniſter, & omnes alii miniſtri, & cuſtodes per obedientiam teneantur in iſtis verbis non addere, vel minuere, & omnibus fratribus meis præcipio firmiter per obedientiam, ut non mittant gloſſas in Regula, nec in iſtis verbis, dicendo ita voluit intelligi: ſed ſicut dedit mihi Dominus purè & ſimpliciter dicere, & ſcribere regulam, & iſta verba ita ſimpliciter, & purè ſine gloſſa intelligatis, & cum ſancta operatione uſque in finem obſervetis.

Hæc Sanctus ille Fundator, ſtylo quidem ſimplici, & candido: ſed forti, ſed maſculo; qui ea omnia, quæ hîc calamo, & lingua expreſſit, etiam ſeipſa expreſſa voluit in primo ſuo Capitulo Generali.

In hoc è Patribus gravioribus nonnulli ex quadam prudentia carnis, non ſpiritus, cum pleraque viderent à Regula imponi, quæ nimis dura, & aſpera videbantur, & multum abhorrentia ab innata nobis carnis mollitie, rati S. Franciſcum tum rationibus ſuis, tum Ugolini Cardinalis, Ordinis ſui Protectoris, authòritate aliquantulum dimoveri poſſe ab illo Regulæ rigore, facto veluti cuneo eum aggreſſi ſunt.

Spectaret, inquiebant, antiqua illa naſcentis Eccleſiæ ſæcula, ſive tua Auguſtine, ſive tua Bernarde, ſpectaret & eorum inſtitutum omne, modum omnem, ac vivendi rationem, & ex eorum norma etiam ſuam exigeret, remitteretque paululum de extrema illa paupertate, & carnis edomandæ (verius, ut aiebant, frangendæ) ſtudio: ſua ſit & huic & illi moderatio, eáque naturæ humanæ magis accommoda.

Hæc illi: quæ omnia eo ſpiritu excepit Franciſcus, ea vi concitatæ orationis, ut & Patres illi attoniti, & ipſe Cardinalis elinguis hæſerit, ac mutus. Sit enim, inquiebat, ſit Auguſtino, ſit Bernardo, aliiſque, quos veneror, ſua Inſtituti religioſi ratio, ſit ſua vivendi norma, & quidem ſancta: ſed & mea ſit, ac potiùs, non mea; ſed Dei: ſit hæc ſarta tecta, ſit immutata, ſit immutabilis. Hæc enim & mea voluntas eſt, quanquam non mea, ſed Dei: qui eam auſu temerariò violàre, ſibi à cœlo vindice malè metuat. Dixit, & Patres illos attonitos habuit, & metu propè exanimatos, atque etiam ad genua ſupplices.

Et hæc fuit prima machina, quâ concuti potuit Divi Franciſci Regula: ſed non excuti.

Secunda fuit ab Honorio hujus nominis III. qui cùm Regulam ſuo diplomate firmare vellet, cenſeretque nonnulla vel tollenda, vel certè mitiganda paululum, ne quid eſſet, quod humanas vires, aut frangere, aut etiam vincere videretur. Sic ad illum Franciſcus entheo ſanè ſpiritu:

Tom. 1. Opuſc. S. Franciſci, colloq. 9.

Ego, Beatiſſime Pater, præcepta, aut verba illa in regula non poſui: ſed Chriſtus, qui omnia utilia, & neceſſaria ſaluti animarum, & fratrum, ac bono ſtatui, & conſervationi Religionis melius novit, cuiq; omnia, quæ ventura ſunt in Eccleſia, & Religione noſtra, præſentia ſunt, & patent. Non ergò debeo, nec poſſum Chriſti verba mutare, aut omninò abolere.

Dixit, & Chriſti Vicarium ſibi conſentientem habuit.

Quod D. Franciſco: hoc & aliis, ſæculis longè conſequentibus.

Pater Matthæus de Baſſy bonæ memoriæ, cùm meditaretur eam reformationem, quæ modò dicitur, & eſt Patrum Cappucinorum, in æſtu orationis, & mentis exceſſu hanc è cœlo vocem audiit:

Annales Cappucin. An. 1524. n. 37.

Matthæe, hæc eſt voluntas Dei, ut Regulam perfectè obſerves, ad litteram, ad litteram, ad litteram.

Quæ illi ad aures clara vox accidit: eadem priùs & Divo Franciſco acciderat, ut & hic, & ille divinæ vocis oraculo moneretur, obſervandam eſſe primævam Regulam purè, purè, ut verba ſonant, nec ullam in ea ab ullo mortalium inducendam eſſe mutationem.

Quod illis: hoc inſpirante cœlo minimæ Societati JESU, quæ Conſtitutiones à S. Ignatio, Fundatore ſuo, acceptas, optavit æternas eſſe, atque immutabiles, vel ex eo, quòd eſſet *regula*, hoc eſt, ipſa Religionis *eſſentia.*

Ita ſancitum in prima Congregatione Generali, quæ habita eſt à morte S. P. Ignatii. in qua & hoc decretum:

1. Congreg. General. Decret. XV.

Propoſitum fuit an liceret, & etiam an expediret, in Conſtitutionibus aliquid mutare? Et viſum, ac ſtatutum eas firmas, & ratas habendas eſſe, & etiam obſervandas prout in exemplari originali P. N. Ignatii habentur.

Quod ipſum deinde Congregatio 6. Generalis confirmavit, & hæc etiam addenda putavit.

Formula Cong. Gen. § 40.

Si de mutandis, abrogandiſq; Conſtitutionibus in Congregatione proponatur, minimè de iis tractare licebit, niſi priùs ad plura medietate ſuffragia, de iiſdem agendum ſtatuatur. Ipſa verò deliberatio, & decretum non fiat, niſi ad duas tertias partes, non obſtantibus decretis in prima Congregatione Generali.

Et hæc faciunt, ut rata, firmáque ſit Societatis JESU Regula, ceu illius eſſentia. Venio ad alterum quod eadem Lex, eadem & Regula, dicatur, & ſit quodammodo illius ſubſiſtentia: cujus etiam rationem hîc inquiro.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Cur Lex dicatur ſubſiſtentia?

DE ſubſiſtentia variè ſentiunt, & loquuntur Philoſophi.

Sunt enim, qui putent eſſe phyſicam aliquam qualitatem, quæ ſit velut ultimum naturæ ſubſtantialis complementum.

Sunt qui modum aliquem, & entitatem tenuem illi quodammodo affixam, eámque complentem, ac perficientem: à qua dicatur, & ſit ſuppoſitum, cujus ſolius ſit agere; *actiones* enim (ut loquuntur Philoſophi) *ſunt ſuppoſitorum*.

Ex quo Philoſophiæ naturalis pronuntiato conſequens eſt illud, ut natura ſubſtantialis ſine ſubſiſtentia, nec ſubſiſtere poſſit, nec agere: vim enim & ſubſiſtendi & agendi completam habet à ſubſiſtentia.

Quod naturæ ſubſtantiali eſt à ſubſiſtentia, hoc Eccleſiæ ab Evangelica Lege, hoc Inſtituto Religioſo à Regula. Eſt hæc eſſentia Religionis eſt & ſubſiſtentia: dat enim ſubſiſtere gradu in ſuo, dat & producere actiones cœlo dignas: quod ipſum aliquando obſervarunt Rabbini, hoc eſt Hebræi ſapientes, qui etiam notarunt illud, Deum Opt. Max. ceu Legiſlatorem Sapientiſſimum, dediſſe Iſraëlitis tot præcepta affirmativa, quot in corpore humano eſſent oſſa; videlicet ducenta quadraginta octo: negativa verò; quot in eodem eſſent nervi, nempe trecenta ſexaginta quinque: & hoc, quod in religione, ceu corpore quodam myſtico, id eſſent præcepta, & Regulæ: quod in corpore naturali erant oſſa, & nervi: & hoc quoque nomine Regulas appellandas cenſuit Divus Hieronymus: qui vocavit *nervos, & oſſa Religionis*.

Oſſa dant corpori conſiſtere: ſi iis deſtituatur deflueт illico in imum tota maſſa carnea: & ſua mole fatiſcet.

Nervi autem dant eidem corpori, artubusque motum: tolle nervos, tollis & motum, & ſtupidum reddis corpus omne.

Sic & Religioſo Ordini Regulæ dant ſubſiſtere; dant robur, & firmitatem, ne ſua mole, hoc eſt, depravatæ naturæ inclinatione, adima vitiorum defluat. Dant illi & motum ſpiritualem, ut eat in actiones Deo dignas, ac beatitate. Ut porrò ſic eat, paucula propono incitamenta; eáque petita ex hoc ipſo ſapientis pronuntiato.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Quæ incitamenta eſſe debent ad Legis, & Regularum obſervantiam?

PRIMUM INCITAMENTUM.

Ex illis verbis: *Erit vita animæ tuæ.* v. 22.

MAGNA omninò conſenſio vitæ, & Regulæ. Prima erit ab ipſa notione Regulæ; quæ Gratiano eſt *norma rectè vivendi.* Gulielmo Pariſienſi, *doctrina, vel ars, vel prudentia, qua ſcitur qualiter vivendum.* Innocentio VII. *forma religioſè vivendi.*

Secunda ducetur à pretio vitæ: pretio & Regulæ. Vitæ porrò pretium, atque æſtimationem inde petes.

1. Quod Deus ut cæterorum omnium dominium homini dederit, vitæ non dederit: hujus enim cuſtodem illum eſſe voluit, non Dominum. Sic & religioſum regulæ ſuæ Dominum non conſtituit: ſed cuſtodem; ſed obſervatorem vigilantiſſimum.

2. Vitæ pretium ex eo colliges, quod pro illa ſervanda cætera omnia profundat homo. Ex ultimo Oriente redit mercator gravida navi, onuſta pretioſis mercibus, gemmis, & unionibus. Ex Occidente revertitur multo argento, auróque dives, excitatur inopinata, ingensque tempeſtas, attollitur iratum mare, perflant venti, & furit Aquilo, exoneranda eſt navis, abjicienda in undas omnia, merces, gemmæ, uniones, & argenti, aurique vis immenſa; abjiciuntur illicò omnia, perduntur omnia, ne abjiciatur, ne perdatur vita; adeò vita homini eſt in pretio.

Quod vitæ datur; hoc & regulæ: hæc præ cæteris omnibus æſtimari debet, debet eſſe in majore pretio, & alia omnia potiùs abjicienda, quàm ipſa; & ita abjicienda cenſuêre vel ipſi religioſorum Ordinum Fundatores, & eorum filii Regulæ ſuæ amantiores.

Habet minima JESU Societas hanc Regulam; quæ vetat religioſum miſcere ſe negotiis ſæcularibus, implicare ſe negotiis ſtatus, ut vocant. Ea omninò ſervanda, etſi excidendum eſſet gratia, & favore Principum, qui tamen puſillis mortalibus maximo eſt in pretio.

Habet eadem & aliam Regulam, quæ prohibet quicquam accipi pro Societatis miniſteriis titulo mercedis: & hæc omninò ſervanda, etſi dimittendi reditus ampliſſimi, pingues proventus, & quanta quanta eſt unius Collegii fundatio; quæ tamen apud homines magno eſt in pretio.

Habent Patres Carthuſiani Regulam, quæ abſtinentiam à carnibus injungit in omnem vitam: & hæc quoque ſervari poteſt, atque ex virtute etiam debet, etſi vitæ hujus mortalis facienda eſſet jactura; adeo Regula eſt in pretio, & majore, quàm ipſa vita: nec mirum, quia, ut infra paucis indicabo, *Regula* eſt *vita gratiæ*; eſt *vita & gloriæ*: ut proinde mirum non ſit; ſi viro religioſo ſit in amoribus, ac deliciis.

Et ita fuit Joanni Berckmanno, Societatis JESU religioſo, juveni integerrimo, qui Romæ obiit relicto ſui deſiderio, & magnæ ſanctitatis opinione, famáque. Huic ſolemne fuit illud:

Crux, Roſarium, & Regula, tria mihi longè cariſſima: cum his libenter moriar. Et verò etiam mortuus eſt, Crucem, Roſarium, & Regulam manu ad extremum retinens.

3. In quo Regula cum vita convenit eſt illud, quod ſicuti is, qui vitam tollit, tollit & hominem; nec relinquit niſi cadaver: ſic qui ab inſtituto religioſo Regulam tollit, tollit & ipſam Religionem, nec quicquam reſiduum habet præter Religionis inane, atque emortuum ſimulacrum. Quid enim aliud? certè nihil eſt niſi Ordinis, ceu magni corporis, mors, atque naufragium. Audi quid ſuper eo B. Ephrem, multa doctus experientia:

Magnum, inquit, *animarum naufragium, in quo canones, & rectæ vitæ inſtitutiones non vigent.* Tom. 2. in Dect. vol. c. 32.

Diſciplinæ Regularis ſolutionem appellat S. Præſul: Primò *Animarum naufragium.* Ab ea enim & animæ, & ſalutis naufragium patiuntur Religioſi propè omnes; quod divina revelatione didicit, & prodidit è ſacra D. Dominici familia Vir ſanctus. Agebat hic in Polonia Anno Domini 1618. cùm ei in exceſſu mentis aperuit Deus; ex Conventibus, qui ab obſervantia ſtricta, & regulari ſeſe abſtraxerunt, paucos omnino ſalvari, damnari plurimos.

Et inde *Ioannes Maria* in Vitis Dominicarum, eam obſervantiæ regularis remiſſionem, appellare ſolebat, *Arces mali dæmonis, inferni ſuburbia, vias perditionis*; ut ea nomenclatura innueret religioſos in obſervantia illa regulari remiſſiores, eſſe jam in ipſis inferni ſuburbiis, in via, quæ ducit ad perditionem, quam B. Ephrem, ut dixi, vocat *Animarum naufragium*, nec illarum tantum; ſed & ipſius Religionis.

Fatendum enim, quod res ipſa, & experientia docuit ab illa diſciplinæ arctioris ſolutione religioſos Ordines quamplurimos ſoluta veluti illorum compage, naufragium paſſos: hinc illa D. Bernardi, providi Abbatis, præcautio, hinc illa obſecratio, & mixtæ lacrymis preces, quas his olim verbis expreſſit:

Epiſt. 321. ad Fratres S. Anaſtaſ.

Rogo vos fratres, & multum obſecro: ſic agite, ſic ſtate in Domino dilectiſſimi, ſolliciti ſemper circa cuſtodiam ordinis, ut ordo vos cuſtodiat; utráque etiam vitam: *vitam* dico *gratiæ*, qua Deo vivimus in hac aura mortali: vitam deinde gloriæ, qua cœlo vivemus, ac beatitati æternos in annos, quos ut aſſequaris, Sapientem obaudi: *Tene*, inquit, *diſciplinam, ne dimittas eam: cuſtodi illam; quia ipſa eſt vita tua.*

Prover. c. 4.

Hujus ſententiæ veritatem eleganti Ovis, & Cervi apologo ſpecioſis exemplis inſtructo demonſtravit aliquando Cyrillus: Ei apologo titulum fecit: *Contra appetitum ſuperbæ libertatis.*

Lib 2. Apol. Moral. c. 9.

Ovis, inquit, avida propriæ libertatis, ſociali grege relicto, dominium ſui Paſtoris effugit. Cumque per ſolitudinem Cervus errabundam, vagam, & profugam inveniſſet, cœpit quærere ipſius ſolitudinis, & erroris occaſionem. Cui mox illa reſpondit: Dudum certè ſervile jugum duriſſimum paſſa, nunc frui volo, ſicut & vos libertate cunctis gratiſſima, atque patronum duriorem effugere, qui non ſolùm me uſque ad ſanguinem emulgebat, verùm etiam ſingulis annis ab opportuno vellere ſpoliabat.

Tunc Cervus illi compatiens, ſatis, inquit, chariſſima doleo de errabundo itinere tuo: ſed multò magis de erroneo conſilio. Nimirum libertas dulcis eſt, & theſaurus incomparabilis; ſed non convenit univerſis:

Quod confirmat exemplo populi, corporis, navis.

Populi quidem, cui libertas non eſt aliud, quàm perditio libertatis.

Corporis, quod quidem animæ ſubjectum vivit, & mox cùm ab ea liberatur, extinguitur.

Navis, quæ ſubjecta nautis ſervatur à fluctibus, ab illis libera, iis hauritur.

Hac ubi protulit exempla, tum conficit illud.

His ergò libertas, certa eſt perditionis captivitas.

Tum verſa ad Ovem oratione: Hoc modo, inquit, mea chariſſima, crede rem etiam tecum ſe habere. Nam attende quomodo, & qualiter nunc incedas, ſine duce, paſcualis itineris neſcia, ſine tutore, nulla propria validitate armata, inter inimicos ſolivaga. Nimirum via tibi error eſt, præcipitium ductor, eſuries paſcua, pernicies ſocius, & tui tandem crudelis interitus ſunt extrema.

Tum etiam ſe pro exemplo proponit. Ego certè, inquit, cornu, pede, magnitudine, & agilitate munitus, vix à feris hujus ſolitudinis ſum ſecurus.

Hac ubi ad Ovem Cervus, tum eam urget, obteſtaturque ut ad paſtorem redeat; eique ſe regendam committat.

Audi igitur, inquit, conſilium meum, & quantociùs ad dominum tuum revertaris, ne liberè pereas, & teipſam lupis devorandam impendas. *Et rationem ſubjicit, objectáque ab Ove argumenta diluit.* Si enim, inquit, dominus tuus te mulget, aut tondet, ab eo ſumis hæc ipſa, quæ tribuis, quia te cuſtodit, & paſcit. *Tum ad extremum conficit illud.*

Eligibilius eſt lac dare, & vellera, quàm cum omnibus perdere vitam.

Hac ubi à Cervo audiit Ovis, gaudenter ad paſtorem rediit. Et certè quàm optimè, vitam enim eo duce, ac defenſore ſervavit, quam eo deſtituta perdidiſſet.

Maneat ergò veriſſimum illud Sapientis: *Cuſtodi diſciplinam, quia ipſa eſt vita tua*; vel ut vertunt Septuaginta: *Cuſtodi eam tibi ipſi in vitam tuam.*

Vitam dico, non quæ corporis eſt, & carneæ hujus molis; ſed Animæ, ſed ſpiritus, cujus vita eſt gratia, & ab illa etiam ſanctitas. Quod ipſum declarat illud oraculum magni Pontificis.

Fuit hic *Ioannes XXII.* qui de ſtrictiore obſervantia Regulæ D. Dominici, pronuntiare ſolitus illud: *Eam ſatis eſſe ad ſolemnem Canonizationem.*

Et certè ad Canoniſmum *S. Bernardini Senenſis*, non tam vitæ auſteritas, non tam miraculorum gratia, & fulgor Pontificia oculis objecta: quàm perfecta, & ſuis numeris abſoluta Regularum obſervantia, & hanc è Cathedra ſufficere dixit Pontifex, ut quis habeatur, & ſit Sanctus.

Quod de D. Dominici Conſtitutionibus extulit oraculum Pontificium; hoc & de Franciſci, Ignatii, Nerii, Tereſiæ, & aliorum Fundatorum Regulis dictum pronuntio: in his enim omnibus ſua cuique Ordini ſanctitas eſt repoſita; repoſita & Animæ vita, id eſt gratia; cujus probè conſcia *B. Magdalena de Pazzis*, dicere ſolita Religioſum tanti debere facere Regulam, quanti & vitam, quanti & ſeipſum, & potius eligendum eſſe millies mori, quàm vel minimam Regulam infringere: quod utinam & ſentirent, & loquerentur Religioſi omnes, non ea in pleriſque eſſet ad eam ſolvendam licentia.

SECVNDVM INCITAMENTVM.

Ex illis verbis : *Eris gratia faucibus tuis.* verſ. 22.

SAncti Patres, & Sripturæ ſacræ Interpretes diſcedunt in alias, atque alias ejuſdem loci expoſitiones. Septuaginta ſic vertunt: *Vt vivat anima tua, & gratia ſit circa collum tuum.*

Syrus autem ſic: *Sit collo tuo caritas.*

Venerabilis Beda: *Guſtus faucibus tuis.* guſtus, inquam, & ſapor divinorum, quem prægustant vitæ regularis amatores, quem etiam (quod ames, ac mireris) in alios transfundunt.

Tuam appello fidem, experientiam tuam, Franciſce Aſſiſi. Mirabilis Dei providentia, quæ in ſymbolis ludere amat, & futuris præludere; tibi exhibuit, qui in primo limine ſuæ ad Deum converſionis futuri eſſent è fratribus tuis nonnulli, qui deinde lapſu temporis, & ſæculorum, qui denique in fine, in quibus tres veluti Ordinis ſtatus oſtendit, & hoc ſymbolo pomorum. Primum enim obtulit poma dulcia, & miri cujuſdam ſaporis: tum minùs dulcia, dulcia tamen: tum inſipida, amara, & acida: denique addidit & illud, & his aliquando ſimiles è fratribus tuis aliqui; qui primùm cœleſtia guſtabunt ipſi, & aliis etiam dabunt guſtanda; non ſine amabili divini ſaporis ſuavitate: ſed ſenſim lapſu temporis, & annorum, lapſu etiam & morum, & ipſi cœleſtia minùs ſapient & ſibi, & aliis, tum ad extremum planè inſipidi, nullo divinorum guſtu: quid facias, ea eſt in malum inclinatio etiam in religioſiſſimis quibuſque familiis, niſi caveas, & cavere alieno malo diſcas: cavebis autem ſi diſciplinæ regularis fueris retinentior: ab hac enim tibi guſtus erit divinorum, guſtus & proximis; guſtus & ipſis Angelis, guſtus & Deo ter Opt. ter Max.

Wadingus in Annal. S. Franciſci.

Fatendum enim religioſis Regulam eſſe, quod cibus famelicis, & illius obſervantiam, quod ciborum guſtus, & ſuavitas. Quod etiam ejdem

S. Fran-

S. Franciſco divina providentia alio ſymbolo oſtenſum voluit.

Viſus ille aliquando de terra panis micas ſtudioſè colligere: tum ex iis placentam coquere; tum etiam fratribus ſuis diſtribuere: qui eam recepiſſent, atque in os, & ſtomachum demiſiſſent, inde valentes, vegetóſque fieri; qui autem non admiſiſſent, & languere toti, & contabeſcere, imò & leprâ infici.

Wadingus in ejuſdem Annal. an. 16. Et hæc eò loci ac temporis oblata D. Franciſco ſpecies, die proximè ſequenti data illius interpretatio, quæ fuit ejuſmodi.

Micæ Lex Evangelica: placenta verò, quæ ex iis conficitur, eſt Regula: qui eam animo, ac prompta voluntate, ceu ſtomacho, ſuſceperint; eo cibo probè refecti, ſpiritu valentes erunt, ac vegeti: qui reſpuerint, morbidi, & peccato, ceu leprâ infecti.

Maneat ergò illud, obſervantiam regularem & cibum eſſe, & gratiam, guſtúmque faucibus.

TERTIVM INCITAMENTVM.

Ex illis verbis: *Erit robur faucibus tuis.* verſ. 22.

ITa vertendum cenſuit D. Hieronymus hebraïcæ linguæ peritiſſimus.

Ab Interpretibus Scripturæ ſacræ agitari ſolet ea quæſtio, cur Divina Providentia Sampſonis robur in crinibus repoſitum eſſe voluerit? cur non potiùs in manu, in brachio, & lacertis? in his certè, natura duce, roboris ac fortitudinis ſolet eſſe ſedes; cur igitur in capillis, qui non ſunt pars humani corporis: ſed quaſi illius excrementa, & rejectamenta, atque, ut ait Philoſophus, *ſuperflua naturæ?*

Reſpondent non ſine Numine id factum, & cœleſti prodigio. Erat Sampſon Nazaræus, id eſt religioſus: cui cœlo judice ea præſcripta erat Regula, ut crines aleret, nec aſcenderet novacula ſuper caput ejus. Hæc enim erat Regula Nazaræorum; quam ut illibatam, intactámque ſervavit: ſimul & robur ſervavit in capillitio poſitum: at ubi illud ſolvit, diſſolvitque; ubi Dalilæ artibus, & malo dolo crinibus exutus eſt, ſimul exutus eſt robore: tantum intereſt qui Regulam ſerves; in ea quippe robur, in Sampſone quidem corporis, in aliis etiam animi.

Robur adverſus Mundum. Teſtes volo, teſtes amo Apoſtolos numero dumtaxat duodecim, & tamen ut ii eſſent, ut numero exigui, ut fortunis abjecti, ut genere ignobiles, ut à ſcientia rudes, & imparati, & coronatos vertices, & urbes nominatas, & Provincias populoſas, & Regna ampliſſima Chriſtiano ſubjecerunt imperio: At unde ſubjecerunt? quo robore? quibus armis? non aliis, quàm Evangelicæ Legis obſervantia? ab hac illis paupertas pro patrimonio: contemptus pro honore, pro ſcientia ſimplicitas, contumelia pro gratia, mors pro vita: & hoc ex Evangelicæ legis, id eſt Chriſtianæ, inſtitutione, quam quia ad amuſſim ſervabant, binc illis tantum robur, & vis tanta ad animarum converſionem, imò & ipſius Orbis univerſi; qualis nec in exercitu quantumvis numeroſo, nec in armis, & jaculis. Erant quidem illi *jacula*: ſed jacula, Dei manu vibrata; de quibus olim ſic præſaga voce Abacuc:

Iacula tua ibunt in ſplendorem coruſcationis armorum tuorum: jacula, dicit, id eſt, Apoſtoli tui, ô Chriſte! ibunt in hoſtem; ibunt in capita coronata, in tumentes à profana ſapientia Philoſophos, in tyrannos immanitate barbaros, eóſque ſternent, ac profligabunt: non alia vi, non aliis armis, quàm Evangelicæ Legis obſervantia; tantum in illa erat momenti, & vis tanta.

Quod Apoſtolico robori datum: hoc & primis è Societate JESU Patribus: erant illi numero dumtaxat decem; & tamen illorum vim, ac robur ſenſit Orbis propè univerſus.

Italia Ignatii; India, & Iaponia Xaverii; Gallia Lainii; Luſitania Rodericii; Hiſpania Fabri; Germania Iaii; Hibernia Salmeronis, & Paſchaſii; Veltræ Coduri; Inſula Ænatia Bobadillæ. *Hiſtor. Societ.*

Horum, inquam, vim, & robur ſenſêre nobiliſſimæ illæ Orbis partes, & in his ipſe Orbis propè univerſus.

At unde illa vis? illudque robur? non aliunde, quàm à Lege, à Regula illorum animis jam inde Dei digito impreſſa: hæc enim prima illis Lex fuit; Lex interior, à qua fiebat, ut quod Romæ ſtabiliebat Ignatius, hoc in India ſtabiliret Xaverius, & inde tam huic, quàm illi, & aliis ea vis ad converſionem animorum: addam ego, & ad omnem tartareæ poteſtatis impetum vel eludendum, vel etiam frangendum.

Robur adverſus Diabolum. Solet invidus dæmon abiturienti è corpore animæ modò inſidias ſtruere, modò etiam (ſi iis minus proficiat) aperto marte eam invadere, ne cœlo reddatur, & Deo.

Et ita invaſiſſe legimus religioſum aliquem è ſacra Patrum Cappucinorum familia. Jacebat ille in conventu Parmenſi æger, à medicis depoſitus, jamque in extrema cum morte lucta, quam mirum quantum augere cœpit malus dæmon, & objecta ſuſpectus horribili ſpecie (quam ad illam ſcenam aſſumpſerat) & moleſta, ac propè deſperabunda de ſalute cogitatione. Ut huic, & illi malo remedium facerent, qui aſtabant religioſi Patres, objicere, atque ægro oſtentare ſacram Chriſti Crucifixi effigiem, ut ea, quaſi umbone, ſe tegeret, atque protegeret: ſed in caſſum omnia, offerebat enim ſe importunè cacodæmonis imago quàm teterrima, jacentemque mirè terrebat. Quid igitur remedii? Unus aliquis D. Franciſci Regulam illi in manus dedit, ut ea, veluti clypeo, ſeſe tueretur, & res ea quàm optimè ceſſit. Mox enim, quaſi eam non ferret malus dæmon, exceſſit, abiit, atque ad inferos rediit. Ita, qui etiam Chriſti è Cruce pendentis ſimulacrum tulerat, libellum Regulæ non tulit, tantum in illa roboris erat ad fugandas, debellandasque omnes furias illas infernales. Nec mirum, quia Regula, hoc eſt ejus obſervantia, cui ſe totum dederat vir ille religioſus, ut illi in vita *robur* fuerat *faucibus*: hoc eſt ejus verbo, & prædicationi: ſic & in morte animo fuit, robur, inquam, invictum, atque indomitum ipſis etiam inferis. *Annales Capucin. An Christi 1577. n. 33.*

QVARTVM INCITAMENTVM.

Ex illis verbis: *Erit gratia docendi, prædicandi, perſuadendi.* verſ. 22.

ITa interpretantur Lyranus, Caietanus, Hugo, aliique. At unde illa gratia? via illa, ſeu doctrinæ, ſeu prædicationis? È duplici capite. Primum eſt, quod & hæc, & illa manaret ex intimo pectore; non à lingua, & extremis labellis.

D. Hieronymus hebraici idiomatis peritus in paucis, docet eas linguas, quæ pronuntiantur, & formantur aut in lingua, aut in extremis labris, minùs habere roboris ad perſuadendum; ſecus autem illas, quæ exprimuntur, & formantur quodammodo in imo gutture, & quaſi è pectore premuntur; qualis eſt *hebraica*, quæ ideo dicitur *gutturalis*, adeoque omnium efficaciſſima, & maximè perſuaſiva.

Quod ſi id habet lingua hebraica, vel origine ſua, vel natura: habet & doctrina, habet & prædicatio, quæ non formatur, & exit ab ore, à lingua, & labellis: ſed manat ex intimo cordis affectu, & quod inde conſequens eſt etiam ab obſervantia divinæ Legis, Obedientia ſancta, & magnarum virtutum exemplis;

exemplis, in quibus ſumma vis eſt ad perſuadendum; & ea, cui nemo unus omnium contradicere, nemo reſiſtere poteſt.

Hom. 3 in 1. ad Cor. *Hæc eſt ratiocinatio, cui contradici non poteſt, quæ fit per facta;* inquiebat D. Chryſoſtomus.

Ratiocinationi, quæ fit per verba, ſua ſæpè lis eſt; & ſi non omnes, at ſaltem aliqui, imò plurimi contradicunt: ſed illi, quæ *fit per facta*, nemo unus omnium.

Libello de 2. Martyrio. Rationem hanc reddit D. Cyprianus; quia *efficacius vita, quàm lingua teſtimonium eſt: habent opera linguam ſuam; habent facundiam ſuam etiam tacente lingua.*

Serm. 76. Cypriano conſentit D. Ambroſius, cujus ſolemne illud effatum: *Benefacere prima doctrina eſt, ceſſantibus enim verbis, hoc ipſum docet hominem opus optimum, dum videtur; quod etſi voce aures non excitet, virtute corda tamen compungit. Quis enim bonum factum videns, non gaudeat, non moveatur, imitetur, ac velati tacito magiſtro utens, ejus exemplo doceatur.*

Et ita ab Apoſtolis, à Martyribus edocti fuerunt Suprà. primi Chriſtiani teſte eodem D. Ambroſio; *Sancti Martyres*, inquit, *etſi voce tacent, factorum exemplo nos edocent, etſi lingua ſilent, martyrii paſſione perſuadent.*

Quod Apoſtolis, quod Martyribus: hoc deinde viris Apoſtolicis. Perſuaſerunt illi, non voce; ſed facto. Et ita noſtra hac ætate Japonibus perſuaſit Pater Fernandez è Societate JESU vir re- Maffer. Cocin. ligioſus in paucis. Erat ille S. Xaverii in illa Domini vinea ſocius, atque adjutor, diu ad Japonios dixerat, diu laborarat pro fide Chriſtiana, proque Evangelii luce, in illa Infidelium nocte, inducenda: ſed in vanum ceſſerant omnia, in vanum oratio, in vanum & omnis labor, ſub hoc dum gemit, & propè fatiſcit, ac die quadam è cathedra altiùs detonat, è Japonibus unus aliquis cæteris petulantior, in ejus faciem inſpuit: Quid hic bonus Pater? an colorem mutate? an rubere? an pallere? an ſubiraſci? an indignari? an in Japonem invehi? & graviter de contumelia queri? & in impudoratum illum detonate? Minimè gentium? modeſtè ſputum detergit, & cœptam concionem proſequitur. Hic hærere, ſtupere omnes attoniti tanta viri patientia; tum etiam amare, mirari, & altè deprædicare patientem in tanta injuria virum, denique ad extremum benè monenti Patri aures, & animos dare, faterique ſe victos non voce concionatoris, ſed facto; ſed virtute verè Chriſtiana, jactaréque etiam illud non poſſe non eſſe veram religionem, in qua tam ardua eſſet patientia: adeò Suprà. verum illud D. Ambroſii: *Melius docemur facto, quàm voce.* Et illud Varronis, profani licet Authoris: *Evidentiſſimum docendi genus eſt ſubjectio exemplorum.* Hæc D. Chryſoſtomus componit cum tuba, qua ad aures, imò & animos appellit, pulſatque ingenti clangore: & cum luce, quæ oculos, non corporis modò, ſed & animi, perſtringit:

In cap. 5. Matth. *Omni tuba*, inquit, *documenta ſunt operum clariora; vitáque munda, ipſa & luce fulgentior.* Et ita *fulgentior* fuit patientia, modeſtia, longanimitas pii illius Eccleſiaſtes, qui indubiè didicerat, altéque retinuerat Serm. 10. illud D. Ambroſii oraculum: *Hæc noſtra Chriſtianitatis ſumma eſt, ut amantibus viciſſitudinem, lædentibus patientiam rependamus.*

Hic ſtylum ſiſto, tibique in aurem ingero iſtud D. Ambroſii, Amice Lector: *Dictis igitur facta præcedant, quia ſine factis dicta nihil proſunt.* In c. 5. Matth.

QVINTVM INCITAMENTVM.

Ex illis verbis: *Erit torques collo tuo.* verſ. 22.

ITA verti oportere exiſtimavit Janſenius. Antiqui collo appendebant torques, duas potiſſimum ob cauſas, è quibus

Prima erat ad teſtandam natalium ingenuitatem, & generis aviti nobilitatem, ac ſplendorem.

Altera contra faſcinum, & Magorum artes, malique dæmonis dolos, quos eludi credebant torque.

In primæva Eccleſia Chriſtianis pueris, ac puellis è collo pendebant Evangelia auro eleganter inſcripta, aut argento; & hæc illis erant pro torque: ad quem morem ſuo etiam ævo receptum alludens D. Chryſoſtomus, ſic è pulpito ad ſubjectam ſibi concionem:

Tu verò Evangelii leges, & mandata deſcribas, non Hom. 19 ad populum. *auro, non argento, ſed voluntate. Securius habebis Evangelium, non extrinſecùs: ſed in animæ penetralibus ipſum reponens.*

Laudat quidem, & probat Orator aureus, Evangelii leges, & mandata deſcribi in auro, & argento, ad reverentiam, & ad venerationem.

Et ita S. Bonifacius, Epiſcopus, & Martyr invictus, à Virgine locuplete deſcribi ſibi petiit litteris aureis D. Petri Epiſtolam, ob debitum illi honorem, cultum, ac venerationem.

Ita Theodoſius, Imperator longè piiſſimus, manu ſua litteris aureis Evangelia elaboratè deſcripſit: Lib. 14. c. 3. ut teſtatur Nicephorus.

Ita Imperatores alii Evangelia capſis argenteis, ac gemmeis includere ſoliti, & Summis Pontificibus dono mittere; quod & feciſſe legitur Conſtans Imperator, & Vitaliano Pontifici tranſmiſiſſe.

Ita etiam in Conciliis Eccleſiæ Generalibus, quaſi Dei loco, vicéque in medio cœtu collocari ſolebant Evangelia: & ita factum legimus in Synodo Epheſina, & Concilio Florentino, erectum ſolium aureo velamine, & in eo locata Evangelia: quod ſubmiſſionis, honoris, ac reverentiæ fuit: Et ita (ut redeam unde paululùm abii) antiquo more, ritúque factum à primævis Chriſtianis, quibus appenſa è collo pendebant Evangelia, auro, argentóve inſcripta, quod ut dixi, laudat, & probat D. Chryſoſtomus, mavult tamen ea *in voluntate*, quaſi animata tabella: mavult intrinſecùs, & in intimis animæ penetralibus inſculpi, quàm extrinſecùs, & in auri, argentive lamina: mavult & in manu, hoc eſt, in ipſis operibus, & in illis exprimi; vel ad teſtandam bonæ mentis ingenuitatem, vel veram nobilitatem, quæ in ſola virtute eſt repoſita, vel denique ad ejuſdem decus, atque ornamentum: quod enim pectori, quod collo eſt torques aureus, hoc animæ eſt Evangelicæ Legis, & Conſiliorum obſervantia: unicum illa, & verum animæ ornamentum, à quo cœlo, ac Cœlitibus nitet, nitebitque in omnem æternitatem.

TRACTATUS DE MODESTIA CHRISTIANA, ET RELIGIOSA.

Ad illa verba: *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Ad Philipp. c.4.

APOSTOLUS pro eo, quo totus ardebat, Animarum zelo, Epiſtolam ſcripſit ad Philippenſes, quibus eos ad ultimum Meſſiæ adventum parat: & hoc ſeu præſidio, ſeu etiam ornamentum magnarum virtutum, quas inter aliquæ intrinſecùs animam ornant: aliæ nitent extrinſecùs, & corpus afficiunt quàm optimè.

Hæ autem, quæ intrinſecùs latent, & animam cœlo, Deóque reddunt amabilem, aliæ ſunt, atque aliæ, ex quibus hæc prima:

Gaudium in Domino; *Gaudete*, inquit, *in Domino*. Lætitia ſcilicet ſpirituali, de qua ſic diſertè D. Anſelmus: *Gaudete, non in ſæculo, ſed in Domino: non in iniquitate, ſed in veritate: non in flore vanitatis; ſed in ſpe æternitatis.* Et hæc prima bonæ mentis eſt virtus.

Altera, eſt confidentia quædam in amabili Dei providentia. *Nihil*, inquit, *ſolliciti ſitis*.

Tertia, eſt devotæ Deo mentis affectus; & velut in cœlos raptus, & ardor quidam enthcus. *In omni*, inquit, *oratione, & obſecratione.*

Quarta, eſt *Pax Dei*, pax alta cum ſupremo Numine, atque authore Deo, ac Domino Univerſi.

Et hæc interiora ſunt animæ decora, atque ornamenta, quæ in illius intimis quaſi penetralibus abſconduntur, & patent uni oculo divinæ mentis; quibus adjicit ea, quæ extrinſecùs apparent, atque objiciuntur etiam mortalibus oculis: *modeſtia* ſcilicet, quæ viſitur in exteriori homine: conſtat hic duabus partibus, corpore; & anima, & huic, & illi ſua quaſi veſtis; qua tegitur, atque ornatur tam hæc, quàm illud.

Veſtis animæ, ſunt virtutes. *Bona veſtis eſt charitas*, inquit D. Bernardus, *bona veſtis obedientia.* In parvulo ſermon.

Veſtis corporis, eſt modeſtia, qua illud redditur conſpicuum, atque commendabile.

De utraque hac veſte ſic olim Propheta regius: *Omnis gloria filiæ Regis ab intùs in fimbriis aureis.* Pſal. 44.

Filia Regis, eſt anima, filia Regis Altiſſimi, id eſt Dei, cujus gloria *omnis*, id eſt potiſſima, *ab intùs*: ſed & ſua extrinſecùs *à fimbriis aureis*, id eſt inſigni, præclaráque modeſtia, quæ coruſcat, ut aurum ſolet.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* ad Philipp. c.4.

Quid ſit Modeſtia?

MUſonio apud Stobæum: *Modeſtia eſt decorum in geſtu, & habitu.* Inde Pythagoræi cum de iis loquerentur, qui aliorum eſſent duces, ac moderatores, dicere ſoliti illos ſibi authoritatem conciliare debere, non tantùm animi motibus, inclytiſque facinoribus; ſed vel maximè *corporis geſtu, motúque*; hoc eſt modeſtiâ. Serm. 46.

D. Paulo: *Modeſtia eſt digna ſacerdotio gravitas*, quæ Sacerdotibus ita eſt propria, ut olim modeſtiæ ornamentis præditi, ſacerdotales viri nominarentur, & eſſent; quæ cauſa fuit cur Sidonius Apollinaris effatum illud in Poſteros extulerit. *Plus ego admiror ſacerdotalem virum, quàm Sacerdotem*: quia ſcilicet *Sacerdos* eſt ab Ordine, & charactere, qui etiam in indignos, atque immerentes cadere poteſt: at *Sacerdotalis*, non eſt niſi à modeſtia, & virtute, quæ illi propria eſt, ac ſingularis. ad Titum epiſt. 2. Lib. 4. ep 6.

D. Hieronymus altiore voce uſus modeſtiam appellat *quandam decoris ſacri dignitatem*, ac majeſtatem, quæ ſpectantium oculos feriat, & ſibi quandam conciliet authoritatem, atque reverentiam: explicans enim locum illum Apoſtoli, in quo modeſtiam vocat *dignam ſacerdotio gravitatem*; vel, ut vulgaris verſio habet, *habitum ſanctum*, quem eum eſſe ait, *ut ipſe inceſſus, & motus, vultus, ſermo, ſilentium, quandam decoris ſacri præferant dignitatem.* In Epiſt ad Titum. Ibidem.

Tertullianus elatiore, ut aſſolet, aſſurgens cothurno; Modeſtiam cenſet eſſe *ſeveritatem quandam in facie, in cultu, in totius hominis contemplatione*, quærit enim *ubi Deus*, & reſpondet *ibi pudicitia, ibi gravitas adjutrix, & ſocia ejus*: tum ſeipſe latiùs explicat, & illud adjicit: *Quomodo autem gravitatem administrandæ pudicitiæ adhibebimus, niſi & in facie, & in cultu, & in totius hominis contemplatione ſeveritas circumferatur*: hoc eſt verbo uno modeſtia, quæ eſt illa ipſa ſeveritas; ſed ſuavis, & amabilis; non tetrica, & moroſa. De cultu fœm. c. 8.

Alio loco ille ipſe Tertullianus modeſtiam appellat *divitem animi ſuppellectilem, quam foris inſpiciat at ſuam.* De cultu fœm. c. 16.

Divites hujus ævi, qui toti nummis incubant, & auro; theſauros ſuos, pecuniam, gemmas, uniones abſcondunt in arcis, & ſub arctiore clauſura retinent: at ſuppellectilem exponunt oculis, & videre geſtiunt, ac videri.

Sic & bonæ mentes, ac cœlo divites; virtutes alias, ſeu theſauros ſuos abſcondunt; at modeſtiam, ſeu pretioſam ſupellectilem, objiciunt oculis, & quaſi ſpectandam oſtentant; & hoc quidem ſine ullo vanitatis, & jactantiæ nævo; ea quippe modeſtiæ natura eſt, ut velis nolis videri debeat ut eſt in ſe, ſuiſque nativis coloribus.

D. Gregorius Nyſſenus Modeſtiam vocabat *pudorem modeſtum*, metaphora ſumpta à Virginibus, quibus pudor in fronte, in genis, in oculis eſt, veluti nativus Virginitatis color, atque ornamentum. De vita Moyſis.

S. Ignatius, Martyr invictus, Modeſtiam ſuſpicere, & commendare ſolebat veluti *magnam cæterorum diſciplinam.* Faciebat quaſi virtutum ſcholam, & ſacrum lycæum; & in eo modeſtiæ dabat magiſterium.

Minutius Felix in Octavio, inter Chriſtianorum notas, atque inſignia modeſtiam reponebat: ſic enim de illis & eleganter, & verè: Epiſt. ad Trallianos.

Nos, non notaculo corporis: ſed innocentiæ, ac modeſtiæ ſigno facilè dignoſcimur.

Lancea Spartiatas indicabat, humerus Pelopidas, Epaminondam Draco; hominis autem Chriſtiani ingens argumentum, atque indicium, eſt modeſtia.

S. Ignatius, Societatis JESU Fundator, & Author: minimæ ſuæ Societatis *veſtem* appellabat *modeſtiam.* Ut ſocii omnibus omoia fierent, ut in omnes orbis partes ſpargi commodiùs poſſent, nullum iis peculiarem habitum aſſignandum eſſe cenſuit: ſed eum, qui honeſtis Clericis, ac Sacerdotibus communis eſſet: de quo (uti & de toto Societatis Inſtituto) cùm monitus eſſet Summus Pontifex Paulus hujus nominis III. & deliberationem inſtituiſſet: fortè è Vaticani Palatii feneſtra ſpectanti, viſi ſunt è ſociis duo, de quibus ad Cardinalem, qui aderat, cùm dixiſſet Pontifex: *Ecce Ieſuitæ duo*; ſubjeciſſetque Cardinalis, unde eos ſua Sanctitas novit; cui cùm reſpondiſſet: *Ex modeſtia*: adjecit illicò, & quidem ſatis opportunè: ſi ex modeſtia dignoſcuntur, & quaſi ab aliis, ceu habitu ſuo, diſcernuntur; cum Sanctitatis Veſtræ bona gratia, relinquatur illis *modeſtia pro veſte.* Et certè hactenus relicta.

Quanti porrò veſtem illam fecerit S. Pater, liquet primùm ex eo, quod ſtatim initio ſui in Urbem ingreſſus ordinationem ſcripſerit idiomate hiſpanico, quæ ſic ad verbum latinè reddita:

Part. 1. l. 14 Hiſtor. Soc. *Miniſter M. Franciſcus Xaverius: Subminiſter M. Alfonſus: & Syndicus, Ioannes Paulus, conveniant die lunæ ante cœnam certa hora ad conſultandum inter ſe circa compoſitionem exteriorem omnium.*

Et hæc prima de modeſtia ordinatio, index utique curæ, ac ſollicitudinis paternæ, quam de ea habebat: aliæ continentur Regulis modeſtiæ, quas & compoſuit S. Pater, & ad Poſteros tranſmitti voluit. Compoſuit dico, fuſis ad Deum precibus, & effuſis lacrymis: tanti viro ſancto ſteterunt illæ Regulæ, quas ideo filiis ſuis volebat eſſe pretioſas, & caras. Sed ne longiùs, redeo ad alias ejuſdem virtutis deſcriptiones.

Euripides, gravis, & moratus auctor quaſi enthuſiaſmo afflatus modeſtiam dicebat *donum Deorum pulcherrimum*, ajebátque adferre hominibus *gloriam bonam*, hoc eſt præſtabilem apud omnes opinionem.

Denique D. Ambroſius elatiore ſtylo, vocéque modeſtiam dicebat eſſe veluti quandam Dei portionem. *Dives*, inquiebat, *eſt modeſtia, quia portio Dei eſt.* Magnificum ſanè oraculum, tanto Præſule dignum, idque veriſſimum. Modeſtia eſt beati Numinis portio, tum quia ab illo manat ſeu parente, ſeu patrono; tum quia eſt velut illius expreſſio, & divinæ ſuræ particula, quæ ad homines poliendos, ornandóſque defluat. Et hæ è multis, virtutis illius deſcriptiones, veluti picturæ quædam, icónéſque fidelibus oculis ſubjectæ. (Lib. 1. Offic. c. 18.)

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* ad Philipp. c. 4.

In quo poſita ſit ea modeſtia? Quæ ad illam incitamenta? Et qui ab ea maximè conſpicui.

TRia hic paucis complectar. Primùm in quo poſita ſit ea modeſtia? ad quod generatim reſponderi poteſt eam collucere in corpore omni, & illius actionibus; in quibus Caſſiodorus veluti muſicam quandam diſciplinam agnoſcebat, adeò in illis compoſita, & concinna omnia, & quaſi per muſicos rythmos modulata: eáque de cauſa S. Baſilius, corpus humanum *Pſalterium* nominabat; quaſi ipſa corporis ſtructura inſtrumentum eſſet ad concinendos Deo hymnos, & hymni ipſæ corporis actiones, quæ ſic compoſitæ, ut in illis nihil appareat inconcinnum. (In Pſal. 29.)

Hinc D. Gregorius Nazianzenus illuſtrem fratris ſui modeſtiam commendare cùm vellet, in eo laudabat *in omni parte corporis gratiam, & velut in ſonis, ac fidibus concentum.* (Orat. 10.)

Sed in quo illa gratia, & quaſi concentus? Utique, (ſicuti jam inſinuavi) in toto corpore, & externo cultu modeſtiæ effigies viſitur: ſed in quo, inquies, potiſſimum?

Pulcheria, altiore ingenio prædita, eam reponebat in ipſo corporis habitu, & compoſitione quadam ad decori ſpeciem. Inde cum Theodoſium Imperatorem vellet in omni parte perfectum, ab adoleſcentia edocuit quomodo veſtem ſibi ipſe circumdare, quomodo conſidere, incedere, & riſum moderari poſſet, ſicque omnes modeſtiæ partes implere.

Et certè ab illâ ſic edoctus Imperator, ut teſte Nicephoro, *veluti vera effigies, & ſtatua in optimi imperii formam expolita eſſet.* (Lib. 14. c. 2.)

Euſebius, tria ſingularis modeſtiæ argumenta prodit, eáque commendat in Conſtantino Magno, cujus in Nycenum Concilium ingreſſus in tribus maximè fuit ſpectabilis, quod illi *oculi demiſſi, vultûs pudor, inceſſûs moderatio.* Et in hac, & illis expreſſa modeſtiæ imago, atque effigies. (L. 3. de vit. Conſtant. c. 10.)

Iſidorus Peluſiota, hanc ſtatuebat in tribus, *inceſſu, aſpectu, atque voce*: aiebátque in Præſule, eam eſſe debere modeſtiam, *ut in ipſo inceſſu, & aſpectu, atque voce, iis, qui ipſum intuerentur, ſtuporem, & magnam ſui admirationem injiceret.* (L. 5. ep. 206.)

D. Hieronymus, modeſtiæ vim, atque laudem ponebat in his quatuor: habitu, ſermone, vultu, inceſſu: loquens enim de hominibus Deo ſacris ſic ait:

Quorum habitus, ſermo, vultus, inceſſus doctrina virtutum eſt. (Epiſt. 4.)

D. Chryſoſtomus, modeſtiam collocabat *in geſtu, & totius corporis motu*, addebátque elegans illud, externos corporis motus eſſe *quoſdam intimi animi præcones, & formas quaſdam, atque expreſſas interioris mentis imagines, quæ omnium oculis ſubjicerentur.* (In c. 3. Iſa.)

D. Ambroſius, præcipuam quandam modeſtiæ partem eſſe cenſebat in ipſo inceſſu: in quo hæc requirebat; ut eſſet *ſpecies authoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis veſtigium; ita tamen ſi ſtudium deſit, atque affectatio: ſed motus ſit purus, atque ſimplex.* (Lib. 1. offic. c. 18.)

Venio ad ſecundam propoſitæ quæſtionis partem, quæ ſcilicet ad modeſtiam ſervandam incitamenta. Ex his

Primum, quod ex corporis ſtatu, motúque, & ipſe interior animi motus, atque affectio exaudiatur; cujus rationem eleganter, & concinnè dedit Tertullianus, quia *Rector animus facilè communicat ſpiritus invecta, cum habitaculo ſuo.* (Incitamenta. De patient. c. 15.)

Habitaculum corpus vocat, ut proprium domicilium, cum quo animus communicat invecta ſpiritus, hoc eſt ea, quæ à ſpiritu in animam importantur; & quæ velut cataplo inſtructo celeriùs evolante, invehit foras, & per geſtum, atque actiones in hominum lucem immittit.

Et hinc alterum emanat, quod ipſe geſtus, motuſque corporis, totus ex modeſtiæ legibus compoſitus, ſit tacita quædam admonitio, & potens ad virtutem incitamentum, quod diſertè, ut ſolet, extulit Seneca, cujus hoc effatum:

Occurſus Sapientum juvat, & eſt aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. (Epiſt. 94.)

Quod etiam advertit, docuitque Tertullianus elatiore ut aſſolet ſtylo: *Etſi*, inquit, *eloquium quieſcat, habitus ſonat, auditur Philoſophus dum videtur.* (Lib. de Pallio c. 6.)

Et hinc etiam tertium ducitur incitamentum, quod plurimum facit ad mores rectè formandos: ut enim hominis exterioris compoſitio tacita quædam eſt monitio; & facilis ad virtutem illecebra: ſic & tacita reprehenſio, & acris quædam vitiorum cêſura.

Teſtem

Teſtem appello, & judicem Tertullianum, gravem, ac ſeverum vitiorum cenſorem, cujus hoc in perſona Philoſophi, id eſt Sapientis, pronuntiatum.

Supra. *De occurſu meo vitia ſuffundo, grande pallii beneficium eſt, ſub cujus recogitatu improbi mores erubeſcunt.* Ut autem à modeſtia, & externa illa corporis, motuúmque omnium compoſitione *erubeſcunt improbi mores;* ſic & excitantur probi, atque ad virtutem, vitámque Chriſtianam, ac religioſam facilis inde aperitur via: ut enim rectè Iſidorus Peluſiota, qui extrinſecùs virtutis cultum præferunt, licet verbum nullum Lib. 2. ep. 1. faciant, *ſilentio tamen ſuo quovis tuba clariore omnes erudiunt.*

Ita noſtra hac ætate erudiri ſe ſenſit, & faſſus eſt Adm. R. P. Mutius Vitelleſcus, Societatis JESU deinde Præpoſitus Generalis. Is cùm Romæ degeret adhuc ſæculi nexibus implexus, itare ſolitus ad domum Profeſſam, vel eò tantùm, ut ſcholaſticos Societatis, qui ab ea ad Collegium revertebantur bini, & bini, ſpectare poſſet; adeò gratum adoleſcenti nobili illud ſpectaculum, quo ita moveri, tangíque ſe ſenſit, ut deinde mundi pompis valere juſſis, Societatis inſtituto & ipſe animum adjecerit; in qua deinde à doctrina, virtute, prudentiáque planè ſingulari ita profecit, ut dignus inventus ſit, qui illi præeſſet & ipſe modeſtiæ, quam in aliis amarat atque ſuſpexerat, ſpeculum factus, ut de illo dicere poſſimus, quod aliquando Caſſianus de Abbate Collat. 7. c. 2. Sereno: *omnes virtutes, non ſolùm in ejus actu, vel moribus: ſed etiam in ipſo vultu per Dei gratiam refulſiſſe.* Sed ne longiùs; deſcendo ad aliud incitamentum, ceu acrem ſtimulum, ceu potens telum, quod in oculos primùm, dein etiam in animos immittit præclara illa modeſtiæ ſpecies, atque imago: ea portò eſt inſignis quædam animarum ad meliora converſio.

Erat Venetiis adoleſcens hebræus Elias nominè, qui ut erat & politioris litteraturæ, & linguarum in paucis amans, ſtudiorum gratia Ægyptum, Conſtantinopolim, Hieroſolymam, aliáſque regiones peragrarat, nec ſine fructu: perfectè enim callebat linguam Lannarò, Hebraicam, Turcicam, Arabicam, Italicam, Germanicam. Hunc ad fidem orthodoxam traduxit R. P. Andreas Fruſius ſolâ ſuâ modeſtiâ, quæ tanta erat, ut quoties incurreret in oculos, toties Angelum Dei ſibi conſpicere videretur: enitebat enim in illo ſpecies quædam Angelica, quæ ex oculis, ex vultu, ex geſtu, ex habitu elucere videbatur. Ea certè permotus adoleſcens ille hebræus, primò baptiſmi aquis intinctus, tum etiam Societatis candidatus, in quam deinde adlectus magno ſanè animarum lucro; quod uni modeſtiæ aſcriptum, atque debitum amabit omnis poſteritas. Et verò quidni amaret, ac ſuſpiceret?

D. Chryſoſtomus in Flaviano Antiocheno Præſule modeſtiam dum laudat, atque commendat, adjicit illud, quod ad hujus virtutis vim, atque commendationem mirum quantum facit.

Hom. 3. ad Popul. *Sanctorum, non tantùm verba; ſed & ipſi vultus ſpiritali gratia pleni ſunt.*

Hanc porrò per oculos transfundunt in ſpectantium omnium animos, eóſque mirè afficiunt, atque devinciunt, ut imitari non pigeat, quod oculis, ceu fidelibus nuntiis, acceperint.

Hæc gratia, Sapienti dicebatur *gratia capitis*, ceu illuſtris quidam in facie decor, & amabilis compoſitio; Prov. 1. 9. propter quam appellatur quis apud alios *gratioſus*, qualem itali nominant *aggratiato*.

Hanc Poëta nnus aliquis vocabat *honores oculis, & vultui divinitus afflatos*, propter quos cæteris viderentur mirabiles, atque omnium benevolentia digniſſimi.

Ex his fuêre Purpurati Patritii, Feſtus, & Simmachus, duo Curiæ lumina; de quibus eleganter Ennodius: *In ipſis*, inquit, *eſt nobilis Curiæ principatus, quos vidiſſe, erudiri eſt.* Pag. 449.

Epiphanius Præſul Ticinenſis, de quo ſic dicere ſolitus Rex Theodoricus: *Quem vidiſſe pretium eſt, cum quo habitare ſecuritas.* Idem in vit.

Meletius, Antiochenus Epiſcopus, qui (ut aureus notat Chryſoſtomus) non ſolùm loquens, & docens; ſed tantùm ſi videretur, ſatis erat ad inducendam cœleſtium rerum doctrinam in eorum animos, qui videbant.

Ita nimirum auguſta illa modeſtiæ ſpecies oculos ferit, & potenter ſeſe in animos inſinuat, eruditque ſine voce, ſine clamore.

Et ita erudivit S. Lucianus, Martyr invictus, qui ea erat modeſtia, ea gravitate, ea totius externi hominis compoſitione, ut omnes raperet in ſui admirationem, amorem, imitationem.

Hinc ſi fortè prodiret in publicum, ſi per compita civitatis incederet, pars populi è feneſtris ſpectare, pars ad januas ſtare, pars etiam foras egredi, ut propiùs ſpectare poſſet, & oculos, animóſque paſcere tam raro modeſtiæ ſpectaculo: quod ubi ex fama inaudiit Maximinus Imperator, & ipſe ſpectator eſſe voluit, oculiſque uſurpare, quod auribus acceperat. Verùm aulicus unus aliquis, & is quidem idolorum cultor, omninò diſſuaſit, adjiciens etiam illud notatu digniſſimum. *Eam eſſe Luciani modeſtiam, quæ vel ſolùm ſpectata, ſuaderet illicò fieri Chriſtianum*. proindéque ſi videre eſſet animus, inter ſe, & illum velum obtenderet, ne ſcilicet nuda, atque aperta pateret ea modeſtia, in qua tantæ erant ad fidem, ac virtutem illecebræ.

Et hæc pauca è multis, de modeſtia Chriſtiana, & religioſa: quæ ab Oratore hujus ævi non minus verè, quàm magnificè dicitur virtutum altrix, myſteriorum decus, vitæ lumen, beatarum mentium comes, quæ cum Seraphinis hymnos canit, quæ terram in cœlum vertit, & pacat omnia, utpote Imperii magni Domina, quæ nunquam ſola, & incomitata procedit, ejus quippe latus cingit animi demiſſio, pudor, temperantia, manſuetudo, conſtantia, honos, & gratiæ, non tertiæ (ut Antiquis) ſed millenæ, & millenæ; & omnis Chriſtianarum virtutum pompa.

TRACTATUS DE CHRISTO PATIENTE.

NON eſt mei conſili hîc retexere longam ſeriem Dominicæ Paſſionis: id aliàs feci. Hujus igitur loci, ac temporis erit pauca notare, eáque maximè, quæ faciunt ad mores ritè formandos, & magnarum virtutum ſtudia, ad quæ nos evocat illa ipſa Dei-hominis Paſſio, ſeu exemplar, ſeu etiam Virtutum ſchola: in qua Chriſtum, ut librum explicabo, & illius ſtudioſis proponam. Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Vidi librum ſcriptum intus, & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.* Apoc. cap. 5. verſ. 1.

§. 1.

Quis ille Liber?

IN hoc loco, utpote difficili, atque obſcuro, ſudat pius Interpretum labor, abitque in alias, atque alias opiniones. Nec mirum, cùm non ſtatim patuerit oculis objectus D. Joanni Liber, multóque minus videnti obvium fuerit, quod in eo ſcriptum erat: nec enim ſimilis erat noſtris; ſed involutus, atque ad inſtar mappæ geographicæ convolutæ; uti pictus Romæ viſitur in templis.

Nimirum tales erant Veterum libri, quos à convolutione volumina appellabant. Et tales pervetuſtos Hebræos Bibliorum libros vidi in Bibliotheca Vaticana: ubi ſervantur ad aliquam Antiquitatis commendationem.

Veteres quippe ſcribebant in membranis, ſive pellibus, & quidem ſubinde ab una tantum pellis parte, eáque mundiore, & magis terſa: ſubinde etiam in utraque: & tum Liber dicebatur ſcriptus intus, & foris, hoc eſt in utraque parte membranæ, tam interiore, quàm exteriore: & talis hic fuit Liber D. Joanni in exceſſu mentis oblatus; qui etiam involutus erat Veterum more, qui membranam convolvebant, colligabant, conſignabantque; eo ferè modo, quo obſignantur teſtamenta.

Unde liquet D. Joannem nec vidiſſe, nec videre potuiſſe hunc librum intus, & foris ſcriptum; niſi cùm reſignatus eſt, atque explicatus.

Quis ille Liber? Sed hic injicitur quæſtio, ecquis ſit ille Liber? Res ea adhuc eſt in occulto, & ſub judice, & hinc Divi Patres, atque Interpretes diſcedunt in alias, atque alias ſententias.

Opinio prima. Rupertus, & Hugo de S. Victore, cenſent hunc librum eſſe Scripturam tam Veteris, quàm novi teſtamenti.

Scriptus hic liber *foris* ſenſu litterali, & quaſi obvio: *intus* autem ſpiritali, & myſtico.

Signatus ſigillis ſeptem. Primum, eſt ſententiarum Scripturæ profunditas. Secundum, ſenſuum multiplicitas. Tertium, figurarum varietas. Quartum, rerum ipſarum, quas continet, incomprahenſibilitas. Quintum, myſteriorum obſcuritas. Sextum tropologiarum ſanctitas. Septimum, infallibilis veritas.

Aureolus opinatur hunc librum eſſe Dei ſcientiam, in qua ſcripti omnes, vel Judiciorum Dei inſcrutabilem abyſſum. Unde ſignatus eſt ſigillis ſeptem, ideſt, plurimis. cui ſententiæ affinis eſt illa Secunda.

Lyrani, qui putat hunc librum eſſe præſcientiæ, providentiæ, & prædeſtinationis, quæ nobis clauſa eſt, atque occulta: niſi Dei dextera reveletur, atque aperiatur. Tertia.

D. Ambroſius exiſtimat hunc librum eſſe Chronologiam mundi, & ſeptem ſigilla eſſe ſeptem mundi ætates. Quarta.

Alcazar, & Cornelius à Lapide credunt hunc librum eſſe ipſam Apocalypſeos partem, quæ continet oracula, & myſteria in Dei præſcientia, ac prædeſtinatione. Quinta.

Porrò arcana illa myſteria in eo ſcripta, ſunt de regno, & perſecutione Antichriſti, de Elia, & Henoch, & fidelium conſtantia, de Judicio univerſali, deque gloria ac felicitate beatorum.

Sigilla verò ſeptem, ſunt ſeptem viſiones proximè ſequentes, quæ D. Joanni objectæ. Et hæc interpretatio fortè genuina, & quæ magis accedit ad litteræ ſenſum: quia tamen neque hæc, neque aliæ conveniunt argumento, de quo in præſens agimus; inſiſtam opinionibus aliis. una eſt

D. Hilarii præfatione in Pſalmos, in qua vult hunc *Librum* eſſe *Chriſtum*, ſeu Chriſtiarchiam, hoc eſt Principatum. Sigilla verò ſeptem, eſſe ſeptem præcipua Chriſti myſteria. Sexta.

Primum eſt Incarnatio. Secundum Nativitas. Tertium Paſſio. Quartum Reſurrectio. Quintum Aſcenſio in cœleſtem regiam. Sextum Spiritus ſancti miſſio. Septimum ſecundus Chriſti adventus ad diem Judicii decretoriorum; cum hac opinione conſpirat B. Petrus Damianus, qui cenſet ſeptem ſigilla libri hujus ſignati, eſſe *ſeptem Sacramenta; quibus*, ut ait, *totus* ordo Dominicæ diſpenſationis impletur; videlicet *Incarnatio Domini*, *Nativitas*, *Paſſio*, *Reſurrectio*, *Aſcenſio in cælos*, *deinde Iudicium*, *poſtremò Regnum.* Serm. de S. Luca.

Aliorum opinio eſt librum hunc ſignatum eſſe Chriſtum in Euchariſtia, in qua Agnus Dei paſſus, & occiſus velatur, & celatur ſigillis ſeptem. Septima.

Ea porrò ſunt, odor, ſapor, color, parvitas, levitas, rotunditas, gracilitas hoſtiæ, quæ omnia ſunt accidentia panis, quibus velatur, ac veluti tegitur Chriſtus: & ita quidem ut ſeptem ſenſus, hoc eſt quatuor externi; viſus, odoratus, guſtus, tactus, & tres interni, id eſt ſenſus communis, phantaſia, & æſtimativa (quia ſenſuum exteriorum indicium ſequuntur) fallantur, & cenſeant eſſe panem; cùm tamen ex vero panis non ſit: ſed corpus Chriſti ſub illis accidentibus, velut aſcititia quadam veſte.

Aliis placet ſeptem illa ſigilla, eſſe ſeptem Sacramenta longè maxima.

Primum eſt Tranſſubſtantiatio. Secundum accidentia ſine ſubjecto. Tertium quod quantitas corporis Chriſti, quæ fortè eſt ſex pedum, parvulo loco, hoc eſt, hoſtiæ circulo circumſcribatur. Quartum; quod etſi vi verborum conſecrationis ſub ſpecie panis ſit tantùm Chriſti corpus, per concomitantiam tamen adſint Sanguis, Anima, & Divinitas Chriſti.

Et ſimi-

Et ſimiliter ſub ſpecie vini virtute conſecrationis ſit tantùm Sanguis, per concomitantiam tamen ſequantùr Corpus, Anima, Deitas. Quintum, quod idem corpus ſit in alus atque aliis locis, & quidem ſimul. Sextum quod totum corpus in tota ſit hoſtia, & totum in qualibet illius parte. Septimum, quod Chriſtus ſe faciat cibum fidelium omnium, mirâ quadam, & à ſæculis inauditâ ratione, quam ſuſpicere, & amare poſſumus, ac debemus, capere, atque explicare vix poſſumus quamdiu hoc corpore, ceu indumento, tegitur animus. Sed quod ratio non capit, fides docet, ac tenet.

Et hæc Authorum inter ſe pugna, pugna ingeniorum, non voluntatum: in qua ſequar opinionem ultimam.

Octava. Ea eſt Seraphini Firmini, qui contendit hunc *Librum* eſſe *Chriſtum Patientem*.

Sigilla verò ſeptem, eſſe ſeptem ſecreta Paſſionis, quæ inferius evolvemus; interea maneat hoc loco ſtatutum illud.

Chriſtus patiens eſt ille Liber.

HAnc propoſitionē firmare mihi eſt animus, tum authoritate, tum objecta aliquando de ſuperis ſpecie, cui fidem negare audeat nemo. Authoritatem mihi faciam à B. Laurentio Juſtiniano, Patriarcha Veneto, Viro & reconditæ eruditionis, & eximiæ ſanctitatis. Hic in opere, quod inſcripſit de *Triumphali Agone Chriſti Patientis*, cum appellat *Librum*, quem ut in omni vita explicuit, tum vel maximè in cruenta illa paſſionis tragædia, ac Cruce; ceu Cathedra docentis.

Cathedram dico, & multis ante ſæculis dixit D. Auguſtinus: cujus eſt hoc ſolemne pronuntiatum.

Crux non ſolùm patibulum fuit patientis: ſed etiam Cathedra docentis. Hac in Cathedra librum aperuit, obtulitque omnium oculis, unique legendum non ſine fructu. Et hunc quidem eo tempore legit Dei Mater, legit & diſcipulus, quem diligebat IESUS, legit Magdalena, legerunt & aliæ mulieres benè doctæ in Chriſti ſchola, ideóque cum inſigni pietatis proventu, virtutum magnarum fructu. Legerunt & Iudæi; ſed quia in ſynagoga ſua improbè docti, nec eum intellectu penetrarunt; nec affectu, illius ſenſum ſunt aſſecuti. Nos quia in eadem cum Apoſtolis edocti ſumus Chriſti ſchola, eum legamus, & perlegamus ſedulò; & erimus plùs ſatis cœlo docti: eſt enim Liber quàm optimus.

Ita mihi teſtis eſt B. Laurentius Juſtinianus, qui Chriſtum Cruci affixum vocat *apertum codicem, in quo habet foris ſimplex, & indoctus, quod legat: habet ſpiritualis, & perfectus, quod intus intelligat. In eo enim ſcripſit charitatis compendium, virtutum normam, perfectionis celſitudinem, & totam humanæ Redemptionis modum, ordinemque, in hoc ſui corporis incluſit volumine: quamobrem cùm ſcribere compleſſet, nihilque ſupereſſet ſcribendum, inquit Conſummatum eſt.* (De triumphali agone Chriſti.)

Habes igitur authore B. Laurentio Iuſtiniano, Chriſtum patientem, eſſe Librum: quod ſanè dabis illiùs authoritati: dabis & objectæ quondam è cœlis imagini.

S. Veronica de Binaſco cùm meditaretur ſanctius vitæ inſtitutum, conceptoque jam Religionis voto in eam admitti non poſſet, utpote litterarum penitus ignara, ad Dei Matrem ſupplex venit, rogavitque impenſiùs, ut quàm citiſſimè, & facillimè litteras addiſcere poſſet, & ſic voti ſui compos fieri.

Annuit Dei Mater, Mater miſericordiæ, & ſeſe illi viſendam obtulit, ſicque ad illam paucis:

Hæc eſt Filii mei, hæc & mea voluntas, ut trium duntaxat litterarum notitiam habeas.

Dixit, & illi virgineum codicem oſtendit, in quo tres tantùm erant pagellæ.

In prima viſebatur littera *coloris albi*. In ſecunda *coloris rubri*. In tertia *coloris ſubnigri*.

Has litteras oculo primùm legere juſſa eſt Veronica: tum audire quid eæ vellent, quidve potiſſimùm ſignificarent.

Audire, inquam, à Dei Matre, ceu altioris ſapientiæ magiſtra: quæ eas ſic explicuit.

Album illud *litteræ elementum* oſtendit inſignem animi candorem, & vitæ innocentiam, quam hauries à Filio meo, qui eſt candor lucis æternæ.

Rubrum verò oculis ſupponit, & ſimul etiam in memoriam revocat cruentam Filii mei paſſionem, crucem, ac mortem: quam recolere te volo, & in teipſa imitatione quadam exprimere. *Bollandus 13. Ian.*

Nigrum denique, maculam atram, ac fuliginem, quæ à peccatis relinquitur, & quam eluere venit Filius meus etiam affuſo ſanguine: & hanc maculam averſari te volò, ac impoſterum fugere.

Et hic *Liber* eſt, quem ſi ſæpiùs evolveris, ſi fideli memoria tenueris, eris & mihi, & Filio meo probè docta.

Dixit, & ſimul videri, ſimul & loqui deſiit Virgo mater. Veronica autem voti compos admiſſa eſt inter Laicas, ut vocant, ſorores, in monaſterio D. Marthæ, quod & florebat, & floret etiamnum *Mediolani*: ubi & vitæ ſanctitate, & miraculis inclaruit: tanti fuit cœleſtem illum codicem, & legiſſe, & memoria tenuiſſe, & quod in eo erat exaratum, in ſeipſa etiam impreſſiſſe.

§. 2.

Quid in eo Libro foris & intus ſcriptum?

QUod in eo *foris* ſcriptum eſt, patet oculis: quod autem *intus*, ſenſus fugit, nec allabitur niſi ad animum, & oculum bonæ mentis, quæ eſt fides, ea quippe penetrat, ac pervadit ad interiora, ſecretosque receſſus hujus libri, id eſt Animæ Chriſti, ut quid in eo ſcriptum, & cœlo typis impreſſum ſit, intelligat, de quo mihi in præſens erit quæſtio, ſi tamen prius quid *foris* ſcriptum. Quid foris?

Si Liber eſt Chriſtus, & quidem deforis ſcriptus, quæres quæ in eo membrana? qui characteres? qui calami?

Dixi ſupra Veteres in membranis ſcripſiſſe, & in membrana ſcriptus hic liber.

Ea porrò non eſt alia, quam innocens Chriſti caro, innoxium corpus: in hoc ſcripſêre carnifices impii in dira illa, atque immani paſſionis laniena.

Characteres non alii ſunt, quam vulnera toto corpore ſparſa, à planta pedis ad verticem capitis.

Calami ſunt virgæ, lora, catenulæ hamatæ, clavi, corona, lancea. His formari characteres, & impreſſi in ſacra hac membrana, ſacro, inquam, Chriſti corpore, è quibus craſſiores aliqui in pedibus, in manibus, in latere: alii graciliores in corpore, à virgis, loris, catenulis: in capite à ſpinea corona, quæ mirum quot, & quàm aculeatos inſcripſerit characteres.

Atramentum ne quære: nihil enim hic atrum eſt, rubra omnia, cruenta omnia ab expreſſo ſanguine.

Non in membranis, non in lapide, non in ligno; ſed ſanguine proprio in ſua carne conſcripſit hunc librum, utque ab univerſis legatur, publicè expoſuit, ut ſcitè B. Laurentius Iuſtinianus. Quo authore, vides, mi LECTOR, quid in hoc libro ſcriptum ſit foris, & quomodo.

In eo habet ſimplex, & indoctus quod legat, non ſine ſtupore, horrore, amore, qui & accendetur magis cùm legerit quid *intus* ſcriptum.

At quid illud? Jam inſinuavi ex B. Laurentio Juſtiniano, quo judice *habet ſpiritualis & perfectus, quod intus intelligat*, in eo quippe ſcripſit primò Quid intus?

CHARITATIS COMPENDIUM.

ASCenderat Servator optimus in montem *Thabor*, ibíque medius ſteterat Moyſen inter, & Eliam: quibuſcum etiam amantia miſcebat colloquia. *Dicebant* enim *exceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem.* *Luc. c. 9. v. 31.*

At quis exceſſus ille? Sunt qui velint agonem, & luctam, paſſionis, & mortis in cruce: ex verò enim exceſſus fuit, ſed doloris.

Cornel. hic. Sunt alii qui reportatam inde victoriam, & triumphos de mundo, carne, maloque dæmone, & juratis generis humani hoſtibus. Et hic exceſſus fuit: ſed gloriæ, ſed majeſtatis.

Sunt denique nonnulli (& ad rem noſtram aptiùs) qui *exceſſum* hunc opinentur fuiſſe *Amoris*, & *Charitatis*, quem ſcilicet in ultima vitæ ſcena vel maximè explicuit CHRISTUS, & in quo à ſeipſo quodammodo exceſſit, & abiit.

Fuit ergò *exceſſus* ille ecſtatica CHRISTI charitas, ectaſis amoris, de qua Moyſes, & Elias loquebantur non ſineamabili ſtupore, & de qua nos in præſentia etiam loquemur paucis.

In tribus elucet: Hæc porrò *Ectaſis amoris* in tribus maximè divisè eminere viſa. Primùm in eo quod Deum dederit in hominem. Secundò quod etiam in cibum. Denique quod in pretium.

I. Quod Deus in hominē? In hominem dedit formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo, quod amoris fuit, & ectaſis amoris, de qua magnificè Divus Chryſologus:

Serm. 148. *Naſcitur Chriſtus, ut naſcendo corruptam redintegret naturam: infantiam ſuſcipit ille, patitur nutrimenta, percurrit ætates, ut unam perfectam manentem, quam ipſe fecerat, inſtauraret ætatem. portat hominem, ne jam cadere homo poſſit: quem terrenum fecerat, fecit eſſe cœleſtem: animatum humano ſpiritu, ſpiritum vivificat in divinum: & ſic eum totum tollit in Deum, ut in eo, quod peccati, quod mortis, quod laboris, quod doloris, quod terra eſt, nihil relinquat.*

Ecce exceſſum, ecce ectaſim divini in nos amoris, & hoc quidem in prima vitæ ſcena; ectaſis omninò magna: at audeo dicere major in ultima.

Vadem habeo Diſcipulum, qui Chriſto fuit à ſecretis; imò & qui maximè in amoribus. Sic aliquando ille de magiſtro ſuo quàm optimo.

Cap. 13. v. 1. *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

In omni vita diffuſus fuit amor Chriſti in diſcipulos, in illius fine quaſi collectus, & redactus in compendium: quod ut exprimat Evangeliſta ait in *finem* græcè τέλ☉, id eſt *finis*, qui ut eſt rei cujusque ultimum: ita & ſummum.

Et is tum fuit Chriſti amor, ut ultimus, ſic & ſummus. In quo fecit Chriſtus, quod periti ſolent Oratores. Hi enim quod tota oratione ſparſerunt. hoc colligunt in epilogo, hoc eſt extrema orationis parte. Sic & Chriſtus amorem, quem explicarat in omni vita, contraxit in illius quaſi epilogo, id eſt in morte. Unde & ſummus fuit, & vehementiſſimus: uti ſolet in epilogo maximè concitata eſſe oratio.

Fecit deinde Chriſtus, quod aſſolent amantes; imò quod & ipſe amor, qui cùm animæ ſit veluti pondus, in fine motum habet concitatiſſimum.

Docet Ariſtoteles, atque ex eo Philoſophi, quod motus *naturalis*, in fine ſit velociſſimus: ut contrà *violentus* in fine tardiſſimus.

Moventur gravia, *Terra*, & *Aqua*, deorſum, ex quadam inclinatione naturæ: & quò propiùs accedunt ad centrum, hoc eſt finem motus, eò feruntur celeriùs: & hoc ut in illo ſit eis quies, quæ eſt finis motûs, & in quem validè inclinant.

Feruntur levia, *Aër*, & *Ignis*, furſum, & hoc impetu quodam naturæ, ex quo etiam quò propiora fiunt centro, eò aſcendunt vehementiùs, & hoc quia in illo iis etiam ſua eſt quies.

Quod elementis dedit natura: hoc gratiâ amori, qui eſt Animæ pondus. Appello Auguſtini fidem, atque authoritatem, qui ſuâ doctus experientiâ, *Pondus meum*, inquiebat, *amor meus, eò feror quocumque feror.*

Quod ſi amor pondus eſt, & motus ejus ut in fine velociſſimus ſit, eſt neceſſe. Et ita fuit in Chriſto, ac potiſſimùm in ultima propè vitæ periodo: ut enim D. Ioannes. *In finem dilexit eos*, vel, ut vertit Syriacus, *uſque in finem*; hoc eſt ad uſque finem amoris, quia ultra procedere non potuit divinus amor. *Vſque in finem* ſapientiæ, ac potentiæ, quia nec ultra progredi potuit, vel ipſa Chriſti ſapientia, vel potentia, quàm ut ſe daret in cibum, daret & in pretium.

Dedit autem *in cibum* in cœna, quæ illi fuit ultima, & quaſi proœmium imminentis tragædiæ, hoc eſt paſſionis, ac mortis. Dedit, inquam, in argumentum ſummæ beneficentiæ, ſummi & amoris. *II. Quod Deus in cibum?*

Divinam in puſillos mortales beneficentiam ex eo olim commendavit Seneca: quod ab illa *non neceſſitatibus tantummodò proviſum eſſet: ſed & uſque in delitias amaremur.* *Lib. 4 de Benef. c. 5.*

Quod ſi verum eſt de ea bonorum largitate, quæ intra naturæ terminos eſt, multò magis de hac, quæ omnes naturæ limites excedit, quæve illuſtri miraculo, ſacrum Chriſti corpus in cibum, ſanguinem dat in potum: ut ab hoc epulo veriſſimè à Chriſto uſque in *delitias amaremur.*

Rectè *amaremur*, ut enim aurea eloquentia D. Chryſoſtomus. *Cùm ſuum in nos amorem indicare vellet Chriſtus, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maxime eſt.* *Hom. 46. in Ioan.*

Hinc D. Thomæ, Angelico Doctori, Euchariſtia dicitur *ſacramentum charitatis.* *Opuſc. 48.*

D. Bernardo *Amor Amorum.* quaſi diceret. Si in unum omnes colligerentur amores, Euchariſtia horum omnium eſſet amor, & amorum princeps, cui nullus par eſſe poteſt: quod ut declaret B. Laurentius Juſtinianus, componit cum eo qui ſeſe ſpectandum dedit in paſſione Chriſti, & morte, & illum etiam huic aliquando præferre videtur; ſic enim ait: *Serm. de Cœna Dom.*

Semel pretio traditus eſt in carne; ſed millies in ſacramento. Die una ſua pertulit ludibria paſſionis; quotidie verò ab infidelibus miniſtris ſuper menſam altaris. Semel in cruce pendens expiravit: quotidie autem quoties per myſterium immolatur. *Lib. de Connub. Verbi, & Animæ.*

Ut huic amori accineret D. Bonaventura, Seraphicus Doctor, ſic olim in hymno ſacratiore piè luſit, & ſeraphicè:

Moris eſt amantium,
Invicem ſitire.
Sic vult Rex regnantium
Charitatis mira.
Cibando fidelium
Intima ſubire.
Vt arcana cordium
Poſſit introire.

Venio ad ultimum *exceſſum* Divini in nos Amoris: is in eo poſitus, quod ſe Deus homini redimendo dederit *in pretium.* Dedit autem pro eodem & patiendo, & moriendo. De illo ſic D. Ambroſius: *III. Quod Deus in pretium?*

Suſcepit triſtitiam, ut mihi ſuam lætitiam largiretur, & veſtigiis noſtris deſcendit uſque ad mortis ærumnam, ut nos ſuis veſtigiis revocaret ad vitam. *Lib. 10. in Lucam.*

De hoc autem ſic ille ipſe S. Præſul; *Tantum contulit nobis, ut qui moriturus non erat, quia Deus erat, noſtrâ illâ morte moreretur, ut nos ejus ſpiritu viveremus.* *Lib. 3. de Spiritu S. c. 10.*

Et

Et hoc fuit *charitatis compendium*, quod in Libro crucis ſcriptum *intus* leget, atque intelliget ſpiritualis, perfectus, pro quo non aliud appellabo, quàm ipſammet Chriſti vocem, imò & oraculum. Sic ille aliquando:

Joan 1. 15. v. 13.

Majorem hac dilectionem nemo habet quàm ut animam ponat quis pro amicis ſuis

Nimirùm homines inter hæc eſt menſura ſummæ charitatis, ſi quis pro amico vitam ponat.

Lib. 3. Dial. c. 37.

Hinc antiqua illa Pyladis, & Oreſtis amicitia, omnium propè litteris & voce commendata, velut à ſæculis inaudita, vel ex eo tantùm, quòd alter pro altero mori contenderit, inuſitata ſanè amantium invicem contentione.

Hinc etiam D. Gregorii calamo explicata, mireque laudata charitas *Sanctuli* Presbyteri, qui cùm videret Diaconum à Longobardis morti addictum, ad eam duci quaſi victimam, ſe pro eo liberando morti obtulit. Quæ charitas etiam probata miraculo, cùm enim jam eſſet ſub manu carnificis, ferrum capiti imminens Deus ſtitit, ne charum cœlo caput demeteret. Probata eadem charitas & Longobardis, qui ea permoti, & *Sanctulum* amare, ac revereri, & illi etiam captivos omnea donare. Tantum etiam apud barbaros valuit ea charitas. Sed illa quanta quanta eſt, nihil eſt ad Chriſti charitatem: illa quippe pro amicis, hæc etiam pro inimicis vitam profundere docuit exemplo hactenus inaudito; & novo charitatis divinæ miraculo; quod non alibi ſcriptum leges, quàm in hoc libro, ideſt Chriſto patiente, ac moriente.

Ariſteas, qui Regi Ptolomæo fuit à ſecretis, refert Salomonem annulum habuiſſe, cui ineſſent tres coronæ. Una aurea, altera ſpinea, tertia, quæ priores connecteret, hac inſcripta epigraphe: *Victoria amoris.*

Emblema eſſe potuit illius, qui deinde in Chriſto fuit in nos amoris, qui in uno annulo, ideſt divino ſuppoſito, auream Divinitatis coronam cum ſpinea paſſionis connectit, mirabili ſanè nexu, quem non alius fingere potuit niſi *Amor.* Hinc illi ſubjicere poſſumus, ac debemus hoc lemma. *Victoria amoris.* Ex vero enim vicit, vicit amor, & Deum vinci neſcium vicit.

Lib. de Spiritu ſancto.

Mori ipſe neſcius, & mortuus vitæ æternæ munus exhalans, inquiebat Ambroſius. In cruce enim animam agens Chriſtus, cum flore vitæ ſuaviſſimum odorem exhalans, etiam à peccato mortuis, etiam inimicis vitæ æternæ ſpiritum inſufflavit, mirabili amoris prodigio: quod non ab alio manare potuit, quàm à Chriſti corde, amoris officina.

De S. Paulo extolit aureum illud D. Chryſoſtomus: *Cor* Pauli *tabula Spiritus ſancti, volumen charitatis.* Si nobis daretur, quod beatis in cœlo mentibus, introſpicere Cor illud Chriſti amabile, daretur & iſtud, videre, ac legere *volumen* ingens *charitatis*, daretur & hoc, quod B. Suſoni in votis erat, atque amoribus; daretur, inquam, uni illi libro evolvendo inſudare; dicerem cum illo: *Pone meam in tuis viſceribus philoſophiam, in tuis ſtigmatibus ſapientiam, ut in te ſolo charitatis libro, & morte tua proficiam, & omnibus mutabilibus rebus deficiam: itaut ego, jam non ego: ego in te, & tu in me indiſſolubili vinculo amoris maneamus.*

Et ita manſit B. Suſo: ita manſit & D. Bonaventura. atque ex eodem accepit cœleſtia illa lumina, & ſeraphicos ardores, quibus & lucebat, & ardebat totus.

Rogatus is aliquando à D. Thoma Aquinate, quibus è libris, quáve bibliotheca petiiſſet altiorem illam ſapientiæ lucem, & æſtus illos entheos, quibus & lucere, & ardere videbantur ipſius opera: pro ea qua erat modeſtia aliquamdiu ſubticuit, tum ſimulacrum oſtendit Chriſti è cruce pendentis, adjecitque ingenuum illud, & pium:

Ecce unicus meus liber, ecce tota mea bibliotheca, ex ea ſumo quidquid meis lucubrationibus, & ſcriptis aſpergo.

Bollandus 1. Febr. in ejus vita.

Vel ſi aliquando è cœlo delapſi cœleſtes genii librum ſcriptum intus, & foris oſtentare primùm; tum inde ſe quærere, Eccui daretur ille liber? denique adjicere, Non alteri quàm Ephrem ſyro. & ita illi datus eſt in manus; à quo deinde cœlo benè doctus, & altiore, ideſt, cœleſti quadam ſapientia donatus: eadem & donabimur ipſi; ſi hunc *Crucifixi*, quem hîc offerimus librum, & oculo; & mente evolvamus aſſidui; imo ſi admittamus in animæ quodammodo penetralia, perenni, piáque commentatione. B. Martinus Legionenſis Presbyter, cùm eſſet ſacrarum litterarum penitus ignarus, à S. Iſidoro, monaſterii illius patrono, rogavit impenſius earum donari ſcientia. Vota preceſque cœlum audiit. Adfuit enim illi in amœna noctis imagine S. Iſidorus, & ſic ad illum: *En tibi librum, Martine, accipe, & comede: ſimul cum eo ſapientiam hauſurus.* Accepit porrò, comedit, unaque, ut dixi, cœleſtem ſapientiam hauſit.

Bollandus tom. 2. Febr. 10.

Quod illi: hoc & nobis; ſi modò Crucis libellum prenſemus manu, decurramus oculo, decurramus & mente, notemuſque, quæ in eo expreſſæ virtutum magnarum formæ, atque imagines, atque in nobis eaſdem exprimere laboremus. Eſt enim (ut cum B. Laurentio Juſtiniano, hunc paragraphum concludam) Chriſtus cruci affixus *apertus codex in quo, legendo, & meditando univerſa virtutum diſciplina diſcitur.*

Lib. de Humil. c. 22.

Diſciplina, inquam, Virtutum, quas inter eminet, ut jam dixi, Divinus Amor, tum ille, quem ipſe nobis detulit; tum & hic, quem ex illius voto ipſi reddere debemus.

Hunc porrò Amorem hauriemus à Chriſto patiente, ceu altiore Charitatis codice.

Et ita hauſit S. Etmundus, quem pia mater jam moribunda vidit redimitum corona ſpinea, quæ accenſa flammas ad ſidera vibrabat.

Henriquez l. 1. Diſt. 31. c. 8.

At quas? & unde? flammas certè caſti in cœlum amoris, & hinc ad ſidera evibrari illæ videbantur; & quidem à corona ſpinea jam accenſa: accenditur enim noſter in Chriſtum amor à ſpinea corona, hoc eſt à Chriſto patiente.

Et ita accenſus fuit in S. Lutgarde, in qua & ſimul extinctus profanus amor. Fortè illa colloquebatur cum Juvene nobili, qui eam procabatur, cùm ecce ſe illi ſpectandum obtulit Chriſtus, & diducta veſte ei latens vulnus adhuc hians, quaſi recenti ſanguine tinctum aperuit, & tum ſic ad illam:

Lilia Ciſtercienſia tom. 1. Diſt. 10. c. 4.

Blanditias inepti amoris poſthac ne requiras. Hîc jugiter contemplare quod diligas. Hîc ego totius puritatis delitias tibi polliceor obtinendas.

Ut pollicitus eſt, ſic & dedit: nam & ipſi in oſtio Eccleſiæ obvius venit, quaſi Cruci affixus, & brachium è Cruce refigens, eam eſt amplexatus; imo & os ejus lateris vulneri applicuit, undè & miram hauſit ſuavitatem, ex quo deinde ſecuta ea colloquia, quæ ſolent eſſe vehementer invicem amantium. Lutgardis enim Chriſto roganti *Quid vis?* cùm reſpondiſſet: *Cor tuum.* Sic ei Dominus. *Quin ego potiùs & cor tuum?* Cui deinde illa. *Sit ita Domine.*

Cap. 3. Cap. 2.

Et ecce miraculum amoris, viſa eſt illico permutatio cordium; & in Lutgarde Cor Chriſti, in Chriſto autem Cor Lutgardis: prodigio charitatis, quod nec natura tulit unquam, nec gratia dedit ulli mortalium.

Hoc nempe ſervatum eſt Lutgardi, quæ eos, quos in codice Crucis legerat amores, in ſeipſa deinde expreſſerat. Ut in teipſe etiam exprimas, Amice Lector, pro coronide adjiciam, quis erga te amor in Chriſto etiam cœlis redditus.

 Is ſeſe

CHARITATIS COMPENDIUM.

Luc. c. 9. v. 31. ASCenderat Servator optimus in montem *Thabor*, ibique medius ſteterat Moyſen inter, & Eliam: quibuſcum etiam amantia miſcebat colloquia. *Dicebant enim exceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem.*

At quis exceſſus ille? Sunt qui velint agonem, & luctam, paſſionis, & mortis in cruce: ex verò enim exceſſus fuit, ſed doloris.

Cornel. hic. Sunt alii qui reportatam inde victoriam, & triumphos de mundo, carne, maloque dæmone, & jnratis generis humani hoſtibus. Et hic exceſſus fuit: ſed gloriæ, ſed majeſtatis.

Sunt denique nonnulli (& ad rem noſtram aptiùs) qui *exceſſum* hunc opinentur fuiſſe *Amoris*, & *Charitatis*, quem ſcilicet in ultima vitæ ſcena vel maximè explicuit CHRISTUS, & in quo à ſeipſo quodammodo exceſſit, & abiit.

Fuit ergò *exceſſus* ille ecſtatica CHRISTI charitas, ectaſis amoris, de qua Moyſes, & Elias loquebantur non ſine amabili ſtupore, & de qua nos in præſentia etiam loquemur paucis.

In tribus elucet: Hæc porrò *Ectaſis amoris* in tribus maximè diviſè eminere viſa. Primùm in eo quod Deum dederit in hominem. Secundò quod etiam in cibum. Denique quod in pretium.

I. Quod Deus in hominē? In hominem dedit formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo, quod amoris fuit, & ectaſis amoris, de qua magnificè Divus Chryſologus:

Serm. 148. *Naſcitur Chriſtus, ut naſcendo corruptam redintegret naturam: infantiam ſuſcipit ille, patitur nutrimenta, percurrit ætates, ut unam perfectam manentem, quam ipſa fecerat, inſtauraret ætatem. portat hominem, ne jam cadere homo poſſit: quem terrenum fecerat, fecit eſſe cæleſtem: animatum humano ſpiritu, ſpiritum vivificat in divinum: & ſic eum totum tollit in Deum, ut in eo, quod peccati, quod mortis, quod laboris, quod doloris, quod terræ eſt, nihil relinquat.*

Ecce exceſſum, ecce ectaſim divini in nos amoris, & hoc quidem in prima vitæ ſcena; ectaſis omninò magna: at audeo dicere major in ultima.

Vadem habeo Diſcipulum, qui Chriſto fuit à ſecretis; imò & qui maximè in amoribus. Sic aliquando ille de magiſtro ſuo quàm optimo.

Cap. 13. v. 1. *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

In omni vita diffuſus fuit amor Chriſti in diſcipulos, in illius fine quaſi collectus, & redactus in compendium: quod ut exprimat Evangeliſta ait in *finem* græcè τέλος, id eſt *finis*, qui ut eſt rei cujuſque ultimum: ita & ſummum.

Et is tum fuit Chriſti amor, ut ultimus, ſic & ſummus. In quo fecit Chriſtus, quod periti ſolent Oratores. Hi enim quod tota oratione ſparſerunt, hoc colligunt in epilogo, hoc eſt extrema orationis parte. Sic & Chriſtus amorem, quem explicarat in omni vita, contraxit in illius quaſi epilogo, id eſt in morte. Unde & ſummus fuit, & vehementiſſimus: uti ſolet in epilogo maximè concitata eſſe oratio.

Fecit deinde Chriſtus, quod aſſolent amantes; imò quod & ipſe amor, qui cùm animæ ſit veluti pondus, in fine motum habet concitatiſſimum.

Docet Ariſtoteles, atque ex eo Philoſophi, quod motus *naturalis*, in fine ſit velociſſimus: ut contrà *violentus* in fine tardiſſimus.

Moventur gravia, *Terra*, & *Aqua*, deorſum, ex quadam inclinatione naturæ: & quò propiùs accedunt ad centrum; hoc eſt finem motus; eò feruntur celeriùs: & hoc ut in illo ſit eis quies, quæ eſt finis motûs, & in quem validè inclinant.

Feruntur levia, *Aër*, & *Ignis*, ſurſum, & hoc impetu quodam naturæ, ex quo etiam quò propiora fiunt centro, eò aſcendunt vehementiùs, & hoc quia in illo iis etiam ſua eſt quies.

Quod elementis dedit natura: hoc gratiâ amori, qui eſt Animæ pondus. Appello Auguſtini fidem, atque authoritatem, qui ſuâ doctus experientiâ, *Pondus meum*, inquiebat, *amor meus, eò feror quocumque feror.*

Quod ſi amor pondus eſt, & motus ejus ut in fine velociſſimus ſit, eſt neceſſe. Et ita fuit in Chriſto, ac potiſſimùm in ultima propè vitæ periodo: ut enim D. Ioannes. *In finem dilexit eos*, vel, ut vertit Syriacus, *uſque in finem*; hoc eſt ad uſque finem amoris, quia ultra procedere non potuit divinus amor. *Uſque in finem* ſapientiæ, ac potentiæ, quia nec ultra progredi potuit, vel ipſa Chriſti ſapientia, vel potentia, quàm ut ſe daret in cibum, daret & in pretium.

II. Quod Deus in cibum? Dedit autem *in cibum* in cœna, quæ illi fuit ultima, & quaſi prooëmium imminentis tragædiæ, hoc eſt paſſionis, ac mortis. Dedit, inquam, in argumentum ſummæ beneficentiæ, ſummi & amoris.

Divinam in puſillos mortales beneficentiam ex eo olim commendavit Seneca: quod ab illa *non neceſſitatibus tantummodò proviſum eſſet: ſed & uſque in delitias amaremur.* Lib. 4. de Benef. c. 5.

Quod ſi verum eſt de ea bonorum largitate, quæ intra naturæ terminos eſt, multò magis de hac, quæ omnes naturæ limites excedit, quæve illuſtri miraculo, ſacrum Chriſti corpus in cibum, ſanguinem dat in potum: ut ab hoc epulo veriſſimè à Chriſto uſque in *delitias amaremur.*

Rectè *amaremur*, ut enim aurea eloquentia D. Chryſoſtomus. *Cùm ſuum in nos amorem indicare vellet Chriſtus, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maximè eſt.* Hom. 46. in Ioan.

Hinc D. Thomæ, Angelico Doctori, Euchariſtia dicitur *ſacramentum charitatis.* Opuſc. 48.

D. Bernardo *Amor Amorum.* quaſi diceret. Si in unum omnes colligerentur amores, Euchariſtia horum omnium eſſet amor, & amorum princeps, cui nullus par eſſe poteſt: quod ut declaret B. Laurentius Iuſtinianus, componit cum eo qui ſeſe ſpectandum dedit in paſſione Chriſti, & morte, & illum etiam huic aliquando præferre videtur; ſic enim ait: Serm. de Cœna Dom.

Semel pretio traditus eſt in carne; ſed millies in ſacramento. Die una ſua pertulit ludibria paſſionis; quotidie verò ab infidelibus miniſtris ſuper menſam altaris. Semel in cruce pendens expiravit: quotidie autem quoties per myſterium immolatur. Lib. de Connub. Verbi, & Animæ.

Ut huic amori accineret D. Bonaventura, Seraphicus Doctor, ſic olim in hymno ſacratiore piè luſit, & ſeraphicè:

Moris eſt amantium,
Invicem ſitire.
Sic vult Rex regnantium
Charitatis mira.
Cibando fidelium
Intima ſubire.
Ut arcana cordium
Poſſit introire.

III. Quod Deus in pretium? Venio ad ultimum *exceſſum* Divini in nos Amoris: is in eo poſitus, quod ſe Deus homini redimendo dederit *in pretium.* Dedit autem pro eodem & patiendo, & moriendo. De illo ſic D. Ambroſius:

Suſcepit triſtitiam, ut mihi ſuam lætitiam largiretur, & veſtigiis noſtris deſcendit uſque ad mortis ærumnam, ut nos ſuis veſtigiis revocaret ad vitam. Lib. 10. in Lucam.

De hoc autem ſic ille ipſe S. Præſul; *Tantum contulit nobis, ut qui moriturus non erat, quia Deus erat, noſtrâ illâ morte moreretur, ut nos ejus ſpiritu viveremus.* Lib. 9. de Spiritu S. c. 16.

Et hoc fuit *charitatis compendium*, quod in Libro crucis ſcriptum *intus* leget, atque intelliget ſpiritualis, perfectus, pro quo non aliud appellabo, quàm ipſammet Chriſti vocem, imò & oraculum. Sic ille aliquando:

Joan. c. 15. v. 13.

Majorem hac dilectionem nemo habet quàm ut animam ponat quis pro amicis ſuis

Nimirùm homines inter hæc eſt menſura ſummæ charitatis, ſi quis pro amico vitam ponat.

Lib. 3. Dial. c. 37.

Hinc antiqua illa Pyladis, & Oreſtis amicitia, omnium propè litteris & voce commendata, velut à ſæculis inaudita, vel ex eo tantùm, quòd alter pro altero mori contenderit, inuſitata ſanè amantium invicem contentione.

Hinc etiam D. Gregorii calamo explicata, mireque laudata charitas *Sanctuli* Presbyteri, qui cùm videret Diaconum à Longobardis morti addictum, ad eam duci quaſi victimam, ſe pro eo liberando morti obtulit. Quæ charitas etiam probata miraculo, cùm enim jam eſſet ſub manu carnificis, ferrum capiti imminens Deus ſtitit, ne charum cœlo caput demeteret. Probata eadem charitas & Longobardis, qui ea permoti, & *Sanctulum* amare, ac revereri, & illi etiam captivos omnes donare. Tantum etiam apud barbaros valuit ea charitas. Sed illa quanta quanta eſt, nihil eſt ad Chriſti charitatem: illa quippe pro amicis, hæc etiam pro inimicis vitam profundere docuit exemplo hactenus inaudito; & novo charitatis divinæ miraculo; quod non alibi ſcriptum leges, quàm in hoc libro, ideſt Chriſto patiente, ac moriente.

Ariſteas, qui Regi Ptolomæo fuit à ſecretis, refert Salomonem annulum habuiſſe, cui ineſſent tres coronæ. Una aurea, altera ſpinea, tertia, quæ priores connecteret, hac inſcripta epigraphe: *Victoria amoris.*

Emblema eſſe potuit illius, qui deinde in Chriſto fuit in nos amoris, qui in uno annulo, ideſt divino ſuppoſito, auream Divinitatis coronam cum ſpinea paſſionis connectit, mirabili ſanè nexu, quem non alius fingere potuit niſi *Amor.* Hinc illi ſubjicere poſſumus, ac debemus hoc lemma. *Victoria amoris.* Ex vero enim vicit, vicit amor, & Deum vinci neſcium vicit.

Lib. de Spiritu ſancto.

Mori ipſe neſcius, & mortuus vita æternæ munus exhalans, inquiebat Ambroſius. In cruce enim animam agens Chriſtus, cum flore vitæ ſuaviſſimum odorem exhalans, etiam à peccato mortuis, etiam inimicis vitæ æternæ ſpiritum inſufflavit, mirabili amoris prodigio: quod non ab alio manare potuit, quàm à Chriſti corde, amoris officina.

De S. Paulo extulit aureum illud D. Chryſoſtomus: *Cor* Pauli *tabula Spiritus ſancti, volumen charitatis.* Si nobis daretur, quod beatis in cœlo mentibus, introſpicere Cor illud Chriſti amabile, daretur & iſtud, videre, ac legere *volumen* ingens *charitatis*, daretur & hoc, quod B. Suſoni in votis erat, atque amoribus; daretur, inquam, uni illi libro evolvendo inſudare; diceremus cum illo: *Pone meam in tuis viſceribus philoſophiam, in tuis ſtigmatibus ſapientiam, ut in te ſolo charitatis libro, & morte tua proficiam, & omnibus mutabilibus rebus deficiam: itaut ego, jam non ego: ego in te, & tu in me indiſſolubili vinculo amoris maneamus.*

Et ita manſit B. Suſo: ita manſit & D. Bonaventura. atque ex eodem accepit cœleſtia illa lumina, & ſeraphicos ardores, quibus & lucebat, & ardebat totus.

Rogatus is aliquando à D. Thoma Aquinate, quibus è libris, quáve bibliotheca petiiſſet altiorem illam ſapientiæ lucem, & æſtus illos entheos, quibus & lucère, & ardere videbantur ipſius opera: pro ea qua erat modeſtia aliquamdiu ſubticuit, tum ſimulacrum oſtendit Chriſti è cruce pendentis, adjecitque ingenuum illud, & pium:

Ecce unicus meus liber, ecce tota mea bibliotheca, ex ea ſumo quidquid meis lucubrationibus, & ſcriptis aſpergo.

Bollandus 1. Febr. in ejus vita.

Vel ſi aliquando è cœlo delapſi cœleſtes genii librum ſcriptum intus, & foris oſtentare primùm; tum inde ſe quærere, Eccui daretur ille liber? denique adjicere, Non alteri quàm Ephrem ſyro. & ita illi datus eſt in manus; à quo deinde cœlo benè doctus, & altiore, ideſt, cœleſti quadam ſapientia donatus: eadem & donabimur ipſi; ſi hunc *Crucifixi*, quem hîc offerimus librum, & oculo; & mente evolvamus aſſidui; imo ſi admittamus in animæ quodammodo penetralia, perenni, piáque commentatione. B. Martinus Legionenſis Presbyter, cùm eſſet ſacrarum litterarum penitus ignarus, à S. Iſidoro, monaſterii illius patrono, rogavit impenſius earum donari ſcientia. Vota preceſque cœlum audiit. Adfuit enim illi in amœna noctis imagine S. Iſidorus, & ſic ad illum: *En tibi librum, Martine, accipe, & comede: ſimul cum eo ſapientiam hauſurus.* Accepit porrò, comedit, unaque, ut dixi, cœleſtem ſapientiam hauſit.

Bollandus tom. 2. Febr. 12.

Quod illi: hoc & nobis; ſi modò Crucis libellum premamus manu, decurramus oculo, decurramus & mente, notemuſque, quæ in eo expreſſæ virtutum magnarum formæ, atque imagines, atque in nobis eaſdem exprimere laboremus. Eſt enim (ut, cum B. Laurentio Juſtiniano, hunc paragraphum concludam) Chriſtus cruci affixus *apertus codex in quo, legendo, & meditando univerſa virtutum diſciplina diſcitur.*

Lib. de Humil. c. 22.

Diſciplina, inquam, Virtutum, quas inter eminet, ut jam dixi, Divinus Amor, tum ille, quem ipſe nobis detulit; tum & hic, quem ex illius voto ipſi reddere debemus.

Hunc porrò Amorem hauriemus à Chriſto patiente, ceu altiore Charitatis codice.

Et ita hauſit S. Etmundus, quem pia mater jam moribunda vidit redimitum corona ſpinea, quæ accenſa flammas ad ſidera vibrabat.

At quas? & unde? flammas certè caſti in cœlum amoris, & hoc ad ſidera evibrari illæ videbantur; & quidem à corona ſpinea jam accenſa: accenditur enim noſter in Chriſtum amor à ſpinea corona, hoc eſt à Chriſto patiente.

Henriquez l. 1. Diſt. 31. c. 3.

Et ita accenſus fuit in S. Lutgarde; in qua & ſimul extinctus profanus amor. Fortè illa colloquebatur cum Juvene nobili, qui eam procabatur, cùm ecce ſe illi ſpectandum obtulit Chriſtus, & diducta veſte ei lateris vulnus adhuc hians, quaſi recenti ſanguine tinctum aperuit, & tum ſic ad illam:

Lilia Ciſterc. tom. 1. Diſt. 10. c. 1.

Blanditias inepti amoris poſthac ne requiras. Hic jugiter contemplare quod diligas. Hic ego totius puritatis delitias tibi polliceor obtinendas.

Ut pollicitus eſt, ſic & dedit: nam & ipſi in oſtio Eccleſiæ obvius venit, quaſi Cruci affixus, & brachium è Cruce refigens, eam eſt amplexatus; imo & os ejus lateris vulneri applicuit, unde & miram hauſit ſuavitatem, ex quo deinde ſecuta ea colloquia, quæ ſolent eſſe vehementer invicem amantium. Lutgardis enim Chriſto roganti *Quid vis?* cùm reſpondiſſet: *Cor tuum.* Sic ei Dominus. *Quin ego potiùs & cor tuum?* Cui deinde illa. *Sit ita Domine.* *Cap. 2.*

Et ecce miraculum amoris, viſa eſt illico permutatio cordium; & in Lutgarde Cor Chriſti, in Chriſto autem Cor Lutgardis: prodigio charitatis, quod nec natura tulit unquam, nec gratia dedit ulli mortalium.

Hoc nempe ſervatum eſt Lutgardi, quæ eos, quos in codice Crucis legerat amores, in ſeipſa deinde expreſſerat. Ut in teipſe etiam exprimas, Amice Lector, pro coronide adjiciam, quis erga te amor in Chriſto etiam cœlis redditus.

Is ſeſe aliquando ſpectandum dedit *B. Margareta à Venerabili Sacramento*, ſpectandum autem dedit ea ſpecie. Videbantur ex ejus etiamtum aperto latere effluere bini fluvii, quorum unus laxato veluti alveo effundebatur per univerſam terræ faciem: alterum, qui etiam ſuaptè natura, atque impetu elabi debuerat, manu appoſita, atque oppoſita ſiſtebat ipſe Chriſtus, & intra divini lateris veluti repagula continebat. Tum ſic illi Chriſtus: Fluvius ille, qui toto terræ elemento ſpargitur, eſt *miſericordia mea*, quam amor meus in peccatores effundit.

In ejus vita l. 5. c. 5.

Alter, quem ego contineo, & ſiſto, eſt *juſtitia mea*, quam in præſens cohibeo, uſque dum peccatori durat hæc vita mortalis, & hoc eo fine, ut locum concedam pœnitentiæ, quod ſi nec detur illa, tum Juſtitiæ meæ vices permitto. Ecce, mi Lector, amoris divini prodigia, quæ etiamnum legere potes in ſacro Chriſti latere.

Lege porro, & amantem te Chriſtum redamare diſce. Ita didicit *B. Agatha*, cui nomen fuit *à Cruce*, & Crucis amore, quem hauſit ab anno ætatis ſuæ quinto, atque ad extremum vitæ conſtanter retinuit; & eò quidem ut vel ad ſolam Crucis, ac Crucifixi vocem tota effunderetur in lacrymas, atque ejulatus, vel ex eo quòd eum non ſatis amaret.

In ejus Vita

Hinc dicere ſolita mirari ſe, quod non exſiliret è nube fulmen, non diſſiliret terra, & ſe, adeo in Chriſti amore frigeſcentem abſorberet, ac perderet.

Hæc illa ex humili de ſe ſenſu; quæ potiori jure & mirari, & dicere poſſunt ii qui vix unquàm in Crucifixi amores abire videntur; de quo queſtus non ſemel Servator Optimus.

Is aliquando Virgini in paucis piæ ſeſe ſpectandum dedit Crucifixi ſpecie, & hæc illi:

Refige tres clavos, quibus me homines affixerunt Cruci. Hi porro ſunt, inquit,

Primus, defectus amoris erga meam bonitatem.

Secundus, ingratitudo ſumma, & oblivio acceptorum à me beneficiorum.

Tertius, obduratio quadam & ſurditas ad meas inſpirationes, quibus eorum aures, & corda pulſare non deſino.

Ubi hæc illi, tum adjecit: Ubi tres illos clavos refixeris, manebo nihilominus affixus Cruci tribus aliis clavis, è quibus is erit

Primus, Infinitus meus amor in homines.

Alter, Gratitudo, & gratiarum actio, ob beneficia, quæ Pater meus in illos effundit mei cauſa, meiq; amore.

Poſtremus, Dulcedo, & teneritudo cordis mei, ut eos ad me redeuntes ſuſcipiam.

Et hæc illi Chriſtus Cruci rurſum affixus, & in ea mirum quantum amans noſtri, optansque viciſſim à nobis redamari. Et certè quidni redamemus eum, qui totus amor eſt.

Ita redamavit *B. Beatrix de Ferrara*, quæ vivens Chriſti lateri continenter affixa, oſcula illi figebat; ſed amoris oſcula, quæ, cùm jam emortua, figere non poſſet, apparens uni è ſororibus, rogavit impensè, ut ſuo nomine oſcularetur latus Chriſti. Adeò etiam poſt fata illius ardebat amore. Utinam & ſic eo ardeamus ipſi: uti exarſit S. Ignatius etiam ab incunabilis vitæ ſuæ melioris. Ut hunc etiam extrinſecus proderet, palmarem Chriſti Crucifixi effigiem aſſiduè ſecum pectori applicitam habuit ad patientis Chriſti vel memoriam, vel amorem; quem cœlum probavit etiam miraculo: cùm enim eam effigiem admoviſſet pectori infelicis iſtius Lyſſam, qui ad ultimam deſperationem redactus ſibi laqueo vitam ademerat, invocato nomine JESU, eundem vitæ reſtituit. Unde enim potius, quàm à vitæ fonte, amoris & fonte? Ab hoc certè caſtos hauriunt amores, ardentes & æſtus, altioraque lumina, qui eam Crucifixi effigiem piè colunt, ac venerantur: quo in genere illuſtre eſt illud, quod refert Cæſar Baronius.

Andreas Lucas l. 2. c. 6.

Intra ædem ſacram Pictavienſis Cœnobii, feria ſexta majoris hebdomadæ ante lignum Crucis multi frequentabant ſacras Vigilias, quas vocant Tenebrarum; ſed amore, ſed æſtu cœleſti accenſi toti, atque ardentes: cujus indicio fuit illud, quod ſupra eorum capita, primùm exorta fuerit veluti ſcintillula, quæ micare cœpit, deinde ea accipere incrementa lucis, ſacrique ardoris, ut inſtar phari longè, latéque coruſcaret, ad omnium ſtuporem, ad amoris miraculum: indicabat nimirum, quæ illis divina lux, quis ardor, quis æſtus affulgeret à Cruce, & Crucifixo, qui illis erat pro Sole, proque igne cœleſti, quo & lucerent, & arderent toti. Ut ſic & luceas, ſic & ardeas, Amice Lector, age Crucem oculis ſæpiùs uſurpa, uſurpa & animo, & in illa invenies, ut amoris miraculum, ſic & amoris incendium, quo colliqueſcas, quo conſumaris totus.

An. Christi 566.

Sed iſta pro argumento mihi propoſito ſatis, ſatiq; & pro Charitate, quæ legitur in prima pagella Libelli, de quo mihi in præſens eſt quæſtio: videamus quæ Virtus in ſecunda. Ea erit

OBEDIENTIA.

AMorem ſic aliquando definivit Plato ut diceret, eſſe *Ardorem animi in proprio corpore mortui, in alieno viventis.* Nec enim ſibi vivit amor, ſed alteri, idest amato; & cùm huic vivat, hujus etiam nutus omnes, voluntates omnes ſequitur, quod eſt obedientiæ ſingularis.

In convivio

Et hinc etiam apud Veteres manavit illud, Obedientiam eſſe veluti germanam ſobolem charitatis. *Ex amore, atque charitate obedientia naſcitur*, inquiebat Moſes Barcepha, Epiſcopus Syriæ.

Cum numeroſa, atque immani ſatellitum turba imminebat proditor, cùm ſic ad Diſcipulos Chriſtus:

Obedientia Christi.

Ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio: ſurgite, eamus hinc.

Vult in omnium oculis, & luce Univerſi eſſe ſuum illum amorem, & unà etiam ex eo natam obedientiam, quam debet, & debere vult Æterno Patri: hinc liberæ illæ voces, & devotæ ſubmiſſionis plenæ. *Surgite, eamus hinc.*

Eamus quò vocant cœli decreta, & præſcriptæ jam inde ab Æternitate leges: eamus quò vocat Æternus Pater, quò ſalus humani generis: & ne ſit mora, *ſurgite*, ſomnium ex oculis, torporem ex animo excutite; excutite & timorem: *Ecce appropinquat qui me tradet.*

Ecce amabilem, ecce admirandam Chriſti obedientiam impendente jam paſſione, ac crudeli per immania vulnera morte. Nec mirum ſi tum ea fuerit, cùm jam inde à primo vitæ momento videri, & amari cœpta.

Juvat illius meminiſſe temporis. Eo ipſo inſtanti, 1.
quo corpuſculo Servatoris infuſa eſt grandis anima, ſimul ab Æterno Patre datum illud in mandatis, ut pro humano genere vitam, & ſanguinem funderet.

In primo vitæ momento.

Datum & admiſſum illicò. Quod multis ante ſæculis præſaga Davidis voce explicârat ipſe Salvator optimus, dum ſic de ſeipſo.

In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Pſ. 39. v. 8.

In capite, inquit, *libri*, hoc eſt in fronte, & quaſi prima pagella ſcriptum eſt de me, *Ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Eſt cor affectuum ſedes, & amoris officina, in ejus medio legem Æterni Patris poſuit Chriſtus; non in lingua ventoſa, quæ verba fundere ſolet, non opera: ſed in corde, quod devotæ ſubmiſſionis, quod intenſi deſiderii, quod ardentis amoris eſt ſedes: eo quippe amoris æſtu ſeſe Patris voluntati ſubmiſit filius, eo ſe ſuppliciis omnibus, ac morti devovit.

Et hoc

Et hoc primo vitæ momento: quodque in illo, hoc & in omni vita.

II. In omni vita. Appello amabiles illius voces, quas olim in aures, & animos diſcipulorum altè demiſit.

Urgebant hi ut comederet, erat enim jejunus, & propè famelicus; cibum ingerebant, quem è vicino oppido coëmerant; & ſic ad illum. *Rabbi manduca.* Quibus ille. *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.* (Ioan. c. 4. v. 32.)

At quis ille cibus; non alius quàm converſio Samaritanorum, quam per mulierem promovere parabat; non alius, quàm voluntas Æterni Patris, quam perficere intendebat in prædicatione, in redemptione generis noſtri; hoc enim erat opus Patris Æterni, hoc & Chriſti. Et illud erat ei pro cibo. Ait enim *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.* (Verſ. 34.)

Non ſic famelicus in menſam involat, incumbit in cibum, qui corpori ſuſtinendo ſervit; atque Chriſtus in voluntatem ſui Patris, in debitam illi ſubmiſſionem ad opus ejus, hoc eſt animarum ſalutem, quâ velut ſpirituali cibo paſcitur. Et quia eo

III. In morte. paſcitur in vita; paſcitur & in morte: fatendum enim quod res ipſa docuit; obedientiam, quam reddidit à cunis, & in toto vitæ curſu, reddidiſſe etiam in ultimo illius actu.

In hoc obedientiam loquuntur & prædicant ingentes plagæ, quæ tot ora habent, quot vulnera.

De his aliquando quæſivit Zacharias non ſine ſtupore, propè dixi & horrore:

Cap. 13. v. 6. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Nempe, *magnum erat miraculum, mirum & ſpectaculum in Domino dominatore* ejuſmodi plagas inveniri.

At quæ? & qua de cauſa? Reſpondet Rupertus: *quia teſtimonia ſunt obedientiæ, ſigna ſunt voluntatis, & miſſionis paternæ.* (In Zachariam.)

Quod ſi hæc teſtimonia; & mors ipſa teſtimonium illius fuit vel maximè. Et hæc eſt ratio cur eam mirè commendet Apoſtolus, dum ſic olim ad Philippenſes; ſic etiam modò ad nos de Chriſto, Servatore quàm optimo:

Ad Philip. c. 2. v. 8. *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis* Morti ſubmiſit animam, & humeros Cruci. Et hoc Æterno Patre comite; imò & jubente. Cujus figuram in Abrahamo, & Iſaaco vidit, ſtupuitque Antiquitas.

Serm. 71. de Temp. *Abraham quando Iſaac filium obtulit, typum habuit Dei Patris. Iſaac autem typum geſſit Domini Salvatoris,* inquiebat D. Auguſtinus *Patre imponente, ligna ſibi vexit Iſaac: Chriſtus patibulum Crucis portavit. Abraham comitabatur filium, Pater Chriſtum. Nec Iſaac ſolus, nec IESVS ſolus.*

In Iſaaco habuit Antiquitas obedientiæ miraculum, in JESU poſteritas; illam vidit, ſtupuit, amavitque Antiquitas: hanc videbit, mirabitur, amabitque quanta quanta eſt Æternitas.

Amabit, inquam, & in Patre Æterno Amoris miraculum, & in filio obedientiæ prodigium: is enim

D. Gregor. *Ne perderet obedientiam, perdidit vitam*, (ut ſcitè D. Gregorius.)

Sed non ante perdidit, quàm extuliſſet obedientia illud: *Conſummatum eſt.* Nempe conſummata jam, & omnibus ſuis numeris abſoluta obedientia, completaque omnia, quæ de illa erant vaticinia, adeò obedientiæ tenax, & retinens Chriſtus, etiam moriens.

Habes, amice Lector, quod in eo, ceu libro, legas; habes & quod imiteris, obedientiam in vita, obedientiam in morte. In hac & illa exemplo Chriſti excelluiſſe viſus Joannes Appulus, Societatis JESU, notæ virtutis adoleſcens, qui & ipſam mortem obedientiæ legibus parere juſſit. Deploratâ jam valetudine, rogatus à Cornelio Viskavæo, Tyronum magiſtro, quando ad ſuperos vellet emigrare? *Qui, inquit, hinc poſſim, niſi tuo nutu diſcedere?* (Nadaſi in hiſt. Virt. l. 4. c. 6.) Fecit Cornelius facultatem abeundi ſub auroram diei conſequentis; nec Joannes commiſſam ſibi vitæ ſtationem ante imperantis juſſum deſeruit, ſed in ipſo obedientiæ articulo.

Obedientiam probavit Deus præſenti auxilio; cùm enim ſatanas igneo globo circumvolitans exeuntem interturbare vellet, vir obediens, ei loquens victorias, ad cœleſtem triumphum exceſſit.

Amant nimirum religioſæ mentes, ut in obedientia vitam omnem exigere, ſic & in eadem mortem obire: quo in genere illuſtre eſt illud, quod ſubjicio.

D. Bernardus cuidam è ſuis in extremo propè anhelitu, mandavit, ut expectaret uſquedum fratres à labore feſſi quieviſſent, ad vigilias redituri: ne ſcilicet ad eas minùs parati eſſent, ſi ſomnum apud moribundum omiſiſſent. Sic enim ad illum:

In nomine Domini IESV CHRISTI tibi præcipio quatenus ad horam divini officii nos expectes.

Paruit ille, paruit, inquam, & ipſa mors, quæ jam erat in januis, paruit & anima, quæ erat in extremis labiis, nec è corpore excesſit ante momentum ſibi ab obedientia præfinitum. Mox enim audito pulſu ad vigilias, quaſi accepta jam moriendi venia, Vir ſanè religioſus terris vivere deſiit, & cœlo cœpit. Sed hoc antiquioris eſt memoriæ, demus aliud recentioris. (Herviqueri in Fal. . . . l. 1 . . . 4. c. 17.)

P. Simon Manca è Societate JESU, probatæ apud omnes ſanctitatis, & cui cuſtos Angelus ita familiaris ut ab eo qua vellet hora excitaretur à ſomno, ſupremæ migrationi jam accinctus, negavit ſe migraturum è vita niſi obedientiæ nutu, juſſuque. Nec verò abiit niſi & hoc, & illo accepto: tum enim quaſi venia data è vivis exceſſit nulla doloris ſignificatione. Adeo volupe eſt in obedientia mori, cui in eadem vivere volupe fuit. (Ioan. Nadaſi in hebdom. chari. tatis Anno 1628.)

En tibi, benevole Lector, in obeunda morte obedientiæ exempla: aliud accipe in Parente & filio, In quo & de vita, & de morte jacta eſt alea.

Fuit in avia ſolitudine religioſus, cui tres erant relicti in ſæculo filii, vixerat is in monaſterio tres annos, non amplius, cùm ecce recurrit filiorum memoria, & neſcio quis innatus amor, ingenſque eos videndi deſiderium; imò quod religionis erat, eos ſecum monachis adjungendi. Subintellexit illud Abbas, & veniam fecit repetendi patrios lares. Repetiit ergò, & è tribus duos jam morte ſublatos reperit, ſuperſtitem unicum, quem & ſecum ad monaſterium adduxit, quæſivitque jam redux ubinam eſſet Abbas? utique ut ei filium ſiſteret.

Dictum iviſſe ad piſtrinum, quò & ſe, unà cum filio contulit. Ut Patrem, ut filium vidit Abbas, & illum paternè ſalutare, & hunc amplecti cœpit: tum ſic ad Patrem: *Amas eum; Vtique* inquit ille. Tum iterum, ac tertiò: *Diligis eum.* Subjunxit ille: *Enim verò diligo*, & tenerè quidem. Quis enim alius ſit paternus in filium amor? Tum Abbas: *Tolle ergò eum ſi amas, & illicò in furnum ardentem conjice.*

Videri poterat inſolens, barbarum, impium illud: & certè erat ex naturæ genio, ex humanæ rationis calculo: ſed aliæ ſunt cœli leges, alia obedientiæ placita; ea non diſcutit quiſquis obedire didicerit, neque verò hic diſcuſſit: ſed prehenſum filiolum Pater in accenſum furnum injecit. (In Vit. Patrum l. 5. libello 14. n. 18.)

Quid hic expectas, Amice Lector? an ut illicò in cineres abeat puellulus? Profectò abire debuiſſet, at flamma oblita ſui, oblita & ardoris, ei pro rore fuit, ſicque è fornace exceſſit illæſus, Deo obedientiam probante etiam miraculo, & illi ſæculo velut alterum Abrahamum reddente. In eo quippe Parente eluxit Abrahami ſuppar obedientia, & in filio ſuppar etiam Iſaaco ad juſſa paterna demiſſio. At unde & hæc, & illa in Viro Religioſo? utique à Chriſto Crucifixo, in quo, ceu Libro

ſimilem

ſimilem legerat obedientiam. Sed de hac in præſentia ſatis: Venio ad Virtutem alteram, quam in eodem Crucis codice leges. Ea erit Chriſti, homine quidem major; ſed Deo digna

PATIENTIA.

De hac duo pronuntiat Tertullianus: Primò, *Patientiam Dei eſſe, naturam effectam, & præſtantiam ingenitæ cujuſdam proprietatis.* Secundò quod fuerit veluti quædam *ipſius Dei conteſtatio, ſpiritum ſuum in filio cum tota patientia collocantis.*

Lib. de Patientia c.3.

Ut autem probet totam patientiam in Chriſto collocatam; incipit ab illapſu in Virginis Matris uterum: in quo *naſci*, inquit, *ſe Deus patitur; & expectat natus*, etiam ad menſes novem, utero, ceu carneo carcere, clauſus.

Tum naſcitur in ſtabulo, velut inſignis patientiæ diverſorio anni tempeſtate perfrigida, quæ patientiam exerceat, extimuletque: *Tum natus adoleſcere ſuſtinet: & adultus non geſtit agnoſci*: latere quippe illi volupe: tum Iſtendo *Contumelioſus inſuper ſibi eſt*; nemo amat, nemo enim ſic latentem agnoſcit Deum, reveretur nemo, deſpiciunt propè omnes ut fabri filium: *tum nullius menſam, tectumve deſpicit, non peccatores, non publicanos aſpernatur, ingratos curat, inſidiatoribus cedit, lavandis diſcipulorum pedibus miniſtrat*, & in his omnibus *ſibi* quodammodo *contumelioſus*, ſibi injurius.

Cùm in his omnibus patientiæ veluti actibus, abiiſſet tota vitæ ſcena: ad extremum ventum eſt, extremum dico Patientiæ.

In hac *proditorem ſecum habet, nec conſtanter denotat.* In hac *traditur, adducitur, ut pecus ad victimam.* In hac *ut agnus eſt ſub tondentis poteſtate.* In hac *deſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur.* Cruci affigitur; contumeliis oneratur. Et hoc quia *ſaginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat*, & eò quidem, ut ne, *vel unius diſcentis gladium in alterum probaret*: & inde, quod patientiæ ſummæ fuit, *Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt.* At unde vulnerata? quis enim erat Malchus? ſervus erat, & vile mancipium, terræ filius, & mali dæmonis inſtrumentum. Et tamen in eo *vulnerata Domini patientia.* At cur vulnerata? quis aliqua erat de inimico ultio, & in hac vulnerata Domini patientia: ſcilicet adeò delicata erat, ut nihil ferret ultionis: nihil pœnæ, ne quidem in reo: quod vel maximè patuit, ubi tormentis quodammodo evicta exceſſit Salvatoris anima: tum enim creaturæ omnes viſæ ſunt commoveri, atque ad vindictam tanti ſceleris in hominem armari: ſed eas & cohibuit, & quaſi exarmavit illa ipſa Chriſti morientis patientia.

Audiamus de illa D. Cyprianum libro, quem inſcripſit de bono Patientiæ. Sic enim inquit:

Cùm ad Crucem Domini confundantur ſidera, elementa turbentur, contremiſcat terra, nox diem claudat, ſol ne Iudæorum facinus aſpicere cogatur, & radios & oculos ſuos ſubtrahat, ille non loquitur, non movetur, ad majeſtatem ſuam ſub ipſa ſaltem paſſione profitetur.

Ecce illuſtrem Chriſti patientiam, cujus vox, in illa, ut ita dicam univerſi voce, motuque, nec auditur, nec rei indignitate, atque atrocitate movetur, nec majeſtatem ſuam prodit, quam tamen muta voce produnt ſidera, produnt & elementa. Imò & hæc, & illa ſuſtinet, ne unà ſecum in ruinam trahant adverſa cœlo Deoque capita.

Excipiamus auribus, excipiamus & animo, quæ de illis S. Leo Pont. Max.

Serm. 6. de paſſione.

Pendente, inquit, *in patibulo Creatore univerſa creatura congemuit, & crucis clavos omnia ſimul elementa ſenſerunt. Nihil ab illo ſupplicio liberum fuit. Hoc in communionem ſui & terram traxit, & cœlum, hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reſeravit, & denſarum horrore tenebrarum radios Solis abſcondit. Debebat hoc teſtimonium ſuo mundus authori, ut in occaſu conditoris ſui, vellent omnia finiri.*

Rectè *omnia finiri*, ut & cum illis unà etiam finiretur reus homo: & illis occidentibus, occideret etiam ipſe, tanti ſceleris author, quem ſcilicet natura ultra non ferret. at tulit, ſuſtinuitque eò loci, ac temporis invicta Chriſti patientia, de qua & illud ſubjicit S. Leo:

Patientia Chriſti ſervat rebus ac temporibus ordinem ſuum, noſq; in illum potiùs vocat affectum, ut eorum ſalutem petamus, cujus crimen horremus.

Et certè quidni petamus, cùm è Cruce, ceu patientiæ pulpito, illam, & precibus, & lacrymis petierit ipſe Salvator, cùm altum extulit illud: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

Habes in his omnibus, Benevole Lector, & legis in Chriſto patiente, ac moriente, *Virtutum normam*, maximeque inſignis patientiæ, cui ſimilem nulla vidit, nec videbit ætas. Supereſt ut dum eam oculo legis, animo etiam haurias, & opere exprimas; ſi modò is eſſe velis, qui es à Chriſto Chriſtianus.

Carolus Scribanius, notus à calamo, & doctis ingenii monumentis, cùm Provinciam Flandro-belgicam, ſibi ex Provincialis officio commiſſam viſitaret, ſi fortè è ſubditis, & religioſis unus aliquis, de re quapiam conqueri videretur, ſimulacrum Crucifixi, quod illi erat in menſa, digito monſtrare ſolebat: ceu cœleſte, ac divinum patientiæ exemplar, & hoc ſatis erat ad ſopiendas querelas omnes, & detergendam omnem impatientis animi, ſeu amaritiem, ſeu ægritudinem. Et hoc tibi, ut opinor, ſatis erit, mi Lector. *Pauca enim*, inquit Sidonius Apollinaris, *toleramus, ſi cogitamus quid biberit ad patibulum, qui invitat ad regnum.*

Sidonius Appollinaris.

Certè hæc una cogitatio animos faciet ad audendum, ad patiendum etiam quidlibet amore, exemploque Chriſti, maximè cùm ad eam acceſſerit & fellis amarities, & unda profuſi in Cruce ſanguinis.

Mulier Arabica, genere nobilis, at virtute nobilior, ut filiolum ſuum formaret in Athletam, & pugilem Chriſti, ut deinde in arena certantem aliquando videret, pro Fide, pro Deo adverſus omnem tyrannorum vim, ut in vulnera, in mortem iret audentiùs (quod unicè habebat in votis) eum adhuc in tenellula ætate ad luctam, certamenque ungendum putavit.

P. Le Blanc Part.1. Li.

At quo, inquies, unguento? an oleaceo? an myrrha? an balſamo? Minimè gentium. Quo igitur? non alio, quàm Martyrum ſanguine, quem ipſa defluentem ex hiantibus, apertiſque eorum vulneribus, collegerat, atque in eum finem ſedulò ſervarat.

Quod illi ex voto ceſſit. Eo quippe, qui prima ætate inunctus fuerat filiolus, adulta jam, & in tyrannos, & in ferrum, & in vulnera, mortemque irruit intrepidus. Tantum valuit corpori etiam vel leviter affuſus Martyrum ſanguis. Quid, amabo te, mi Lector, Chriſti ipſius cruor? Quid enim ille ad hunc eſſe poteſt? quid illius pretium ad hujus valorem, atque apud Superos æſtimationem?

Profectò, non quod gutta ad Oceanum, quod lutum ad auri nitorem, gemmarumque lucem, quod terra ad cœlum, quod viliſſimus homuncio ad Deum ter Opt. ter Max.

Joannes Baptiſta de Fianca, Cappucinus, acriùs à ſuo Guardiano increpitus, ne quis fortè inſurgeret impatientis animi motus, eam ſibi vim fecit, ut illius quaſi impete, diſrupta fuerit in pectore vena, è qua cùm copioſus effluerct ſanguis, illicò ad ſacratiores aras, & in iis Crucifixi ſimulacrum (vulgare ſibi refugium) confugit. Et hæc candida mente, voceque Chriſto, Servatori ſuo.

Bozverius An. 1582. *En tibi, ô Domine, meum ſanguinem. Vide JESU multum amabilis, quantum amore tui patior.* Dixerat: & en illi amoris, en & doloris ſpectaculum! Ligneum Crucifixi ſimulacrum, dextram manum refigit à Cruce, vertitque ad apertam & hiantem lateris plagam, eamque ſignans, hæc illi.

Vide, ô Joannes Baptiſta, quanti ſint dolores, quos in Cruce amore tui paſſus ſum. Dixit, & dexteram Cruci reddidit, fixitque.

Quid hic Joannes? erubuit enimverò, & ſeipſe damnavit, ſtatuitque quidlibet impoſterùm pati, probè conſcius, iſtud omne nihil eſſe ad Chriſti patientis dolores. Hoc ipſum cogita, hoc & decerne, hoc & molire, mi Lector, nec ad cœleſte Regnum aſpira niſi priùs ad Crucem.

Rho hiſt. Sort. l. 6. c. 3. Georgio Collibraotio è Societate JESU ſeni mitiſſimo, & laborum, ærumnarumve patientiſſimo, illud frequens erat, in ore, quòd frequentiùs in mente. *Ad vitam æternam.*

Hoc nimirum carmine mortalitatis noſtræ ærumnas omnes leniri ſentiebat, animoſque addi eas toleranti. Quod cùm domeſticorum ſermonibus celebraretur, adoleſcentium unus, religioſo joco, cùm illi dixiſſet. *Ad vitam æternam Pater*; ſimul audiit ab illo veriſſimum illud. *Sed priùs ad Crucem, Fili.* Quàm benè colligebat de vita æterna, qui priùs de cruce veriſſima ſumpſerat. Nemo certè illam concluſionem conficere poteſt, qui hanc priùs, exemplo Chriſti, non ſumpſerit.

In montem Thabor unà cum Chriſto Petrus aſcenderat; incurrerat in oculos Domini facies, quæ ſuâ luce, ſuo ſplendore ſolem vinceret, incurrerat, & niveus veſtis candor, index lætitiæ, ac beatitatis: & hinc expreſſæ illæ voces: *Domine,*

Luca c. 9. v. 5. *bonum eſt nos hic eſſe. Si vis faciamus hic tria tabernacula.* Optat iſtic figi tabernacula, & ſiſti in ævum omne. *Non enim ſciebat quid diceret*, inquit Evangeliſta.

Serm. de Transfig. At cur non ſciebat? reſpondet S. Leo Pont. Max. quia non ſciebat *hujus vitæ priùs nobis tolerantiam poſtulandam eſſe, quàm gloriam, quia tempora patiendi, non poteſt felicitas prævenire regnandi. Sive ille ſit Joannes Evangeliſta, quem ita dilexit Dominus, ſive ille ſit Petrus, qui claves accepit regni cælorum, oportet ut priùs dicat.*

Serm. 20. in Pſal. 118. *Tranſivimus per ignem, & aquam, & induxiſti nos in refrigerium*, loquiebat D. Ambroſius.

Hæ nimirum ſunt cœli leges, eædem impoſitæ diſcipulis, quæ & magiſtro. Hic ad gloriam venit comite, imò & duce patientiâ, eâdem viâ, ut venias eſt neceſſe.

Hom. 28 in ep. ad Hebr. Chryſoſtomum audi: *Diſcipulus es? Magiſtrum imitare. Hoc quippe eſt diſcipuli: ſi verò ipſe quidem per tribulationes perrexit, tu autem per requiem vis ire, non eandem viam vis pergere, quam ille perrexit: ſed aliam. Quomodo ergò ſequêris non ſequens? quomodo eris diſcipulus, non ſectans Magiſtri veſtigia?*

Enimverò non eris. Sed proh dolor! ut ita ſit; nimium veræ ſunt illæ D. Bernardi querelæ, quæ in noſtram hanc cadunt ætatem.

Quàm pauci poſt te ô Domine JESU, ire volunt?

Serm. 21. in Cant. *Volunt omnes te frui: at non ita & imitari. Conregnare cupiunt: ſed non compati. Non curant quærere, quem tamen deſiderant invenire, cupientes conſequi, ſed non ſequi.*

Non ſic amantes tui, ô bone JESU, non ſic S. Lutgardis tui amantior. Ut tuos illa in corde claudebat amores: ſic & tuos in corpore geſtiebat ſentire dolores. Hinc quam, cùm vel ſola cogitatione recoleret paſſionem, viſa non ſemel illi & facies, &

Lilia Ciſter. tom. 2. Diſt. 10. c. 8. manus quaſi recenti tinctæ cruore, & cincinni ipſi capitis ſanguineis guttis fluentes. Adeò tibi condolere, tibi compati, tibi commori ambiebat. Utinam & ſic illius exemplo omnes à Chriſto Chriſtiani, in illius ſchola probè docti. In hanc admitti enixè dum petit, ambitque *B. Henricus Suſo*, hæc illi objecta ſpecies, hæc & prælectio.

Objecta, inquam, Chriſti in Cruce confixi ſpecies; eáque ſex alis veluti ſubnixa, è quibus duæ caput tegebant, pedes etiam duæ, aliæ duæ veluti mediæ, & in altum protenſæ quaſi ad celerem volatum.

In alis, quæ ad pedes imos deſluebant, legebatur hæc epigraphe: *Afflictiones libenti animo excipe.* In aliis, quæ medium corpus ambiebant, videbatur ea inſcriptio: *Crucem porta in patientia, & amoribus.* Denique in duabus aliis, quæ eminebant in capite, inſcriptum erat hoc cœleſte lemma: *Diſce pati ſicut Chriſtus paſſus eſt.* Et hæc illi fuit prælectio non ab alio, quàm à Crucifixo, ceu magiſtro quàm optimo.

Quæ illi, eadem & tibi, *Amice Lector*; age, lege, & animo altiùs apprime, ut cum Chriſto pati diſcas; imo & ambias, Et certè quidni ambias? ſi modo cum Chriſto eſſe velis qui ab illo es Chriſtianus,

S. Dulas invictus Chriſti Martyr ſibi ſæpius inculcare ſolitus illud: *Quomodo apparere audebo coram Chriſto vulnerato, ſi non ſim ipſe vulneratus?* Si ille non audebat, qui audebis ipſe? profectò non audebis: Sed ne longiùs.

Vidimus quomodo in vita pati voluerit Chriſtus: attendamus qui etiam cœlis additus compati videatur in ſuo Crucifixi ſimulacro?

Frater Placidus, Abbas monaſterii Obilæ, Vir probatæ vitæ, & ſanctitatis, cùm intraſſet cellulam Henriquez l. 2. Diſt 34. c. 1. cujuſdam Monachi, invenit eum mortuum non ſine ſtupore, dolore: ſed & auctus ſtupor, dolorque, ut vidit in eadem cella Crucifixum ſudore perfuſum. Crederes Chriſtum etiam in cœli regia mortalibus compati, adeò retinens patientiæ, & piæ cujuſdam compaſſionis, quam & oſtendiſſe viſus in S. Franciſco Xaverio, de quo illud memorant oculati teſtes.

In regno Navarræ, Caſtrum eſt Xaverianum, & locus illi natalis. In eo viſebatur ſacellum perantiquum, & pium, in quo & ingens Crucifixi lignei ſimulachrum, quod ſæpè ſæpiùs ſanguineo ſudore madere, & perfundi viſum eſt à domeſticis eò ſanè miraculo attonitis, ad cujus memoriam & annos, & dies, ad calculos relati ſunt, ac deinde habitâ ſupputatione dierum, & rerum à S. Xaverio in Indiis geſtarum, manifeſtè deprehenſum eſt, toties ſudaſſe ſimulacrum illud Crucifixi, quoties hic Indiarum Apoſtolus, adverſi aliquid paſſus eſſet. Imò anno toto qui illi vitæ hujus mortalis fuit ultimus, ſingulis diebus veneris ſanguineo ſudore diffluere viſus eſt Crucifixus ille; adeò ſervo ſuo compatiens Dominus; adeò & patientiæ etiam in cœlis retinens.

Ab illo porrò Crucifixi ſudore manavit in pleriſque etiam primæ notæ Italiæ Civitatibus, ea devotio qua continenter diebus Veneris omnino decem & confitentur, & communicant in honorem, cultumque S. Xaverii, qui & decem annos totos exegit in Indiis, & Apoſtolicis illis laboribus, & in iis ut ſudavit ipſe; ſic & ſudavit cum illo Chriſtus, velut illi compatiens, ut & ipſe ei compati diſcas.

Sunt grandes animæ, quæ unà cum Chriſto amant, atque ambiunt pati: ſunt & quæ compati. Ex illis fuit *S. Mechtildis*, quæ cùm ei gratias ageret pro admiſſis tot, ac tantis in corpore vulneribus, ſimul & petebat tot animæ ſuæ infligi vulnera, quot ipſe aliàs in corpore pertuliſſet. Quod ſi tibi non tantus ſit animus, ſaltem ſit is, qui Chriſto patienti condolere norit, ac velit, & hoc erit ipſi longè gratiſſimum.

B. Veronica de Binaſco dixit aliquando Chriſtus, nihil ſibi eſſe acceptius, quam ſi quis, corde ſaltem, & animo affligatur, veluti ſibi, & Paſſioni ſuæ compatiens, addiditque vel unicam lacrymulam exinde fuſam, & ſibi patienti quodammodo affuſam, tantum afferre ſolatii; tantum & jucunditatis, quantum nec humana mens, nec Angelica capere

poſſit. Crederes lacrymulam illam eſſe ei pro bal-ſamo, pro ſuavi odore, pro vernantibus roſis, & ita eſſe docuit etiam ipſe Chriſtus *B. Melchtildem*: quam & edocuit pati:

Allegambe in ejus geſtis & morte. p. 647.

Ita deinde, hoc quo vivimus ævo, *P. Ioannem de Brebeuf*, è Societate JESU Sacerdotem, edocuit ipſe Chriſtus, qui ei ſeſe ſæpius ſpectandum exhibuit; modò è cruce pendens, modo eam bajulans, modo crucem objiciens ingentis omnino molis. Et ita objecit Anno 1640. & hoc ut eum invitaret ad crucem vel ſui amore, vel exemplo ferendam: nec illam tantum; ſed & alios è Societate, qui tum erant in nova Francia, & apud *Hurones* ſtrenuè lucrandis Deo animabus dabant operam; hos, inquam, omnes, uti & illum invitavit objecta Crucis ſpecie: cùm enim ipſe *P. Ioannes* in ſacello S. Mariæ precibus vacaret ardentius, viſus eſt ſibi videre maculas ſanguineas, velut totidem cruces, in veſtibus omnium noſtrorum, imo & in ſuis. Quid autem eæ portenderent oſtendit eventus; & mors deinde Chriſti cauſa tolerata, eáque per acerbos cruciatus: nam & *P. Ioanni de Brebeuf* detracta pellis, quæ calvam tegit, abſciſſi pedes, coxæ carnibus ad os uſque direptis ſpoliatæ, altera mandibula bipertito ſecuris ictu diffiſſa, & *P. Gabrieli Lallemant* ex eadem Societate, effoſſi primùm oculi, tum in eorum cavos orbes injectæ prunæ candentes, tum auris læva ſecuri violata, tum corpus omne à capite ad calcem igne, fœdum in modum uſtulatum, tum denique ambobus (dum nexi ſtarent ad ſtipitem) carnes è feminibus, ſuris, brachiorum toris direptæ fruſtatim, & igne leviter toſtæ, ipſorum in obtutu à barbaris voratæ, tum plagæ revulſarum carnium admotis candentibus ferramentis exaſperatæ, tum diſſectum pectus, & exceptus ſanguis, atque etiamnum calens avidè ab illis hauſtus, tum linguæ amborum, ingeſtis in eorum ora titionibus præuſtis, tædiſque flammatis ambuſtæ ſunt: denique cor etiamnum ſpirantibus evulſum: itaque vita per longos, & ſummos cruciatus extorta: & quidem, *P. Ioanni* per tres ipſas horas; & *P. Gabrieli* per quinas denas, quibus illuſtris utriuſque patientia eſt exercita, probataque.

Tantum apud generoſos Chriſtianæ fidei Athletas valuit objecta Crux, & imago Chriſti patientis: optandum ut etiam apud te tantum valeat, Amice Lector, ex Chriſti voto, & tuo bono.

Sed ne fuſius. Tranſeo ad aliam Virtutem, quæ etiam in Dominicæ Paſſionis volumine intus eſt ſcripta, & bellè expreſſa. Ea erit

PROFVNDA HVMILITAS.

Divus Bernardus, qui dies & annos piè inſumpſit in evolvendo codice Crucis Chriſti, in eo hæc ſe pervidiſſe teſtatur.

In ſummo *Charitatem*, in imo *Humilitatem*; in dextra *Obedientiam*, in ſiniſtra *Patientiam*. Libet illum audire, fuit enim in hac Chriſti ſchola verſatus quàm optimè. Sic igitur ille:

Serm. 1. in die S. Paſcha.

His virtutum gemmis quatuor cornua Crucis ornantur, Et eſt ſupereminentior Charitas, à dextris Obedientia, Patientia à ſiniſtris. Radix virtutum Humilitas, in profundo. His ditavit trophæum crucis conſummatio Dominicæ Paſſionis.

Virtutes illas appellat gemmas: quia ut hæ ornant Regum coronas: ſic illæ cornua Crucis, quæ Chriſto fuêre pro corona.

De *Charitate* omninò eminenti, de *Obedientia* perfecta, de *Patientia* invicta, jam pauca luci dedi, & publico bono. Supereſt ut de *Humilitate* profunda, etiam pauca ſubjiciamus.

Hæc aſſurgere viſa etiam à primo vitæ limine; hoc eſt ab ipſa Divini Verbi Incarnatione, in qua *Exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo.*

Ad Philip. c. 2. v. 7.

Exinanivit: hic primus, & ſummus humilitatis eſt gradus, *exinanivisſe ſemetipſum.* Hoc eſt; ens primum, ac ſummum nihilo, Creatorem creaturæ, naturam Divinam humanæ, unius perſonæ vinculo copulaſſe.

Quod in primo vitæ actu fecit Chriſtus, etiam ex Matris utero, hoc & in aliis longè conſequentibus.

Elabitur ex Virginis utero, ceu thalamo, in primæ lucis hujus uſuram: & illabitur in ſtabulum, cubat in fœno, jacet in præſepio: quid abjectius? Dies vitæ recenſet dumtaxat octo, & circumciditur, infamique peccatoris ſtigmate notatur: quid vilius?

In ultima vitæ ſcena, ad diſcipulorum pedes, etiam Judæ proditoris, accidit, eos lavat, extergit, oſculatur. Quid modeſtiùs?

Proditoris oſculum excipit, & reddit ipſe? Quid amantiùs?

Triginta dumtaxat argenteis venalis exponitur, vili ſanè pretio, quo non veniret, etiam jumentum; & tamen ex humilitate patitur. Quid humiliùs?

Denique *morte turpiſſima condemnatur*, auditque illud ab impio Judice. *Infelici arbori ſuſpendito*, audit, & admittit. Quid calamitoſiùs.

Sap. c. 2.

Certè Crux *ſervile* erat *ſupplicium*, quo non multabantur niſi mancipia. Crux erat *maledictio*, & *maledictus* omnis, *qui pendebat in ligno.* Et tamen in eo pendet Chriſtus. Quid ad infamiam, ad probrum majus?

Faber ſomniſ. l. 2. c. 8.

Deuteron. c. 21. v. 23.

Eſt vermis, & non homo, eſt opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Pſ. 21. v. 7.

Eſt *noviſſimus virorum.* Quid profundiùs? nimirum, in imo, in profundo eſt *Humilitas* Servatoris? In illud te vocat, Chriſtiane Lector, age, cum illo deſcende in imum, in profundum humilitatis.

Iſaias c. 53. v. 3.

Ita deſcendit Nunnius Barretus è Societate JESU, nominatus Æthyopiæ Patriarcha; non ſua voluntate, ſed Summi Pontificis adactus imperio; in eo dignitatis culmine humilitatem, quam imprimis coluerat, ſemper retinuit; nam & pedes Æthyopici mancipii gurguſtio ſuccedere, & aurem confitenti dare, & veſtes, ſuis ipſe manibus conſuere, & peregrinis pedes de genu abluere, raro ſanè demiſſionis exemplo; quo frui non meruit Æthyopia, dum enim in eam profectionis occaſionem expectat, Ulyſſipone ad ſuperos abiit.

Rho in hiſt. Virt. l. 7. c. 10.

Ejuſdem animi, ac demiſſionis fuit B. Franciſcus Borgia, ex Duce Gandiæ, & Prorege Catalauniæ Societatis JESU religioſus, ac deinde illius etiam Generalis Præpoſitus.

Die Jovis ſancto cùm diceret ad Novitios, ſanctè aſſeruit; ſe eo die nullum in terris ſibi locum inveniſſe; cùm enim inquiebat, jam à ſex annis me abjecerim ad Judæ proditoris pedes, ut locum mihi, vel maximè conſentaneum; & jam viderim ad illos abjectum eſſe mundi Redemptorem, eoſque ſacris manibus eluere, tergere, oſculari, indignum me credidi, qui illis me ſupponerem, quibus priùs manus ſuas Chriſtus ſuppoſuiſſet: itaque cùm jam illi locò ceſſiſſet, nullum ſibi reſtare in mundo; ſupereſſe illud unum, ut mente, ac cogitatione ſeſe in inferno collocaret, utpote homo infernalis, & infernum diu antè promeritus.

In ejus vita l. 4. c. 6.

Ecce quem locum ſibi deligebat inſignis animi demiſſio, quò ſe dejiciat profunda illa B. Borgiæ humilitas, quâ ſuadente abdicato Gandiæ Ducatu; jamque Societati additus, non aliter ſuis litteris ſubſcribere ſolitus, quàm Franciſcus *Peccator*: quâ appellatione tamdiu uſus eſt, quamdiu per S. Ignatium licuit.

Habes, Amice Lector, in Chriſti ſchola benè doctos, & in Crucis codice verſatos quàm optimè; eos quà licet imitare, & ſtude in eadem Chriſti patientis Academia promoveri: felix omninò, ſi in ea doneris laurea doctorali hoc eſt, charitatis, Obedien-

Obedientiæ, Patientiæ, & Humilitatis Laurea, atque ab illa etiam beatitatis, æternæque quietis, hac & illa donata fuit B. Angela de Fulginio, & hoc quia prius ſibi in cruce lectulum poſuit, & quietem, ſic enim dicere ſolita:

Laudo te dilectum, & in cruce habeo meum lectulum. Hunc autem ita componebat, ut pro cervicali pau- Bollandus in ejus vita. pertatem, pro culcitra dolores, pro ſtragulis deſpectum haberet, & confuſionem, qua ſe cooperiret. His enim, inquiebat, ſibi dilectus meus lectulum ſtravit, in his quievit, jacuit, atque expiravit. Et ego in eodem & quieſcere, & jacere, & emori volo. Hactenus illa, quacum ſi loquaris, & ſentias, Amice Lector, eris aliquando quod modo eſt illa, in lectulo, ſinuque beatitatis.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Vidi librum ſignatum ſigillis ſeptem.* Apoc. c. 5. v. 1.

Quæ ſint illa ſigilla ſeptem?

Sigilla ſeptem, ſunt ſeptem arcana, ſeptem myſteria omninò ſecreta, volumine Dominicæ Paſſionis involuta, quæ nulla vis creata evolvere poteſt: nec enim ejuſmodi aut natura tulit unquam, aut humana ratio vidit, aut experientia docuit. Sola Fides (quæ bonæ mentis eſt oculus) ea propoſuit, & quidem perobſcurè. Ex his

Septem Sigilla. Primum eſt *ſumma impotentia in Omnipotente.*

Secundum *ſumma pœna in impaſſibili.*

Tertium *ſumma ſtultitia coram hominibus in Chriſto, qui eſt divina ſapientia.*

Quartum *ſumma paupertas in Deo divitiarum.*

Quintum *ſumma ignominia in ſumma majeſtate*

Sextum *ſumma derelictio Dei in ſumma cum eo unione.*

Septimum *ſumma ſeveritas in ſummo amore Patris erga filium.*

Ita Seraphinus Firmanus, cujus opinionem hic amplectendam mihi duxi, tum quia faciebat ad argumentum, quod mihi propoſui; tum quia conducebat ad reſeranda ſecretiora cœleſtis ſapientiæ myſteria; tum denique ad excitandum in animis omnium Servatoris quàm optimi amorem, cujus ſcilicet tanta fuit, & tam ſtupenda in genus humanum amoris inclinatio; quæ ut in aperto ponatur, pauca de ſingulis ſubjiciamus.

I. Sigillum. Primum erat *Summa impotentia in Omnipotente.* Videtur hic pugna quædam verborum; imò & rerum. Si enim Omnipotens, quomodo impotens? ſi Omnipotentia, quomodo impotentia? Fatebor ingenuè, ſi ex natura, & naturæ legibus id penſetur, eſſe pugnam & verborum, & rerum; ſecus autem ſi ex gratia, & gratiæ divinæ miraculis, cujus unius fuit, & copulare, & conciliare, quæ aliàs nec copulari unquam, nec conciliari poſſe videbantur.

Quid enim nihilo cum ente primo, & ſummo? quid enti ab alio, & enti à ſe? quid carni cum Verbo, cum ſpiritu puriſſimo? in nihilo ſumma impotentia, in ente primo, & ſummo Omnipotentia. Homo ab alio ſummè impotens, Deus à ſe Omnipotens. Caro ex ſe ſummè impotens; Verbum Æternum ex ſe Omnipotens: & tamen *Verbum caro factum*, & Omnipotens junctus impotenti, & Omnipotentia impotentiæ: & hoc in Chriſto, divini in hominem amoris eſt miraculum; hoc primum arcanum, quod ſigillo ſignatum eſt.

II. Sigillum. Secundum eſt *ſumma pœna in impaſſibili.* In Deo homine junctæ erant naturæ duæ: Divina una; humana altera: junctæ, inquam, in eadem, & una Verbi perſona. & in hoc Verbo impaſſibili, fuit ſumma pœna; non ratione naturæ divinæ, quæ & ipſa impaſſibilis: ſed humanæ, quæ ſummè fuit paſſibilis, & ſummè etiam paſſa. Fatendum enim, quod & fatentur SS. Patres, pœnam Chriſti patientis fuiſſe ſummam quæ homini in hac aura mortali poteſt obvenire: adeóque ſummam in impaſſibili. Verùm enim illud, & Deus eſt impaſſibilis, & tamen Deus ſummè patitur, & hoc eſt doloris, hoc & amoris miraculum: uti & iſtud, Deus eſt immortalis, & Deus moritur: per quandam enim idiomatum communicationem, quod in unam naturam cadit, cadit quodammodo in ſuppoſitum: in illud derivari videtur. & hoc eſt cœleſtis gratiæ prodigium, ad quod hæret, ſtupetque natura, & ratio.

Tertium ſigillum eſt *ſumma ſtultitia coram hominibus in Chriſto, qui eſt divina, adeoq; ſummè ſapientia.* III. Sigillum. Ecquid enim cùm *prædicamus Chriſtum crucifixum*, an non etiam ſimul prædicamus *Judæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam?* 1. Cor. c. 1. v. 18. prædicamus enimverò ex mundi ſenſu, ac judicio: & cœli calculo ſummam ſapientiam. Origenem audi: *Crux Chriſti, cujus prædicatio ſtultitia videbatur, converſa eſt in ſapientiam, & tantam ſapientiam, ut omnem Ægyptiorum devoraverit*: Hom. 4. in Exod. ut olim Aaronis virga, virgas Ægyptiorum. *Virga Aaronis*, inquit D. Auguſtinus *typus fuit Crucis, coluber* autem (in quem ea verſa eſt) *ſymbolum ſapientiæ*. Sic virga, id eſt Crux, quæ primò ſtultitia videbatur, verſa eſt in ſapientiam.

Et hanc Crucis ſapientiam agnovêre Chaldæi, & Cornel. à Lapide in 1 ad Cor. c. 1. v. 23. ex illis Indi, qui *Meliapora* degunt, vulgóque dicuntur *Chriſtiani S. Thomæ*: apud quos una vox Chaldæa *Maſibal*, & crucem, & ſapientiam ſignificat: adeò hæc illi cognata, vel affinis.

Et hoc increatæ ſapientiæ miraculum; quæ adeò diverſa, atque inter ſe pugnantia novit conciliare.

Quartum ſigillum eſt *ſumma paupertas in Deo divitiarum.* IV. Sigillum. Illa Deum naſcentem excepit, natum fovit in omni vita, morientem vidit, & amavit ſepultum.

Vis noſſe quomodo naſcentem exceperit? attende ubi, & quo modo.

In via, quæ ducebat in Bethleem, *ut viâ naſceretur in via*, inquit D. Bernardus.

In ſtabulo, inquit Evangeliſta, quod D. Hieronymus appellat *Speluncam Salvatoris, & parvum terræ foramen*, in hoc naſcitur, qui ex vero dicit, *Meus eſt Orbis terræ, & plenitudo ejus.* Pſ. 49. v. 12.

Ecce, inquiebat D. Hieronymus: *In hoc parvo terræ foramine cœlorum Conditor natus eſt, hic involutus pannis, hic viſus à Paſtoribus.* Epiſt. 18. ad Marcellam. Quæ major eſſe potuit in naſcente paupertas? Vide quæ in adulto, quæ in omni vita, & ex illo audi:

Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet; Matth. c. 8. v. 20. ſic olim ipſe Chriſtus ad unum è Scribis, qui ei intulerat illud: *Magiſter ſequar te quocumque ieris*, Verſ. 19. cujus animum ut pervidit, ſic ad illum interprete D. Hieronymo: *Quid me propter divitias, & ſeculi lucra ſequi vis, cùm nec hoſpitiolum habeam?*

Ecce paupertas ſumma, indigentia ſumma, eáque in Deo divitiarum, quæ nec in vulpibus, nec in volucribus cœli, quibus natura ſine ſuo ſumptu abùndè providit de hoſpitiolo: quam Chriſti paupertatem demirans D. Hieronymus, ſic olim ad Heliodorum, quem ad ſuam in Syria eremum invitabat:

Filius hominis non habet ubi caput reclinet, & tu amplas porticus, & ingentia tectorum ſpatia metiris? hæreditatem expectans ſeculi, Chriſti cohæres eſſe non poteris. Epiſt. 1. Sic Heliodoro animos faciebat D. Hieronymus ad complectendam Chriſti paupertatem: Sic deinde etiam Chriſtiano: *Cur timido animo Chriſtianus es? Reſpice à Petro relictum rete; reſpice ſurgentem de telonio publicanum, ſtatim Apoſtolum.* Hæc ubi dixit, tum conficit illud:

Servus Chriſti nihil præter Chriſtum habet. Et hoc uno dives: quia dives in Chriſto, & à Chriſto paupere, paupere dico, in nativitate, paupere in omni vita, paupere, & in ipſa morte, quàm etiam nudus obivit in Cruce, ut *nos indueret vitâ, & immortalitate,* ut ſcitè D. Athanaſius. Neque verò à morte ditior, ut qui etiam in alieno ſepulchro conditus, cujus cauſam reddit Theophilactus:

Serm. de Cruce.

Qui non habuit domum in vita, neque ſepulchrum habet: ſed in alieno deponitur, & cùm ſit nudus, à Ioſepho veſtitur. En *ſumma*, quæ eſſe potuit, *paupertas*, & tamen ea *in Deo divitiarum*, cujus ſunt cœlum, & terra; cujus aurum in ejus viſceribus, cujus in mari gemmæ, & uniones, cujus in Orbe ſceptra, coronæ, imperia. Et hoc fuit cœleſte prodigium ſummam paupertatem cum ſummis divitiis copulaſſe.

V. Sigillum.

Venio ad quintum ſigillum, fuit illud *ſumma ignominia in ſumma Majeſtate.*

Ignominiam non alio ore, linguâve expreſſam velim, quàm ipſius Chriſti, qui ſic olim de ſeipſo *Davidis* calamo.

Pſ. 21. v. 7.

Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Quid ad probrum, & ignominiam majus, quàm eſſe vermem, quàm eradi quodammodo ex hominum catalogo, & ad vermiculos abjici, & hoc calculo hominum.

Et ita abjectus ipſe Chriſtus; qui B. Birgittæ ſe aliquando videndum objecit & hæc illi:

L. 2. Revel. c. 26.

A Iudæis, ut vermis reputatus ſum, qui quaſi mortuus, jacet in hyeme; in vere autem ubi erumpit, à tranſeuntibus calcatur, atque conteritur.

Quod ſi vermis; quid viliùs? quid abjectiùs? Vermem abjectum facit vel ipſa origo; naſcitur enim ex cœno, fimo, ſtercore; ut Philoſophus docet, & experientia probat. Et tamen ut is ſit, eum ſe haberi patitur Chriſtus, & puſillorum homuncionum pedibus ſubdi, atque calcari. Quid ignominioſiùs?

Iob c. 9. v. 13. Ad Rom. c. 14. v. 11.

Homo erat, & *Homo Deus*, Deus inquam majeſtatis, *ſub quo curvantur qui portant orbem*; & cui *flectitur omne genu.* Et tamen ut is ſit, audit, & audire vult, *Non homo*: ſed vermis. Quid ad ignominiam majus dici, aut excogitari poteſt? Majus ſanè illud, quod ſubditur: *Opprobrium hominum.*

Tertullianus legit *ignominiam*; D. Cyprianus *maledictum*; Chaldæus Paraphraſtes, *Portans vituperia filiorum hominum*, quaſi vile jumentum damnatum ad exportanda ſtercora. Et tamen ut is dicatur, is etiam ſit; eſt ille ipſe qui portat orbem, qui eum vel digito ſuſtinet. Quid mirum, quid portentoſum magis? hoc certè, quod præterea appelletur, & ſit *abjectio plebis*, hoc eſt, ut vertit Hieronymus, *deſpectio*, Tertullianus, *Nullificamen populi.* Quid ultrà fingi poteſt? quid dici de Deo majeſtatis? Hoc profectò, quod etiam *ſaturabitur opprobriis*; id eſt quod ita opprobria amabit, ut iis ſaturari volet, ut cibo famelicus ſolet.

Thren. c. 3.

Quàm longè ab hoc abſunt mortalium plerique, qui adnatam ignominiæ, & opprobriis amaritiem, ne quidem externis labris deguſtare volunt, contra quod fecit Chriſtus, fecêre, exemplo Chriſti, grandes animæ, quibus voluptas fuit opprobriis onerari: è multis unum producam, cujus meminit S. Dorotheus.

Is ab alio petulantiore graviſſimis conviciis laceſſitus, nec oculos avertit, nec animum: ſed attentiùs, & avidiùs excepit, quid diceret; tum etiam gratias egit, adjecitque benevolum iſtud:

Benedictum ſit, Frater, os tuum à Domino.

Debuiſſet oris illius impudentiam, & efferatum animum compeſcere, aut ſaltem mitigare mollis illa reſponſio: ſed exacerbavit magis: ſic enim ad illum:

Non tu improbe, & voraciſſime ſenex, hæc dicis, ut lauderis; cui ſenex permodeſtè:

Sanè, inquit, ita planiſſimè, mi frater, ſic res habet, ut dicis. Cætera dixêre demiſſi modeſtè oculi, & uberes præ gaudio lacrymæ, quibus ubi datum eſt ſatis; ex illo quæſivit è ſenioribus aliquis; An non his conviciis, & opprobriis commotus? Cui ille, *Minimè*, inquit, *nunquam in vita pacatior, & lætior*: adeò verum iſtud de illo, quod de Chriſto, Tertullianus, *Saginari voluptate patientiæ*; addo ego & ignominiæ, ab eo, *diſceſſurus volebat.*

Tranſeo ad ſextum ſigillum, fuit illud *ſumma derelictio Dei, in ſumma cum eo unione.* VI. Sigillum.

Unio porrò illa fuit triplex, & quidem ſumma. Prima, fuit naturæ, erat enim Chriſto, & Deo, eadem omninò atque individua natura cum Patre, quæ poteſt eſſe major unio? imò quæ unitas, quàm ea, quæ fuit naturæ, & eſſentiæ divinæ? quæ una erat in Patre, & Filio. Hinc illæ Chriſti voces: *Ego & Pater unum ſumus.* Non tantùm voluntatis concordia, (uti falsò volebant Ariani) ſed unum in eſſentia, & Deitate numero eadem.

Ioan. c. 10. v. 30.

Altera unio fuit ea, quàm Theologi appellant *Hypoſtaticam*; quâ factum eſt, ut natura divina, & humana in unam Divini Verbi Perſonam convenerint, amabili, & ſtupendo nexu; quò arctior nec eſſe, nec fingi poteſt.

Ex hac porrò unione hypoſtatica, ſecuta etiam altera, quæ fuit voluntatis per omnia conſenſio: cùm enim jam inde à primo inſtanti Incarnationis Anima Chriſti donata ſit *beatifica viſione*, & quod inde conſequens erat, etiam *amore beatifico*, ex hoc, & illa conſecuta eſt ſumma unio voluntatis Chriſti, etiam ut hominis, cum divina, ſummaque cum ea conſenſio: qui enim Deum ſic videt, clarè, & apertè ut eſt in ſe; quique eum ſummè ſic amat (uti Beati faciunt) nunquam poteſt à Deo diſſentire: idem velit, idem nolit, idem amet, idem oderit, eſt neceſſe. Et ita ut idem cum Deo Patre voluerit Chriſtus, idem & noluerit, idem amarit, idem oderit, eſt neceſſe.

Fuit ergò Chriſti, ſive ut Dei, ſive etiam ut Hominis, ſumma cum Æterno Patre unio: quî ergò cum ea ſtare potuit derelictio, & quidem etiam ſumma? Videtur enim horum inter ſe pugna.

Et certè erat, ſi intra naturæ jura, & legis ordinariæ limites res ea ſtetiſſet: ſed & hos, & illa exceſſit, etiam miraculo. Fuit enim Chriſtus & ſummè Æterno Patri unitus, & tamen etiam ſummè ab eo derelictus.

Teſtes volo, teſtes amo, & ſtupeo, propè ultimas illas ejuſdem voces, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* quod quî factũ ſit, paucis exponemus.

Non fuit hæc oratio deſperantis, ut impiè voluit Calvinus: ſed exponentis eum, qui animo ab acerba paſſione, & à morte jam imminente, incumbebat, dolorem: & cui quodammodo immerſus erat, & ei ab Æterno Patre derelictus.

Derelictus, inquam, non à Divinitate, non à perſona Verbi, & hypoſtatica cum illo unione (& hæc enim, & illa nunquam abfuerunt à natura humana Chriſti, nec anima, nec corpus, etiam mortuum, illis unquam deſtitutum) nec etiam derelictus à gratia, & ſingulari cum Deo amicitia, ut blaſphema voce blaterat Calvinus. Quid ergò? derelictus igitur, hoc eſt, tormentis & morti relictus, & vacuus omni ſolatio, omnique doloris immenſi levamine, quod tamen illi aliàs infundere potuiſſet amabilis Æterni Patris indulgentia.

Et hoc fuit prodigium divinæ in homines, etiam reos, caritatis, à filio, ſic Æterno Patri conjuncto, quodammodo longiùs abiiſſe, hoc eſt, omni ſolatio deſtituiſſe in illa dolorum incumbentium quaſi mole, cui ſuſtinendæ par non fuiſſet, niſi animam ſub eâ

fatiſcen-

fatiſcentem, & è corpore abiturientem, retinuiſſet, etiam miraculo, præpotens Dei manus.

VII Sigillum. Deſcendo ad ſeptimum ſigillum; fuit illud, *ſumma ſeveritas in ſummo amore Patris erga Filium*: addo & in *ſumma Filii innocentia*.

Multa tulit Antiquitas, eaque ſingularia paternæ ſeveritatis exempla in filios, qui aut Rempublicam læſiſſent, aut militarem diſciplinam contempſiſſent, aut pudorem violaſſent, aut alio aliquo ſcelere humanam ſocietatem diremiſſent. Ne multis chartam onerem in oculis eſt Titus Manlius, qui deinde audiit *Torquatus*; à torque, quem occiſo ad Anienionem Gallo, detraxerat.

Hujus filius, patrui roboris æmulus, in hoſtem ierat, & ab eo provocatus pugnarat omninò feliciter, eoque cæſo equeſtria ſpolia victor ad Patrem tulerat. Admitti poterat, & paternis oculis grata accidere & pugna, & victoria, & relata etiam ſpolia. At neque hæc, neque illa placuêre: vel ob id unum quod adverſus edictum ſuum, & rei militaris diſciplinam feciſſet; & ne quid ea deinceps pareretur, filium virgis cæſum ſecuri percuti juſſit. Et hoc ſeveritatis exemplum vidit, mirèque commendavit Antiquitas, vel eò maximè, quòd parentis in filium.

Aliud noſtra dedit ætas, & obſtupuit in Philippo II. Hiſpaniarum Rege, qui Carolum Principem, unicum tot tantorumque Regnorum hæredem; judicem induens & Patrem exuens, mori juſſit, ne quid Reſpublica caperet detrimenti. Quanta fuit illa ſeveritas, quæ in filium ſupremæ ſententiæ fulmen diſtrinxit? tanta certè, cui cedit, & Torquati, omnis Romana virtus.

At qualis qualis & hæc, & illa fuit; fuit Patris in Filium nocentem, ac reum. At quæ (in argumento, de quo agimus) eſt Æterni Patris in Filium ſeveritas, ea eſt in Filium innocentem, eumque, in quem nec culpa cecidit unquam, nec verò cadere etiam potuit, eum deinde, quem etiam ſummus amor, ſummaque pietas Patri junxerat quàm arctiſſimè, & tamen ut is ſit, in eum explicatur & feralis ſententia, & pœna longè graviſſima, atque etiam mors in ligno infami, per extrema ſupplicia exigitur.

Et hoc eſt Paternæ ſeveritatis prodigium, hoc miraculum caritatis, quod mortales omnes, (quorum gratia aperta ea eſt, ſeu amoris, ſeu doloris ſcena) in Chriſti patientis, ac morientis amorem rapere debet, atque abſorbere.

TRACTATUS DE TEMPORE BENE IMPENDENDO.

Ad illa verba: *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Ad Ephef. 5. v. 16.

APOSTOLUS, ceu optimus morum Magiſter, ut Epheſios, ſeu Diſcipulos, excitaret ad Chriſti, Servatoris ſui imitationem, & hoc quidem vitiorum omnium odio, fugâque: & magnarum virtutum amore, ſtudioque, duobus potiſſimùm uſus eſt argumentis.

Primum petiit à tempore, quod magno emi; imò ſi fortè perditum eſſet, redimi voluit.

Alterum à dierum diverſitate, & malignitate; *Redimentes tempus, quoniam*, inquit, *dies mali ſunt*, quâ loquendi formulâ apertè inſinuat, in hac aura mortali, quam reſpiramus, quoſdam dies eſſe bonos, quoſdam etiam malos, de quibus omnibus aliquas movebo Quæſtiones. Una erit de *Tempore*. Altera de *Diebus*, qui in eo, & cum eo volvuntur.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Redimentes tempus.* v. 16.

Quid ſit Tempus? quod ejus pretium? quæ jactura? quæve illius redemptio?

In lib. Phyſ. c. 11. ARiſtoteli, purioris Philoſophiæ ocello, *Tempus eſt numerus motus ſuperioris, & conſequentis*: hoc eſt, menſura motus ſecundùm partes priores, & poſteriores.

Dicitur autem *Menſura* duplici modo, ac via:

Primò, *Paſſiva, & intrinſeca*, in quantum menſurat motum, in quo ipſum eſt. Ita motus Solis per Zodiacum dicitur durare anno uno.

Secundò, *Activa, & extrinſeca*; in quantum menſurat cætera.

Quòd confirmari poteſt in quantitate permanente, quæ eſt menſura ſui ſubjecti, verbi gratiâ ligni, ferri in quo eſt, & ſimul etiam cæterorum.

Hæc temporis definitio data eſt per Proprietatem: non per eſſentiam: numerabilitas enim eſt illius proprietas, non autem eſſentia. Per eſſentiam eſſet iſta.

Tempus eſt duratio motus, tempus enim ex eſſentia ſua dicit durationem, & ſucceſſionem partium, ad quam per modum proprietatis ſequitur numerabilitas, & menſurabilitas. Et hinc diſtingui poteſt, ac debet *Tempus duplex*.

Unum eſt *Commune*, quod eſt duratio motus primi mobilis: & hunc vulgò intelligimus, nomine temporis, quia illo cætera metimur.

Alterum *Particulare*, eſt duratio cæterorum motuum, puta ambulationis, & ſimilium.

Et hæc dicta ſint ex arctioris Philoſophiæ regulis, & ſcholæ placitis: alia ſubjiciam, quæ ad mores faciunt, & liberioris diſciplinæ normam, ex quadam eloquentiæ licentia, ex qua tempus Pythagoræ dicitur *Anima cœli*, quia quod corpori eſt anima, hoc cœlo tempus, & motus ſine quo iners quodammodo cœlum.

Aliis tempus eſt veluti *pignus & arrha cœli*.

Aliis *Donum Dei*, & quidem maximum, omni torque, & gemmis ditius

Aliis *iter gloriæ*, quia per illud nobis viam facimus ad gloriam, ac beatitatem.

Aliis *ſemen immortalitatis*, ut enim ex ſemine pullulat ac germinat planta: ſic ex tempore probè impenſo naſcitur, & homini ſurgit immortalitas, & inde

Aliis tempus dicitur *Piorum gaza*, ex qua nummos eruunt emendis cœli poſſeſſionibus, & palatiis.

Aliis denique Tempus eſt *fiſcus, & pretium feliciſſimi gaudii*: quia ut pretio emuntur inferiora propè omnia? ſic & ſuperna gaudia tempore, veluti pacto pretio, comparantur: & hinc à ſapientibus appellatum eſt *Tempus ſumptuoſum impendium*, quod ſcilicet tantæ eſt dignitatis, tantique apud ſuperos pretii, ut cùm in eo momenta ſint propè infinita, unumquodque æternæ gloriæ pondus afferre queat.

Et hinc colligitur pretium temporis, quod ſcilicet auro, & gemmis præponderat; primò quia ſutum, & gemmæ ſi perdantur, recuperari poſſunt? at tempus ſemel elapſum nequaquam, ne cœleſti quidem, ac divina potentia.

Deinde auro, & gemmis, & unionibus ſuum eſt pretium: at *temporis nullum pretium eſt*, ut pulchrè Seneca, qui ſtomachans, graviusque ferens ntiantes, quibus ea vilis jactura eſt, in hunc modum exclamat: *Re omnium pretioſiſſima luditur*, & ita luditur, ut illius jactura etiam fiat; jactura, inquam, inæſtimabilis, quia irreparabilis: unde eodem teſte, ac judice Seneca, *Turpiſſima eſt jactura temporis*: & tamen ut turpiſſima ſit, mortalium plerique aut parùm, aut omninò nihili æſtimant. Ut enim ille ipſe Seneca (quo authore hîc utor) *Quem mihi dabis, qui aliquod tempori pretium ponat, qui diem æſtimet, qui intelligat ſe quotidie mori.*

De brevit. vita c. 8.

Epiſt. 1.

Ibidem.

Certè neminem propè dabis aut ſanè pauciſſimos. Et hinc alterum, & quidem ingens malum, quod expendit, explicatque ille ipſe Seneca; quod pleriſque mortalium *magna vitæ pars elabatur malè agentibus, maxima nihil agentibus: tota aliud agentibus*: aliud dico ab iis, quæ natura, ratio, Deusque requirit.

Ibidem.

Ne eodem, quo mortalium cæteri involvebantur vitio, teneretur etiam Lucilius Senecæ diſcipulus; ſic ad illum:

Vindica te tibi, & tempus, quod auferebatur, aut excidebat, collige, & ſerva. Addam ego cum Apoſtolo, etiam *redime*. At quomodo, inquit, & qua ratione redimendum? Ut illud ponatur in aperto, advertunt SS. Patres Tempus donatum ſingulari Dei beneficio ad beatæ vitæ præmia comparanda, à nobis ipſis quaſi venale exponi, atque à variis nobis eripi, malis utique mercatoribus, aut veluti nocturnis furibus.

Epiſt. 1.

Mundus Tempus emit auro, gemmis, honoribus, aliiſque vitæ brevioris commodis, quibus acquirendis dum vacamus impenſiùs, tempus vendimus.

Caro etiam Tempus emit, non alio pretio quàm voluptatum, & delitiarum, quas nobis ingerit, quibus dum plus æquo indulgemus, Tempus vendimus.

Dæmon ipſe, mercator utique peſſimus; etiam à nobis Tempus emit; cùm ad vitia, ad ſcelera incitat, & rapit: hunc ad iram impotentiorem; illum ad avaritiæ ſordes inclinat atque abjicit; alium in luxuriæ, venerisque luto mergit, & dum ita mergit, Tempus emit, quod nos ipſi dum iis ſuccumbimus, etiam vendimus.

Ecce mercatores peſſimi, quibus accedunt & alii, minùs quidem mali, mali tamen; videlicet ſomnus, quo profundiùs conſopimur; nugæ, quibus occupamur malè; cogitationes inutiles, quibus implicamur; aliaque ejuſmodi molimina, quibus dum tempus perdimus, illud vendimus. Ubi porrò ſic malè vendiderimus, redimendum eſſe monet, urgetque Apoſtolus. At quâ ratione, inquies? hic quæſtionis nodus erit ſolvendus, non meâ manu, ſed SS. Patrum, & Scripturæ ſacræ Interpretum calculo.

D. Anſelmo Tempus redimere, eſt vitæ anteactæ peccata deflere, & ſic probè pœnitere.

Aliis Tempus redimere eſt vitæ tempus, dies, & annos, qui aliàs, ſi quis peccaret, juſto Dei judicio erant detrahendi, quaſi bonis operibus redimere, implereque dies omnes ſibi ad vivendum à natura definitos.

Eſt illa divinæ juſtitiæ lex cœlo lata, ut peccantibus tempus illud, quod ſecundùm naturæ curſum exigere debuiſſent, propter peccata minuatur. Et ita viris ſanguinum, & doloſis minuuntur dies: ut enim Vates regius: *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.*

Pſal. 54.

D. Auguſtino Tempus redimere, eſt illud negotiis ſæcularibus detrahere, & concedere opportunæ quieti, & ſecum, & cum Deo.

Quando, inquit, *aliquis tibi infert litem, perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus: id enim quod perdis, pretium eſt temporis: ſicut enim das nummos & panem emis, itaque aliquid amittis, & aliquid acquiris; ſic perde nummos, ut emas tibi quietem, id eſt tempus vacandi Deo, hoc eſt enim tempus redimere.*

Serm. 14. de verb. Apoſt.

Utitur hic S. Doctor duplici ſimilitudine, ut rem illam, qua de agitur, quaſi oculis ac ſenſibus ſupponat.

Prima, Lis tibi eſt, ut eam redimas, aliquid perdis, & ſic redemi litem.

Secunda, das nummos, & panem emis, ſicque acquiris aliquid, & aliquid amittis: ex quo deinde conficit, ut tempus redimas aliquid perdendum tibi.

Quid eſt (inquit alio loco ille ipſe Auguſtinus) *quid eſt redimere tempus, niſi cùm opus eſt, etiam detrimento temporalium commodorum ad æterna quærenda, & capeſſenda, ſpatia temporis comparare.*

Hom. 1. inter 50.

Natura vocat ad ſomnum, vocat & corpuſculi cura: ſubtrahe illi aliquid, & da orationi, da examini conſcientiæ, & tempus redemiſti.

Aura ſerenior invitat ad ambulandum, detrahe ambulationi aliquid, & da Veſperis audiendis, aut Concioni, & tempus redemiſti.

Vocatio tua, & vitæ ſtatus in quo es te ducit ad officinam, ad diſtrahendas per diem merces, ad commercium ultrò citroque: ſubtrahe mediam horulam, ut ſacrum audias, & tempus redemiſti.

Fortuna tibi ſenſus annuos dedit, & arcas tuas auro, argentove replevit: ex illis aliquid erue quod pauperi dones, & tempus redemiſti.

Denique (ut generatim complectar omnia) Temporale aliquid amitte, ut æterna acquiras, & tempus redemiſti.

D. Hieronymus non minùs ingenioſè quàm piè eum Apoſtoli locum explicat, atque exponit. Cenſet enim tempus, cùm à Deo hominibus datum ſit, ut bonis operibus ſerviat, ab eiſdem quaſi captivum teneri, cùm in malis operibus inſumitur, ideoque per bona opera redimendum, atque ex captivitate diuturna in libertatem quodammodo vindicandum. Sic enim inquit:

Quando tempus in bono conſumimus, emimus illud, & proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat: ſicq; dies malos in bonos vertimus, & facimus illos, non præſentis ſæculi, ſed futuri.

Itaque D. Hieronymo Interprete, Tempus redimere, eſt à malis operibus ad bona opera quodammodo transferre: eſt facere, ut futuro ſæculo, hoc eſt æternitati ſerviat, non præſenti, fluxo, ac tandem perituro: eſt quaſi rurſum emere id quod erat venditum.

Oecumenio tempus redimere, eſt tempus emere, & emendo ſuum facere: idem enim hîc putat emere, & redimere: ſic redemptores vectigalium, dicuntur etiam emptores. Favet huic explicationi vox Græca ἐξαγοραζόμενοι, quod idem eſt ac mercantes, ementes tempus, Græcè καιρὸν, quod idem eſt ac *tempus*, id eſt occaſio, atque opportunitas ſcilicet mercandi, & lucra noſtra agendi.

Sicut in nundinis, mercatoribus eſt occaſio emendi aliena, & vendendi ſua: ſic & nobis: ut enim appoſitè S. Gregorius Nazianzenus:

Vita noſtra eſt quaſi mercatus, cujus dies cùm abierit, tempus amplius non erit emendi quæ velis; dum ergo eſt, eme ſi ſapis, & tuum fac eſſe tempus, fac eſſe & æternitatis.

Rationem ſi voles, hanc adjicit Apoſtolus. *Quoniam dies mali ſunt*: ut porrò in luce ſit qui illi dies, ſit

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Quoniam dies mali ſunt.* verſ. 16.

Qui ſint illi dies mali?

Dies mali : I. Dies vacui. PUſillo mortali dies vitæ alii ſunt, atque alii. Quidam ſunt inanes, & vacui, ii nimirùm, qui bonis operibus, ac meritis vacui ſunt, qui cœlo, Deoque non conceduntur. Hos Scriptura, & Divi Patres non reputant in dierum ſuorum numero.

1. Reg. c. 13. De Saüle eſt illud ſcripturæ pronuntiatum. *Duobus annis regnavit ſuper Iſrael.* Si ex vitæ ſolisque curſu Saulis regnum æſtimare, ac metiri velis, viginti regnavit annis: at ſi ex virtute, & merito, duobus tantùm.

Annoſus & pius ſenex Balaam, etſi ſeptuaginta annis major eſſet, rogatus tamen à Principe Joſaphat, quot annorum eſſet, reſpondit, quinque ſupra quadraginta.

Hos nimirum Religioni, Deoque dederat, alios non: ideoque ſolos illos in annorum ſuorum numero computat, non alios: quia hi virtute, ac meritis vacui; adeoque etiam mali, nec in numero dierum noſtrorum computandi: cujus probè conſcius ſub Adriano Imperatore Aulicus primæ nobilitatis, cum in aulæ curis, ac negotiis vitam propè omnem conſumpſiſſet, ſeptem annis ante mortem illis ſeſe ſubduxit; tum etiam ſepulchro ſuo hæc inſcribi voluit capitalibus litteris:

Cabus l. 11. c. 8. *Hic jacet ſimilis, qui obiit ætate grandis, ac ſenex, etſi tantum vixiſſet annis ſeptem.*

Nimirum annos omnes, quos aulæ dederat, ac mundo, recenſendos ſibi non putavit: ſed tantum extremos illos ſeptem: quos ſibi dederat: alios periiſſe omnino credidit: quia aliis malè commodarat. ſed inſtitutum proſequamur: inter dies malos

II. Dies Anonymi. Alii ſunt dies Anonymi, qui nec in faſtis, nec in tota quanta eſt æternitate, nomen invenient.

Is fuit dies, quo caſtiſſimam Joſephi mentem tentavit Domina, & in thalami conſortium vocavit petulanti illa voce, *Dormi mecum.*

Gen. c. 39. v. 11. Dies, inquam, fuit *Anonyma*, de qua proinde dum loquitur Scriptura, ſic facinus, & diem exprimit. *Accidit autem die quadam.* Quæ porrò illa, non dicit: unum illud objicit *die quadam.* ne ulteriùs quære: dies eſt Anonyma, cui in toto ſolis æviterni curſu non erit nomen: hoc enim ſonat illud *Die quadam*, in

Cap. 3. v. 6. quam cadit & iſtud Iobi pronuntiatum. *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus.* Et certè qui computaretur in diebus, cùm ſit anonymus, adeoque etiam malus; qui proinde non debet inter dies recenſeri; quam in rem appoſitè Euſebius

Hom. 9. ad ſui ævi monachos. *Illum diem vixiſſe te computa, quem non malitia, non invidia, non ſuperbia commaculavit, qui peccare non ceſſit, qui diabolo repugnavit.* Quem autem vel malitia, vel invidia, vel ſuperbia, vel aliud quodvis ſcelus infecerit, illum ne computa, ne recenſe inter vitæ tuæ dies; non enim is eſt, qui inter

III. Dies caliginis. eos inveniri debeat, aut poſſit.

Propheta Iobus licèt patientiæ miraculum, hæc olim jactavit in diem ſibi natalem. *Dies ille vertatur*

Iob c. 3. v. 4. *in tenebras, non requirat eum Deus deſuper, & non illuſtretur lumine.*

At cur, inquies, hæc in illum diem? ex eo certè quod è primo vitæ carcere emiſiſſet in eam ærumnarum, ac dolorum metam.

Si hæc in illum conjecit Propheta, quid in illum, qui *concepit dolorem, & peperit iniquitatem?* Certè ſi ab aliqua calamitate, corporiſque pœna inculatur, & damnatur quodammodo natura, eique perit illa dies; quomodo incuſari, damnari, & perire debet iſta, cujus fœtus eſt vel unica peccati labes? eò ſanè perire, ut *obſcurent eum tenebræ, & umbra mortis, ut occupet* Iob ſuprà.
eum caligo, & involvatur amaritudine. Et hoc quia dies peccati, dies malus; dico ampliùs quia *Dies mali Dæmonis.* VI. Dies mali dæmonis.

Talis fuit dies, quæ caſtos Ioſephi oculos, animumque vidit, probavit, tentavit; dies, inquam, illa fuit mali dæmonis, de qua ſic D. Baſilius Seleucienſis: *Mulieris inſidias adjuvans diabolus, ſolitudinem hominum per dæmonis feſtivitatem invenit; accidit autem die quadam.* Orat. 8.

Erant in Ægypto dies aliqui malo dæmoni devoti, ii ſcilicet, qui idolis feſtivi, & impio ritu coli ſoliti, ad eos confluebat Ægyptus omnis, hinc in plateis, atque ædibus minor frequentia, & propè ſolitudo. Hanc ſuo ſceleri, ac libidini ſervire poſſe credidit impura mulier, diem ab arbitris vacuam, diem cacodæmoni mancipatam; adeoque etiam malam, quia dies tentationis, & hic etiam malus eſt.

Inter impios Ioviniani errores etiam hic fuit; V.
Chriſtianos, qui baptiſati ſunt nullo modò à diabolo Dies tentationis.
tentari poſſe. Hanc dementis animi deliratione refutavit D. Hieronymus, hanc ratio, hanc & natura refutat: quotquot enim naſcimur, naſcimur ad luctam, ad tentationem, ad militiam, ut divinæ canunt tubæ, ut ipſe Jobus multarum palmarum, & coronarum pugil. *Militia eſt*, inquit, *vita hominis* Cap. 7.
ſuper terram, vel ut alii *Tentatio.* Tentatio dico à mundo, à carne, hoſte domeſtico, à dæmone.

A mundo quidem, de quo ſic Ambroſius: *Quid eſt* In Genef.
mundus, niſi quidam agon? Vult mundum eſſe Circum Agonalem, palæſtram, pulverem olympicum, arenam multo cruore purpuraſcentem: & verò ea eſt, in quam dum naſcimur venimus, & vix lucem videmus, cùm videmus & hoſtem: imò hoſtem gerimus, & nos ipſi nobis hoſtis ſumus, cùm carnem induimus, carnem geſtamus, quæ & ipſa hoſtis eſt, & quidem eò periculoſior, quò mollior; dum enim blanditur, ferit, & *blando ferit iſta corda morſu*; & Serm. 5 in
hinc ut advertit monuitque opportunè S. Leo. *Plena* Quadrag.
omnia periculis, plena laqueis, invitant enim cupiditates, inſidiantur illecebræ, & hæ, & illæ ſunt à carne, ceu domeſtico hoſte; cui accedit, & vires ſuas jungit dæmon, ceu infamis pirata.

Jobo tentationibus exercito hæc vita non tantùm Cap. 7.
militia dicitur; ſed & *piraterium*: ſic enim illius verba, *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, ſic inquam, duo clariſſimi Pontifices, Ambroſius Mediolanenſis, & Maximus, Taurinenſis vertunt. *Piraterium eſt vita hominis ſuper terram.*

Hoc vitæ humanæ curriculum dici *piraterium* volunt, *quòd in hac vita circa homines diabolus tanquam pirata deſæviat; piraterium enim habitaculum piratarum eſt*; & mundus, ceu mare magnum, dæmonum, ceu piratarum eſt habitaculum: in quo proinde nunquam jactari potes ſine periculo, ſine metu, etſi tibi ſubinde ſerenum eſſe videatur. *In ſereno tempeſtas*, ut aiunt ſapientes, quibus proinde in oculis, in manibus eſt grande illud Tertulliani elogium: *Fides navi-* De Idol.
gat tuta, ſi cauta: ſecura, ſi attonita. cult.

Ut porrò ſic naviget, audiat & illud Pauli oraculum, & monitum. *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Audiat, inquam, & obaudiat; & ſi fortè tempus ipſum, hoſtibus ſuis, mundo, carni, dæmoni, ceu malis mercatoribus, vendiderit, illicò redimere ſtagat, hoc eſt præterita damna fervore reſarcire: & tantum uno die acquirere ſpiritalis lucri, quantum aliàs tribus: hoc enim D. Gregorio interprete eſt *Tempus redimere. Quia ſe erraſſe à Deo conſiderant, damna præterita lucris ſequentibus compenſant*, inquiebat S. Pontifex.

Et ita compenſare ſolent magnæ in terris animæ. Ita compenſavit Propheta Jonas, ut rectè notavit D. Hiero-

D. Hieronymus. Is ut declinaret onus concionandi ad Ninivitas, fugit à facie Domini, & mare conſcendit: ſed fugientem ſequitur à tergo Deus, ventos excitat, maria commovet, tempeſtatem ciet, & immanem quidem. Quid deinde? miſſa ſorte illius author deprehenditur Jonas, in mare dejicitur, abſorbetur à Ceto, evomitur deinde in littus, jubeturque ire in Ninive. Erat autem (ut ſcriptura
Jon. c. 3. v. 3. ſcitè notavit) *Ninive itinere trium dierum*, quod tamen Jonas unius diei itinere confecit. Ut enim ingenioſè, doctéque advertit D. Hieronymus: *Ille præcepti & ſuperioris naufragii memor, viam trium dierum, unius diei feſtinatione complevit.*

Quod Jonas, hoc & nos. Si fortè cum illo fugimus à facie Domini, ſi mandatis illius non paruimus, ſi ab inobedientia, & peccato naufragium fecimus, & præcepti, & naufragii probè memores compenſare ſtudeamus, & inſigni animi contentione, niſuque tantum uno die virtutis, & meriti acquiramus, quantum aliàs tribus; ſic & ipſi *tempus redimemus*.

Luc. c. 7. v. 37. Et ita redimere viſa quoque eſt S. Maria Magdalena. *Erat illa mulier in Civitate peccatrix.*

In Civitate dicta, de qua dixerat Propheta: *Quomodo facta eſt meretrix Civitas fidelis Sion. In Civitate perfidiæ ſepta muris, ſuperbiæ turribus communita, diſtincta iniquitatum plateis, obſerata contradictionum portis, depicta doli fucis, indurata ſilicibus uſurarum, negotiorum doloribus aggravata, infamata lupanaribus, id eſt idolorum templis.*

Serm. 39. *In Civitate*, ex qua, ut ait D. Chryſologus, *mulier hæc graviſſimum trahebat reatum ex tanta præcedentium colluvie peccatorum.*

Erat, inquam *mulier peccatrix: quia fama ſua, famam totius tetigerat Civitatis; ſicq; non jam peccatrix ſolùm; ſed ipſius Civitatis facta fuerat ipſa peccatum.*

Vidiſti damna, Amice Lector, vide & lucra. Ut cognovit, quod accubuiſſet JESUS in domo Phariſæi *venit mulier ignota; imò malè nota: onuſta luctibus, plena lacrymis, clamoſa planctu, venit ſatisfactura Deo, non homini placitura: pietatis, non voluptatis exhibitura convivium. Utq; exhibeat, pœnitentia ponit menſam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in menſura, & ad delitias Deitatis totas, totam pulſat cordis ſui, & corporis ſimphoniam. Organi planctibus dat clamorem, cytharam per ſuſpiria longa modulatur, gemitus aptat in fiſtulam, & dum pectus, ipſam conſcientiam arguens, ſæpe percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare.*

Ecce lucra pœnitentis Magdalenæ, venit illa ad JESUM, & *venit retro, quia reus animus poſt tergum ſtat ad veniam, quia per culpam novit ſe vultus fiduciam perdidiſſe. portavit oleum, quia medicinam lethali vulneri à ſuperno medico perquirebat:*

Stetit retro, quia jam cadere non poterat, qua ad pedes Chriſti meruerat pervenire. Lacrymis pedes rigavit, ut rigaret cœlum, terram dilueret, extingueret gehennam.

Capillis terſit, ut *verticem capilli, ex quo ambulaverat in delictis ſuis, in ſanctitatem tali verteret ſervitute.*

Oſculata eſt pedes ejus, ut *quia præceſſerant lacrymæ oſcula devota ſequerentur, quia lacrymæ ſatisfactionis ſunt documenta, oſcula ſunt reconciliationis indicia:* imò & amoris, propter quem & illud à Salvatore audit. *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Ecce ingentia pœnitentis animæ lucra, in quorum partem
Serm. 94. ſi venire cupimus; *Si nos eſſe peccatores novimus, & eſſe nolimus peccatores, pedibus Chriſti demus lacrymas, ſpargamus capillos, figamus oſcula, pietatis oleum tota devotione fundamus, ut dicatur & nobis*, quod olim & illi. *Dimittuntur vobis peccata multa, quia dilexiſtis multum.*

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Quia dies mali ſunt.*

Si mali, qui è contrario boni?

HActenus vidimus qui cœli calculo ſint dies mali, videamus qui eodem etiam boni: fatendum enim & his, & illis conſtare vitam noſtram: benè habet ſi plures boni, quàm mali; optimè ſi boni omnes.

Antiquis id fuit in more poſitum, ut dies diſtinguerent lapillis: ſi fuerant illi benè ominati, ſi fortunati notabant albo lapillo: contra, ſi malè ominati, & infauſti nigro lapillo ſignabant: tum in extremo brevioris ævi limine lapillos numerabant: ſi plures eſſent albi, felicem pronuntiabant; ſi plures nigri, infelicem.

At illa, ſeu felicitas, ſeu infelicitas petebatur ex bonis, aut malis vitæ hujus mortalis, ex fortuna, Dies boni qui ſint?
ut aiebant, bona vel mala. Non ſic nobis, qui Chriſtiani dicimur, & ſumus. Omnis enim dierum bonitas, aut malitia petitur à virtute, aut vitio, à merito, aut demerito: verbo uno, cœli calculo, non mundi: ab æternitate, non à tempore, & ſolis curſu tam hæc, quàm illa eſt ſupputanda.

Igitur ut ad rem propiùs accedamus, inquirendum hîc qui ſint illi dies boni?

Prophetæ Jobo, Viro in paucis ſapienti, & cum 1.
mala, cum bona fortuna compoſito, Dies boni ſunt Dies mercenarii.
dies Mercenarii.

Sicut mercenarii, inquiebat, *dies ejus.*

Hic mundus, quantus quantus eſt, eſt illi veluti grandis quædam officina, in qua homines operarii, conductor Deus, & pretio conducti mortales omnes, pretium autem bona, vel mala æternitas. Ut illa nobis obveniat, ut hæc à capitibus noſtris avertatur, faciamus ut dies nobis ſint, qui ſunt bonis mercenariis

Mercenarius ſi modò is, qui eſſe debet, dies omnes ſuos permagni æſtimat, & hoc ratione lucri, ac proventus, quem iis acquirit; unde & ſe, & familiam omnem ſuam fovet, ac ſuſtentat.

Et Chriſtianus, ceu mercenarius, dies omnes ſuos probè computet, æſtimet, & in primis curis, atque amoribus habeat, & hoc ex cauſa lucri, quod facit, & quo ſe ditare poteſt, ac beare æternos in annos:

Iactavit Antiquitas illud Titi Imperatoris, qui ſub cœnæ tempus, cum memor eſſet ſe nemini eò die feciſſe benè, amicam illam, auream, omnique memoria dignam edebat vocem: *Amici, diem perdidi.* Rebatur ille ſe diem perdidiſſe, ſi cui non feciſſet benè, ſi neminem in terris eo die feciſſet amicum.

Amicos ille ſibi parabat in terris, nos in cœlis, quod ſi vel una dies abeat, in qua amicum nobis non fecerimus è Cœlitibus unum, diem enimverò perdidimus.

Venditavit ætas avita etiam illud *Apellis*, *Hodie lineam non duxi*: cùm fortè propter domeſticas curas, aut importunas amicorum ſalutationes, adeò ab officina, & tabella fuiſſet abſtractus, ut lineam non duxiſſet, diem illum ſibi periiſſe credebat; & ne periret omnino, ab amicis, & curis ſeſe expediebat, vel unica tantùm vocula: *Hodie lineam non duxi.* Hinc in vulgus abiit illa paræmia. *Nulla dies abeat, quin linea ducta ſuperſit.*

Pingebat Apelles tempori, nos æternitati: pingebat fallacibus ſeu hominum, ſeu avium ocellis: nos perſpicaci divinæ mentis oculo pingimus. Pingebat ille in leni tabella, colore labili, & fluxo, rudi, & indocto penicillo, operamque omnem perituro tandem operi credebat: Nos alia tabella ludimus,

alium

alium ducimus colorem, & penicillum. Vita nobis eſt tabella; color virtus, aut vitium; penicillus eſt ipſa mens, cogitatio, volitio; eo colore vitam omnem imbuamus, qui longæ perſtet æternitati, & ſic erunt ſicut mercenarii dies noſtri.

Mercenarius ſi fortè incidat in Dominum avarum, & ſordidè tenacem, qui è menſe diem unum, è die horam unam omittat, nec pretio, uti debuit, addicat, dolet, ingemiſcit, queritur; & meritò, quia non ſine injuria, atque injuſtitia detrahitur aut dies unus, aut hora vel unica: quia tam hæc, quàm ille datus eſt labori, adeóque & lucro: quod ſi ſubtrahas, injuriam mercenario facis, qui tam in hac, quàm in illo impigrè laboravit.

Quod mercenario, hoc & tibi, Amice Lector: dole, ingemiſce, conquerere, ſi tibi vel à mundo, vel à carne, vel à dæmone, vel ab hujus præſtigiis, illius blanditiis, iſtius curis detractus ſit vel unus vitæ dies, imò vel una hora: quâ ſcilicet tibi debita Cœli merces, ac ſtipendium poterat comparari: ut enim ſcitè D. Ambroſius,

Lib. 9. Epiſt. 25. *Non exiguum detrimentum eſt vel hora unius. Et una hora totius vitæ portio eſt*, & quidem pretioſa.

II. Dies pretioſi. Inter dies, qui juſtis ſurgunt, atque injuſtis plurimū intereſt: his enim dies omnes nullius ſunt pretii, nullius valoris, & apud Superos nihili æſtimantur.

Teſtem volo, teſtem appello Davidem, qui, ſi ullus, æquus eſſe poteſt cenſor, ac judex. Quid ille?

Pſal. 89. *Cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt.*

Vita impiorum ut longæva ſit, eſt quaſi vigilia noctis unius, & anni eorum quaſi nihilum. Etſi enim ſubinde fallax mundus eos in numerum redigat, eos computet, & magni faciat; at in cœli calculo, in cœli Kalendario, pro nihilo habentur, & quaſi nunquam fuiſſent.

Non ſic juſtorum: horum enim anni, dies, & horæ ſuum apud ſuperos numerum, ſuum habent & pondus, & immenſum quidem: tantùm ſcilicet quantum cœlum ipſum, quantum beata æternitas; quantum & Deus ipſe, qui juſti, id eſt boni mercenarii, merces eſt, ac veluti diurni laboris, id eſt vitæ, pretium; quod in divinis tabulis ſcriptum eſt atque

Pſal 36. repoſitum. *Novit enim Dominus dies immaculatorum.*

III. Dies apud Deum nominati. Antiqui dies omnes à Planetis nominandos eſſe cenſuerunt. Primus dies *Solis*, qui nobis Dominicus. Secundus *Lunæ*. Tertius *Martis*. Quartus *Mercurii*. Quintus *Iovis*. Sextus *Veneris*. Septimus *Saturni*, qui nobis Sabbathum dicitur.

Meliore ſorte, modóque à Deo nominati *dies immaculatorum*; à virtute, rebuſque benè geſtis.

Ita nominati dies Adami, Abelis, Sethi, Abrahami, Iſaaci, Jacobi: at verò Caini, Lamechi, Iſmaelis, Eſau, Abſalonis, & impiorum anni dieſque minimè ſupputati ſunt, quia apud Deum, & Superos innominati, & pro nihilo habiti.

IV. Dies à Deo probati, & amati. At *dies immaculatorum*, dies juſtorum & anni recenſiti in ipſo Dei Kalendario, Kalendario æternitatis, & hoc quia à Deo probati atque amati. Apud Deum quippe noſſe, videre dies, eſt eos probare, atque amare. *Cognitio* enim *Dei*, eſt *approbatio*; eſt *dignatio*, ut annotat Ambroſius. Eſt *& amor*, ut advertit Cyrillus.

Cap. 1. v. 7. *Bonus Dominus*, inquiebat Propheta Nahum, *& confortans in die tribulationis, & ſciens ſperantes in ſe. Sciens*, id eſt approbans, atque amans. Ita ſcivit, atque approbavit, amavitque *dies immaculatorum*, &

V. Dies pleni. hoc quia *Dies pleni*, tales ſunt dies juſtorum, de quibus Propheta Regius: *Dies pleni invenientur in eis.* Sunt autem pleni duplici modo, ac ratione.

Primò, quia non ſunt *decurtati*. Eſt homini cuilibet à Deo authore naturæ deſcriptus, ac definitus dierum, annorumque terminus, quem attingent niſi juſto Dei judicio propter iniquitates detrahantur, qui aliàs fuiſſent omninò concedendi.

Et ita detracti Viris ſanguinum, ac doloſis, propter effuſum injuſtè ſanguinem, & malos dolos: Ita detrahendi etiam erant Ezechiæ Regi, niſi gemitibus, ac lacrymis vindicem Deum ad miſericordiam inflexiſſet: cùm enim ab Iſaia audiſſet illud cœli decretum. *Diſpone domui tuæ: quia morieris tu, & non* Cap 38. v. 1. *vives. Convertit faciem ſuam ad parietem, & oravit ad Dominum. Oravit*, atque etiam exoravit, & hæc ad facti memoriam ad poſteros ſcripſit,

Ego dixi: in dimidio dierum meorum vadam ad portas in- verſ. 10. *ferni. In dimidio* ait, *dierum*, quia ei dierum pars media fuerat decidenda, niſi culpas omnes effuſis lacrymis eluiſſet: tum enim audit & illud Dei miſerentis. *Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas* verſ. 5. *tuas: ecce adjiciam ſuper dies tuos quindecim annos.* Hæc nimirum fuit indulgentis Dei miſeratio, quæ etiam ſupra dies vitæ jam conſtitutos, etiam quindecim annos adjecit; ut non excederet Ezechias niſi *plenus dierum*. Et ita excedunt juſti omnes, *pleni dierum*, hoc eſt expleto omni vitæ curriculo. Et hic primus cœlo propitio favor, cui comes & alius, quod *pleni dierum*, id eſt bonorum operum ac meritorum excedant. Et ita exceſſit Abraham de quo illud ſacræ paginæ: *Deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, & plenus dierū.* Gen. 5. 25.

Quid autem ſit illud *plenus dierum*, exponit paucis D. Gregorius, cùm ſic de Abrahamo, de quolibet juſto dicit. *Plenus dierum moritur, qui per hæc tranſeuntia* In Pſal. 72. *tempora, quod non tranſit operatur.*

V. Dies Æternitatis. Et hinc mihi in manus datur *dies* alius etiam *plenus*. dies, inquam, æternitatis, de quo illud Davidis ad Dominum. *Notum fac Domine finem meum, & numerum dierum meorum; qui eſt.*

Quem in locum ſic more ſuo, id eſt ingenioſè, & elatè D. Auguſtinus. *Numerum qui eſt. quid ergo?* In Pſal. 38. *Iſte numerus, in quo tu es, non eſt? planè ſi attendam benè, non eſt. Si hæream, quaſi eſt. Si tranſiliam, non eſt. Quæro numerum dierum, qui eſt; non iſtum, qui non eſt. Eſt illud ſimplex quæro, eſt germanum quæro, eſt quod eſt in illa Ieruſalem, Sponſa Domini mei, ubi non erit mors, non erit defectus, non erit dies tranſiens ſed manens. Hunc, inquam, numerum dierum meorum, qui eſt, notum mihi fac, ut ſciam quid deſit mihi. Hoc enim mihi deeſt hic laboranti, & quamdiu mihi deeſt, non me dico perfectum.*

Ut aliquando ſimus perfecti, cum Propheta Regio, & cum Auguſtino quæramus & ipſi *numerum dierum qui eſt*. Numerus dierum hujus ævi, ac vitæ mortalis, non eſt. Numerus dierum peccati non eſt: ſuus uni virtuti numerus, ſuus beatæ æternitati, hunc quæramus impenſiùs. Certè qui eum aſſequetur, etſi paucis diebus vixerit, ſatis vixit; qui non aſſequetur, etſi diutiſſimè vixerit, parum vixit, & *puer centum annorum morietur.* Iſa. c. 65.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad eadem verba: *Quia dies mali ſunt.*

Quæ ratio ſervanda, ut dies vitæ noſtræ aliàs mali, boni ſint?

ALiquas jam attigi, & in quæſtionibus ſupra allatis hinc inde ſparſi; pauculas hic ſubjungere eſt animus. Una petetur ex fine, quem Deus Opt. Max. quem & natura, & ratio tempori præfixit, & quam paucis inſinuavit D. Bernardus; qui ſic aliquando: *Tempus hoc animabus, non corporibus eſt* Declam. *aſſignatum: ſalutis utique; non voluptatis: omnia tempus* Ecce nos *habent, nunc animabus operam dare eſt neceſſe.* reliquimus.

Duo ſunt in homine, inquiebat D. Auguſtinus, *Corpus*, & *Anima*: vile illud, pretioſa hæc, cui proinde providendum vel maximè:

Invenio, inquit, *me habere corpus, & animam. Unum quod regam, aliud quo regar; corpus ſervire, animam im-*

perare. Et quia hæc imperare; huic utpote Domino providendum potius, quam corpori, quod illius ſervus eſt, ac velut mancipium. Providetur autem ſi tempus à Deo datum impendatur probè.

Et hæc prima ratio, cui affinis eſt altera, quod præſentis vitæ tempus quantum quantum eſt illud, ſit à nobis datum veluti commodatò, uti & ipſa vita noſtra, quam Deo reddere tenebimur, quoties, & quando illam exegerit; quod ſi vitam, certè, & illius tempus omne: quod proinde & Deo reddendum, ejusque gloriæ, atque obſequiis impendendum.

Senecam audi profanum licet, ac gentilem: Quiſquis, inquit, eſt ſapiens, is ſibi perſuadet, quod eſt in reipſa: omnia quæ habet, commodato tenere; imò & corpus ipſum, & animam. *Se*, inquit, *inter precaria numerat, vivit ut commodatus ſibi*, & ita quidem ut nullum temporis ſpatium huic commodato præfixum ſit, nullus poſitus limes, ſed continuo pendens à nutu illius, qui commodavit. *Non tali conditione accepiſti, quaſi tempora tibi certa ſint*, inquit Auguſtinus, ſed incerta potius, atque à divino nutu pendentia, ideoque *quando voluero, & cùm dixero, migra, paratus eſto.*

De Tranq. c. 1.

In Pſ. 148.

Quod ſi paratus ſis, dies omnes, qui aliàs mali, boni fient: utque fiant attende & illud, quod aliquando D. Chryſoſtomus & cenſuit, & ſcripſit. Is de vita hac mortali, deque illius diebus omnibus, dicere ſolitus, quod de equo, bove, alióve jumento, quod ab alio commodato accepimus, *hodie, aut cras tollendus eſt à me, quia non eſt meus.* Et quia non eſt meus, ſed datus dumtaxat ad uſum; ſupereſt, ut illo utamur dum licet, & quidem quàm optimè. Quod de equo, hoc & de vita, hoc & dierum omnium curſu. Non eſt ille meus, ſed hodie, aut cras tollendus à me: ideóque eo utendum probè ad ſalutem, ad æternitatem; & hoc dum adhuc fluit, ſeriùs enim cùm effluxerit.

Tom. 2.

D. Birgitta aliquot annis poſt fælicem obitum ſeſe ſpectandam dedit nepoti ſuo, filio Caroli quondam filii, cui & Caroli nomen. Tenebat hæc Diva clepſidram in manu, in qua arenulæ propè omnes effluxerant, pauculum, quod reſtabat, ei oſtendit, tum etiam illi: *Carole*, inquit, *en tibi pauculum quod supereſt vitæ*, cùm effluxerit illud, abeundum illico de vita: ea tibi longior fuiſſet, ſi dato tempore benè ſcivíſſes uti, ſi Deo dediſſes, & ſaluti: ſed quia ſecus omnino feciſti, excedendum eſt è vitæ ſtatione cùm exceſſerint paucæ arenulæ: cumque ille ſupplex rogaſſet, Deum pro ſe oraret, proque longiore vita. *Serius eſt*, inquit, *illa; jacta eſt alea; abeundum eſt.* Dixit, & videri illico deſiit: nec multo poſt è vivis exceſſit Carolus, ex cujus præpropera morte diſces tempus omne ritè impendere, ut dies omnes tibi boni ſint.

TRACTATUS
DE NON JUDICANDO,
MULTOQUE MAGIS
NON CONDEMNANDO PROXIMO.

ARGUMENTUM hujuſce Tractatus ſumam ex Divi Lucæ capite ſexto; in quo Chriſtus, ceu Eccleſiaſtes optimus, concionem habet ad populum frequentem. Et in ea

Primò commendat *Miſericordiam*, & quidem ſupparem illi, quam in miſeros mortales exercet Æternus Pater.

Deinde prohibet *Judicium*, quod ſcilicet aut præceps eſt, aut temerarium.

Tum etiam injuriam (ſi quæ fortè illata eſt) dimitti vult: ſiquidem eam, quam ipſi Deo aliquando intulimus, dimitti nobis velimus.

Denique liberales nos eſſe vult, & in pauperes piè prodigos, ſi Deum in nos liberalem, & divinè prodigum experiri velimus.

Et hoc, Evangelicæ illius concionis eſt compendium: de quo ſit

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* Lucæ c. 6. v. 37.

An ergo qui fratrem non judicat, non condemnat in terris, non ſit ipſe à Domino judicandus, nec condemnandus in Cœlis?

§. I.

Ponuntur rationes, & confirmantur exemplis.

AB originali culpa, & depravata inde natura, neſcio quæ hominis ingenium invaſit prurigo alios perperam judicandi, indeque etiam condemnandi, & quidem ſæpè ſæpius temerè, ac falsò: cui vitio ut medelam faceret Chriſtus, ceu Medicorum optimus, hoc præſcripſit antidotum:

Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Quæ ratio?

I. Ratio. Primam effert Apoſtolus, quia dum alium quis judicat, ac condemnat, ſeſe in alterius, id eſt Domini, ac ſupremi Judicis officium ingerit. Sic ingeſsêre ſe Judæi, qui Gentiles vel ex eo damnabant, quòd cibis ab antiqua lege prohibitis veſcerentur; ad quos proinde ſic Paulus: *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.*

Ad Roman. c. 14. v. 4.

Si ſtat Domino, ab illo utique abſolvendus: ſi cadit, etiam ab eodem judicandus, atque damnandus. Et hæc prima ratio cur illud ad nos Dominus:

Nolite judicare, nolite condemnare.

Frater *Alexius à Vigeblano*, vir aliàs probatæ virtutis; ſed ad alios judicandos, & corripiendos pronior, cùm Deum aliquando rogaret impenſiùs, ut de ſua ſalute certior fieret, Chriſtum ſibi proximè aſtantem vidit; ſed vultu ſubirato, tum ex illo audiit etiam durum illud, atque inopinatum: *Tune, Alexi, inter ſervos meos recenſeri poſtulas, qui quod meum eſt, tibi uſurpas, cæteroſq; judicas, & damnas: Si meos inter ſervos numerari velis, cave ne quenquam judices, aut damnes.* Et hæc faciunt pro prima ratione.

Flores Seraphici P. Arembergii Parte 2.

II. Ratio. Secunda, quia ignarus homuncio (qui ad occulta mentis eſt quod talpa ad Solem) temerè judicat, temereque condemnat; & hoc ideo, quia ea tantùm aſpicit, quæ foris parent; ad interiora verò non penetrat, non pervadit.

Ita S. Vitalium Abbatem, & judicarunt olim, & condemnarunt Viri Alexandrini, cujus meminiſſe fuſiùs, erit hic opportunum.

S. Præſul

Bollandus 21. 148. S. Præſul (ut erat alienæ ſalutis amantior) ad meretriculas itare ſolitus, ea mente, ac conſilio, ut illas etiam ad unius noctis continentiam dato pretio conduceret.

Et hinc ſcandalum, & puſillorum gravis offenſio; hinc frequentia dicteria, jactæque in eum enormes calumniæ; in quibus nec ſtetit malum: fuit enim nefarius unus aliquis, qui ex libidine malè ominatas illas ædes ſubintrans, cùm in Virum ſanctum incurriſſet, ei alapam impegit, adjecto etiam hoc ſcommate.

Vſquequo, peſſime illuſor, non emendaris à tuis illis nequitiis? Cui Vir Dei, *Crede mihi, recipies à me alapam.* Non tamen eò loci ac temporis recepit.

Interea ad cellulam ſuam redux pius Præſul è terris excedit, & cœlis additur. Et ecce mox cacodæmon adeſt in forma ſtygii Æthyopis, & ſicario illi, qui S. Vitalio alapam dederat, alapam reddit non ſine fœnore, adjiciens etiam iſtud. *Accipe alapam quam miſit tibi Abbas Vitalius.*

Vix alapam acceperat, cùm & fremere, & toto corpore contremiſcere, & fœdum in modum ſpumare cœpit, atque etiam à dæmone, ceu malo hoſpite, vexari. Quid illi miſello remedii? & unde? Unique non ab alio, quàm à S. Vitalio, cujus caritas, & miſericordia omnibus probè nota.

Ad ejus itaque cellulam accurrit, accurrit & frequens populus, ſeu compaſſionis ſtudio, ſeu etiam impulſu curioſitatis.

Et ecce pium ſimul ac triſte ſpectaculum: S. Abbas flexo in terram genu videtur; orantis quidem habitu, modoque: ſed quod mireris, & doleas, mortuus ac rigidus totus; ſimulque in ipſo cellulæ pavimento legitur ſcriptura hujuſmodi, exarata utique manu Angeli.

Viri Alexandrini nolite ante tempus aliquid judicare, quoadusque veniat Dominus.

Nolite, inquam, judicare ex eo, quod deforis videtur, ignari penitus eorum omnium, quæ in ſecretiore animi conclavi, intimiſque penetralibus, aguntur. Domini eſt, non ſervi, de hoc judicare. Expectate dum ad judicium veniat ille, tum patebit, qua fronte in lupanar intrârit Vitalius. *Nolite condemnare* eum, quem ſua conſcientia non accuſat, non condemnat; *nolite condemnare* eum, quem Deus, & excuſat, & abſolvit: imò & cœleſti præmio donat. Et hoc quia quod intrinſecus eſt ſpectat Dominus; non autem tantùm, quod deforis apparet. Hoc enim etſi prima fronte malum videri poſſit: at certè reipſa malum non eſt: imò ſubinde quàm optimum; quia optima eſt intentio: qualis & fuit S. Vitalii.

Qualis & aliquando D. Ambroſii, qui & ipſe lupanar ingreſſus; non ut ibi venalem inveniret libidinem; ſed ut ſacros honores fugeret.

Qualis & Abrahamo Eremitæ, qui veſtem mutavit veluti Apoſtata, & ſolitudinem deſeruit; ſed ut ad eam rediret ſanctior: ſed ut neptem à flagitiis abſtraheret; reddereturque priſtinæ ſolitudini animarum ſpoliis ditior.

Qualis denique Pinuphii Anachoretæ, qui ad *Thebaidem Alexandrinam* divertit: ſed ut eam à Veneria cultu avocaret; traheretque ad ſaniora conſilia.

Hos porrò qui vidiſſet ad infames illas latebras ita contendentes, enimverò de iis ſuſpicatus fuiſſet quàm peſſimè; & ſuæ illi ſuſpicioni patrocinium quæſiſſet, vel ex eo tãtùm, quod extrinſecus patebat.

Quis enim eum non damnet, qui ſub fornice laſcivas illas delitias quæritare videtur? Damnet certè ut volet mens humana, mens infirma: at non damnabit mens Divina, apud quam (ut obſervat *Epiſt. 69. ad Guil. Abbat.* D. Bernardus) *Intentionis propoſitum culpas diſcernit, & merita.*

Et ita diſcrevit in S. Guilielmo, Archiepiſcopo Bituriensi, cujus diſcretionis & ipſum quoque in hac vita conſcium eſſe voluit; cujus meminiſſe paulò fuſius, faciet ad id quod tractamus Argumentum.

Ad epulum archiepiſcopale fortè invitârat B. Walterum Abbatem. Menſa erat ferculis gravis, & cibi lautiores, è quibus cùm nonniſi ſubtimidè, & puſillum guſtaret bonus Abbas (erat enim ſummè abſtemius) ſic ad illum Archiepiſcopus,

Abba, tu cibis illis veſci non vis. Ego verò iis reficior, & tamen canonizabor, & celebrabitur feſtivitas mea. *Henriquez l. 2. Annal. Ciſter. c. 2.*

Hæc ille, non ex ſtudio jactantiæ, & vanitatis; ſed candidæ veritatis, & doctrinæ ſanctioris amore, quo poſteros omnes probè doctos voluit, ut non facilè vel ſcandalum paterentur ipſi; vel alios perperam judicarent, atque damnarent; uti certè à puſillæ mentis homuncione damnari potuiſſet pius Præſul, vel ex eo, quòd menſa uteretur liberali; ferculiſque lautioribus.

Et hæc ratio docet, judicium aut omnino nullum ferri oportere, aut certè probum: niſi malis tam probum, quàm improbum ſuſpendi debere; quod non velim improbatum.

Tertia ratio, quod de nemine ferre judicium, neminem cenſura ſua notare ſit via ad præcelſum ſanctitatis gradum. III. Ratio.

Virgo è familia Dominicana notæ virtutis ſic aliquando ad Deum ſupplex: *Domine multa audivimus de priſcis illis Patribus, deque inſigni eorum ſanctitate, doce, quæ ad illam via* Dum hæc concubia nocte, ecce ſub oculos ei ponitur liber aureus, tum & auditur illa vox: *Surge, & lege.* Surgit, & iſta legit: *Via magnorum Sanctorum: Diligere Deum, contemnere ſeipſum, non judicare & non deſpicere proximum.* Ecce gradus ad ſanctitatem non infimus, *neminem judicare.* Quod illi: hoc & Deus adoleſcenti, quem ad D. Franciſci Ordinem, ceu paratam virtuti viam, vocabat; hæc, inquam, illi Dominus: *Sequere Communitatem, fuge converſationem, & neminem judices.* *Rodriguez.*

Quarta ratio, quæ & hoc ipſum ſuadet, eſt: quod proximum adeò præcipiti ſententia judicare, vel etiam damnare, & illi ſæpè injurioſum ſit, & noxiũ; & judicanti, atque damnãti ſemper periculoſum. IV. Ratio.

Abbas Iſaac, Vir notæ, & probatæ ſanctitatis, cùm fortè in religioſum conventum veniſſet, ex iis unum damnavit, qui in culpam aliquam inciderat. Cùm ad cellulam rediiſſet, ecce ſe videndum obtulit Angelus. Et hæc ei: Religioſos ille, quem adeò liberè condemnaſti jam diem obiit, mittit me Deus, ut ex te intelligam quid animæ illius fieri velis? & quem in locum exportari? Contremuit bonus Abbas, & ad voces illas hæſit attonitus; tum abjecit ſe in genua, & à Deo præproperæ ſuæ ſententiæ veniam ſupplex petiit. Aſſurgere juſſit Angelus, & Dei vice veniam adpromiſit, deditque: monuit tamen ne deinceps fratrem ullum judicaret, condemnaretve, priuſquam eum aut judicaſſet, aut condemnaſſet Deus. *Ruffinus in Vit. Pat. l. 3. libello 9.*

Quod illi Angelus, hoc & nobis, hoc & poſteris omnibus, ne in judicando proximo ſimus præcipites: ſed Deo judicium omne relinquamus, circa proximi actiones cæci, futuri in cœlis benè oculati. Hoc enim cœlo judice præmium ſervatur ei, cui oculus aliorum non eſt cenſor, & judex. Exemplo res fiet illuſtrior.

Lectulo affixus jacebat B. Leo S. Franciſci ſocius, cùm ecce ſeſe ei videndum obtulit B. Frater Bernardus à Quinta Valle, & unà cum eo ingens Beatorum numerus, ex quorum uno cùm petiiſſet, *ecquonam irent* effuſo & longo agmine, qualis eſſe ſolet in ſolemni ſupplicatione, audiit? *Vadimus ad excipiendam animam unius è Fratribus infirmi in Portiuncula.* Sed cùm ex iis uni lucerent, micarentque oculi ad inſtar Solis, quæſivit *ecquiſnam ille?* & ſtatim audiit: *Eſt Frater Bernardus, qui alios videndo, nunquam judicavit.* *Wadingus in Annal. Minor. Anno 33.*

Si enim pauperes vidiſſet, pannoſos laceroſque, dicebat illicò ſibi: *Illi melius ſervant paupertatem quàm tu, Frater Bernarde.*

Sin autem divites, byſſo, purpura, auro, gemmiſque nitentes aſpexiſſet, & ſibi dicebat in aurem illud: *Et hi fortè ſub molliori illa veſte, ſubq; murice, tegunt ſagum cilicinum, & vanam gloriam bellè evitans, mundoq; illudunt quam optimè: certè meliùs quàm tu, Frater Bernarde.*

Sic omnes videndo, judicabat neminem, neminem condemnabat, abſolvebat omnes. Et hinc illi in præmium nitentes oculi, ceu gemina cœli ſidera. Ut & ii tibi ſint aliquando, age, mi Lector, fac tibi ſimplex ſemper ſit oculus, ſit & mens ſimplex, quæ nullum judicet, condemnet nullum.

§. 2.

Proponitur ratio excuſandi aliena delicta, potius quàm judicandi, aut etiam damnandi.

EA ratio petetur ex lege charitatis, quæ ut ait Apoſtolorum Princeps: *Operit multitudinem* (1. Pet. c. 4. v. 8.) *peccatorum*; Non aperit, non producit in publicum: ſed quantum licet celat, ac tegit. Tegit, inquam, excuſando quantum ſalvâ veritate licet.

Et ita tegere nos docuit Chriſtus exemplo ſuo, & propè extremis in Cruce verbis. Sic enim ad Patrem Æternum: (Luc. c. 23. v. 34.)

Pater, ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.

In aperto erat Sacerdotum odium, invidia Scribarum, & Phariſæorum ingratitudo, imò & furor populi, teſtium mendacia, & falſitas, Pilati injuſtitia, militum immanitas, aliaque ſcelera, Sole clariùs expreſſa, & quaſi impreſſa vel ipſi corpori Servatoris per immania illa vulnera. Et tamen caur poteſt regit atque excuſat Chriſtus, obducto quaſi velo ignorantiæ: *neſciunt*, inquit, *quid faciunt*: quòd charitatis fuit, & quidem divinæ, id eſt ſummæ; ad cujus imitationem præcelſæ in terris animæ aliena peccata ſic tegere doctæ; ea etiam probè texerunt. Sic (ut ita dicam) in ſacco, & cinere, hoc eſt, in religioſo pulvere, ſuorum diſcipulorum delicta tegere ſolitus religioſus Abbas, cui nomen *Conſtabilis*, qui (Sur. 17. Feb.) ex eo apud omnes id nominis obtinuit, ut diceretur, & eſſet *Operimentum fratrum*: & hoc quia eorum culpas, quales quales demum eſſent, excuſando operiebat; ac tegebat probè.

(Theodor. l. 11. c. 1.) Sic etiam in purpura Auguſtus Cæſar *Conſtantinus*, & nomine, & re etiam ipſa *Magnus*, & ſuorum, & aliorum delicta tegere ſolebat, maximè verò Eccleſiaſticorum, & Religioſorum.

Hinc oblatas ſibi in Concilio Nicæno ſchedulas plenas accuſationum in Religioſos, & Eccleſiaſticos, in luculentum ignem injecit, ne unicâ quidem lectâ; addiditque augustum illud, ac pium, quod tota commendabit, amabit, ac mirabitur poſteritas.

Si vel unicum Sacerdotem, aut religioſum peccantem hiſce oculis viderem, purpura mea tegerem, ne ullus alius videret. Digna vox *Conſtantino*, hoc eſt primo Chriſtiano Imperatore: digna & *Auguſto*, quia digna etiam Chriſto, à quo hauſerat illud Auguſtus Cæſar.

Audiſti, Benevole Lector, qui tegi poſſint aliena delicta, videlicet excuſando: accipe modum quo etiam excuſari. Eum præſcribet D. Bernardus, peritus hac in arte Magiſter. Sic ille

(Serm. 40. in Cant.) *Et ſi perperam actum quid deprehendas, nec ſic judices proxi[illegible] magis autem excuſa: excuſa intentionem, ſi opus non [illegible]es. Puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum: quod ſi omnem omninò diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito. Vehemens fuit tentatio, quid de me illa feciſſet, ſi in me accepiſſet ſimiliter poteſtatem?*

Hæc pia & ſuavi eloquentia D. Bernardus; audi quid etiam romana, & maſcula ſapiens Romanus, Docet ille modum excuſandi propè quidlibet in quolibet: ſic enim ait ex ipſius naturæ principiis, & rationis placito.

Naturam excutiemus, voluntatemq; facientium. Puer eſt? ætati donetur. Neſcit an peccet. Pater eſt? aut tantum profuit, ut illius jam injuria jus ſit: aut fortaſſis ipſum hoc meritum ejus eſt, quo offendimur. Mulier eſt? errat. Iuſſus eſt? neceſſitati quis niſi iniquus ſuccenſet. Læſus eſt? non eſt injuria pati quod prior feceris. Iudex eſt? plus illius credas ſententiæ, quam tuæ. Rex eſt? ſi nocentem punit, cede juſtitiæ: ſi innocentem, cede fortunæ. Mutum animal eſt, aut ſimile muto? imitaris illud ſi iraſceris. Morbus eſt, aut calamitas? levius tranſiliet ſuſtinentem. Deus eſt? tam perdis cùm illi iraſceris, quàm cùm illum alteri precaris iratum. Bonus vir eſt, qui injuriam facit? Noli credere. Malus? noli mirari. Dabit pœnas alteri, quas debet tibi, & jam ſibi dedit, qui peccavit. (L. 2. de Ira c. 29.)

Hactenus Seneca, quo judice excuſare potes, ac debes, quidquid in te ſit, & à quolibet perperam & injurioſè actum; & hoc ſi homo es, ex rectæ rationis placito; ſi Chriſtianus, ex lege Chriſti; imò & Dei, qui charitas eſt. *Charitas eſt pallium Dei, & Divinæ Majeſtatis.* Hoc peccata hominum tegit, quaſi emplaſtro, ut ea ſanet, ac curet, inquit Auguſtinus:

Deus tegat vulnera tua. Medicus tegat, & curet: emplaſtro enim teget: ſub tegmento medici ſanatur vulnus, (In Pſ. 31. Conc. 2.) Vulnus, inquam, & tuum, & fratris, ita probante, ita faciente Deo, ſeu ſupremo in terris medico; de quo audi ſanctum Abbatem, cui nomen *Paſtor*, ſic ille olim ad ſuos:

Quacumque hora tegimus peccatum fratris noſtri, teget etiam Deus noſtrum, & quacumque hora prodiderimus culpas fratrum, & Deus noſtras ſimiliter prodet. (In vit. Pat. l. 1. libello 9. n. 6.) Et hinc etiam ducetur reſolutio quæſtionis initio propoſitæ, pro qua ſit

§. 3.

Reſolvitur objecta quæſtio.

FUit ea ejuſmodi. An qui fratrem non judicat, non condemnat in terris; non ſit ipſe à Deo, ſeu ſupremo Judice, judicandus, & condemnandus in Cœlis?

Ea ſolvetur, primò ipſius Chriſti, ceu primæ Veritatis oraculo: quod aliquando luci dedit, & hominum auribus.

Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini. (Luc. c. 6. v. 37.)

Secundò confirmabitur experientia rerum magiſtra, & teſte fideli aſſertæ veritatis, cui fidem negare non audeas; eſt enim fides plerumque major exemplis, quàm verbis.

E Monachis unus aliquis, cùm in otio illiberali, & pari (ut quidem videbatur) incuria vitam propè omnem exegiſſet, lectulo tandem affixus, & morbo graviore ad extrema deductus eſt. Jam inſtabat ultima vitæ periodus, in qua ferè etiam optimi quique ingemiſcere, palleſcere, atque horrere, ob imminens ſcilicet à morte judicium, quod à judiciis hominum mirum quantum eſt diſſimile.

Verùm neque hoc pertimeſcere viſus eſt Monachus ille noſter; neque mortis adverſæ tela refugere: ſed è contrario, in hæc lætus venire, & illud etiam impenſiùs ambire. Et ubi cæteri hominum timore, horroreque concuti ſolent, atque agitari: ipſe onus & amore duci, & ſpe lactari, & lætitia totus perfundi.

Hic porrò ſtupere primùm qui aderant univerſi, tum etiam illi quodammodo ſubiraſci, atque indignari, imò & è ſenioribus unus illi obtrudere pudendum illud:

Frater perſuaſum tibi habeto, & putaſſe nos, & vidiſſe ſumma negligentia, animiq; remiſſione vixiſſe te, utique ad (Anaſtaſius de vitis ſ. dei dogmatibus l. 8.)

hoc

hoc uſque tempus. Et unde tibi nunc tanta ſecuritas? Id verò neſcimus omnes.

Baronius tom. 8. Anno Christi 599. Hæc ille, & quidem acriore ſpiritu, voceque: ad quæ ſic æger, & moribundus, collectis uti potuit viribus, voceque languidula: ſed tamen hilari.

Eſt ita, mi Pater: vitam exegi per ſummam negligentiam, non abnuo; ſed Angeli Dei hac ipſa hora peccatorum meorum ad me chyrographum attulerunt, cùmq; ea, quæ feciſſem poſtquam ſæculo renuntiaſſem, peccata legiſſent, numquid ea agnoſcerem, rogaverunt. Quibus ego. *Maximè verò agnoſco: ſed ex quo ſæcula valedixi, vitamq; monaſticam inſtitui; nec judicavi quemquam, nec condemnavi, nec facta mihi ab ulla injuriæ meminiſſe volui. Igitur ea quoque Domini verba, ad me quoque pertingere & opto, & oro: Nolite judicare, & non judicabimini, dimittite & dimittetur vobis.*

Vix hæc languida voce, ſpei tamen plena, dixeram, cùm ecce peccatorum meorum chyrographum conciderunt boni genii.

Et hinc ſumma cum fiducia emorior; hinc ad Dominum geſtiens, atque exultabundus excedo: hinc abiturientis animæ gaudium, atque exultatio, ex eáque etiam ſubridens vultus, & amœni ſunt oculi.

Dixit, & ſimul loqui, ſimul & vivere deſiit, ſpiritumque in alta pace Deo, ac Domino ſuo reddidit, certus utique promiſſionis illius ab eo quondam in terris factæ.

Nolite judicare, & non judicabimini; dimittite, & dimittetur vobis.

Quæ illi obvenit in morte quies, in exitu felicitas; eadem & nobis, ſi virtutis illius æmuli fuerimus: idem enim nobis, & illi ſponſor eſt Deus, idem & remunerator: quod ut magis pateat, ſit

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Dimittite, & dimittemini.* Lucæ c. 6. v. 37.

An qui proximo dimittit in terris, ſibi ſentiat à Deo dimitti in Cælis? Et contrà?

Dimittenti. RAtione hîc non eſt pugnandum, ceſſat ratio ubi prævalet authoritas, eaque Divina qualis eſt expreſſa oraculo primæ veritatis, id eſt Chriſti, cujus ete quondam ad ſuos voces: *Dimittite, & dimittemini.*

Exemplis igitur certandum erit, non verbis, hæc fidem minùs faciunt, illa verò quàm maximè: hæc aures feriunt, illa oculos, & animos pulſant potentiùs omni ratiocinatione; qua in præſenti omiſſa id ſtatuo. In peccato, quod ſumma Dei eſt injuria, duplex involvi *malum.* Unum eſt *culpæ*: alterum *pœnæ.* Et hoc, & illud dimittenti dimittitur. Et quidem

I. Culpa dimittitur. Primò *malum culpæ.* Exemplo erit Monachus ille, cujus jam memini. In ultima vitæ periodo objecerunt illi Angeli ſchedulam notatam atro charactere: quî enim potiùs notentur peccata? tum ea deleverunt illicò, vel ex eo tantùm, quòd ab illo audiſſent ſervatum iſtud Domini: *Dimittite & dimittemini.* Quid enim aliud? data erat à Domino fides, ejuſque & author, & ſponſor Chriſtus: impleverat quod juſſerat Dominus impleri; ſuo quaſi jure poſtulat, quod ſpoponderat Dominus. Dimiſerat proximo, dimitti ſibi petit, & impetrat. Et hoc primum ab illa remiſſione beneficium eſt, remitti ſcilicet *malum culpæ*, quod eſt longè maximum.

II. Etiam pœna. Alterum eſt *malum pœnæ*, quod etiam dimittitur dimittenti. Et huic aſſertioni fidem facient ea, quæ ſubjicio.

In Italia ſicarius unus aliquis, cùm è duobus fratribus alterum ſuſtuliſſet, facti jam pœnitens, ipſo die Veneris ſancto ad illius, qui ſupererat fratris congreſſum venit nudus pedes, & laqueo collum innexus, rogavitq; ſibi veniam dari infandæ illius cædis.

Movit ea pœnitentis ſpecies, movit & lux illa ſanctior; ſacrata ſcilicet, ac memorabilis ob inimicis factam à Chriſto in Cruce remiſſionem: movit, inquam, & ſimul etiam illius injuriæ condonationem impetravit; imò & in mutuos amplexus atque oſcula traxit; probante omnia cœlo, & plaudentibus ſuperis, inferiſque: his ſcilicet, in expiatoriis ignibus; à quibus ut liberos noſcet ille, qui ſuperſtes erat frater, nocte inſequenti ſe ei videndum dedit ipſe Chriſtus amœna, divinaque ſpecie, & hæc etiam ad illum:

Quia mei cauſa, amoreq;, inimicatuo pepercisti: ego quoque & animæ fratris tui, & parentis peperci: atque de carcere purgatorii in Cælos extuli, ſinumque beatitatis. M. Simon Bert Ordin. Prædicat. in quadam ſerm. M. S.

Inſuper & hoc tibi indulſi, ut poſt dies octo illis jungaris in Cœlis.

Et ita evenit: elapſo quippe octiduo terris vivere deſiit, & cœlo cœpit. Hæc omnia conſecutus beneficio donationis injuriæ ſibi priùs in germano illatæ. Adeò verùm illud: *Dimittite, & dimittemini.*

Audiſti generoſam in virili maſculoque pectore caritatem; audi & in molli fœmineoque ſexu.

Vidit Hiſpania, amavitque dignum poſteris ſpectaculum, fœminam nobilem orbam marito, orbam & filio: hunc enim immatura morte, immanique cæde è vivis extulerat nefarius aliquis, quem dum Juſtitiæ vindicis adminiſtri ad carceres, & debita ſupplicia quæritant, id ſubintellexit mater. Quid deinde? an illi promerita vincula, an manicas, an compedes? an ferrum, quod in cervices cadat, ſceleſtumque caput, an extrema quæque ſupplicia illi animo, votoque deſignet? minimè gentium? Alia nimirum meditatur, alia molitur invictus animus. Mens abjecta vindictam exoptaſſet, & per inflicta vulnera etiam mortem: ſed altior & veniam donat, & injurias remittit, & viam aperit, quâ ſatellitum manus evadat.

Et ſic aperuit bona mater, filii quidem memor: at immemor injuriæ. Mox enim ſicario illi generoſum equum ſubmiſit, quo celeri fuga ſeſe proriperet: & non parvam auri, argentique vim, quâ vitam exul ſuſtentaret: adjiciens & illud eò loci, ac temporis opportunum, ut præcipiti fuga ſibi conſuleret. Oſorius tom. 6. Conc. feria 4. poſt cineres.

O dignum omni memoria facinus! ô præcelſam mentem, etiam humana altiorem, Deoque ipſi vel ex eo viciniorem, quòd capitali ſuo inimico parcere noverit.

Ubi porrò ſic pepercit, re quàm optimè geſta, conclave ingreditur, proque filii anima Deum orat: & verò etiam exorat. Mox enim ſeſe ſpectandum dedit filius: ſed amabili vultu, & Solis ad inſtar; micabat quippe, ac radiabat Cœleſti luce, qua dum recreatur pia mater, hæc etiam ab illo audit.

Cùm illi ſicario ignoſceres, vitamque donares; quæ mihi naturâ mater fueras, facta es & gratiâ mater; & quidem titulo nobiliore, ſorteque meliore: quia quem terris mortalem genueras; cœlo in præſentia immortalem genuiſti. Divina quippe bonitas, cujus æmula parcendo fuiſti, mihi quoque eo ipſo momento pepercit, remiſitque pœnas, quas in purgatorio per annos complures exolvere debuiſſem.

Ecce ut veriſſimum illud, à remiſſione injuriæ pœnam quoque ſceleri debitam, etiam in altero ævo remitti. Ut contrà, à vindictæ appetitione, & culpa animo concepta retinetur, & pœna æternis in ignibus debita reſervatur. III. Non dimittendi nec culpa, nec pœna dimittitur.

Exemplo erit unus aliquis, genere quidem Nobilis: ſed ignobilis ab inveterato in hoſtem odio, conceptaque pridem inimicitia.

Agebat hic *Cordubæ* in Hiſpania, cùm letali morbo tangi ſe ſenſit, & è Patribus Societatis aliquem evocavit, ut apud illum peccata deponeret. Depoſuit enimverò, at Pater priùs non abſolvit, quàm publicè cum inimico rediiſſet in gratiam: publicis quippe vitiis publica debetur ſatisfactio: hanc quidem, ut confeſſario benè monenti parere videretur, dedit; hoſtem enim ſuum etiam avita proſapia nobilem ad ſe evocavit, ſicque in gratiam, non ſine amabili aſtantium ſtupore, plauſuque redire viſus: at re tamen ipſa non rediit, ut apparebit ex eo, quod cœlo vindice proditum eſt.

Gabriel Ixiga Madriti Rector in ſua M. S.

Nocte enim proximè ſequenti eam, qua terræ conditum eſt illius cadaver, ecce ad collegii portam adſunt Juvenes duo, accenſis ad fugandas tenebras facibus, Patrem accerſunt; eſſe nimirum aliquid ſummi momenti ad Dei gloriam, & commune bonum, quod de defuncto illo communicarent.

Adeſt illico Pater, tum illi præeunt, viam monſtrant, ducuntque quàm rectiſſimè ad ſacram ædem, in qua ſepultus hic Nobilis. Ubi ad illius portam ventum eſt, tum è Juvenibus illis alter templi clavem Patri dat in manus, aitque. *Fores reſera, ne time*: tum ad altare majus educit, & tabernaculi (in quo religiosè ſervatur Venerabile) clavem tradit, jubetque aperiri, ciborium educi, tum viam monſtrante lumine, ad ſepulturæ locum tendere.

Hic enimverò quod latuerat ſcelus apertum. Sic enim ad Patres duo illi Juvenes, cœleſtes utique genii.

Hic ſepultus nobilis ille, qui hominibus illuſit improbè; ſed non Deo: extrinſecùs enim condonare viſus eſt: at intrinſecùs odiá dudum inveterata fovit, & ad mortem uſque duxit.

Et hinc infelix anima æternis addicta incendiis: at cadaver infame, ac putidum, diverſorium infidelis animæ, jacet alta tellure obrutum, atque adhuc ore geſtat Sacroſanctam hoſtiam, integram illam quidem intactamque, ac ne ſaliva quidem imbutam.

Phil. D'Oultreman in Ped. Chriſt. Tom. 2. c. 14. ſeſt. 2.

Evocabitur illud è ſepulchro, osque explicabit, tu mi Pater, hoſtiam reverenter excipe, & ciborio, tabernaculoque redde.

Hæc ubi dicta, terram pede pulſant, & ecce è ſilenti ſepulchri nocte latebríſque emergit horrendum cadaver, os latè diducit, hoſtiámque, qua indignum erat, oſtendit, Patríque reſtituit in manus.

Tum rurſum pede terram percutiunt boni Genii, rurſúmque cadaver tumulo, & terræ redditur, ingentíque fragore in profundum erebi chaos decidit, utique jungendum in inferis infelici animæ, cui malè aliquando junctum fuerat in terris.

Ubi peracta eſt ea feralis ſcena, tum reditur ad altare, hoſtia in tabernaculo reponitur, tum etiam domum reducitur Pater, atque ubi in primo limine conſtitit, poſtquam valere humaniter juſſus eſt, utrimque diſceditur.

Hic Ianitor explorare quò, & quà tenderent Juvenes illi, qui ſtatim ex oculis, conſpectúque ſublati, hoc primò docuerunt, non è terra, hominúmque genere: ſed Angelicis è cœtibus, cœlíque curia adveniſſe, & quidem ad illam ſcenam perſonatos.

Deinde & iſtud cœlo judice decretum: Nulli mortalium vel culpam in terris, vel pœnam in inferis dimittere, niſi ei, qui priùs injurias omnes remiſerit, dum eſſet in vivis. Et hoc ipſum jam patuit à morte: demus aliud, quod etiam in vita.

Antiquus, & nobilis author meminit cujuſdam fœminæ, cui ut ad ſalutem adeſſe viderentur cætera: deerat illud, opportuna injuriæ remiſſio; ad quam donandam adeo pertinax erat, & pervicax, ut nec injuriæ illatæ obliviſci poſſet unquam, nec eam, ut par erat, dimittere; imo nec in confeſſione id ſceleris meminiſſe.

Interea lecto affigitur, confeſſarium evocat, peccata cætera in illius aures deponit, & hoc unum tacet; offertur illi de more Viaticum, ſacro-ſancta ſcilicet hoſtia, ad cujus conſpectum infelix illa, & caput, & oculos avertit, & horribili voce, atque ejulatu exclamat:

Me miſeram, me infelicem! actum eſt de me, perii, perii, & æternùm quidem. Video Chriſtum ira plenum, plenum indignatione, avertere à me faciem amabilem, & dorſum obvertere. Et hoc juſto ſanè judicio, quia ego immiſericors & oculos, & animum ab iis averti, qui me aliquando offenderant. Lata jam in me feralis ſententia, addicta ſum erebo, æternisque incendiis, & ecce jam jam imminent ſtygii carnifices, & nequaquam reluctantem animulam extorquent. Ibo, ibo in tartareos carceres, ibo in ignes ſempiternos, iis urenda, quia odio in inimicos ſemper exarſi, nec dimiſi, ideoque nec mihi dimittetur unquam. Dixit, & miſerabilem animam expuit, & tartaro demiſit, futura poſteris & documento, & exemplo.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Date, & dabitur vobis.*

Lucæ c. 6. v. 38.

Quis nexus inter date, & dabitur?

PAucis reſpondeo. Talis, qualem inter Germanos fratres natura eſſe voluit: hoc eſt individuus. Ubi *date*, illic & *dabitur*. Ubi exul *date*, exul & *dabitur*. Nimirum unam domum incolit uterque aut neuter. Exemplum dicto fidem faciet.

Cæſarius, qui ævi ſui miracula fideliter ad poſteros tranſmiſit; rem hanc narratam ſibi ait à teſte omni fide digno.

Lib 4. illuſt. Mirac. c. 64.

Abbas aliquis hoſpitum amans & pauperum, & in hos atque illos effuſus, ſibi ſimiles ſuo Cœnobio Curatores adlegerat, liberales liberalis. & rectè: nam & res ceſſit quàm optimè. Quò enim plures excipiebat hoſpites, quò plures alebat pauperes; eò magis augebatur Cœnobii proventus.

Ubi hic vivere deſiit, ſucceſſit alius, & cum eo tenacitas, atque avaritia, unaque etiam Curatores tenaces imprimis, atque avari. Unde etiam & hoſpitibus, & pauperibus ſubtracta, quæ de more dari ſolebat, annona: ſed & ſimul à cœlo ſubtracti cenſus annui, & eò quidem, ut vix eſſet quod menſis de more inferretur, adeo inops facta erat opulentia. Quæ cauſa? paucis excipe hoſpitis unius voce, fideque.

Is fuit vir grandævus, & canus, qui à janitore hoſpitium petiit, & ægrè tandem impetravit, hunc enim clam & timidè admiſit, & cœnula tenui refecit, offula ſcilicet exoculata, caulibus malè unctis, quibus dum veſcitur, hæc illi janitor.

Memini probè cùm noſtra domus adeò opimis reditibus gauderet, ut vel ipſos Principes, vel Infulatos Patres menſa liberali caciperet: jam autem vix mucidum panem, & oluſcula exhauſtum penu ſubminiſtrat: quæ cauſa? in occulto eſt. Cui ſenex, imo verò, inquit, in aperto.

Date & dabitur; duo ſunt germani fratres; Illum Abbas veſter expulit, & hic, pulſo fratre, indignabundus abiit. Revocetur prior ille, & mox redibit alter: niſi revocetur ille, neque hic redibit unquam; & peſſum ibunt omnia.

Dixit ſenex, & ſimul loqui, ſimul & videri deſiit; non ſine miraculo, & janitoris ſtupore, qui ut erat non infelicis memoriæ, rem totam & Abbati,

& Fratri-

& Fratribus nuntiavit: ſicque in melius mutata & illius, & horum mente, revocatus eſt è Fratribus unus, cui nomen *Date*, & mox alter, videlicet *Dabitur*, ſponte ad monaſterium reverſus eſt. Hoc eſt, prior Hoſpitalitas, prior in pauperes liberalitas exercita, & inde prior etiam opulentia rediit: adeò verum illud Chriſti oraculum, *Date, & dabitur vobis*.

Henriquez in faſc. Ciſter. l. 1 c 3.

Hujus certè veritatem experti quàm plurimi, quos inter B. Balduinus de Boela, fundator Bodolenſis Cœnobii. Ad hunc venit ſenex, at famelicus; tridui ſcilicet inedia confectus, cui cùm juſſiſſet dari partem dimidiam panis hordeacei, qui unicus in penu ſupererat; petiit & ſenex aliquid pulmenti, cumque ex hoc nihil eſſet in cella; ſubridens dixit. *Domina Charitas vobis providebit.*

Dixit, & abiit, & poſt puſillum rediens mappam explicuit niveam illam, & miri candoris, & quidem una parte plenam panibus, altera farina triticea, è qua fratribus abundans coqueretur pulmentum. Utque noſſent, unde? & à quo hæc annona, ſimulque fidem datam liberaret, addidit & iſtud *Hac vobis Domina Charitas tranſmiſit.* Dixit, & evanuit. Indubiè è cœleſtibus geniis fuit iſte ſenex, quiſquis is fuit; atque ab illo ea cœli benignioris indulgentia; cui ſimilem expertus aliquando B. Wielmus Abbas Villarienſis.

Fortè mulier paupercula, ſed etiam prægnans incurrerat in bovem apprimè pinguem, & diſtentum, (utque in eo genere inſolens prægnantium appetentia) ardentiſſimis votis fruſtulum è carne ipſius expetierat: quod ut audit è fratribus aliquis Abbatem convenit, & candidè rem aperuit. Cui Abbas. *Melius eſt occidere bovem, quàm hominem.*

Henriquez ſuprà l. 1. c. 4

Tum ad illum: Vade mi frater, bovem jugula, excoria, & bonam illius partem prægnanti dona, expleat illa famem, & benè vivat, ac valeat cum ſuo fœtu.

Ita porrò factum eſt: at mira & ſuavis Dei providentia: bovem pauperi dedit plus Abbas, bovem enimverò recipiet, & quidem integrum vivum ac valentem. Die enim proximè ſequenti, dum ad agros de more pergit frater ille *Converſus*, ecce vidit bovem illum, eundemque, aliis junctum, jugumque trahentem non impigrè.

Hæret, ſtupet, nec oculis credit, ad Cœnobium recurrit; imò propè revolat: at nec bovis corium, nec carnis ex eo fruſtulum, nec ulla fuſi largè ſanguinis veſtigia conſpicit. Nimirum bovem illum ſuſcitarat Deus, reddideratque bono Præſuli, ut etiam hic probaretur illud Chriſti oraculum. *Date & dabitur vobis.*

Sed hæc, inquies, annuenti cœli munificentia; quæ danti dat, donanti redonat: ſubjiciamus aliquid quod è terra ſit, & fertili ſolo: fertili dico; ſed Dei beneficentia ſupra naturæ leges operante.

In Hiſpania *Monaſterium Hortenſe*, cui præerat Venerabilis Abbas, Ludovicus d'Eſtrada, ſuis tuguriolis undique cinxerat famelica egenorum turba, cui cùm omnis deeſſet annona, illius miſerens pius præſul, à Deo ſupplex petiit, ut monaſterii meſſis ante omnes alias matureſceret, ut decidi quàm citiſſimè, & colligi poſſet.

Annuit votis indulgens Numen, & cùm undequaque aliis omnibus adhuc vireſcerent ſegetes, quæ erant boni Præſulis, albeſcere omnes, & matureſcere viſæ ſunt.

Ita præmaturam meſſem dedit Deus, ut ex ea pauperibus daret miſericors Præſul. Adeò & hîc probatum illud: *Date, & dabitur vobis.*

Date, inquam, levandis inopum miſeriis, & ne dubitate, nihil vobis inde decedet, imò accedet quàm pluſrimum.

B. Robertus, primus Abbas ac fundator Ordinis Ciſtercienſis juſſerat œconomo ſuo, indigentibus dari panem liberali manu: Hic plus æquo parcus, veritus ne fratribus deeſſet, ſi quod reliquum in monaſterio erat annonæ, in pauperes erogaſſet, reſpondit illicò nullos domi eſſe panes. Cui pius Præſul. Quid ergo dabitur fratribus? cui œconomus. Enimverò neſcio. Interea de more itur ad divina officia, & ſolemne Sacrum, quo finito, ut moris eſt, campanæ tinnitu ſignum datur ad menſam: & ecce dum conveniunt fratres, convenit & bonus Præſul, proferuntur è penu liberaliore panes, quos ut vidit Abbas, ſic ad œconomum. Unde & iſti panes? cui ille, Paucos qui ſupererant, ſervavi fratribus. Quibus enim potius? Quid hic Robertus? Primùm ſubiraſci, & meritò: dein cœnaculum ingredi: tum panes omnes colligere, eoſque pio zelo in præterfluentes aquas abjicere, addereque & illud dignum tanto Præſule, dignum & religioſo illo cœtu. Nolim enimverò fratres meos veſci panibus, quos & inobedientia ſervavit, & malè cauta providentia reliquit, & nimia de Deo meo diffidentia. Dixit, & cætera cœlo commiſit, & ejus beneficentiæ, quæ certè non defuit. Menſis aſſederant Viri in paucis Religioſi, ſed vacuis: at diu vacuas eſſe noluit parata ſuis atque expedita Dei providentia: eò quippe momento, quo panes illos inobedientiæ, ac diffidentiæ victimas hauſerant aquæ, piæ matronæ (eorum tamen omnium pœnitus inſciæ) tres quadrigas ingentes panibus probè onuſtas ſubmiſerunt, alendis abundè fratribus ad dies multos. Adeò liberalis in ſuos eſt Deus, ſi tamen ii primò in Deum, & pauperes liberales.

Henriquez ſuprà l. 2. Diſt. 1. c 7.

Verum enim illud in ſæcula: *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperi.*

Proverb. c. 19. v. 17.

Ita virum ſuum adhuc gentilem fœnerari docuit Chriſtiana mulier. Habebat in omni ſuo peculio numiſmata quinquaginta, quæ ne ſenſim abſumerentur, & ſine ſenſu, non tamen ſine damno, ſic Vir gentilis Uxori ſuæ Chriſtianæ: *Demus hæc numiſmata fœneratori, ut ea recipiamus aliquando cum fœnore.* Cui mulier, *Bonum factum, inquit, ſed ſi placet ea fœnerari, veni, demus illa ſub fœnore Deo Chriſtianorum.* At ubi eſt Chriſtianorum Deus, inquit, ille. Tum Uxor me ſequere, ego tibi eum oſtendam? tum ad Eccleſiam duxit, & Deum Chriſtianorum in pauperibus, qui in ejus porticu frequentes erant, oſtendit: ſic enim ad illum. *Iſtis ſi præbueris, Deus Chriſtianorum ea ipſa numiſmata ſibi accipiet; iſti enim omnes illius ſunt: imò in omnibus ac ſingulis illis eſt ipſe Chriſtianorum Deus.*

Dixit, & Viro perſuaſit: dedit enim hic ea numiſmata ſua pauperibus, quaſi Chriſtianorum Deo: ſed ad fœnus.

Labuntur interea menſes tres, & augentur rei familiaris anguſtiæ, quas ut præſenſit Vir ſic ad Uxorem: *Nihilne dabit Chriſtianorum Deus? Dabit omnino*, inquit illa. Vade ad Eccleſiam. Vadit ille alacer, & certus aliquid accipere, & quidem ex debito, & cum fœnore: ſed ô mirabilis, ô amabilis divinæ providentiæ ludus!

In vitis PP. auth. Joan. Moſcho l. 10. c. 185.

Erant in ea Eccleſia januæ quinque, quinque & porticus: ſed in his & illis nonniſi pauperum greges, quos ante viderat, & quibus ipſe prius ſua largitus erat numiſmata: nemo autem unus omnium, qui pro iis aliquid offerret, aliquid redderet, nemo & alius.

Hic cœpit anceps hærere, & ex ſe ipſo tacitus quærere; à quo repeteret & debitum, & fœnus: quæ dum meditatur, oculos fortè in terram abjicit, & in nudo marmore videt è ſuis numiſmatibus unum aliquod; accipit, & levat, & domum repetit ſed ſubtriſtis, ſicque inibi ad conjugem. *Crede mihi mulier, Deum Chriſtianorum non vidi, nec ab ullo quicquam accepi, niſi fortè numiſma illud, quod in marmore abjectum reperi, & quod aliquando meum:* cui mulier:

& illo

& ille Dei Chriſtianorum luſus eſt, inquit, *illa providentia*, eâ uiere, & nobis eme, quæ ad victum neceſſaria. Abiit, & panem, vinum, ac piſcem emit, retulitque domum, atque uxori dedit. Cepit illa piſcem, atque exenteravit. Et eccè ubi cœleſtis beneficentiæ miraculum: in ejus viſceribus lapidem reperit miri lævoris, miri & ſplendoris. Hunc demiratur ipſa, demiratur & Vir ipſe, inſcius cujus eſſet valoris, cujus & pretii: ut porrò noſſet illud, ivit ad trapezitam, & venalem expoſuit; & ſic illi. *Vis emere hunc lapidem?* Omnino, inquit, ille: quo pretio venalem exponis? tum ille, *quo vis* ait; cui trapezita. *En tibi quinque numiſmata*: tum ille, *tantumne pro lapillo?* hic putans iſta ironicè dici. En ait *decem*. Tacuit venditor, ratus ab emptore, utpote perito, ſe rideri, ut qui tantum pro lapillo offerret: tum ille viginti, inquit, cumque taceret, addidit triginta, dein quadraginta, tum etiam quinquaginta: cùmque ad hæc magis attonitus hæreret venditor, cœpit & ipſe lapidem illum ſuum pluris æſtimare, æſtimare etiam emptor ipſe, tandemque aſcendere ad numiſmata trecenta, quæ etiam illicò numeravit.

Quid hic Gentilis ille noſter? pretium accipit, lætusque domum repetit, quem ut exultantem præ gaudio vidit uxor; ex illo quærit an lapillum vendiderit? & quo pretio? rata tantùm vendidiſſe minutis quinque, vel ad ſummum decem. Tum ille trecenta numiſmata protulit, uxorique in ſinum projecit. Hæc verò demirata amabiles illas ſimul ac mirabiles divinæ providentiæ vias, ſic ad maritum. Ecce quàm dives, quamque munificus Chriſtianorum Deus: illi ad uſuram dediſti numiſmata quinquaginta, & ecce tibi reddit trecenta, hoc eſt ſextuplicata; tanto nimirum fœnore illi datur, quidquid datur.

Dixit & tacuit: at non tacuit maritus, abiit enim primò in uberes gratiarum actiones, tum etiam Chriſtianæ fidei lucem vidit, amavitque, tum denique ea duce ad Chriſtum ſupplex venit, ejusque fidem propenſiſſima voluntate eſt amplexus; jam probè conſcius ex veritate fœnerari Domino; imò & ſibi qui miſeretur pauperi.

TRACTATUS
DE PATIENTIA CHRISTIANA, ET RELIGIOSA.

HANC pagellam legenti occurrere poterit, quod actum agam, & calamum ducam in argumento trito, & ſatis obvio: non abnuo, & argumentum hoc longo ſæculorum uſu detrimentum, & ſaltem doctioribus obvium: ſed modus illud tractandi nec erit vulgaris & detritus, nec obvius: ſed, ut confido ſingularis, atque ejuſmodi, qui non vulgaria proferet, quod ſi aſſecutus fuero, non actum egero: ſit itaque

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Patientia opus perfectum habet*. Epiſt. D. Iacobi c. 1. v. 4.

Quid ſit Patientia?

DEfiniri poteſt *Patientia* ſtrictiùs ex ſeverioris diſciplinæ legibus: & deſcribi liberiùs ex quadam oratoriæ artis indulgentia. Et ſic definire, ſic deſcribere mihi eſt animus, ex hoc enim, & illo, in aperto ponetur tum ejus natura, tum affectiones, tum etiam effectus. Sit igitur primùm illius definitio, quæ eſt ejuſmodi.

Patientiæ definitio.

Patientia eſt honeſtatis, aut utilitatis causâ, rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio.

Hanc patientiæ definitionem hauſit D. Auguſtinus ex Cicerone

Dicitur primò cauſa *honeſtatis*, quod intelligi poteſt ac debet de omni honeſto, quod propter ſe expetitur.

Dicitur ſecundò *utilitatis*: hoc eſt, de eo, quod ad aliud honeſtum utile eſt; ut ſi patiaris pecuniæ conſequendæ causâ, qua deinde creditori facias ſatis.

Dicitur tertiò *voluntaria*; non quod ſemper ſit in poteſtate non pati: ſed quia in poteſtate eſt malle pati, quàm à rationis officio deſciſcere.

Dicitur quartò *diuturna*, vel in animi præparatione, vel certè etiam in ipſa: nec enim vera patientia limites habet aut rei, aut temporis.

Huic definitioni affinis eſt illa, quæ ex eodem Cicerone petitur. *Patientia eſt virtus, contumeliarum & omnis adverſitatis impetus æquanimiter portans.* Et hæc D. Auguſtini.

Patientia hominis eſt, qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deſeramus; per quæ ad meliora perveniamus. Lib. de Patientia c. 2.

Et hæ ſunt Patientiæ definitiones, ex quibus liquet

Primò, quod hujus virtutis *materia proxima* ſit triſtitia, & animi afflictio nata ex malis quæ incidunt in hac aura mortali: puta parentum, filiorum, amicorum morte, exilio, damnis, morbis, injuriis, & aliis ejuſmodi, quorum ferax eſt vita noſtra; & in quibus triſtitiam, animique afflictionem aut comprimere, aut moderari, eſt Patientiæ, ne unquam rationis limites excedat.

Secundò, quod *materia remota*, ſint actiones, verba, & geſtus externi, quos ita regit patientia, ut nihil in iis indecorum appareat.

Tertiò, quod *materia remotiſſima*, ſint hæc ipſa mala, quæ recenſuimus, & quæ vulgus appellare ſolet *Patientiæ materiam*.

Tranſeo ad varias illius deſcriptiones, ex quibus illius natura, proprietates, & actus magis ac magis eluceſcent. Patientiæ deſcriptiones.

Valerio maximo *Patientia* dicitur *germana ſoror*, aut *filia fortitudinis*. Lib. 9. Commentum eſt, ſed ingenioſum, quo fortitudinem effingit veluti mirabilem heroinam, quæ Patientiam aſciſcit in gloriæ ſuæ partem, vel ut ſororem, vel ut filiam: ſic enim, inquit,

Egregiis operibus fortitudo ſe hominum oculis ſubjecit, potentiamque in medium procedere hortata eſt, non ſanè infirmioribus radicibus ſtabilitam aut minus generoſo ſpiritu abundantem: ſed ita ſimilitudine junctam, ut cum ea, vel ex ea nata videri poſſit; adeò illi ſimilis, illi adnata, ut illa propè videatur, & ſit. I. Fortitudinis ſoror, aut filia.

D. Thomas, aliique ex illo Theologi *Patientiam* appellant, *partem fortitudinis*, eamque ponorem. II. Pars fortitudinis.

Inſunt humanæ menti cœleſtia quædam illius decora, atque ornamenta, vel ſi voles principia,

cauſæque

cauſæque nobiliſſimorum actuum, quas Theologi *habitus* nominare ſolent, voce in ſcholis uſitata: & ii ex aliis atque aliis partibus componuntur.

Et ita ineſt fortitudo, ſeu animæ decus, ſeu principium heroicarum actionum, cujus aliqua *pars* eſt *Patientia*.

III. Virtutum cuſtodia.

Ciceroni *Patientia* eſt quaſi *officii*, & virtutum *Cuſtodia*, ſic enim eam appellat in Tuſculanarum Quæſtionum libro ſecundo. Nimirum virtutibus grave bellum eſt cum vitiis, & depravatis affectionibus, quæ validas inſtruunt acies, quæ ferrum intentant, & ignes, & apertam bonæ menti perniciem: quam ne ex improviſo occupent, opus eſt vigili cuſtodia; & hæc eſt à *Patientia*, ceu Cuſtode pervigili.

Lib. de Patientia c. 15.

Appello Tertulliani fidem, atque authoritatem. Patientia, inquit, eſt, quæ *fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem inſtruit, pœnitentiam expectat, exomologeſim aſſignat, carnem regit, ſpiritum ſervat, linguam frænat, manum continet, ſcandala pellit, martyria conſummat.*

Lib. de bono Patientiæ.

Tertulliano conſentit D. Cyprianus melior ſuo magiſtro diſcipulus. Sic enim ait: *Patientia tuetur in Virginibus beatam integritatem, in viduis laborioſam caſtitatem, in conjunctis, & maritatis individuam charitatem. Facit humiles in proſperis, in adverſis fortes, contra injurias, & contumelias mites, docet delinquentibus citò ignoſcere, ſi ipſe delinquas diu, & multum rogare; tentationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones, & martyria conſummat.*

IV. Virtutum ornamentum.

Vidimus ut Patientia aliis virtutibus ſit pro cuſtodia, ac præſidio; videamus ut etiam ornamento.

Certè ſic eam appellandam cenſuit Ariſtoteles vel ſola natura, ac ratione duce: ſic enim in Ethicis ait. Animi magnitudinem, quæ ineſt patientiæ, *ornamentum eſſe quoddam virtutum*, eaſque meliores, ampliores, ornatioresque efficere; ſine quibus ipſa non ſit: & cum qua reliquæ omnes mirificè efflorefcunt, ac nitent.

Ac ne tantùm à profanis eam Patientiæ commendationem accepiſſe videar, D. Ambroſium produco teſtem illius locupletem: ſic enim ille de Patientia.

Lib. 1. offic. c. 39.

Sola eſt, *quæ defendat ornamenta virtutum omnium, & judicia cuſtodiat, & quæ inexpugnabili prælio adverſus omnia vitia decernat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adverſus voluptates.*

Dum autem id agit & molitur Patientia, & Virtutes cuſtodit ipſa, & earum tuetur ornamenta: certè ſine patientia nec fidei ſtaret inconcuſſa firmitas, nec religioni integritas, nec humilitati modeſtiæ gravitas, & in abjectione ſublimitas, nec in obedientia conſtans voluntas, nec denique in ipſa caritate nitor aureus; ſed & hic, & illa omnia facilè conciderent, niſi ea omnia foveret ſuſtineretque inſignis patientia; quæ ſola de vitiis omnibus triumphat, cùm aliæ virtutes ſingulæ cum ſingulis vitiis depugnent.

Ab his porrò Patientiæ triumphis exiſtimo factum, ut Tertullianus Prophetam *Iobum*, patientiæ miraculum, altiore voce uſus appellet *Operarium victoriæ Dei*; qui *retuſis omnibus jaculis tentationum, lorica clypeoq́; patientiæ*, Dei in ſe, & à ſe victorias oſtentet, & triumphos reportet.

L. de Patientia c. 14.

V. Animæ medicina.

Sed ab his tranſeo ad aliam ejuſdem patientiæ deſcriptionem: ea D. Chryſologo dicitur, & eſt *Animæ medicina*, à qua & ipſe *Patiens* appellatur, & verò etiam eſt *Animarum medicus*: quod ut in aperto ponat S. Præſul, componit patientem cum medico: ut enim hic corporis morbos ſanat: ſic ille animorum depravatas affectiones, ceu totidem morbos, curat. Ut autem illud innoteſcat, *carnalium*, inquit, *medicorum loquamur exempla.*

Serm. 38.

Nonne quoties miſerum hominem cholera inflammaverit incendium, & dominante febre veſanum reddiderit ægrotantem, turbatur ſenſus, mens deperit, ſeritas accedit, recedit humanitas, & ut multis, moriente homine furor vivit. Hinc eſt, quod frendet dentibus, parentes laniat, ſcindit proximos, cadit pugno, morſu agit, atque afficit obſequentes.

Vidiſti miſelli hominis morbum, & ex illo impetus inſaniæ, ac furoris: attende medici curam, atque induſtriam, & hanc, & illam ore aureo D. Chryſologi: ſic inquit

Tunc medicus ad virtutis laudem, ad artis gloriam, ad famæ cumulum armatur patientia, tolerantiam ſumit, injurias deſpicit, morſus ſuſtinet, fert labores, & non leves pœnas patitur, ut à pœna liberet laborantem, fovet oleo, inſiſtit cultu, erogat medicinam, certus quod mercedem honoris, obſequiis repenſet ægrotus dum receperit ſanitatem.

Hæc ubi, ſive de ægri morbo, atque inſania: ſive de medici patientia, ac ſollicitudine dixit Præſul Ravennas: tum inſtituto noſtro accommodat, & à morbis corporis, ac medico corporum; tranſit ad morbos animi, & animarum medicum, id eſt Patientem, & ſic ait

Rogo, quæ major phreneſis? quæ par dementia? ſancti hominis percutere maxillam, manſueti fratris faciem verberare, placidi vultus gratiam triſti livore perfundere, nudare hominem ſolo, quo tegitur veſtimento, & ob vilem prædam nil Deo, nil homini, nil naturæ relinquere, nil pudori; angariare hominem ſuis actibus occupatum, & alienam pœnam ſuum ſolatium computare?

Hæc ubi de morbis animi extulit: tum verſa ad animorum medicos oratione, ſic ad illos:

Ergo fratres, ſi talia perpetrantes, graviſſima phreneſi laborare cognovimus, obediamus Chriſto, & furentium fratrum morſus, verbera, onera, totâ virtutis pietate portemus, ut & fratres noſtros liberemus à pœna, & nos æternum patientiæ præmium conſequamur.

Hactenus S. Chryſologus, à quo deſcendo ad aliam deſcriptionem Patientiæ, quæ perſecutionibus exercetur, ac probatur.

VI. Baſis & fundamentum Eccleſiæ.

Hæc D. Ambroſio dicitur *Baſis & fundamentum Eccleſiæ*, quam nuncupationem plenam honoris, & gloriæ deducit S. Doctor ex illo Pſalmiſtæ de Chriſto. *Super maria fundavit eum, & ſuper flumina præparavit eum.* Ut enim Chriſtus, qui Eccleſiæ Caput eſt fundatus *ſuper maria*, hoc eſt ſuper undas, procellas, tempeſtateſque perſecutionum; ſic & Eccleſia, quæ hujus capitis eſt veluti corpus, fundata eſt ſuper ea patientia, quæ tyrannorum æſtu, undiſque perſecutionum quatitur, & tamen illis ſemper eminet, nec abſorberi unquam poteſt.

Pſal. 23.

In explic. Pſ. 23. v. 2.

In tribulationibus fundatur Eccleſia, in tempeſtatibus, & procellis, in ſolicitudinibus, & mœrore, in rebus adverſis, & in fluminibus præparatur, inquiebat olim D. Ambroſius.

Ab his porrò fluminibus, ceu undis perſecutionum, auditur *Vox Evangelica*, de qua & Vates Regius. *Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt vocem ſuam*, vocem dico Evangelicam: & hinc mihi ducitur etiam alia Patientiæ deſcriptio. Ea lingua eſt diſertiſſima, vox prævalida, & grandior, quæ etiam evadit ad ultimos uſque univerſi fines, & ab uno orbe in alium penetrat.

Pſ. 29. v. 4.

VII. Vox Evangelica.

Audi glorioſum Martyrem mutuata D. Ambroſii eloquentia: ſic ille ad judices, ad tyrannos, ad carnificem.

Lib de Iacob c. 21.

Abſcinde linguam: ſed non abſcindes conſtantiam, non virtutem auferes, non rationem obliterabis, non eripies teſtimonium veritatis.

Hæc ubi ad carnificem invictâ patientiâ locutus eſt Martyr; tum ſic æſtu quodam ſeu divini amoris, ſeu patiendi deſiderio excitatus, inclamat:

Quid verba damus? loquaciora ſunt vulnera: ſatis jam Deum ſermone laudavi; nunc paſſione laudemus.

Loquaciora, inquit, *ſunt vulnera*: hæc enim etiam audientium animos pervadunt, percelluntque, ſeu merii divinæ juſtitiæ, ſeu illuſtri, & maximè vocali veritatis teſtimonio, ac Religionis Chriſtianæ commendatione: cùm aliàs ipſa verba tantùm aures feriant.

Doctrina Viri, inquiebat Sapiens, *per patientiam noſcitur*, & quidem meliùs efficaciusque, quàm per ipſam prædicationem, & linguam, etiam vel maximè diſertam; quod & agnovit, & commendavit ipſe Seneca: cùm enim citaſſet illud Epicuri: *Magnificentior mihi crede ſermo tuus in grabato videbitur, & in panno: non enim dicuntur tantùm illa; ſed probabuntur*: cùm, inquam, hæc citaſſet, tum adjecit illud de ſuo.

Epiſt. 20. *Ego certè aliter audio, quæ dicit Demetrius noſter, cùm illum vidi nudum, quantò minus quàm ſtramentis incubantem: tunc enim non præceptor veri, ſed teſtis eſt.*

Et ita teſtes ſunt Martyres, ita teſtis & eorum patientia; quæ longè efficaciſſima eſt, quia *verba rebus probat*.

De Philoſophia ſua hæc aliquando magnificè extulit Seneca.

Ibidem. *Facere docet Philoſophia, non dicere: & hoc exigit, ut ad legem ſuam quiſque vivat, ne orationi vita diſſentiat, ut ipſa inter ſe vita unius ſine actionum diſſenſione, coloris ſit. Maximum hoc eſt, & officium ſapientiæ, & indicium, ut verbis opera concordent, & ipſe ubique par ſibi, idémque ſit.*

Quod ille de Philoſophia, ſapientiaque: hoc ego de Patientia dixero. *Facere hæc docet, non dicere*, atque ad legem ſuam ſic vivere, ut orationi vita nunquam diſſentiat; & unius ſemper ſit coloris & vita & actio. Et talis eſt, eritque Patientiâ, & quiſquis ex verò erit patiens. Sed ne longius, accedo ad aliam Patientiæ deſcriptionem, eamque plenam majeſtatis.

VIII. Sigillum virtutis Dei.

Ex S. Diadocho dicitur *ſigillum virtutis Dei*. Quod ut probet, hominem componit cum cera; ſic enim ait ſtylo ſimplici, & candido.

Libello de Perfect. Spir. c. 94. *Sicut in cera, niſi multum tepefacta, & mollita ſit, non poteſt ſigillum imprimi: ſic nec in homine ſigillum virtutis Dei imprimi poteſt, niſi laboribus, & infirmatibus probetur.*

Eſt igitur homo cera: ſigillum Patientia, & quidem ſigillum virtutis Dei,

Sigillo puſilli mortales inſignia ſua, & ſcuta gentilitia apprimunt, ut ex iis notis, quis qualiſve ſis, Irusne, an Crœſus.

Si Ducis, ſi Principis, ſi Regis ſigillum ſit, in honore eſt, atque æſtimatione: ſecus ſi homuncionis alicujus de vulgò, & fæce popelli.

Quod ſi ita eſt, quis, quantusque erit ille, cui *ſigillum Dei* impreſſum fuerit, erit autem cui & impreſſa Patientia, ceu Dei ſigillum, & quidem *virtutis*, antonomaſticè: Patientia quippe Virtus eſt, & quidem Dei ter Opt. ter Max. Virtus.

IX. Lapis Lydius, quo probantur electi.

Huic deſcriptioni affinis eſt illa, qua *Patientia* appellatur veluti *Lapis Lydius*, ſive index ad explorandam auri naturam, atque præſtantiam. De hoc ita Plinius:

L. 33. c. 8. *Hi cotulis periti, cùm è vena, ut lima rapuerint experimentum, protinus dicunt, quantum auri ſit in ea, quantum argenti, vel æris, ſcrupulari differentia, mirabili ratione non fallente.*

Quod auro probando *Lydius Lapis*: hoc patientia Viro; probabit hæc, prodetque quis ille, & quo apud ſuperos pretio, terrenúsne, an cœleſtis.

Et ita Meſſiam olim probandum eſſe cenſuerunt Judæi, hoſtes illius infenſiſſimi; probandum, dico, ex ipſius lenitate, ac patientia, illatis illi contumeliis, inflictisque ſuppliciis atrociſſimis. ſic enim de illo acceptis ab ipſo ſapiente prophetiarum oraculis:

Sap. cap. 2. v. 13. & 19. *Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat, contumelia, & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius.*

Græca vox, βάσανος, ſignificat & tormentum, & ſimul etiam *Lapidem Lydium*: hoc probatus eſt Meſſias, eſſetne Filius Dei, & eum eſſe probavit tormentum ſeu cruentæ flagellationis, ſeu ſpineæ coronæ, ſeu etiam Crucis ac mortis, & in illis omnibus invicta patientia.

Quod ſi hac probatus, etiam mortalibus oculis innotuit Deus-homo, Dei filius, & innoteſcet quiſquis à gratia, & caritate purus inter homines erit Dei Filius; nec enim fallit illa ratio.

Conſtantius Vir Dei, ruſticum aliquem, vilemque homuncionem ſe deſpicientem, & petulanter irridentem, blandiſſimo complexu tenuit, & oſculo etiam dignatus eſt.

Probata inde inſignis illius patientia, & clara apud Superos virtus, quam dum ſuſpicit, & amat D. Gregorius, & nomine, & re etiam ipſa *Magnus* pronuntiavit illud è Petri ſede oraculum:

L. 1. Dialog. c. 5. *Qualis quiſque apud ſe latet, contumelia illata probat.* Maneat ergo indubitatum illud. Patientiam eſſe Virtuti, quod auro *Lydius Lapis*. Ab illa probati homines à Clemente Alexandrino, vocantur *Divini, Dei formes, Deo ſimiles, Deo æquales*, quaſi eos ipſa Patientiæ virtus, ad aliquam Divinitatis communionem extuliſſet, tam ardua eſt Patientia, tam ſublimis, ut hominem è luto quaſi in cœlum evehat, & divinum quid illi apprimat, & quaſi ipſius Dei formam, ac ſimilitudinem; propè dixi in ea æqualitatem, quantum humana natura patitur.

X. Dei trophæum.

Ut proinde mirum non ſit, ſi in ipſa, & ab ipſa *Patientia* ſibi quodammodò *Trophæum* erigat Deus ipſe. Et hinc mihi in manus datur alia ejuſdem Patientiæ deſcriptio, qua appellatur, & eſt *Trophæum Dei* de hoſte tartareo triumphantis. Sic eam certè nominandam cenſuit Tertullianus, qui illuſtrem Jobi patientiam demiratus, exclamat.

Lib. de Patientia c. 14. *O feliciſſimum illum, qui omnem patientiæ ſpeciem adverſus omnem diaboli vim expunxit! Quem non abacti greges, non illæ in pecore divitiæ, non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipſius denique corporis in vulnere cruciatus, à patientia excluſit, quem diabolus totis viribus fruſtra cæcidit.*

Hæc ubi de inſigni illa, ſuiſque numeris abſoluta patientia pronuntiavit; tum attonitus exclamat

Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit? Quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit? cùm ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore promeret, niſi Deo gratias. Cum uxorem jam malis delaſſatam, & ad prava remedia ſuadentem execraretur.

Quid? ridebat Deus. Quid? diſſecabatur malus, cùm Job immundam ulceris ſui redundantiam magna æquanimitate diſtringeret, cùm erumpentes beſtiolas inde, in eoſdem ſpecus, & paſtus foraminoſæ carnis ludendo revocaret.

Hactenus altiore ſtylo Tertullianus, ex quo hæc præcipuè notari velim.

Primò, Jobum *omnem patientiæ ſpeciem expunxiſſe*.

Et hinc ſecùndò, Deum ter Opt. ter Max. *in illo Viro feretrum de diabolo extruxiſſe*.

Feretrum antiquis erat inter inſtrumenta triumphi: & ejuſmodi, ut in eo pompa deferretur; nos alia voce, eaque magis uſitata, *trophæum* appellamus: ſicque Deus in patiente Iobo ſibi *trophæum* erexit: quo de jurato hoſte triumphaſſe ſe in ſervo ſuo Iobo, etiam omnibus poſtea ſæculis, indicaret: adeò verum eſt quod Patiens *Trophæum ſit Dei*; nec *Trophæum* modò, ſed & vexillum; recepto apud triumphantes more, rituque: quo circumferebantur arma, vexillaque devictarum gentium, & mox ſuſpendebantur.

Et ita

Et ita Deus patientem Jobum, ceu vexillum erexit, explicuit appenditque in ſignum de triumpho ab hoſtibus, Mundo, Carne, Dæmone, relato: quo quid ſpecioſius ad laudem dici, fingique poſſit, non video, ſaltem in hac vita mortali: ſed demus aliud, quod in altera immortali. Erit illud, quod
XI. Trophæum Gloriæ ac beatitatis. eadem Patientia & ſibi, & ſuis erigat *Trophæum gloriæ, ac beatitatis*, & quidem ipſa, nec alia.

E pulvere Martinad ſuos glorioſus redibat Rex Chriſtianiſſimus, victis, cæſis, profligatis hoſtibus, ſpoliis dives triumphantis in morem; cùm ei forte de via occurrit Sorbonæ Doctor, iſque in paucis nominatus; quem ut vidit, juſſit in illa populorum gratulatione, communique plauſu, pauca ad Duces, militéſque dicere, ac gratulari.

Hic ut Regiam majeſtatem aſpexit, ut erepta de hoſtibus ſpolia, ut erecta victori trophea, ingenti ſumptu, atque apparatu, ut triumphi auguſtam ſpeciem, ſic exorſus.

Stultus erat S. Joannes Baptiſta, ſtultus & Petrus licet Apoſtolorum Princeps, ſtultus & Paulus quamvis Gentium Apoſtolus, ſtultus & Andreas
Racanis in paralel. Diſcurſu 17. qui Crucem aſcendit, ſtultus & Bartholomæus, qui pelle exutus & vita, ſtultus & Stephanus, qui ſub ſaxorum grandine cecidit, ſtultus & Laurentius lento igne toſtus, ſtulti & Apoſtoli omnes; ſtulti & Martyres, licet tyrannis invicti; ſtultæ & Virgines, candidata agmina, Agnes, Catharina, Cæcilia, quæ ſub carnificis manu cecidere victimæ; ſtulti denique & Sancti omnes, quos habet Cœli regia.

Dixit, & altum ſiluit. Hic attoniti omnes, hic hærere, ſtupere Rex ipſe; hic alii ridere, exſibilareque importunum, inſulſum, ut rebantur, oratorem, ad quem deinde Rex ipſe.

Siccine Domine Eccleſiaſtes, ſic Sanctos, & Cœli Principes oratione tua dehoneſtas? certè ſi mihi decerneretur ſolemnis canoniſmus, nolim te oratorem, ne & me cum illis ſtultum vocites & habeas. Cui Orator ille noſter:

Ecquid enim Rex Chriſtianiſſime? ecquid Viri Principes, & primæ notæ nobiles? qui tua, ô Rex, ſtipant latera, nunquid omnes ad Cœli gaudia, ad triumphos æviternos, ad cœleſtem beatitatem aſpiratis? nunquid eam & ſpe, & votis omnibus prenſatis omnes? Cui Rex: Enimvero & ad eam aſpiramus, & ſpe, deſideriiſque prenſamus. Cui Doctor: Ne ergo ulli mirum accidat, ne inſolens videatur orationis meæ prooemium. Enimvero ſtulti, & mortalium ſtultiſſimi fuere Sancti illi omnes, ſi auguſtam Cœli gloriam, ac beatitatem, gaudio, plauſu, acclamationibus, gloria, luxu, & hujus mundi pompa, ac triumphis, imo & deliciis, comparandam ſibi crediderint, eam nihilominus, mœrore, luctu, dicteriis, calumniis, infamia, cruce, ferro, igne, ſuoque per extrema ſupplicia ſanguine ſibi emendam eſſe cenſuerunt. Certè ſi patebat illis Cœli via, via beatitatis, ſparſa roſis, & violis, ne ſtulti, qui ſpinis, & ſentibus horridam elegerunt.

Dixit, ſiluit, & plauſum habuit. In eam quippè ſententiam venere milites, venere Duces, ac Principes, venit & ipſe Rex, Cœli beatitatem, quam unam ſpectabant, non obtineri niſi labore, dolore, cruce, nec erigi Cœlo ſubeundo trophæa, niſi comite, ducéque patientia. Et ita probatum omnibus, laudatumque ſacri Oratoris prooemium.

Et verò ut ſic probetur omnibus, laudetur ab omnibus eſt neceſſe. Appello ipſius Chriſti ſeu oraculum, ſeu etiam exemplum. Sic ille quondam ad peregrinos in Emaus:

Luca c. 24. v. 26. *O ſtulti, & tardi corde ad credendum iis, quæ locuti ſunt Prophetæ. Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?*

Oportuit omnino, ut ſua Prophetis maneret fides, ut Patris Æterni decreto fieret ſatis, ut ſuum eſſet homini redimendo pretium, ut & Apoſtolis, & Martyribus adderentur animi ad audendum, ad patiendum.

Oportuit, inquam, *pati Chriſtum?* Quidni & nos ſic oporteat? *Et ita intrare in gloriam ſuam.* Quidni & nos, ut etiam in alienam? certè oportuit, & etiamnum oportet. Hæ quippe ſunt Cœli leges, & hæc Dei placita, ut nemini decernatur cœleſtis gloria, & beatitas, nemini etiam obveniat, niſi patientiæ beneficio, ac merito; cujus conſcia *B. Magdalena de Pazzis* id unum à Deo petebat, & intus in animo, & foris in corpore pati, & hoc vocitabat, *Purum pati, & audam crucem*; à qua unà manet Corona, manet & beatitas. In ejus vita.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Patientia opus perfectum habet.* Epiſt. D. Iacobi c. 1. v. 4.

Quæ potiſſimæ ſint Patientiæ partes?

HUjuſce Virtutis partes, vel quaſi partes deſumemus ex aliis, atque aliis ejus officiis, & actibus, in quos ſingulos, *Patientia* (quæ quoddam velut complexum [illegible] influit; & de quibus hîc ſigillatim agendum erit.

§. 1.

Prima pars, ſeu primus Actus Patientiæ in morbis æquanimiter tolerandis.

EST morbus prava quædam corporis affectio, quæ malum creat, dolorem ciet, & inde quandam animi afflictionem, ac triſtitiam, quæ ex vero mentis ægritudo dici poteſt. Quid ſit morbus ex natura?

Eo libera fuiſſet ætas innoxia, & felix innocentiæ ſtatus, quia omni peccati nævo liber, quo, quia ab Adæ lapſu, infecta eſt & notata Poſteritas; hine & morbis omnibus obvia, atque afflicta. Eſt enim morbus veluti primus culpæ fœtus, & illius etiam pœna, quam declinare nullus poteſt, niſi annuente, ſupra communem naturæ ordinem, cœlo, Deoque. Et ita annuiſſe viſus olim in ſummo Sacerdote antiquæ Legis, & in nova paucis etiam aliis. Et unde?

D. Auguſtinus in Leviticum Quæſtione 82. & 83. cenſet ſummos olim Sacerdotes ex ſingulari quadam Dei indulgentia, & officii, quod gerebant, privilegio, nunquam, ab eo ſuſcepto, ægrotaſſe: ſed ubi moriendum erat, ſubitâ morte præoccupatos, & ſublatos è vivis: uti contigit Aaroni. Qui morbis exempti.

Ratio potiſſima illius hæc eſt, quia bis in die, mane ſcilicet, & veſperi offerre debebat incenſum in altari Thymiamatis, & hoc quidem, non à minori Sacerdote (hic enim in Sancta Sanctorum, ubi erat altare Thymiamatis, ingredi non poterat) ſed à ſummo Sacerdote, cui ſcilicet uni patebat ingreſſus. Et quia is erat unicus, ſemper valens, ac vegetus eſſe debuit ad id muneris exequendum; alioqui legale illud miniſterium aliquando interrumpi debuiſſet.

Ex quo conficit D. Auguſtinus, nunquam aliquo morbo tentatum: ſed ubi abeundum erat è vivis, abiiſſe morte repentina: ut ſic illicò eadem etiam die ſubſtitueretur alius, qui ei vacaret officio.

Quod interprete D. Auguſtino, datum eſt Sacerdoti ſummo: hoc deinde, Ruffino, Palladioque teſte, conceſſum eſt S. Iſidoro Abbati, ejuſque monachis. *Ruffinus l. 2. de vit. PP. c. 27. Palladius l. 2. c. 17.*

Hi ex eo quòd eſſent ſingulari morum vitæque innocentia conſpicui, etiam à morbis omnibus erant liberi: etſi quando excedendum eſſet è vita, accepta

priùs de imminente obitu revelatione, & fratres conſalutare, & dare extremum vale, & in lectulo ſe componere, & in eo placidè obdormire. Crederes redditum illius antiquæ Innocentiæ privilegium.

Certè redditum Deiparæ Virgini, quam, quia nulla unquam infecit culpa, ne originalis quidem, nulla etiam attigit morbi vis, & contagio: ſed eo penitus exempta, etiam è terris exempta eſt, & cœlis addita, non tam ſuavi mortis ſomno, quàm amoris violentia; in qua ſi in ullo alio, *fortis ut mors dilectio*.

Quod Divæ Matri: hoc & Chriſto potiori jure datum eſt, quod ut in aperto ponatur, & clara luce cum D. Thoma, univerſaque Theologorum ſchola, id ſtatuo, eos qui in humano corpore viſuntur defectus ad duas claſſes revocari.

Alii habent aliquam cum ipſa natura conſenſionem, nec tam vitium arguunt, quàm intimam ipſius conſtitutionem, cujuſmodi ſunt ſitis, fames, aliique his affines, qui ipſi corpori quodammodo adnaſcuntur: & hi in Chriſto eſſe potuerunt; & re etiam ipſa fuerunt.

Alii ſunt, qui naturæ jam corruptæ vitium accuſant, & damnant, ut febris, calculus, & quævis alia ſimilis ægritudo: hæc in Chriſtu nec fuit, nec eſſe potuit; quia uti peccatum in illo nec fuit, nec eſſe potuit; ſic nec ea, quæ à peccato nata eſt ægritudo.

His ita ex veritate conſtitutis, ad morbos venio, qui patientiæ materiam miniſtrant ampliſſimam, & ſimul etiam victrices pal[illegible] & coronas, ſi modò æquo animo tolerentur, & ea qua decet cum divina voluntate conſenſione.

Hanc aſſequi non erit difficile, ſi tibi certò perſuaſeris primò, hanc eſſe à natura legem impoſitam, & quodammodo neceſſitatem: ut morbis, velis nolis, ſubjaceas; ſicut & morti; pugnare autem cum natura nec rationis eſt, nec hominis.

Auguſtinum audi, qui hujus imbecillitatis venam attigit. *Quis non ægrotat in hac vita? quis non longum languorem trahit? naſci in hoc corpore mortali, incipere eſt ægrotare.* In Pſal. 102.

Quod ſi qui naſcitur, ex tunc incipit ægrotare, certè qui vitam longiùs trahit, & ſimul ægritudinem trahat eſt neceſſe: pugnare autem cum neceſſitate ſtulti eſt, non ſapientis.

Et hæc prima ratio *Patientiam* appellat, & ſuadet in quavis corpuſculi hujus invaletudine.

Altera eſt amica quædam Dei providentia, quæ morbos immittit, ut dum carni ab illis malè eſt, animæ benè ſit; imò quàm optimè.

Eſt *morbus opportunus monitor*, monet enim nos humanæ ſortis.

Quid morbus ex virtute. Corpus veluti domus, eſt ejus hoſpes animus: ubi quati, labaſcere, & ruinam minari cœperit ea domus, luteaque compago, tum injicitur cogitatio perennis, æternique domicilii, & ex illa etiam ſpes, & amor.

Corpus eſt veluti carcer, quo captivus tenetur immortalis animus: ubi à morbis ſolvi incipit, atque laxari, tum verò animus & ſibi, & cœlo reſtitui votis omnibus poſtulat; nec mirum, quia tunc Deo propior fieri videtur. Ut enim D. Gregorius Nazianzenus. *Anima morbo affecta, Deo propinqua.*

Eſt *morbus recta ad virtutem via*, imò & brevis ad cœlum ſemita. Appello fidem, atque authoritatem Theodori, Archiepiſcopi Colonienſis, Viri Infula, Pedoque clariſſimi; hic rogatus aliquando ab Imperatore Sigiſmundo, quæ via in Cœlum duceret, reſpondit. *Si tuam vitam ita inſtitueris, uti facturum te promiſiſti, dum calculis, aut podagra, aut alius morbus gravior te oppreſſit.*

Nimirum eò loci, ac temporis, quo ægri ſumus, & magna præteritæ vitæ pœnitentia, & futuræ præcautio; & multa providentia, optimeque nobiſcum agitur, ſi modò morbo benè conſulenti deinceps pareamus.

Eſt denique *morbus Dei donum*, & velut amica quædam Cœli indulgentis viſitatio, à qua bonæ mentes ſibi ſentiunt eſſe quàm optimè, inde gaudere, atque exultare, ſi morbis ſubinde tangantur, certi benè eſſe tunc animo, cùm malè eſt corpori.

Teſtis erit ſenex ille, cujus meminit Ruffinus. Solebat ille frequentiùs infirmari, & totis languere, evenit autem, ut anno uno nullam penitus ægritudinem ſentiret, utpote ſibi quodammodo redditus, & ſanitati. Quid deinde? an geſtire præ gaudio? an Deo ſoſpitatori gratias agere? an exinde viridem, vegetamque ſenectam optare, atque à Cœlo petere? Minimè gentium. E contrario gemere, timere, flere, & de Deo conqueri, edereque in auras & aures omnium voces illas doloris intimi teſtes: Lib. 9. num. 158.

Reliquiſti me Domine, & noluiſti me præſenti hoc anno viſitare.

Hæc ille alto cum gemitu, ratus ſe à Deo relinqui cùm ægritudine non pulſatur, ſe à Deo non viſitari cùm morbo non viſitatur: nimirum illi morbus Dei viſitantis amor, atque indulgentia, Dei donum, & quidem illuſtre.

Certè tale eſſe cenſuit, tale & appellavit S. Ignatius, Societatis JESU fundator, nec minùs donum, quàm ſanitas.

Unde à Chriſtianis ne audiri quidem debent ea Gnoſticorum deliria, qui morbos aiebant eſſe dæmones, quos proinde incantationibus è corporibus ejiciendos eſſe putabant.

Deliria ſunt iſthæc, & inſana hæreticorum commenta; veritas Chriſtiana hæc eſt, morbos animæ ſanæ, & bonæ menti eſſe velut uberem meritorum ſegetem, velut gloriæ ſemen, ac beatitatis.

Teſtor fidem, & patientiam S. Ligduvinæ. Hæc annis octo ſupra triginta aliis atque aliis morbis exercita, ſibi viam paravit ad coronam, quam aliquando illi Deus exhibuit in mentis exceſſu, in hoc ſpectavit coronam pretioſiſſimis gemmis ornatam mirâ luce ac varietate, needum tamen omnino perfectam: deerat enim pars aliqua ad complendum illius orbem.

Hunc qualem qualem illius defectum dum attendit, ſimul Deum enixè rogat, ut pro illo liceat adhuc & plura, & majora pati, ut tandem compleatur quod deeſt ad coronam.

Supplicem exaudiit Deus, & milites immiſit petulantiores, qui eam injuriis impeterent, laceſſerent conviciis, imò & verberibus multarent quàm peſſimè.

Hæc omnia invicta animi conſtantia, & patientia dum tolerat Virgo, adeſt illi Angelus cœleſti luce conſpicuus; Solem diceres alterum; & certè Sol erat, & Aſtrum Empyrei orbis, qui hæc ad illam.

Salve cariſſima ſoror. Ecce nunc abſoluta eſt corona, quam nuper imperfectam vidiſti, propter inverecundos tactus virorum illorum, noveris te poſitam in veſtigiis Salvatoris. Ludibria, & vulnera corpori tuo impoſita, fuère gemmæ, quas in illa corona, & adeſſe vidiſti, & abeſſe.

Dixit, & cœlo ſe reddidit, docuitque quàm verum illud Tertulliani; quod patientia Deum habeat Agonothetam, & debitorem. Nimirum *ſatis idoneus patientiæ ſequeſter eſt Deus: ſi injuriam depoſueris penes eum, ultor eſt; ſi damnum, reſtitutor: ſi dolorem, medicus eſt: ſi mortem, reſuſcitator eſt. En quantum patientiæ liceat, ut Deum habeat debitorem.* Et cum ſe habuit, cum ſe probavit in Lugdwina, cui abſolvit ornavitque coronam velut illuſtris patientiæ debitum, quod & Cœlo interprete didicit, agnovitque *B. Guilielmus*, Roſchildenſis Abbas in Dania. Lib. de Patient. c. 15.

Agebat hic ætatis ſuæ annum nonageſimum, ut annis, ſic & meritis gravis, cùm ei per placidæ noctis quietem apparent Angeli, cœleſtes utique nuntii, coronam auro, gemmiſque præclarè diſtinctam texentes.

texentes. Aſtupuit Abbas ſeu rei novitate, ſeu cœlitum reverentia, cui ubi pluſculum datum eſt, reſumpto ſpiritu, animiſque, ex iis quæſivit: *Eccui nam paratur iſta corona? Tibi*, inquiunt, *Angeli*. Tum quærenti, quandonam perficienda foret illa? ſubjicere illi: *Dum paſſus fueris ſatis.* Nimirum patienti paratur, texiturque cœleſtis corona, nec alteri, ut videre eſt in hoc beato Præſule.

Quod illi, hoc & aliis, qui in morbis, hoc eſt illuſtri Patientiæ palæſtra, ſe viros probarint.

S. Hugo Abbas Bonæ Vallis, religioſum in ſua vocatione nutantem confirmârat aliquando, hic deinde in gravem morbum incidit, & in eo ſe fortem, & mirè patientem exhibuit, nec defuit Patientiæ ſua merces. Ei quippe ſe viſendum obtulit S. Job, olim Patientiæ miraculum, & hæc illi.

Henriquez in faſc. SS. Ordin. Ciſt. l. 2. Diſt. 2. c. 8.

Ego ſum Iob, quem Pater miſericordiarum miſit ad te conſolandum. Vt ego in ſimili infirmitate patiens fui: ſic & tu. Ideò florebis mecum, & metes quod ſeminaſti.

Dixit, & videri deſiit. Viſionis fidem docuit eventus. Die quippe ſequenti obiit; & S. Hugoni, mira gloriæ luce coruſcus apparuit. Adeò verum in morbis jaci ſemina, quæ deinde metes in gloria, æternáque beatitate, quam & inchoare videris, cùm morbis aliis atque aliis affligeris.

Hiſtor. Societ.

Quod præſentiens P. *Ignatius Balſamus* è Societate JESU religioſus in paucis, & mirè patiens, octodecim morbos, cum quibus conflictabatur, appellare ſolebat *domeſticas ſuas beatitudines.*

Rebatur enim, & benè, beatum eſſe ſe à morbis, & in lectulo ſuo, domeſticiſque anguſtiis, beatitudines invenire, quas deinde meliore ſorte, magnoque fœnore transferret in cœlos, Deique Regiam.

Et hinc ei ipſa corporis ægritudo erat in primis votis, uti & *B. Margaritæ de Cortona*, quæ nullis invidebat magis, quàm ægris & languentibus, quorum omnium & languores, & ægritudines in ſeipſam transferre voluiſſet. Sic enim, inquiebat:

Bollandus 22. Febr.

Omnes vallatos, & oneratos morborum anguſtiis, ſuis ſi poſſem pœnis exuerem, & me ſolam iiſdem induerem.

Adeò illi in amoribus erant ipſæ morborum anguſtiæ. Quod illi, hoc & *B. Iacobo à Marca* ordinis D. Franciſci, qui cùm annis omnino triginta & podagræ, & colicæ doloribus mirè afflictus fuiſſet, nunquam magis, & Deum laudare, & exultare viſus. Terris vivere deſiit, & Cœlo cœpit, in ſenectute bona, plenuſque dierum, utpotè, qui recenſeret vitæ annos quinque ſupra centum, à quibus beatæ redditus æternitati Anno Domini 1506.

Wadingus in Annal. Minor.

Quæ illi à morbo obvenit Beata Æternitas, eadem & aliis, & quidem ſine flammis expurgatoriis.

B. Caritati, Virgini ſanctiſſimæ, duobus diebus ante mortem Deus purgatorii pœnas (quas aliàs ſubire debuiſſet, vel ex eo quòd ſororibus ſuis defectus, quos notarat, ingenuè, & candidè non aperuiſſet) mutavit in morbi præſentis anguſtias, quæ illi fuerunt pro purgatorio.

Ioan. à Maria.

Fuit autem is morbus febris ardentiſſima, quæ illam tenuit, aduſſitque ad horas octo ſupra quadraginta, quibus totis in æſtu illo febrili fuit, & eo quidem ut illi ferendo non eſſet, niſi adfuiſſet vis altior.

Adfuit porro à Chriſto Domino, qui illi ſe videndum dedit, & quidem ſpinis coronatus, ut & cœleſti voce, & doloroſa illa ſpecie ei animos faceret ad patiendum, & tolerandos illos ignes febriles, qui cum vita extinguendi erant, & mutandi in æternum, ac cœleſte refrigerium in ſede beatitatis. Ut & ubi in illud aliquando mutentur, *Amice Lector*, age & febres, & podagram, & alios quoſvis à morbo dolores, forti animo patere, ac ſupera, ut tibi etiam hic ſint pro purgatorio; & arrha æternæ beatitatis: cui vix ullus inſcribitur, qui non ardua pro Chriſto ſit paſſus.

§. 2.

Pars ſecunda, ſeu ſecundus Actus Patientiæ in morte, cùm eam natura, ceu debitum, à nobis exegerit.

QUæri hìc poteſt, quid ex natura ſit mors? quid deinde ex virtute, & virtutis præmio? quid denique ex vitio?

Quid mors ex natura?

Ex natura mors nihil aliud eſt, quàm ſolutio illius vinculi, quod inter corpus, & animam intercedit: ea dicitur *naturæ debitum*, quia eam exigit natura corrupta à peccato; non exegiſſet, ſi eo libera atque immunis fuiſſet.

Eccl. c. 14. v. 12.

Et hinc etiam è Siracide dicitur *Teſtamentum inferorum, teſtamentum hujus mundi.*

Vocatur *teſtamentum*: ut enim hoc, ſublato teſtatore, qui illud condidit, revocari non poteſt: ita neque mors, ſublato primo parente, tolli unquam poteſt: cum ea mundo, poſteriſque, velut in teſtamentum ſcripta & data ſit.

Vocatur deinde *teſtamentum inferorum*; quia ſub id temporis, nemo unus omnium in cœlos evolabat, ſed ad inferos, vel puniendi, vel certè detinendi, mittebantur mortales omnes.

Vocatur denique *teſtamentum mundi*, quia nimirum hic mundus, quantus quantus eſt, à primo Parente in teſtamentum, Patriamque hæreditatem, nihil accepit niſi duas illas, eaſque fatales voculas, *Morte morietur*, infelici ſanè, & pudenda hæreditate.

Eccl. c. 40. v. 1.

Dicitur eadem mors & *jugum grave ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium*, ut ſcitè Sapiens.

Terram appellat omnium matrem, è cujus ſinu primùm egredimur, deinde urgente fato in eandem regredimur.

Ita enim ſe res habet ex naturæ lege, ac neceſſitate: à prima vitæ luce ad ultimas ſepulchri tenebras eundum eſt, & ſic ab ortu in occaſum, à nativitate ad mortem properandum.

De hoc & illo, ſeu debito, ſeu teſtamento, ſeu etiam jugo, ſic Tertullianus:

L. de Carne Chriſti c. 6.

Mutuum debitum eſt inter ſe nativitati cum mortalitate: forma moriendi, cauſa naſcendi eſt. Naſcendi, inquam, in peccato. Hoc ſi abfuiſſet à genere noſtro, vitam hanc excepiſſet ſuavis & amœnus ſopor, nec unquam acerba graviſque mors oppreſſiſſet.

Quid mors ex virtute? quid ex vitio?

Vidimus quid ex natura ſit mors, attendamus quid ſit ex virtute, aut virtutis præmio; alia quippe mors juſtis; alia impiis.

L. de bono mortis, c. 8.

D. Ambroſio, *juſtis, mors, quietis eſt portus: nocentibus naufragium putatur.*

Serm. 19. de verb. Dom.

Nimirum hæc vita, & hoc ſæculum, eſt *quaſi mare*, quo jactamur: *in eo ventus validus, & magna tempeſtas: unicuique enim ſua cupiditas, tempeſtas eſt*, inquit D. Auguſtinus.

Et quia alia atque alia cupiditas, hinc alia, atque alia quoque tempeſtas eſt: ſi cupiditas ſit ex rationis beneplacito, ex Dei lege, & norma virtutum; inducit animam *in quietis portum*, & quidem quietis æternæ: ſin autem cupiditas & cum ratione, & cum virtute, & cum Deo pugnet, animam infelicem æterno ſalutis naufragio demergit in profundum inferni:

De civit. Dei l. 13. c. 6.

D. Auguſtino *mors juſti eſt meritum: mors impii ſupplicium*: ut enim ille ipſe S. Præſul *per ineffabilem Dei miſericordiam, & ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutis, & fit juſti meritum ſupplicium peccatoris.*

Ita mors, quæ primùm à Deo vindice decreta fuit ut pœna peccati; ab ejuſdem miſeratione jam tranſit in arma virtutis, & quod prius peccatoris erat ſupplicium; *fit deinde juſti meritum*, dum ſcilicet acceptatur cum patientia & conſenſione cum divina voluntate.

Suprà. Hinc eidem D. Auguſtino mors juſtorum *inſtrumentum ſit per quod tranſitur ad vitam*, & quidem æternam: & contra mors impiorum, quo itur ad mortem, & quidem etiam æternam.

Lib 4. Et inde Clementi Alexandrino *mors juſti eſt porta, & principium veræ vitæ*: mors autem impii eſt porta, *Apoc. c. 20.* & principium veræ mortis, quæ D. Joanni dicitur *mors ſecunda*; ſic enim de injuſtis: *Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* *Mor l. 11. c. 25.* Ab hac improbi *anguſtantur ad vitam: dilatantur ad miſeriam*: ut rectè D. Gregorius. D. Chryſologo *Serm. 108.* mors juſti eſt velut ejus nativitas, inchoatio vitæ, melioris, imò & ipſa vita; ſic enim de juſtis. *Morte naſcuntur, ſine inchoant, occiſione vivunt: & in cœlis lucent qui putabantur extincti.* Nec mirum cùm ita naſcantur, inchoent, & vivant à morte, ut æternùm vivant vita beatiore, quæ neſcit occaſum. D. Paulò Gentium Apoſtolo, Bonis, *mori lucrum* eſt: uti è contrario malis eſt *grande diſpendium*: boni enim vel ipſa morte acquirunt divitias nullo ævo perituras, & majores theſauris omnibus, quos celant gazæ etiam opulentiores: malis autem decedunt etiam opes illæ, dives ſuppellex, aurataque palatia, quæ inſano ſumptu ſibi extruxerant.

Epiſt. 20. *Nemo naſcitur dives, quiſquis exit in lucem, juſſus eſt panno & lacte eſſe contentus: ab his initiis nos regna non capiunt*, inquiebat Seneca.

Quæ naſcendi conditio eſt, eadem & moriendi: ut nudi naſcimur, ſic eximus & nudi; nudi, inquam, à mundi ſpoliis; quibus dum exuuntur mali, immane faciunt diſpendium, & quibus dum careor, & caruerunt boni, grande in morte lucrum faciunt. Et hinc

Mors probis eſt veluti blandus, & dulcis ſomnus. Is fuit P. Franciſco Suario è Societate JESU. In ægritudine, quæ illi fuit extrema, cùm incidiſſet in animi deliquium, jamque crederetur expiraſſe, ſibi *Alegambe in Biblioth. Societ.* deinde redditus in cygneas illas voces erupit: *Nunquam putaſſem tam dulce, & tam ſuave eſſe mori.* Juſto nimirum ut à bona conſcientia dulcis, & ſuavis fuit vita: ſic & dulcis & ſuavis mors accidit, eſtque illi velut quidam concentus & harmonia, improbia autem luctus, mœror & triſtis ululatus.

Teſtem amo è multis unum, D. Franciſcum Aſſiſium.

Hic morti proximus juſſit Fratres ſuos vocem laxare in ſuaves modulos, & ſibi accinere *Canticum*, ut vocabat, *Solis.* Erat illud cantilena ſpiritualis, qua utebatur Vir ſanctus, ubi amplior gaudii ſeges aſſurgebat, uti re etiam ipſa naſcebatur impendente vitæ mortalis occaſu. Et hæc pauca de diſcrimine, quod eſt inter juſtorum mortem, atque impiorum, quo tamen non obſtante, id aſtruo, mortem & his, & illis uberem patientiæ materiam præbere, majorem quidem impiis, minorem verò piis: quia & his, *Mors naturæ malum.* & illis quoddam *naturæ malum* eſt, quod æquo animo ferre, inſignis eſt patientiæ; & benè de Deo merendi occaſio; & quidem uberior impiis, quibus dum mora gravior accidit, ſic & cœlo merendo aptior, ſi & in extremo vitæ limine reſipiſcant, & ſeſe offerant veluti deſtinatas morti, & divinæ Juſtitiæ victimas: quæ dum non invitè cadunt; ſed ſpontè; & poſteris reliquunt inſigne patientiæ documentum, & ſibi etiam meritum acquirunt.

Accedit quod (ut ante inſinuavi) *mors* ſit veluti *Fortunæ ſpolium.* quoddam *fortunæ ſpolium*: ſpoliat enim hominem bonis omnibus, quæ liberali manu fortuna dederat: & hoc ſpolium placido, ac libenti animo pati, patientiæ eſt liberalis, & illuſtris apud Superos meriti.

Cap. 14. v. 1. Si enim verum illud Eccleſiaſtici. *O mors quàm amara eſt memoria tua homini habenti pacem in ſubſtantiis ſuis.* Si, inquam, amara eſt vel ipſa ſola memoria; quàm amara erit mors ipſa?

Certè, ut inquit D. Chryſoſtomus, apud Antonium in Meliſſa, *mors hominis divitis & fortunati duplex eſt.* Una corporis, altera divitiarum, & felicitatis: & his enim, & illi moritur, dum ab his æquè, ac ab illis à morte ſeparatur, & eam ſeparationem æquanimiter tolerare, magnæ eſt patientiæ, & majoris, quàm eſſet homini miſello, & pauperculo. Verum enim illud Senecæ. *Vita miſero longa, felici brevis.* Verum & illud Platonis. *Moleſtior fortunatis mors, quàm laborioſè viventibus.* Quod ſi moleſtior illis, certè & patientiæ illuſtrioris; illis *pavor* eſt, his autem quodammodo deſiderium. Veriſſimum enim illud Secundi Philoſophi. *Mors divitum pavor, pauperum deſiderium.*

Poſtremò, mors homini eſt velut *ultimum vale.* *Ultimum vale.* A morte enim jubetur Pater filio, filius Patri, Amicus amico dicere *ultimum vale*; & longum ac fortè æternum vale. Et hoc dicere, quia ut moleſtiæ, & doloris plurimum habet; ita & patientiæ.

§. 3.

Pars tertia, ſive tertius Actus Patientiæ, exilium æquo animo ferre.

EXilium à nonnullis æquiparatur morti: per hoc enim & Patriæ, quæ longè cariſſima eſt, & Amicis omnibus, & conſanguineis, & bonis omnibus, quæ vel natalium conditio dederat, vel fortunæ benignitas affuderat, moritur homo, dum iis privatur omnibus: & hinc illud æquiore animo tolerare illuſtris patientiæ vel documentum eſt, vel exemplum.

Et ita toleravit S. Athanaſius, invictus in malis Præſul. Hic Juliani Apoſtatæ juſſu cùm Alexandria in exilium pelleretur, videretque Chriſtianos, ceu amantes filios, circa ſe collacrymantes, ipſe ſiccis oculis, hilari mente, amœnaque voce ſic ad illos:

Bono animo eſtote, nebula enim eſt, quæ brevi evaneſcet. *Sozomen. l. 5. c. 14.*

Exilium ſuum *nebulam* appellat; quia ut hæc in tenues auras abit, atque evaneſcit ad minimum afflatum venti: ſic & illud ſublato brevi Juliano (quem afflabit aura mortis) citò finietur, & diſſipatâ illa perſecutionis nebulâ, & ſua Athanaſio redderetur Alexandrina ſedes, & populo afflicto ſerenitas.

Vaticinium ſancti Præſulis probavit eventus, & objecta Juliano monacho in mentis exceſſu, etiam ſpecies, de qua ſic ille præſago ſpiritu:

Aper ſylveſtris, hoſtis vineæ Domini, ſcelerum in Chriſtum dedit pœnas, & mortuus jacet; ne amplius Chriſtianis inſidias ſtruat. *Theodor. Pr. c. 19.*

Quod compertum accidiſſe eo ipſo momento, quo hæc efferebat monachus, Deo, factam ſervo ſuo Athanaſio injuriam, ulciſcente.

Quod D. Athanaſio datum eſt: hoc & D. Cypriano: hoc & S. Chryſoſtomo. exilium & hi quoque paſſi ſunt, illuſtri ſanè patientia, & invicta in adverſis fortitudine: quam ut imiteris, Chriſtiane Lector, tibi pauca ſub oculos ponam, quæ etiam exuli ſolatio ſint, & doloris lenimento.

Primum erit illud, quod D. Auguſtinus ad tyrannum, qui D. Cyprianum exulem feciſſe ſe arbitrabatur. Sic enim ad illum:

Arbitraris, ò tyranne, de patria ſua in alienam te excludere hominem Dei? falleris, ille in Chriſto nuſquam eſt exul, in carne ubique eſt peregrinus. *Serm. de D. Cypriano.*

Verè *nuſquam exul*, quia ubique Dei, ubique Chriſti, qui & illi Pater, & patria, & omne bonum eſt.

Quod ipſum & agnoverat, & prædicârat ille ipſe D. Cyprianus, qui ſic aliquando ad Thibaritanos:

Solus non eſt, cui Chriſtus in fuga comes eſt; ſolus non eſt, qui templum Dei ſervans, ubicumque fuerit, ſine Deo non eſt. Et quia nunquam ſine Deo, nunquam exul. *Epiſt. 16.*

Alterum eſt, quod viro forti omne ſolum patria, adeoque nulla pro exilio. Et hic D. Baſilii ſenſus fuit: juvat illum audire etiamnum ſpirantem in ſcriptis.

Exilium,

Exilium, inquit, *non cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum: ac nec terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam olim in quam projectus fuero, pro mea duco*; quod ſi omnis terra pro mea eſt: nulla certè pro exilio.

Aliud, quo etiam leniri poteſt omnis dolor, eſt, quod omnis terra exilium ſit homini cœlis nato. Hinc, ut inquiebat Hugo Victorinus.

L. 3 Didaſcal. c. ult. *Delicatus ille adhuc eſt, cui patria dulcis eſt; fortis jam, cui omne ſolum patria eſt: perfectus, cui mundus totus exilium eſt, ille mundo amorem infixit; iſte ſparſit, hic extinxit.*

Et ita extinxerat *S. Adelardus* Corbeiæ Abbas, Caroli Magni Conſobrinus, ejusque Palatii magiſter. Hic à Ludovico ejus filio in exilium ejectus extimulante quorundam aulicorum invidia: non modo æquo tulit animo; ſed & lubenti, & grato; in ea quanta quanta erat injuria Dei unius nutum, ac voluntatem attendens, cui ſcilicet ut & ſe, & ſua committebat omnia. Quod & apertis verbis declamatum voluit, cùm enim & procerum votis ac precibus, & ipſius etiam Ludovici voluntate, atque imperio revocatus eſſet ab exilio, & nonnemo Imperatorem culpæ iſtius reum argueret, ſic S. Præſul: *Non huic*, inquit, *non huic imputetur, ſed Deo, cujus nutu volvuntur omnia.* Tum ad Cæſarem, & Proceres converſus: *Nihil tibi*, inquit, *ô Cæſar, nihil in terra: nihil, ô Proceres, in mundo ſine Deo, ejúsve ſeu juſſione, ſeu permiſſione.* Dixit & eodem vultu, animóque, quo in exilium ierat, ad ſe, ſuosque rediit. Et ita redeunt præcelſæ mentes, quibus in oculis eſt unus Deus.

§. 4.

Pars quarta, ſeu Actus quartus Patientiæ. Proſcriptionem bonorum omnium forti animo excipere.

EST hæc non minima Patientiæ laus: bona, quæ jam indueris, etiam per vim exuere; cujus rationem reddit D. Auguſtinus in epiſtola, quam olim
Epiſt 43. dedit ad Paulinum, & Taraſiam; ubi ponit diſcrimen longè maximum inter ea bona, quæ deſunt, & quæ adſunt: illa ſunt in deſiderio; hæc in amoribus: *illa velut extranea reputantur; hæc verò veluti membra præciduntur.* Et hinc dolor eſt & gemitus.

Ampliùs dico, bona, quæ jam in alta pace poſſederis, ſunt tibi adinſtar cordis; imò & cor ipſum, quod avellere longè duriſſimum, & propè fatale.

Eſſe autem *cor* divitis, probat illud Labani ad Iacob, qui è domo illius extulerat opes ampliſſimas; ſic enim ad illum:

Gen. c. 31. v. 26. *Quare ſic egiſti, ut clam me abigeres filias meas?* in Hebræo legitur. *Quid feciſti? & furatus es cor meum*, Ideſt interprete Caietano. *Furatus es meas divitias, quæ mihi erant inſtar cordis.*

Quod ſi divitiæ homini opulento veluti membra ſint, imò veluti cor, quod in eo eſt princeps membrum: liquidò conſtat illud, eas per vim, & nefas exſcindere, eas violenta manu evellere, eſſe quaſi è corpore membrum exſcindere, & cor evellere: quod fieri non poteſt ſine ingenti doloris ſenſu, quem ferre, quem moderari, quem vincere, eſt etiam inſignis Patientiæ,

Et quia ſubinde, imò ſæpiùs id accidit, in cauſa fidei, ac religionis, etiam hoc quo vivimus ævo: huic malo levando ſerviet hæc pagella, & in ea Viri prænobilis exemplum illuſtre.

Is erit Franciſcus Tregianus, nobilis Anglus, qui magiſtra patientia depugnans inclaruit.

Vocatus hic erat ad hæreticorum tribunal, quod etſi detrectare potuiſſet, noluit tamen: Venit igitur, non ſordidatus, non pulla (ut reorum mos eſt) veſte indutus: ſed byſſino amictu magnificè ſplendens: crederes ire ad epulum nuptiale, non ad audiendam contra ſe feralem ſententiam.

Ea porrò fuit ejuſmodi, aut perpetuus carcer, aut bonorùm omnium proſcriptio: Hanc, ut ſibi delegit inclytus heros, ſimul & eam vocem extulit.

Pereant bona, quæ ſi non perirent, forſitan dominum perderent.

O veram patientiæ vocem, quæ factis, & perſeverantia probata, jus illi dedit ad ea bona, quæ neque pereunt, neque ſe poſſidentes perdunt: ſed æternis bonis cumulant, ac beant.

Ad eam bonorum omnium jacturam, quæ eſt à proſcriptione, ſeu ea religionis cauſa inferatur, ſeu etiam alia: addo & illam, quæ eſt ab adverſa fortuna adverſis in vita caſibus, qualia ſunt aut naufragium, aut incendium, aut rapina, aut ſimilis aliquis eventus, ex quo naſcatur extrema pauperies, & patiendi materia: quo in genere illuſtre eſt illud; quod de S. Tereſiæ vaticinio memorant Annales.

Erat in Hiſpania mercator prædives matri Tereſiæ, & ejus ſororibus in paucis addictus, quas & juvare ſolitus, & frequentibus, ac liberalibus eleëmoſynis donare. Hic die quadam à Prioriſſa illius Aſceterii rogavit ut matris Tereſiæ precibus ſeſe impenſius commendaret. Fecit illa, & quidem ſedula. Acceptis porrò litteris, mercatori reſcripſit Tereſia; ſe jam inaudiſſe quibus, & quantis beneficiis ſorores ſuis afficeret, ideóque Deum pro illo ſæpius oraſſe, & modo, cùm rogaretur, feciſſe ſe impenſius, tum & addidit illud pro coronide. A Deo ſe cognoviſſe, quod nomen illius ſcriptum eſſet in Libro Vitæ: tum & adjecit ſignum unde certò noſſet ſe vera, & certa ſcribere. Fuit autem illud ejuſmodi: *Ab hora qua meas accipies, nihil tibi in vita ſuccedet proſperè, ſed adverſa omnia.* Vaticinio reſpondit eventus; exiguo enim temporis intervallo ob infame naufragium, & navium ſuarum jacturam, coactus eſt foro cedere.

Quid hic amici, & affines? hominis miſerti, ſuis eum pecuniis levare omnes, ut de novo fortunam tentaret, ſi fortè deinceps parens eſſet, non noverca; ſed en altera quoque vice peſſimè ceſſere omnia; quod ut vidit, acceptis ſecū rationum ſuarum libris, carcerem ſponte ſubiit; & vincula induit non invitus.

Quid inde? mercatores, in quorum ære fuerat, eratque, ne viro, utpotè probatæ vitæ, atque innocentiæ, moleſti eſſent, ab intentanda lite aliisque ceſſarunt probè. Neque tamèn ex eo melior, & lautior mercatoris fortuna: vitam enim reliquam exegit pauperculus, & bonis cautus omnibus.

Hìc quærere lubet, hìc & mirari ſtupendas divinæ Providentiæ vias, ac leges. Legitur à Tereſia illius nomen ſcriptum in Libro Vitæ. Et pro ſigno datur bonorum omnium ſpoliatio, pauperies, & inſignis patientiæ materia, etiam ad extrema vitæ, mortisque confinia. Sed quorſum & iſta? Ut intelligas neminem inſcribi Libro Vitæ, qui non ſit paſſus, & modum, rationemque ut quis inſcribatur, non aliam eſſe, quam patientiam: ut & hanc amare diſcas, & ſequi.

§. 5.

Pars quinta, ſeu quintus Actus Patientiæ in injuriis, bono nomini illatis.

VEtuſtæ memoriæ Authores bonam famam exiſtimabant eſſe dotem divinæ mentis; quod multis probavit Æſchines, & ex eo maximè, quòd majores ſtatuendam illi Aram, ut præcipuæ Divæ cenſuerint.

Error fuit, non abnuo: ſed tamen, qui in aperto poſuit illud, quantum, & quàm pretioſum bonum eſſet integra fama, & quanti faciendum etiam in humanis.

Certè

Certè tanti, quanti nec divitiæ, nec ſceptra, nec coronæ, imò quanti nec vita. Eſt enim bonum quoddam altioris ordinis; quod ut ſervetur integrum, intactumque etiam vitam perdunt, prodiguntque excelſæ mentes, quibus in primis curis, atque amoribus eſt bonum nomen, quod dum in ſuis amat,
Epiſt. 33. quæritque Romanus ſapiens, ſic ad illos: *Ingens intervallum inter te, & cæteros fiat.*

Hoc eſt ita viva, ut ſis ſupra vulgus, ut virtute, ut præſtanti vitæ ratione multum diſtes à cæteris: diſtabis autem fama boni nominis. Quæ ſi tanta eſt, & facienda tanti, profectò liquet quàm excelſi animi erit injurias ei illatas invicta patientia vincere, quod in præſentia demonſtrare mihi propoſitum eſt, non tam verbis, quàm factis.

Antiquum illud, & perelegans Valerii Maximi
Lib. 3. c. 2. pronuntiatum: *Capi virtus neſcit, patientia dedecus ignorat.*

Et ita ignoraſſe videntur ii omnes, qui ad labem bono nomini aſperſam vel muti, & elingues, vel ſurdi, ac cœci, & quaſi ſenſu omni deſtituti.

Talis fuiſſe viſus eſt Eulalius monachus in quem
Vita PP. l. 3 c. 29. unum alii monachi conjicere quidquid vel in monaſterio, vel etiam ab ipſiſmet perperam ſctum eſſet. Crederes non hominem eſſe; ſed vile jumentum, & aſellum, in cujus humeros, & clitellas congeritur quidquid uſquam domi ſordium eſt, ut iis, & ſibi & aliis gravis emittatur, & ſe in cloacam exoneret: ſic Eulalius omnium in ſe culpas admittebat, & impoſitas pro iis pœnas excipiebat, explebatque quàm promptiſſimè, etiam nocentium pœnitentias, hoc eſt biduana, & triduana jejunia ſubibat unus ipſe, licèt penitus innocens: & eò res evaſit, eò fratrum querelæ auditæ ab Abbate, ut de illius extruſione è monaſterio non ſemel actum fuerit: & verò extruſus fuiſſet, niſi ſuperior etiam miraculo de illius innocentia, ac ſanctitate à Deo edoctus fuiſſet.

Fuit autem miraculum ejuſmodi. Eò loci, ac temporis exercebantur fratres mattulis aptè concinnandis, vel ut otium vitarent, vel ut inde aliquid lucelli acquirerent, unde & victitarent. juſſit igitur Abbas, ut omnium omnino mattulæ deferrentur, tum ignem luculentum accendi, tum fratrum omnium mattulas in eum conjici.

Mirum dictu, viſuque! aliorum omnium mattulæ arſerunt illicò, & in mœſtos cineres abierunt: unica Eulalii mattula ſuperſtes è flammis putior evaſit.

Teſtis hæc fuit innocentiæ Eulalii, nocentes aliorum linguas ignis ipſe damnavit, qui mattulas abſumpſit. Nimirum lingua maledica ignis eſt, igne puniri debuit, atque damnari:

Sed quid Eulalius? quid & illius fratres? attoniti omnes ad ejus genua accidere, veniam precari, mirari demiſſionem, laudare patientiam probatam etiam miraculo.

Unus Eulalius ſeipſum damnare, ſeipſum lugere, ſuamque ſortem. Ecquid enim, inquiebat:

Væ mihi miſero, væ infelici, quia & humilitatem meam perdidi, & patientiam tot annis, tot laboribus, & pœnitentiis partam.

Dixit, & nocte intempeſtâ è monaſterio exceſſit, & in eremum ſeceſſit, profundamque ſpeluncæ nactem; ut uni Deo notus, ignotus eſſet omnibus. Nimirum *benè qui latuit, benè vixit*: & ita latuit, ita vixit deinceps Eulalius.

Vidiſti, Amice Lector, confirmatam etiam miraculo patientiam: excipe aliam illi non abſimilem, probatam etiam primæ veritatis oraculo.

Ericilla S. Petri, è Dominicana Familia, invicti Martyris.

Hunc etiam in cellula convenire ſoliiæ lapſæ de cœli curia Virgines, Agnes, Catharina, Cæcilia, aſſumpto ad eam urbanitatis ſcenam habitu virgineo, qui etiam pateret oculis.

Luce quadam meridiana cùm in eadem Petri cellula colloquerentur, & cœlum quodammodo facerent è cella, religioſus unus aliquis fortè pertranſiens, per feneſtellam, quæ erat in porta, & quà patebat aſpectus in cellulam, vidit Petrum, cum ſupra dictis illis Virginibus.

Vidit, & abiit attonito ſimilis, & Priorem illicò convenit, retulitque in fratris Petri cellula viſas à ſe tres puellas miri decoris, miri & ſplendoris: ſed puellas, contra clauſtri leges, & religioſæ clauſuræ capita; quod ingens erat piaculum, & grande nefas.

Hæſit prior & ipſe rei novitate attonitus, ratus ex vero puellas eſſe, & quidem è mundo hoc aſpectabili, tum Capitulum de more coëgit, & vocatis Patribus Fratrem Petrum adeſſe juſſit veluti reum infandi criminis; tum illi in faciem admiſſum facinus objecit, tum duriùs increpitum ad carceres damnavit.

Quid hic Petrus? quid invictus Chriſti pugil, & benè doctus in Patientiæ ſchola diſcipulus? Obtruditur infame ſcelus, agitur de bono nomine, de jactura famæ, de perenni infamiæ nota, quæ illi erat inurenda: agitur de vinculis, de compedibus, de obſcura unius carceris nocte.

Verùm, ut de illis agatur, tacet tamen Petrus, & tum innocentia ſua ſe involvit, tum patientia tuetur, & ſilentio, atque in Deum fiducia.

Interea mittitur in carcerem, probris, & contumeliis oneratur magis, quàm vinculis: nihilominus tacet, nec linguam expedit, nec verbulum fundit ad aliquod pro innocentia ſua teſtimonium.

Labuntur interea dies aliquot in obſcuro carcere, in quo illi una lux erat ab oratione, & piis eum Crucifixo colloquiis, inter quæ fortè elabitur illud. *Domine quid feci?*

Dixit, & ſiluit, cætera quippe dixêre lacrymæ, profundique gemitus; quibus dum pluſculum indulget, ſimul illam audit à Crucifixo vocem. *Et ego, Petre, quid feci?*

Hic aſtupuit Petrus, & quà dolore, quà amore victus ſeipſe damnavit. Quid enim, aiebat, bone JESU Servator optime, quid doleo? quid gemo? quid queror? Tu Dominus, ergo ſervus; tu Deus, ego vilis homuntio; tu ipſa innocentia, ipſa ſanctitas, in quam cadere non poteſt vel umbra peccati; ego ipſa infirmitas, iniquitas ipſa vel à primo natali die, vel ab ubere materno: non eſt, ô *Domine*, quod ingemiſcam, quod conquerar, quod læſæ famæ indoleam, quod vincula damnem, & longam carceris noctem; illam, illam ſubibo, dum voles, ô JESU, etiam in ævum omne. Dixit, & dolore oppreſſus conticuit.

Et ita conticuit aliquando *S. Romualdus*, Abbas longè ſanctiſſimus. Hic aliquando accuſatus pudendi criminis, tacuit tamen, nec illud diluere laboravit, etſi poſſet quàm facillimè. Quid inde? Ipſius Religioſi plus æquo creduli, plus æquo & temerarii, auſi Præſuli ſuo, non ſine labe boni nominis, atque authoritatis diſpendio ei gravem pœnitentiam imponere. Admiſit ille, nec verbulo detrectavit, & menſibus omnino ſex à ſacro altari, & divinis officiis ſeſe ſubtraxit; adeo & ſuæ famæ contemptores Viri ſancti, & contumeliarum amantes.

Quo in genere nihil illuſtrius *Sancta Theodora*, quæ in paucis amans pudicitiæ, ut eam in tuto poneret, virili habitu inter monachos recepta opportunè latuerat annis compluribus, cùm ecce, ſeu dæmonis invidia, ſeu hominum malevolentia incuſatur, quod Virginem corrupiſſet. Quid illa? tacet, & ſua innocentia ſe involvit: at non evolvit objectum crimen, non diluit illatam bono nomini, & famæ ſuæ calumniam, quod tamen poterat, ſi modo ſe fœminam

minam dixiſſet: ſed patientiæ, & humilitatis retinens magis, quàm famæ, infantem ab effronte illa & pervicaci meretricula obtruſum accipit ut ſuum, complectitur, fovet, nutrit ad annos.

Quid deinde? ejicitur è monaſterio, è fratrum conſeſſu, non ſine ſcommate, atque infamia, & tamen & hanc, & illud ſilentio premit, & per annos omnino ſeptem in viliſſimo tuguriolo deliteſcit, nota uni Deo, & Superis etiam grata; at ingrata, inviſaque mortalibus, & maximè fratribus ſuis, quibus (ut rebantur) eam infamiæ notam inuſſerat; nec ea macula libera fuit, niſi poſt fata, & ſolutam è corpore innocentem animam; tum enim cùm apparuiſſet fœmina, & ſeipſos incuſare, & damnare omnes, & in *S. Theodora* Patientiæ, atque Humilitatis miraculum demirari, amare, & certè etiam prædicare.

At unde his & illis tantus ad patiendum animus? Unde & ea vis animi, ea conſtantia in injuriis? Unque à Chriſto, probè memores, invictæ illius patientiæ; ac deinde & hujus, quod aliquando Sidonius Apollinaris: *Pauca toleramus, ſi recordamur quid biberit ad patibulum, qui invitat ad regnum.*

Bibit enimvero, non modò fel aceto mixtum: ſed & ſcommata, & blaſphemas voces auribus hauſit, & tacuit. Et hinc etiam tacent illius æmuli grandes animæ.

Accedit quod maledica illa verba, & noxiæ bono nomini voces, pro unionibus, & gemmis habeant, atque excipiant.

Ita habuit, ita excepit aliquando frater *Iuniperus*, D. Franciſci ſocius. Hic ſi audiſſet in ſe jaci ſcommata, & petulantis linguæ jacula; veſtem explicare, ſinumque diducere ſolitus, tum blanda voce, vultuque ad hilaritatem compoſito dicere: *Iacite, jacite in ſinum meum, jacite uniones, & gemmas illas, pretioſiores utique iis, quas fundit Oriens.*

Dixit, & has in calumniis pro remedio, imo & pro ſolatio habuit: habebis & ipſe. Et hoc tibi primum erit remedii.

Alterum erit fiducia quædam in parata Dei providentia, quæ illas novit opportunè diluere: & ita diluit in D. Franciſco Aſſiſio.

Cùm hic per Lombardiam iter faceret, à Viro locuplete exceptus hoſpitio, & prandio etiam liberali; in quo cætera inter fercula, erat etiam capo altilis.

Invidit malus dæmon, invidit & malevolus aliquis, qui ſe mendicum improbè fingens, pro foribus
Wadingus tom. 1 ad Annal. Min. ſtetit, oravitque per verendum Dei nomen, ut ſibi quis eleemoſinam largiretur.

Nec mora Franciſcus in pia opera profuſus, & præceps, illicò partem aſſi caponis manu prenſat, & fert mendico.

Debuit ea Viri ſancti liberalitas omnem invidiæ conceptæ amaritiem eluere; ſed exacerbavit magis: ratus enim oblatam opportunam calumniandi occaſionem, caponis partem ſervat in diem ſequentem, ut eam Franciſco concionanti in faciem obtrudat, multitudini oſtentet, indeque probet nequaquam pro Sancto habendum eum, qui ea ciborum lautitia uteretur: ſed potiùs pro helluone aliquo, ventri, & abdomini dedito.

Videri poterat pulchrè adornata calumnia, quæ Viri aliàs ſanctiſſimi bonum nomen famamque inficeret, ac perderet.

At ſecus omnino accidit, Deo ſervi ſui innocentiam, & abſtinentiam protegente. Mox enim pars illa caponis, ut publico data, & ſpectantium oculis oblata; non jam carnis, aut caponis pars eſt viſa: ſed piſcis aſſi.

Et ſic probè eluſa & invidi illius malevolentia & petulantia, Sanctoque Franciſco ſervata fama, & partum jam à ſanctitate nomen. Tanti refert Deo omnia in ſpe ac ſilentio commiſiſſe.

Tertium, quod animos facit ad illuſtrem in injuriis patientiam, eſt interna pax, & mentis tranquillitas, quæ ab hac ſervatur; & ſine illa perditur. Ea porro ſummi in terris eſt momenti; ut enim aliquando Cardinalis Bellarminus: *Melior eſt uncia pacis, & charitatis, quàm libra victoriæ.*

Abjectæ in terras animæ, & cœleſtium inanes, viciſſe ſe credunt, ſi verbulum bonæ famæ noxium illico retundant, & refellant, ita victores, non victi: at ſecus autumant grandes animæ, & cœlis natæ. His omnis victoria eſt in patientia, in pace, in mentis tranquillitate, quam ſervant etiam in medio injuriarum turbine, atque tumultu.

S. Franciſcus Sales ab aliquo perfrictæ frontis homine graviore affectus injuria, etiam bono illius nomini valdè noxia, cum diſſimularet, ab uno è domeſticis monitus eſt impendere in dies prope ſingulos ejuſmodi ſcommata, niſi probè repelleret, ac retunderet impudentium injurias, ſcitè reſpondit: *Et quomodo nobis integra erit pax animi? quomodo & ſerena illius tranquillitas? Et hæc & illa ibit in tenues auras, nec conſtabit ſibi.* Dixit, & tacuit, Deoque uni & ſe, & famam ſuam commiſit, ratus etiam ſibi ſervandam integrā, ſi integra maneret pax, atque tranquillitas.

Quartum, quod ſolatio eſt in injuriis à maledica lingua illatis, eſt illud, quod ſic & exerceantur, & purgentur boni. D. *Franciſcus Aſſiſius* rogatus aliquando cur Deus etiam in familiis alias ſanctiſſimis permitteret eſſe quoſdam malignos, qui innocentes *Annales Minorum.*
viperina lingua infeſtarent? reſpondit *Quia boni ſine mala eſſe non poſſunt boni*; quia nec exerceri, nec purgari. Et hoc eſt quod ante extulit D. Auguſtinus: *Omnis malus*, inquit, *aut ideo vivit ut corrigatur, aut* *In Pſal. 54.*
ut per illum bonus exerceatur. Et D. Gregorius Pont. Max. *Ipſa malorum ſocietas*, inquit, *purgatio bonorum eſt; boni, ſi ſine malis ſint, perfectè eſſe boni non poſſunt, quia minimè purgantur.*

§. 6.

Pars ſexta, ſive ſextus Actus Patientiæ in toleranda inhoſpitalitate & inurbanitate.

INhoſpitalitas etiam aliquam contemptus, atque ignominiæ labem aſpergere videtur bono nomini, & mortalibus, maximè ſi incurrit in virum magnæ inter ſuos notæ, & primæ inter illuſtres familias nobilitatis, qualis fuit ea quæ aliquando incidit in Franciſcum Ioioſæum.

Hic ex Duce tota Gallia celeberrimo, jam Chriſti pauper arctiorem Cappucinorum diſciplinam ſecutus, pedes de more dum peregrinatur, fortè divertit ad pagi dominum, clientem olim ſuum: homo hæreticus, ut adeſſe Capucinos intellexit, per internuntium famulum jubet exeſſe, & abire in malam crucem. Non tamen abiit Ioioſæus: ſed invicta patientia eam hominis inurbanitatem, & barbaram inhoſpitalitatem diſſimulans, à famulo ſummis precibus impetravit, ut clam Domino, etiam incœnatis in ſtabulo nocte illa liceret eſſe. Annuit famulus, vel evictus boni Patris iteratis precibus, vel etiam quadam miſeratione commotus.

Igitur in ſtabulum admiſſi, jucundiſſimè illi quidem noctem traduxêre; memores illius charitatis, quæ è cœli regia, è ſinu Patris Chriſtum Deum in ſtabulum attraxit, in quo & naſci voluit, & primùm quieſcere rudi in ſtramine. Ubi ſic exacta nox, albente primùm cœlo abiere.

Haud multum confecerant viæ, cùm Franciſcus idoneum nactus hominem, Dynaſtæ renuntiari juſſit Ioïoſæum Ducem pro hoſpitio gratias agere.

Perculit hominem inopina denuntiatio, maximè verò cùm intellexit ex famulo noctem totam exegiſſe in ſtabulo: moxque conſcenſo equo Dei famulum aſſecutus, ad pedes deſiliens, ac genua amplectens,

dum inhoſpitalitatis ſuæ errorem excuſat, etiam fidei errores exuit.

Leviter enim increpitus à Ioïoſæo, monitusque ut Chriſti ſeu paupertatem, ſeu patientiam, ſeu etiam humilitatem in illius ſervis agnoſceret, ſaniorem mentem induit; & religioni Catholicæ, Deoque additus eſt. Tantum apud illum valuit ea, quæ in Dei ſervo enituit virtus.

Ea propè in momento Catholicum fieri perſuaſit, quod non ſuaſiſſent etiam per plures annos & longæ, & argutæ de Fide diſcertationes.

Serm. 19. in Cant.

Nimirum ut ſcitè D. Bernardus: *Citò perſuadetur quod dicitur, dum, quod ſuadetur, oſtenditur.*

Oſtenditur, inquam non lingua, & inani vocis ſono: ſed opere, ſed exemplo vitæ ſanctioris; cui credunt omnes, diſſentit nemo. Cujus ratio hæc

Epiſt. 16.

affertur à Seneca, *quia homines amplius oculis, quam auribus credunt.*

Venio ad vitium inurbanitatis, ex quo nonnunquam ſequitur gravis, atque acerba offenſio; maximè ſi ea graviore cum damno ſit conjuncta judicio mortalium etiam ſapientum; ut fuit ea, quam hic ſubjicio.

Beſſarion famuli ruſticitate ab adipiſcendo Pontificatu impeditus aliquando, æquiſſimo tamen animo tulit, & hæc tantum illi: *Mihi mitram, tibi galerum invidiſti.* Nec ultra. Quid æquius? quid mitius? In humanis Pontificia Tiara, & honos, & potentia illi quodammodo adnata, habentur in ſummis: & his omnibus exciderat *Beſſarion*, & hoc unius famuli inurbanitate, nec tamen ideo abiit in iras, aut verborum tonitrua, aut irarum fulmina. Ea nimirum omnia ſupprimebat aſſueta malis patientia, & eorum ubique victrix, quia ubique ſua.

§. 7.

Pars ſeptima, ſeu Actus ſeptimus Patientiæ. In conviciis, contumeliis, injuriis etiam ab eo acceptis, cui feceris benè.

SI ab inimico, cui fortè feceris malè, convitia pateris, aliqua patientia opus eſt: ſi ab eo, cui nec benè feceris unquam, nec malè; majore: ſin autem ab eo cui feceris quàm optimè, tum verò longè maxima.

Ratio hujus in oculis eſt, quia beneficium beneficio compenſari, natura, rationque voluit: pro beneficio maleficium reddi, nec natura nec ratio patitur. Una eſt Patientia, quæ illud ſuſtinet, & tolerat non ſine aliquo virtutis miraculo, utpote quod naturæ leges excedat, quodque illius ſuperet vires.

Et tale aliquando vidit, amavit, ſtupuitque Antiquitas in muliere Alexandrina, prænobilis familiæ.

Huic parentes jam vita functi, & domum amplam, & reditus ampliſſimos relinquerant, quos dum cogitat in pauperes, in opera pia, in virtutum omnium experimentum impendere, D. Athanaſium conſuluit, certus ſtare illius conſilio, ac decreto.

Alebantur tum temporis Viduæ multæ, beneficentia, & liberalitate opulentiorum, aut etiam Eccleſiaſticis proventibus. Et hoc erat & caritatis & beneficentiæ ſingularis, in cujus partem aliquam ut veniret, petiit à Sancto Præſule ſibi unam ex omnibus dari, quam domi aleret.

Igitur unam aliquam ſelegit Athanaſius; ſed indolis bonæ, pacatis moribus, & à modeſtia, obſervantiáque commendabilem.

Caſſianus collat. 18. c. 14.

Hanc domi excepit, aluit, fovit, & obſequiis omnibus ſibi obſtrinxit: hæc autem viciſſim & officii ſui memor, & beneficentiæ, ac caritatis ſibi exhibitæ, obſequia obſequiis compenſare ſtudebat, & ſi minus æquas vices reddere, certè ſupparem aliquam gratiam & gratitudinem in obſequendo Dominæ ſuæ rependere.

Hoc virtuti, & gratitudini par eſſe & videri poterat: ſed impar erat patientiæ, quæ duris exerceri gaudet, nec delectatur mollioribus.

Neque verò iis capiebatur hæc mulier Alexandrina, dumque non capitur, redit ad D. Athanaſium, & enixè rogat ſibi dari viduam aliam, cauſamque rogata ſubjunxit.

Nihil ſibi inde accedere meriti, nihil emendo cœlo naſci, nihil exercendæ patientiæ, cujus merces ſit Deus. Et hoc, quia illa paupercula vidua ſibi data in ſortem, nimis erat facilis ingenii, indolis nimis bonæ.

Aſtupuit Athanaſius, & virtutem illius demiratus, etiam annuit, curavitque ex omnibus omnino Viduis unam eligi, quæ & moroſo eſſet ingenio, & moribus aſpera, & verbis procax, & habitu inculto, atque inverecundo, verbo uno, nequiſſima, nec tam fœmina, quàm erynnis aliqua ex ipſis inferis emiſſa.

Et hæc tamen admiſſa in intima penetralia, omnibus officiis delinita, nihil heræ reddebat, niſi convicia, & ſcommata, & immanes injurias, tantum non alapas, verbera, & plagas infligebat.

Et tamen hæc inter, ſibi plaudere, ſibi gratulari, & omnibus inceſſere lætitiis mulier Alexandrina, & hoc, quia ſibi inde plurimum lucri accedere credebat; lucri, dico, non quod corpori ſerviret, & huic ævo mortali: ſed animæ, ſed immortali vitæ; ſed cœlo, Deoque.

Et hinc ad D. Athanaſium reverſa, gratias illi egit quàm potuit maximas, quod inſignem ſibi exercendæ patientiæ magiſtram indulſiſſet.

Quantum ab illius virtute diſtamus, qui mollia optamus omnia, atque amantia; qui dura atque aſpera omni contentione averſamur, & fugimus; contra Sanctorum placita, & præſcriptas à Deo Virtuti leges: *Virtus* enim, ut optimè Tertullianus, *Lib. ad Martyres c. 4.*
duritiâ extruitur, mollitia verò deſtruitur: illa ſi deſit, & deſit ipſa virtus, oportet.

Tolle caritati patientiam, & deſolata non durat; tolle ſuſtinendi, tolerandique ſubſtantiam, & nullis radicibus, ſine viribus, perſeverat, ut ſcitè D. Cyprianus. *Lib. de bono Patientiæ.*

§. 8.

Pars octava, ſive Actus octavus Patientiæ. In verberibus, aut plagis corpori perperam inflictis.

Iob c. 2.

D*Ie quadam cùm veniſſent filii Dei, ut aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam ſatan*, cui Dominus. *Unde venis? Circuivi*, inquit, *terram, & perambulavi eam.* Cui rurſum Dominus. *Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra?* Cui ſatan. *Nunquid Iob fruſtra timet Deum? nonne tu vallaſti eum, & domum ejus, univerſamque ſubſtantiam? ſed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi*: quaſi diceret homini felici, ac fortunato, & bonis omnibus cœli munificentia redundanti, pronum eſt Deum timere, cùm omnia propè bona mundi induit: ſed his omnibus exue, & ſimul virtute exues. Hæc Domino ſatan.

Cui Dominus: *Ecce univerſa quæ habet, in manu tua ſunt*, ea diripe, ea perde ut voles.

Fecit invidus ſatan, & hinc *Sabæos* commovit, qui boves, & aſinas abriperent, & inſuper pueros percuterent gladio: inde *Chaldæos*, qui Camelos invaderent, abducerentque, cæſis etiam, qui eos ſervabant pueris; inſtinc ignem è cœlo demiſit, & tactas oves, & pueros, & villas abſumpſit: illius denique filios, & filias in domo primogeniti convivantes, derepente ruinâ domus oppreſſit. Et hæc prima probatio Patientiæ Jobi, qui tot inter ruinas, infractus ſtetit, invictusque.

Videri

Videri poterat hic victus malus dæmon, Joboque ut victori palmam ceſſiſſe: at non ceſſit: ſed aliam admovit machinam, eamque valentiorem, ad expugnandum illum Patientiæ heroem. Sic enim ad
Cap. 2. Deum: *Mitte manum tuam, & tange os ejus, & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi.*

Quaſi diceret, quæ hactenus annuente te immiſſa ſunt mala, ea quodammodo extrinſecus appellunt, adeoque minus feriunt; quia foris ſunt: ut probetur patientia, malum intus, & quaſi domi ſit, oportet: erit autem, ſi os ejus ferias, ſi carnem tangas, ſi morbis, ulcere, plagiſque affligas. His nimirum magis exercetur patientia, & quæ ſit, internoſcitur. Et ita factum eſt in Jobo, ſic probante cœlo: ita & in aliis, ſæculis longè conſequentibus. Stylo notemus è multis paucos.

Hos inter erit Petrus Telonarius, qui & in egenos caritate planè profuſus, & in patientia omnino ſingularis.

In Vita S. Ioan. Eleëmoſynarii c. 21. Caritatem oſtendit illud, quod ſtudio juvandorum pauperum, cùm nihil domi ſupereſſet, ſeipſum à ſuo Notario in mancipium vendi voluerit, pretium porrò tanti hominis, fuére triginta argentei, quos etiam illicò in pauperes effundi voluit; ut ne quidem ſui pretium ſervaret ſibi.

Patientiam autem probavit iſtud, quod ſtatim ab hero coquinæ adhibitus, laborioſo & vili officio, quo dum fungitur probè; mirum quæ, & quanta à conſervis ſit paſſus: modò enim convitia ingerebant improbè, modò capillos & barbam petulanter vellicabant, modò tundebant pugnis, modò calcibus impetebant, modò cædebant alapis, & verberibus excipiebant quàm peſſimè; modò amentem vocitabant, & talem apud omnes ventitabant.

Quid hæc inter Petrus? patientia, & ſilentio involvebat omnia, & qui ganeonibus illis, & ſcurris erat ludibrio; Angelis, & ipſi Deo ſpectaculo erat longè jucundiſſimo, & ſapientibus etiam pro inſigni Patientiæ miraculo.

Et certè eum eſſe declaravit vel ipſum è cœlo Numen: apparuit enim illi Dominus in amœna noctis unius imagine cum ea veſte quam olim pauperi dederat, & cum illis triginta argenteis, quos ex ſui venditione acceptos, illicò egenis juſſerat numerari.

Habes in uno homine prodigium caritatis, habes & patientiæ miraculum: demus aliud in eodem genere, recentioris tamen memoriæ.

Petetur illud è D. Franciſci familia, quæ ut à primis incunabulis paupertatem eſt complexa, ſic & patientiam.

Ex ea Petrus Apuenſis cum tribus comitibus Romam ex agro Piceno veniens, incidit in hominem perditæ atque nefariæ audaciæ, qui eum primò teterrimis convitiis, ac maledictis vehementibus vexare cœpit, tum ſtricto gladio, ſine vulnere, ad ignominiam cædere, & pecudum in morem, eum, ſociosque ante ſe agere.

Tulerunt patientiſſimis animis ambulantes, nec tam atrox injuria, aut iram aut vocem ullam expreſſit, etiam per tria paſſuum millia, quibus nefario nebuloni duravit ille furor; qui tandem inſigni, & longa illorum patientia victus, exceſſit.

Quid deinde Viri in paucis religioſi? eo abeunte mox procumbunt in genua, oculos, & manus in cœlos levant, utque luculentam injuriam, & malefacta benefactis compenſarent, paululum, & quidem in melius, immutato ſolemni Eccleſiæ carmine, in hæc verba preces concipiunt, cœloque fundunt longè gratiſſimas.

P. Rho in hiſtor. Virt. l. 6. c. 3. *Retribuere dignare Domine omnibus nobis mala facientibus, propter nomen tuum vitam æternam.*

Ecce ut malè multati gratias agunt, ut cœlo propitio retribui volunt, ut precantur quàm optimè.

Quod illi: hoc & B. *Franciſcus*, dictus à JESU Infante, è D. Tereſiæ familia. Poſtulabat hic de more eleëmoſynam à duobus Burgundis, iisque nobilibus: hi rati ſtultum eſſe, atque amentem, cum primò verbis peſſimè excipere; tum etiam pugnis tundere, atque contundere, tum petere calcibus non ſine ſtrepitu, quo exciti vicini, accurrêre illico, vel opem laturi, vel vindictam ſumpturi; quibus ille: *Nihil*, inquit, *nihil hîc mali: mihi dedere eleëmoſynam liberalem, mox etiam daturi liberaliorem Infantis JESU militibus.* Sic pauperes appellare ſolitus. Dixit, & commotos tum horum, tum illorum animos compoſuit, atque ad eleëmoſynam egentibus elargiendam impulit, quod & fecerunt illico datis ducentis argenteis. Tantum apud illos valuit, vel unica Viri religioſi patientia: utpotè cui injuriæ, pugni, verberaque eſſent pro eleëmoſyna liberali, proque beneficio: quod utinam eſſet in omnibus, quos ferox aliqua laceſſivit injuria; non adeò præceps in vindictam foret & animus, & manus; quæ dum ferrum nudat, nudat & hominem virtute patientiæ. Ne porro nudaret adlaboravit aliquando zelus, & ardor R. P. *Tholoſani.* In ejus vita l. 2. c. 18.

Duo viri prænobiles amicitiam foverant per annos complures, & quidem arctiſſimam; ſed, ô grande malum ira ſubitanea, atque ex ea ſubitaneus furor! ab hoc in præceps dum abit ex illis unus, nulla propè laceſſitus injuria, alteri naſum abſcindit. In ejus vita c. 29.

Quid inde? ad arma, ad cædes, ad vindictam etiam debere videbantur; non læſus tantùm, ſed & hinc & inde conſanguinei, atque affines; adeoque multus fundendus ſanguis, qui ne funderetur providit opportuna concio dicti Patris; ab hac enim permotus ille qui fœdum in modum mutilatus, ad pedes ſacri oratoris accidit, inimicum vocari jubet, atque in ipſius oculis complectitur, oſculatur, omnemque ex animo injuriam remittit: *Ne fruſtrà*, ut aiebat, *Chriſtiani nomen geſtaret.*

Habet in eo Chriſtiana nobilitas, quod ſuſpiciat, quod amet, quod imitetur. Et certè quidni faciat, vel Chriſtiani nominis, vel virtutis amore, vel etiam illecebris gloriæ. *Magna* quippe *virtus, ſi non lædas à quo læſus es: magna eſt fortitudo ſi cæſus remittas: magna eſt gloria, ſi cum tu potuiſti nocere, parcas*; ut rectè S. Iſidorus. Et ita pepercit nobilis ille, de quo egimus. & ita parcant alii neceſſum eſt, ſi ad veram in terris gloriam, atque in cœlis ad beatitatem aſpirent. Lib. 1. Soliloquiorum.

Orabat aliquando *S. Mechtildis* pro una, quæ ab altera graviorem injuriam erat paſſa; cùm oranti adfuit Chriſtus, & hæc illi: *Dic ei mihi ut det inimicos ſuos, & dabo ei ego meipſum cum omnibus Sanctis in æternam mercedem.* Lib. 4. vitæ c. 22.

Ecce dum inimicos tuos Chriſto donas injuriam condonando; tibi ille ſe donat in æternam mercedem illuſtri profectò, & prædivite fœnore.

§. 9.

Pars nona, ſeu nonus Actus Patientiæ in morte per vim, & nefas aut parata, aut etiam illata.

VT vita nihil rarius, nihil pretioſius: ita morte per vim, & ſummum nefas, aut meditata, aut etiam illata nihil acerbius accidere poteſt: hinc injuriam in eo genere acceptam, aut remittere, aut æquo animo admittere, patientiæ eſt planè ſingularis, in qua noſtra ætate eminere viſus eſt *S. Carolus Borromæus.*

Cùm pro eo, quo erat divinæ gloriæ zelo, multa & facere, & pati cœpiſſet, hoc etiam ad extremum: plumbeæ grandis fulmen excepit interritus, & ſceleratum latronem è fuga vetuit reprehendi: tantum in ſancto Præſule, vel caritatis erat in conjuratum hoſtem, immanemque parricidam; tantum & pa-

tientiæ in horribili illa mortis imagine, quæ indubiè ſecuta fuiſſet, niſi Deo ſic volente, abiiſſet innoxius horror quaſi tanti Præſulis fata reveritus.

Labitur interea tempus non modicum, & malè latet ſceleratus, cùm tandem acri Magiſtratuum indagine per exploratores, quamvis alieno in ſolo, ementito non minùs habitu quàm nomine, deprehenſus eſt, adductusque.

Ad id nunni indoluit Carolus, tum etiam ne in *In ejus vita* eum legibus ageretur conniti non deſtitit, & teterrimo, ac crudeliſſimo ſibi inimico, non modò indulſit, remiſitque injuriam: verùm etiam apud Judices deprecatorem pro illo ſe fecit: & vitam illi donari voluit, qui vitam ſibi eripere per vim attentarat. Quæ S. Præſulis interceſſio, etſi non ſit audita, manebit tamen ſua illi laus, ſuaque gloria, qui etiam pro inimicis ſuis oravit, etſi non exoravit.

Contra quod peccant mali illi, & importuni oratores, è quibus unum aliquem ſic compellat D. Auguſtinus:

Serm. 4 de Sanctis. *Figis genu, collidis frontem in terram, & dicis. O ſi moriatur inimicus meus! Deus ſi quid à te promerui, occide inimicum meum: & utique tu, qui oras ut homo malus, oras contra malum. Et facti eſtis duo mali: ille malè agendo; tu malè orando incipis eſſe, quando dicis. Deus occide inimicum.*

Non ſic oravit S. Carolus, non ſic excelſæ mentes, non ſic David, qui licèt graviſſimos pateretur inimicos, & Saulem ſibi infenſum, & Semei maledicum, & Abſalonem à ſe profugum, ac rebellem, ſic tamen pro illis. *Voce mea ad Dominum clamavi.*

Rectè *voce mea*, inquit D. Chryſoſtomus, quia *qui clamat adverſus inimicos, non edit vocem hominis: ſed feræ, ſed ſerpentis.* Qui autem pro inimicis, ille, voce ſua, voce hominis, clamat.

Et ita nos clamare docuit hoc quo vivimus S. Carolus; ita antiquis ſæculis D. Cyprianus, ad quem aſcendo.

In carceres primùm venerat: dein vincula induerat, denique in theatrum prodierat, in quo vitam Chriſti causâ poneret inclyta cœlo victima: priuſquam caderet illud egit dignum Cypriano, dignum & Martyre.

Carnifici, cujus manu capite minui debebat, aureos quinque ſupra viginti donari voluit, tum ut ea munificentia injuriam omnem remittere ſe teſtaretur, tum ut mortem, & id genus ſupplicii, etiam pretio emendum eſſe probaretur.

§. 10.

Pars decima, ſeu Actus decimus Patientiæ in morte propinquorum æquanimiter toleranda.

CHryſoſtomus, os illud aureum, Parentum in filios caritatem, & pronam illam in ſanguine junctos propenſionem, altiore voce appellare ſolebat, *quandam naturæ tyrannidem*, cui ferè concedunt omnes, reſiſtit propè nemo, niſi à virtute, & patientia is ſit qui ferè naturam vicerit, & nativam illam ſervitutem.

Appello matrum amores, & filiorum delitias, quæ ferè non ponuntur niſi cum vita.

Refert Rabbi Eliezer *Saram* audito ex Samaële, malo dæmone, Patris manu unigenitum filium ſuum *Iſaacum* eſſe immolatum, ex mœrore ſubito mortuam concidiſſe, ac deinde ad vitam à Deo revocatam, cujus fides penes ſit authorem; ego nec probo, nec improbo. Potuit illud dari dolori, dari & amori, & illi, quam dixi, naturæ tyrannidi.

Certè *La Nuza*, teſtis oculatus ait, Mulierem *Hom. 47. §. 4.* Hiſpanam, cujus filius capite plexus fuerat, poſtquam ejuſdem caput per Judices diſſuaviari potuit, ſuper extincti filii ſui oculos ſuos item morte clauſiſſe. Tanta fuit vis amoris, tanta & doloris; quæ & hunc, & illum altè induerat mater, necdum naturam exuerat. Exuerunt tamen aliæ, eæque non paucæ.

Emulus qui felici ſorte, inſigniq́ue animi celſitudine eam exuerunt, duas producam Matres, rarore, in molliore illo ſexu patientiæ exemplo.

Non tamen recurram ad antiqua illa ſæcula, in quibus ſeu invicta illa Heroina, & Machabæorum Mater, ſeptem filios ſub immani carnificum manu cecidiſſe vidit, ſpectavitque ſiccis oculis, ſeu etiam S. Felicitas, quæ etiam ſeptem filios, ceu totidem victimas, Deo ac Religioni obtulit; cadenteſque conſpexit, erecto ſemper animo, invictâque conſtantiâ.

Non iſta, inquam, commemorabo, quia ut magna ſint, & poſteris deinde ſæculis invidenda: antiqua tamen ſunt, & cunctis obvia: dabo alia, quæ recentioris ſunt memoriæ, adeoque magis noſtra.

Primùm erit in prænobili Domina, Luſitana natione, nomine Barbara; in qua & maſculū pectoris robur enituit, & ſimul Chriſtiana pietas eluxit.

Hæc in arce Dienſi cum duobus filiis præſidiariis agebat, cùm illam Solimannus & ſuis, & Cambayæ Regis viribus omnibus connixus, violentiſſimè oppugnavit, nec tamen expugnavit.

Certabatur utrimque, ſupremis, non minùs odiis, quàm viribus, & hinc, & inde fortiſſimi quique ac promptiſſimi cadebant. Hos inter, dum pro muris pugnat Chriſtophorus, Barbaræ primogenitus, tormenti globus ventrem illi vaſto rupit vulnere, ſic ut viſcera defluerent. Hic ad matrem relatus eſt, quæ nihil territa, Sacerdotem mox accerſiri juſſit, qui animo jam jam emigranti capiando ſerviret, interim ipſa labentia viſcera manu continebat. Ubi ſacra exomologeſi purgatus eſt generoſus animus, per immania vulnera exceſſit, neque tum victa, mater, ad ſepulturam funera ipſa compoſuit: ſed ecce dum componit, allabitur ex eadem arce nuntius, Aloyſium, alteram bonæ Matris ſpem, ab hoſte obtruncatum, dum pro arcendis à propugnaculo hoſtibus fortiter dimicat.

Quid hic inclyta Heroina, uno propè momento duobus filiis orba? an abeat in gemitus, & lamenta muliebria? an ſolvatur, & diffluat in lacrymas? an ſuam ipſa orbitatem deploret? nihil horum. Quid igitur? *Deo*, inquit, *& Reipublicæ illos genueram: Deo & Reipublicæ reddidi.* Dixit, & funus ſecundum, eodem, quo primum vultu, compoſuit: adeò verum eſt, ſuis ſe incrementis augere patientiam; & ad inſtar impenetrabilis loricæ repetitis ictibus magis ac magis durari.

Spectaſti, Amice Lector, in martio pulvere, martioque funere, fortem in Parente animum: ſpecta etiam fortiorem in filii cruenta injuſtaque cæde.

Matrona, non minùs animo, quàm genere nobilis, *Ex Hiſtoria Servitarum* cui nomen Blonda, marito jam vitâ functo, unicum habebat filium, ſpem ampliſſimæ familiæ, & piæ Matris amores, ac delitias. Sed, ô grande malum, inveteratæ inimicitiæ, quæ quondam adverſus parentem cœperant, tenuerantque ad illius mortem, ac tumulum; in quo tamen nec ſepultæ, eruperunt enim, evaſeruntque etiam in filium: ſicarii quippe cùm in Patrem jam ultrà ſævire non poſſent, in filium deſævierunt, inflictiſque vulneribus è medio ſuſtulerunt.

Quid hic bona Mater, orba marito, orba & filio? lacrymas primùm funeri infudit, & gemitus veluti quoddam naturæ tributum, cui certè venia danda; tum virtuti, ac patientiæ reliquum dedit. Sed, ô immanes inimicitiæ! ô immania ex illis ſcelerum monſtra!

Quid enim non meditatur? quid non audet? quid non tentat præceps, & cœcus concepti diutiùs odii furor?

Illi ipſiſicarii ſepultum adoleſcentis cadaver, clam, & intempeſta nocte egeſta humo eruunt, ferrum algido pectori immittunt, rimantur viſcera, corque ipſum, amoris ſedem, caritatis ac pacis olim officinam extrahunt, & parato jam epulo inter fercula commiſcent, improbeque conditum apponunt menſæ, cui cum aliis nobilibus fœminis ſortè aſſidebat mœſta, & plorans mater: quæ etiam inſcia, incautaque de ferali iſto ferculo edere jubetur: edit etiinverò, nihilque ſiniſtri metuens, etiam cor filii abſorbet.

Eo facinore tam barbaro, tamque immiti ſatiata videri potuit antiquæ inimicitiæ rabies; at necdum ſatiata, niſi illud ipſum facinus ſub oculos afflictæ matris poneretur.

Et verò poſitum eſt: intellexit enim infelix Mater, inter fercula, ciboſque etiam illatum filii cor, & ſibi etiam in eſcam datum, atque acceptum.

Quid ultrà expectes, Benevole Lector? an irarum fulmina? an tonitrua verborum? an lacrymarum fluenta? an æſtus excitatæ mentis, & vindictam ſpirantis? Nihil certè iſtorum in matre quantumvis deſolata.

Alia planè concipit, alia meditatur, & fundit; ea ſcilicet, quæ Chriſtiana patientia concipere, meditari, fundereque docuit.

Ea porrò fuerunt ejuſmodi; illicò abjicit ſeſe in genua: JESUM, ac MARIAM invocat, Auguſta nomina, ſolatium ſuum, delitias ſuas: moxque & ſibi, & filio, illatam per ſummum nefas injuriam, ad Crucifixi pedes deponit; ſicariis illis ignoſcit, ignoſcique etiam à cœlo propitio flagitat patientia poſt homines natos inaudita. Denique (qui tantæ, & tam heroicæ virtuti, ac patientiæ, velut ultimus partus fuit) mundo valere juſſo religioſam, & arctiorem vitam inſtituit; viviſque inter Moniales, quas vulgò *Servitas* appellamus, ac deſique inter eas emoritur, relicto ſui deſiderio, virtutis commendatione, & magnæ ſanctitatis opinione, Anno Domini milleſimo, quadringenteſimo undecimo, ſecunda Septembris.

Habes, quod in fœmineo, mollique ſexu ames, ac ſuſpicias, Amice Lector: habes, & quod imiteris, ſi tibi ſuppar eſt animus, ſi ſuppar & patientia.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Patientia opus perfectum habet.* Epiſt. D. Iacobi c. 1. v. 4.

DE Patientia jam duas movi Quæſtiones, & in illis varia ſparſi, ex quibus confici poteſt, quàm perfectum, & omnibus ſuis numeris abſolutum ſit, illius opus. Ut tamen illud magis in aperto ponatur, & clara luce; ſit

§. 1.

Quod, & quomodo perfectum opus habeat Patientia?

I. Perfectum in ſe.

PErfectum omninò ex triplici capite.

Primò *perfectum in ſe.* Hoc eſt conſtans, & perſeverans in finem uſque. Itaque perſeverantia, pars eſt potiſſima, & quaſi coronis Patientiæ. De qua ſic D. Bernardus:

Epiſt. 129.

Perſeverantia eſt vigor virium, virtutum conſummatio, nutrix ad meritum; mediatrix ad præmium. Soror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum ſanctitatis. Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo.

Hæc S. Præſul, qui etiam adjicit illud, quod eam mirum in modum extollit; *Nempe*, quod *æternitatis quandam imaginem perſeverantia præ ſe fert, denique* quod *ſola eſt, cui æternitas redditur, vel potiùs, quæ æternitati hominem reddit.*

L. 1. de Conſider. c. ult.

Et ita reddidit Glorioſos Martyres, Athletas perfectiſſimos, quos ſic compellat è terris S. Ephrem:

Orat. de laud. SS. Martyr.

Hæc ſunt ò formoſi milites Chriſti inſignia veſtræ victoriæ: iſta ò Athletæ probatiſſimi, perfectiq; divini bellatores, veſtræ fidei, ac fortitudinis præmia. Ad ea veniſtis comite Patientia, duce perſeverantia, quæ illius eſt pars longè nobiliſſima. Et certè quidni ea ſit, cùm ſit invicta, atque inexpugnabilis, cùm omnem tyrannorum vim, tormentorumque aut multiplicitatem, aut etiam immanitatem eludat, fatiget, frangat.

Eſſe inexpugnabilem patet in Martyribus, de quibus ita Boetius: *Quidam*, inquid, *ſuppliciis inexpugnabiles exemplum cæteris prætulerunt invictam malis eſſe virtutem*, & quia ea armati eratis fortiſſimi Martyres, *toleraſtis uſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem, nec ceſſiſtis ſuppliciis, ſed potius vobis ſupplicia ceſſerunt*, ut clarè D. Cyprianus: Nec ſolùm ſupplicia, ſed & tyranni, ſed & tortores ipſi: ut enim ipſe S. Præſul. *Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulſantes, ac laniantes ungulas pulſata ac laniata membra vicerunt.*

L. 4. de Conſol. proſa 6.

Lib. 2. ep. 6. ad Martyr.

Et hæc tua laus, tua gloria, ô invicta malis patientia, ad quam vel exemplo illorum heroum, vel etiam præmio nos evocat Tertullianus: dum ſic etiam hodie ad nos:

Fatigetur improbitas patientia tua. Fatigetur, inquam, ut vel ſic habeat *opus perfectum in ſe.*

Lib. de Patientia c. 8.

II. Perfectum in fine.

Habeat deinde *Opus perfectum ex fine*: ut enim quis ex vero ſit patiens, ut opus illius etiam perfectum cœlo judice, neceſſum eſt, ut quis patiatur pro Deo, pro Chriſti fide, Juſtitia, aut alia quapiam virtute. Si enim quis vel ex ſtupore aliquo, qui ſit in corpore, vel ex vanæ glorіolæ captatione, humanæque laudis; vel alio quopiam ejuſmodi fine, mala toleret etiam graviſſima, etiam mortem, quæ malorum omnium ſummum eſt, non dabit ille Deo judice opus Patientiæ, quod perfectum ſit; quia ut cætera humanis oculis bona videantur, atque integra: vitium tamen ex fine patientur. Non ſic vera patientia, non ſic, vitium illa non ſcit, quia finem habet longè perfectiſſimum.

Et hic eſt, quem etiam in cœcæ Gentilitatis nocte agnovit tamen, atque commendavit Traianus, Imperator Auguſtus, qui ut D. Ignatii, aliorumque Martyrum in patiendo ardores, æſtuſque vidit, hanc etiam veritati vocem dedit:

Nulla gens pro Deo ſuo tanta toleravit, atque Chriſtiani pro ſuo Chriſto. Et quia pro Chriſto, ceu fine quàm optimo, ideò ea Patientia opus habuit omnino perfectum ex fine.

III. Perfectum ex comitatu aliarum virtutum.

Sed aliunde perfectum illius opus, nempe ex comitatu, & quadam ſocietate vinculoque innocentiæ, virtutumque omnium. Nulla quippe virtus niſi patientia aut comite, aut duce.

Divide virtutes in duos veluti choros. Unus ſit *Virtutum*, ut dicimus, *Moralium.* Alter *Theologicarum*: & harum, & illarum comes, & dux, & nutrix & radix, & cuſtos eſt patientia. Audax, inquies, effatum, cujus vadem habeo, & ſponſorem è Petri ſede S. Gregorium, & nomine, & re etiam ipſa Magnum:

Patientia, inquit, *radix eſt, & cuſtos omnium virtutum*: adeoque ſicut à radice & ſuccum, & vitam trahit arbor, trahunt & rami, ſic à patientia quodammodo vim ſuam, & conſtantiam ſortiuntur virtutes omnes, & illa, aut ſucciſa, aut etiam exareſcente, neceſſum eſt, ut ſuccidantur, atque exareſcant virtutes cæteræ,

Hom. 36. in Evang.

De Theologicis certè ita Tertullianus in illa Apoſtoli verba. *Charitas nunquam excidit. Cætera*, inquit, *evacuabuntur, exhaurientur ſcientiæ, linguæ, prophetiæ. Permanet fides, ſpes, dilectio.* At quomodo permanet? illum audi:

Lib. de Patientia c. 12.

Fides, inquit, *quam Chriſti patientia induxit ; ſpes, quam hominis patientia expectat ; dilectio, quam Deo magiſtro patientia comitatur.*

Viden' ut patientia, & huic, & illis ſit comes : ampliùs dico imò & magiſtra.

Liberum, inquies, pronuntiatum, quod non efferrem, niſi ante extuliſſet Tertullianus, gravis morum Magiſter ; qui ſic olim de *Charitate*, quæ inter Theologicas virtutes eſt princeps, & cæterarum Regina : aliæ veluti pediſſequæ ; ſic tamen de illa :

Dilectio ſummum Fidei Sacramentum, Chriſtiani nominis theſaurus, cujus niſi patientia diſciplinis eruditur.

Ut autem oſtendat ſic erudiri, per omnia charitatis officia elabitur : docetque ea erudiri à Patientia veluti magiſtra.

Dilectio, inquit, *magnanimus* ; noſter vertit, *patiens eſt : ita patientiam ſumit.*

Benefica eſt : malum patientia non facit. Non æmulatur: id quidem patientiæ proprium eſt. Nec protervum ſapit : modeſtiam de patientia traxit, Non inflatur, non protervit: non enim ad patientiam pertinet.

Nec ſua requirit, ſufferi ſua dum alteri proſit, nec incitatur. Cæterum quid impatientiæ reliquiſſet ? ideò, inquit, dilectio omnia ſuſtinet, omnia tolerat. Utique quia patiens.

Vides ut dilectio omnia faciat, patientia comite, duce, magiſtra.

Attende, ut etiam aliæ *Virtutes*, quas *Morales* appellamus : non excurram per omnes, quod longum foret, & Lectori fortè tædium pareret ; paucis ero contentus, ex illis de aliis facilis erit conjectura.

Cap. 13. Hactenus egimus *de Patientia tantum in animo conſtituta, cùm eadem, etiam in corpore, demerendo Domino multipliciter adlaboret.* Quomodo autem adlaboret, docet Tertullianus, oſtenditque Patientiam aliis omnibus virtutibus adſtipulari.

Primò enim, *adflictatio carnis, hoſtia Domino placatoria.* En virtus quam mortificationem dicimus.

Secundò, per *humiliationis ſacrificium* En humilitas.

Tertiò, *cùm ſordes, cùm anguſtia victus Domino libat, contenta ſimplici pabulo, puroq; aquæ potu, cum jejunia conjungit, cùm cineri, & ſacco moleſcit.* En ſpontanea Paupertas. En etiam temperantia.

Quartò, cùm *precationes commendat, deprecationes affirmat. Cùm aures Chriſti Dei aperit, ſeveritatem diſpergit, clementiam elicit.* En oratio, ejuſque ſtudium.

Quintò, (quod inter *altiores, & feliciores gradus corporalis patientia* reponit Tertullianus) *Eadem ſanctitati quoque procurat continentiam carnis. Hæc & viduam tenet, & virginem adſignat, & voluntarium ſpadonem ad regna cœli levat.* En voluntaria Caſtitas, en in carne ſpiritus, ſine ulla carnis contagione.

Sextò, *quod de virtute animi venit, in carne perficitur. Carnis patientia in perſecutionibus præliatur. Si fuga urgeat, incommoda fuga caro militat. Si & carcer præveniat, caro in vinculis, caro in ligno, caro in ſolo, & in illa paupertate lucis, & in illa patientia mundi.* En tibi ab hac invicta in malis conſtantia, ac fortitudo, quæ, ut ait ille ipſe Tertullianus, (quo authore hic utor) comite patientia *adverſus omnem ſubvertendæ fidei, vel puniendæ paraturam, ut verbera, ut ignem, ut crucem, beſtias, gladium conſtantiſſimè toleret.*

Nimirum *his patientiæ viribus ſecatur Iſaias, & de Domino non tacet. Lapidatur Stephanus & , veniam hoſtibus poſtulat.* Et ecce in hoſtes clementia, & miſeratio. Vis etiam ab eadem patientia ſalutarem pœnitentiam ? eam dabit *Rex Babylonis, qui offenſo Domino cum ſqualloro, & pædore ſeptenni, immolata patientia corporis ſui, & regnum recuperavit, & , quod optabilius homini eſt, ſatis Deo fecit.* Et ecce à patientia ſatisfactio. Adeò verum eſt, quod nulla virtus ſine patientia.

Tract. de Patientia. *Tolle charitati patientiam, & deſolata non durat*, inquiebat D. Cyprianus. Tolle & aliis virtutibus, & eas omnes ſuſtuleris.

Vidimus quomodo Patientia perfectum opus habeat ab illis virtutibus, quæ ei ſunt comites individuæ : attendamus quomodo etiam perfectum ex præmio, quod illi in cœlis parat Deus.

Quod autem illud & quantum magiſtra Dei ſapientia didicit *S. Franciſcus Aſſiſius.* Affixus erat hic lectulo, & eò quidem, ut nullam omnino quietem capere poſſet. Ad has inſolentis morbi anguſtias acceſſerat permoleſta vexatio murium à malo dæmone procurata, quæ adeo erat importuna, ut neque noctu, neque interdiu ulla daretur quies. Agnovit hic Vir ſanctus Dei manum, & ea ſe tangi paſſus eſt etiam cum ingenti gaudio, & gratiarum actione, cui dum liberaliùs indulget, hæc illi de cœlo audita vox : Franciſce, reſponde mihi, ſi terra quanta quanta eſt aurum foret, ſi & mare, & flumina, & fontes balſamum eſſent, ſi montes omnes, & colles, & ſaxa, lapides pretioſi, & tu tamen alium theſaurum multo illis pretioſiorem invenires ; nunquid apprimè lætareris ? Cui Franciſcus : Enimvero Domine. At nec illo theſauro dignus ſum. Cui Dominus : Te patientia in morbo, & in illis vexationibus dignum faciet eo theſauro, inter quem & theſauros illos tantum intereſt, quantum inter aurum, & lutum ; inter balſamum, & aquam ; inter adamantes & ſaxa. Quis autem ſit ille theſaurus, noſſe ſi vis, non alius eſt, quàm æterna vita, quam tibi, & tuæ patientiæ donatam volo, velut illius præmium.

Ad hoc dum aſpirat *S. Lutgardis*, incendi cœpit quodam virtutum omnium acquirendarum deſiderio ; maximè tamen *Patientiæ.* Hinc illi injecta martyrii cogitatio, ardor, & æſtus quidam impotentior, quo adeò exarſit, adeò tota commoveri, agitarique ſe ſenſit, ut illi præ nimio impetu rupta ſit ea vena, quæ cordi opponitur, è qua & copioſus ſanguis emanavit. IV. In Præmio.

Nimirum illi in oculos, in animum incurrebat Agnes, Virgo caſtiſſima, & Martyr invicta etiam in illo ætatulæ flore. Et hinc ille ardor, & æſtus ille martyrii, quem ut ſopiret Chriſtus, ei ſeſe ſpectandum dedit, & hæc deinde ad illam : Lilia Ciſtercienſia tom. 1. c. 7.

Pro ferventiſſimo Martyrii deſiderio, quo tota exarſiſti, idem omnino cum Agnete Martyre in cœlo præmium obtinebis. Ejus enim Martyrium tuo deſiderio coæquaſti.

Dixit, & videri deſiit, & S. Lutgardem, ſi non Martyrii, ſaltem præmii, ac coronæ participem fecit. Tantum valuit Patientia & Martyrium etiam in voto tantùm.

Maneat igitur inconcuſſum illud, quod initio propoſui ; imò quod ab ipſa naſcentis Eccleſiæ infantia propoſuit D. Jacobus, *Patientia opus perfectum habet.* Quod ſi perfectum habet, & ad perfectum nos Deus & ratio invitat *Non licet nobis una die ſine patientia manere*, ut rectè Tertullianus. Cap. 1. v. 4. Cap. 12.

Et vero ſibi non licere aiebat B. Mater *Maria de Victoria.* Huic ſi vel dies unus abiiſſet ſine aliqua patiendi materia, eum rebatur ſe perdidiſſe, indeque ſubtriſtis ſomno ſe dabat non ſine piis apud Superos querelis ; imo & apud ſorores, quibus ſæpius audita ingeminare mœſtum illud : *Hodie diem perdidi* ; Sub noctem è ſororibus una cùm audiſſet longa ex imo pectore ducere ſuſpiria ; ex illa quæſivit ecquæ illorum cauſa ? cui illa & ingenuè, & piè : Hodie, ô filia mea, nihil incurrit unde daretur aliquid pati Dei causâ. Et hinc mei gemitus, mea & ſuſpiria : Ex vero enim diem iſtum perdidi. Hæc illa, à qua abſunt quàm longiſſimè mortalium plerique, qui è contrario diem illum ponunt in lucro, in quo nihil occurrit adverſi. Diem illum albo notant calculo, cùm contra nigro ſignare debuiſſent. Quid facias ? is error eſt mortalium. Ferdinand. de Molina in ejus vita. l. 2. c. 8.

§. 2.

Patientia opus perfectum habet in exemplari ſuo, id eſt Deo, & Deo-Homine.

QUodcunque opus vel ars humana molitur, vel etiam cœleſtis ſapientia, grauaque in lucem ac ſolem educit, eò perfectiùs eſt, quò perfectiùs fuerit exemplar, & quò ad illud propiùs acceſſerit. Unde ſi probavero Patientiæ opus pro exemplari ſuo habere *Deum* primò, ac deinde *Deum hominem*: ſimul confecero eſſe longè perfectiſſimum, maximè ſi ad hunc, & illum imitatione quadam ſeſe propiùs admoverit, atque exemplari ſuo quàm ſimillimum fecerit.

Exprimam autem illud, non ſtylo meo (quod ſcio, quàm retuſus ſit, & humilis) ſed grandiore, & aculeata Tertulliani eloquentia. Sic igitur ille:

Lib. de Patientia c. 2. *Nobis exercendæ patientiæ authoritatem, non affectatio humana caninæ æquanimitatis ſtupore formata: ſed viva, ac cœleſtis diſciplinæ divina diſpoſitio delegat. Deum ipſum oſtendens patientiæ exemplum.*

Quod ut ponat in publico, & clara luce, Dei ter Opt. ter Max. in genus humanum beneficia ſua ſpargentis ideam proponit, & ſic ait.

Qui florem lucis hujus ſuper juſtos, & injuſtos æqualiter ſpargit, qui temporum officia, elementorum ſervitia, totius geniture tributa, dignis ſimul, & indignis patitur ſimul occurrere.

Ubi hanc beneficam Dei, ceu Authoris naturæ, manum, ſic explicuit: tum elabitur in averſa à cœlo, Deoque capita, in quæ tamen impluit, influitque eadem mens divina effuſâ quâdam in omnes, & æquâ liberalitate; quod ſummæ, id eſt divinæ, eſt patientiæ: ſic enim inquit:

Suſtinens ingratiſſimas nationes, ludibria artium, & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familia ipſius perſequentes, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem.

Ubi iſta, ſeu humanæ ingratitudinis, ſeu etiam perverſitatis monſtra, quaſi ex erebo extulit: tum veluti digito monſtrat, quò uſque tandem progreſſa ſit Dei patientia, eò certè, quò non datur ultra; eò ſcilicet, *ut ſua ſibi patientiâ detrahat: plures enim Domino idcircò non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.*

Et hæc quidem divinæ patientiæ ſpecies quaſi de longinquo, ſors ut de ſupernis æſtimetur. Verè de longinquo, quia de longinqua cœli regione. Verè de *ſupernis*, quia de Deo, ut vel hoc uno nomine, quòd à Deo ſit, æſtimetur à puſillis mortalibus.

Ab hac porrò Dei patientia, delabitur ad illam, quæ Dei hominis eſt, & quæ, ut ait Tertullianus *inter homines palam in terris quodammodo manu apprehenſa eſt*. Quæ autem, & quanta ſit illa, quàm antiqua, quàm nova, oſtendit ipſe in omni vita: ſed vel maximè in ultimò illius actu. Ut enim D. Cyprianus:

Omnes actus Chriſti ab ipſo ſtatim adventu patientiæ comite ſignantur. Lib. de bono Patientiæ.

Nimirum patientia illi comes jam inde à cunis, illius quodammodo ſignum, ac ſigillum, quo ſignati ſunt illius actus omnes: quod fusè docet Tertullianus maſcula, ut ſolet, eloquentia.

Naſci ſe Deus in utero patitur matris, & expectat, natus adoleſcere ſuſtinet, & adultus non geſtit agnoſci. Cap. 3. Credidiſſes Dei hominis vitam Tragædiam eſſe, in qua & hic primus actus.

Secundus eſt iſte. *Contumelioſus inſuper ſibi eſt, & à ſervo ſuo tingitur, & tentatoris congreſſus ſolis verbis repellit*: & hic actus ſecundus.

Tertius eſt iſte. *Nullum volentem ſibi adhærere, non ſuſcepit, nullius menſam, tectùmve deſpexit: Non publicanos, non peccatores aſpernatus eſt.*

Non illi Civitati, quæ eum recipere noluerat, iratus eſt, cùm etiam diſcipuli tam contumelioſo oppido cœleſtes ignes repræſentari voluiſſent. Ingratos curavit, inſidiatoribus ceſſit.

Et hic quartus patientiæ actus eſt.

Quintus, & poſtremus eſt ille. *Proditorem ſuum ſecum habuit, nec conſtanter denotavit, cùm verò traditur, cùm adducitur ut pecus ad victimam, ſic non magis aperit os, quàm agnus ſub tondentis poteſtate. Ille, cui legiones Angelorum, ſi voluiſſet, uno dicto de cælis affuiſſent, ne unius quidem diſcentis gladium in ultorem probavit: Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt. Itaque & gladii opera maledixit in poſterum, & ſanitatis reſtitutione, ei, quem non ipſe vexaverat, ſatisfecit per patientiam miſericordiæ matrem.* Et hæc futuræ veluti paſſionis fuêre præludia; ad majora itum eſt. Nam & *deſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur*, infami ligno affigitur, nimirum, ut rectè Tertullianus. *Saginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat.*

Eſt amor, eſt & nata ex illo voluptas veluti pondus, quod quò propiùs accedit ad centrum, finemque ſui motus, eò celeriùs, & vehementiùs allabitur. Nempe impetum facit natura, facit & voluptas: & certè ingenitus Deo homini patiendi amor, ingenita etiam ex eo quædam patiendi voluptas, faciebat, ut eò ferretur ardentiùs, quò propior erat vitæ meta; & qui toto brevis ævi curſu patientiâ refici voluerat, voluit eadem in illius fine ſaginari.

Hic te volo, mi Lector, evocoque ad contemplandum divinæ illius Patientiæ exemplar, ſive Dei ter Opt. ter Max. ſive etiam Dei hominis; atque ad extremum Tertulliani verbis compello.

Amemus patientiam Dei, patientiam Chriſti, rependamus illi, quam pro nobis ipſe dependit. Offeramus patientiam ſpiritus, patientiam carnis, qui in reſurrectionem carnis & ſpiritus credimus. Cap. 6.

TRACTATUS DE VICTORIA SVIIPSIVS.

Iob c. 7. v. 1.

BEne cenſuit, benè dixit, qui & cenſuit, & dixit illud: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.*

Militia enimverò, in qua, & cum hoſte domeſtico, id eſt ſeipſo, certandum; & cum externo, putà Mundo & Dæmone pugnandum acriter, & vincendum fortiter, & glorioſè triumphandum. Et hæc erit *Victoria*, de qua mihi in præſens quæſtio, in qua primùm quæram qui ſit? & in quo poſita ea de ſeipſo victoria? Tum, quàm ea ſit plena gloriæ, & fructus uberrimi? Denique, quæ ad eam vel exempla, vel ſubſidia?

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Sapientis verba: *Certamen forte dedit illi ut vinceret.* Sap. c. 10. v. 12.

§. 1.

Quòd illud certamen forte, & quæ victoria?

EXcurrit hic Sapiens in laudes, & ſacratiora encomia Patriarchæ Jacob, Athletæ fortiſſimi; & hæc de illo. *Certamen forte dedit illi.*

Hoc in loco varius Interpretum ſenſus. Syrus enim vertit. *Et in forti certamine juſtificavit eum.* Arabicus *& gubernavit illum ingruente ei forti certamine.* Vatablus: *Obeundum ei arduum certamen conſtituit.*

Nimirum Deus Jacob, quaſi agoniſtæ, ac certatori duram luctam, & certamen forte conſtituit, dum ſcilicet eum objecit avaritiæ Laban, atque iræ, & perſecutioni Eſau, & Chananæorum; dum objecit & Angelo, quocum luctans, ac vincens, ab eo bravii, ac præmii loco benedictionem accepit, bonorum omnium fertiliſſimam, ac deinde glorioſum nomen adeptus aſt: ab eo enim audiit felici ac fortunato nomine, atque omine, Iſraël, ideſt, *prævalens, vel dominam Deo.*

Gen. c. 32. v. 28.

Et hæc ad litteram dicta paucis. Tranſeo ad ſenſum myſticum, & illud pronuntio *Certamen forte, & victoriam* eſſe hominis cum ſeipſo: at quænam illa? & in quo repoſita?

Sancti Patres ex Scripturæ ſacræ genio, modoque loquendi, eam aliis, atque aliis nominibus expreſſam volunt; & quidem

Primò *Mortificationis*: ita regius Vates, qui ſic de ſeipſo, ſic de aliis ejuſdem ſacratioris militiæ ducibus, & anteſignanis. *Propter te mortificamur tota die.* Ita & Gentium Apoſtolus: *Semper mortificationem IESV in corpore noſtro circumferentes.* Crederes illi mortificationem eſſe pro amictu, pro Chriſti veſte, & Chriſtiani, imò Apoſtoli nota.

Pſal. 43.

2. Cor. c. 4.

Secundò dicitur eadem *Victoria abnegatio ſui.* Et hæc nuncupatio hauſta ex ipſo Chriſti oraculo; & monito ſacratiore ad ſuos: ſic enim ad illos: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſeipſum.*

Matth. c. 16. v. 24.

Tertiò denique eadem ſuiipſius *victoria* appellatur *odium ſui.* Et hanc appellationem ſortita ab ipſo Salvatore; cujus hoc ſolemne fuit effatum.

Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Et *hæc eſt actio noſtra, hæc militia noſtra*, inquit Auguſtinus, adeoquè & hæc victoria. *Mortificatio* corporis, & animi: *Abnegatio ſui*, Odiumque ſui.

Ioan. c. 12. v. 25.

Serm. 13. de verb. Apoſ.

§. 2.

Quàm nobilis de ſeipſo victoria? quàm etiam fortis & heroica?

VT hanc veritatem in aperto ponerent ex antiquis ſapientiores eam compoſuêre cum alio quovis Victoriarum genere.

Fortis habetur, qui cum ferocioribus belluis, cum Urſo, Leone, aliiſque id genus animalibus & pugnat, & vincit: ita fortis audire geſtiit David cùm & ipſum cum Goliatho certamen affectaret: ſic enim ad Saülem.

Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat Leo, vel Vrſus, & tollebat Arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum, & illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.

1. Reg. c. 17. v. 34.

Fortis audit, qui ferratas acies invadit, diſſipat, frangit, ſoloque inſternit etiam è Ducibus fortiſſimos.

Fortis denique qui & hoſtium Valla ſuperat, & Urbes quantumvis munitas expugnat, & ſub jugum venire cogit: At illis fortior qui cum ſeipſo ſic pugnat, ut vincat.

Ita viſum, ita probatum Sapienti, cujus hoc eſt veluti cœleſte quoddam oraculum. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore Vrbium.*

Prov. c. 16. v. 32.

Et hanc veritatem agnovêre, & prædicavêre Antiquiores Sophi etiam vel ipſo ſolo naturæ lumine. Lubet illos audire.

Plato certè Libro, quem inſcripſit de Legibus, ſic ait.

Vincere ſeipſum omnium victoriarum prima, & optima eſt.

Seneca. *Nulla ſpecioſior victoria, quàm virtute vincere:* cujus rationem hanc addit. *Bis vincit qui ſe vincit.* Alios quippe omnes vincit ipſe, & inſuper ſeipſum: quod ut difficillimum victoriæ genus eſt, ſic & nobiliſſimum: *nulla* quippe *major eſt victoria, quàm ea, quæ de cupiditatibus*, ut ſcitè D. Cyprianus; cujus cauſam hanc effert: quia *qui hoſtem vicit, fortior fuit ſed altero. Qui libidinem repreſſit, ſeipſo fortior fuit*; quod ut in luce, & omnium oculis ponat, ſic proſequitur: *Qui inimicum proſtrâvit, externum hoſtem percuſſit: qui cupiditatem depreſſit, hoſtem domeſticum ſuperavit.*

In Proverbiis.

De bono pudicitiæ.

Malum omne facilius vincitur quàm voluptas, quia illud quidquid eſt, horridum eſt; hoc vero blandum eſt, adeoque vinci difficillimum.

Quod ſi difficillimum; ſic & glorioſum: ut enim rectè D. Ambroſius. *Quid excellentius, aut magnificentius quàm exercere mentem, afficere carnem, & in ſervitutem redigere, ut obediat imperio, & conſiliis obtemperet.*

Lib. 1. Offic. c. 36.

Porrò hujuſce victoriæ excellentiam, ac veluti majeſtatem ex eo diſces, quod qui ea gaudet & Rex ſit: quod in terris ſummum, & Deo ſimillimus, quod in cœlis eſt maximum.

Regem

Regem eſſe, & quidem ſui. (quod majus eſt quàm aliorum eſſe) probat D. Ambroſius; dum explicat illud Vatis regii: *Anima mea in manibus meis ſemper*: ſic enim ait:

Pſal. 118.

Quicumque proprium corpus ſubegerit, nec ab ira, & aliis paſſionibus turbari animam ſuam rector ſui congrua vi permiſerit; is benè regia quadam poteſtate ſe cohibens, Rex dicitur, quod regere ſe noverit, & arbiter ſui juris ſit, nec captivus trahatur in culpam. Hactenus S. Præſul, ex quo pauca hic ſtylo notari velim.

Primò, quod quiſquis is eſt, ſit *Rector* ſui.

Deinde quod Regia quadam poteſtate præditus, adeoque *Rex*.

Tum etiam quod liber, *arbiter ſui, ſui Iuris.*

Denique quod nulla ratione *captivus*, uti ſunt qui vel alicujus culpæ, vel paſſionis vincula induunt: nec liberi illi ſunt, nec ſui, nec Reges: ſed affectionum ſuarum vitiorumque mancipia: at non ſic, qui illis dominantur; nam & hi liberi, & ſui Juris, & Reges, & quidem longè potentiſſimi.

Teſtem appello è ſacratiore Lycæo Boetium. Hæc ille meliore metro:

Lib. de Conſ. metro 6.

Qui ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces.

Teſtem & è prophanis Claudianum. Hæc ille quondam, in Panegyrico Theodoſii:

Tu licèt extremos latè dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris ira;
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius Leges, tunc omnia jure tenebis,
Cùm poteris Rex eſſe tui.

Omnia, inquit, *tenebis*, cùm teipſum intra rectæ rationis limites tenueris, tuus eris; non aliorum (quod parum eſt) *Rex*, & Dominus; ſed *tui*, quod longè maximum cœlo, Deoque judice. Neque Rex tantùm; ſed Deo propinquus, Deo ſimillimus: quod ſummæ dignitatis eſt atque excellentiæ: quam & natura duce, ratione comite agnovit, ac prædicavit Romanus Orator; atque ex eo Lactantius, qui patientem componit cum Hercule virorum fortiſſimo: imò & anteponit. ſic enim ait:

Lib. 1. Div. Inſtitut. c. 9.

Nulla enim eſt tanta vis quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique poſſit.

Orat. pro Marcello.

At animum vincere, iracundiam cohibere, fortiſſimi eſt, quæ ille nec fecit unquam, nec potuit.

Hæc qui facit, non modo ego eum cum ſummis viris comparo: ſed ſimillimum Deo judico.

Hæc ubi ex Oratore Romano extulit Lactantius, tum ſubjicit.

Vellem adjeciſſet de libidine, luxuria, cupiditate, inſolentia, ut virtutem ejus impleret, quem ſimilem Deo judicabat. Non enim fortior judicandus eſt, qui Leonem, quàm qui violentiam, in ſeipſo incluſam feram, ſuperat iracundiam: aut qui rapaciſſimas volucres dejicit, quàm qui cupiditates avidiſſimas coercet: aut qui Amazonem bellatricem, quàm qui libidinem vincit, pudoris ac famæ debellatricem; aut qui fimum de ſtabulo, quam qui vitia de corde ſuo egerit; quæ magis ſunt pernitioſa, quia domeſtica, & propria mala ſunt, quàm illa, quæ & vitari poterant, & caveri.

Hactenus Lactantius, à quo diſcedo, ut veniam ad rationes, quæ liquidò oſtendant vincere ſeipſum, nobiliſſimum eſſe genus victoriæ.

Una ducitur à difficultate, quæ eſt ex eo genere victoriæ: ſeipſum enim vincere, res eſt planè ardua, ac difficillima. *Multò ſeipſum, quàm hoſtem ſuperaſſe operoſius eſt*, inquiebat Valerius Maximus.

Lib. 4.

Altera petitur ab eo ipſo, qui ſic vincitur: fuit ea Quinti Curtii ratio, quo judice *eò clarior laus eſt, quò clarior ille quem viceris.*

L. 6. Hiſtor.

Atqui ſeipſum vincit, vincit hoſtem tum naturæ dignitate, tum ſuæ redemptionis pretio, tum Chriſtiano nomine perilluſtrem.

Poſtrema hauritur à præmio, ac triumpho, qui illi victoriæ decernitur: præmium eſt ipſe Deus; Triumphus, cœleſtis, æternaque beatitas. Et hinc mihi proponitur

§. 3.

Quàm fructuoſa ſit de ſeipſo victoria?

HUjuſce Victoriæ fructus ad pauca hæc capita revocari poſſunt, è quibus

I. Fructus.

Primum eſt, quod qui ſeipſum conſtanter vincit; lapſu ætatis & annorum ingentem ſibi comparat virtutum, gratiarum, & meritorum acervum, atque theſaurum, qui ſanè proventus eſt longè maximus: & major auro, gemmis, unionibus, theſauroque Regum, Cæſarum, adeoque opibus totius univerſi: ſi enim, ut disertè Doctor Angelicus, *Bonum gratiæ majus eſt bono naturæ totius Univerſi*; & illud bonum, quod Victoria ſui comparatur, majus illo ſit oportet: eſt enim *bonum gratiæ*, adeoque etiam majus bono naturæ totius Univerſi.

Et hoc eſt bonum, quod illi adpromittit, Cœleſte, ac Divinum Numen liberali manu. *Qui vicerit*, inquit, *poſſidebit hæc*: hoc eſt, gratias uberes, cœleſtiaque dona, ceu ſemina quædam æternæ beatitatis, quæ etiamnum in hac vita mortali ſibi reſervat in vitam immortalem, ac beatam, ubi in tota quanta quanta eſt æternitate manebit ille gratiæ fructus cum ingenti fœnore.

Apoc. c. 21. v. 7.

II. Fructus.

Alterum caput è quo ducitur fructus alius longè ſuaviſſimus, eſt perennis animi pax & ſpiritalis quædam lætitia, quæ dimanat à Victoria ſui, & conſtanti Virtutum heroicarum exercitatione, quæ illi comes eſſe ſolet: nec enim eſſe poteſt perpetua, & conſtans victoria ſui, niſi & fortitudo ſit comes, & patientia, & humilitas, & caſtitas, & alia Virtutum propè omnium cohors, & cœleſtis quædam acies pulchrè ordinata; à qua in animum defluit altera pax, & lætitia ſpiritualis, ceu condimentum hujus infelicis ævi ſuaviſſimum. Et hoc eſt, quod diu ante adpromiſit Servator optimus D. Joannis ore, calamoque, quo ſic ad Nos, ſic ad Victores ſui, ceu Athletas generoſos: *Qui vicerit dabo illi manna abſconditam.*

Apoc. c. 2. v. 17.

Quod illud, quæris? eſt Pax animæ ſibi benè conſciæ, & ſuarum victricis cupiditatum.

Pax, inquam, *quæ exuperat omnem ſenſum*, ut ait Apoſtolus. *Pax* quæ ſumma voluptas, imò & fons perennis voluptatis: ut enim eleganter, ac verè D. Cyprianus *Voluptatem viciſſe, voluptas eſt maxima.* Hæc non tenetur niſi à generoſa ſui in omnibus victoria; quia ut rectè Cæſarius. *Verum gaudium non poſſidetur, niſi pax, & juſtitia teneatur*: at neque hæc, neque illa tenetur niſi à Victoria ſui, & quidem in rebus omnibus, in lecto, menſa, veſtibus, aliiſque id genus, in quibus plùs eſt ſolatii, quàm pœnæ: ſi modò ea Dei causâ quis ſubire geſtiat, uti aliquando geſtierunt glorioſi Martyres ad metalli fodinas compacti, quos ſic alloquitur Divus Cyprianus.

De bono pudicitia.

Humi jacent feſſa laboribus viſcera: ſed pœna non eſt cum Chriſto jacere. Squallent ſine balneis membra, ſitu, & ſorde deformia: Sed ſpiritualiter intus abluitur, quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illis exiguus. at non in ſolo pane vivit homo: ſed & in ſermone Dei. Veſtis algentibus deeſt: ſed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter, & cultus eſt.

Lib. 4. epiſt. 6.

Hæc S. Præſul ad invictos illos Chriſti pugiles, quæ ego hodie ad te quiſquis in eadem mortificationis palæſtra decertare ſtudes, ac vincere.

Tertium caput unde fluunt fructus uberrimi, & pretioſiſſimi, eſt merces æterna, eſt triumphi gloria

ſempiterni, quæ decernitur iis, qui ſe ipſos fortiter vicerint, & hoc quidem à ſupremo Agonotheta Chriſto: ſic enim inquit eodem, ceu arcanorum cœleſtium conſcio, D. Joanne.

Apoc. c. 3. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno*, hoc eſt in cœleſti gloria, cujus typus eſt thronus, & quies æterna, & corona beatitatis.

Sub B. Hermanno Ordinis Ciſtercienſis Abbate, monachus unus aliquis graviſſima carnis tentatione ſub noctem agitatus cùm ex ea victor evaſiſſet, *Converſus*, qui fortè ruri agebat, Vir eximiæ ſimplicitatis, & ſanctitatis, vidit coram ſe ſtare *columnam immobilem*, ex qua ad clavum velut affixa pendebat *Corona Imperatoria*: quam dum attonitus intuetur, adſunt illi Dominus ſpecie mirum quantum auguſtâ; qui coronam è clavo pendulam refigens, hæc illi.

Henriquez l. 2. Diſt. 12. c. 4. *Accipe coronam iſtam, & defer eam illi monacho* (nomen addidit) *quia hac nocte eam meruit*.

Illuceſcente die Frater ille *Converſus* ad Cœnobium feſtinus redit, & B. Præſuli Hermanno, rem totam retulit, qui & intellexit eam coronam cœlo judice delatam illi Monacho, cujus tentationis, & ſimul victoriæ teſtis erat.

Et hanc ama, ambisque, Mi Lector, age, ſi te impetat gravior aliqua tentatio, eſto ut ille *Columna*: ſed immobilis: & tibi annuente cœlo decernetur Corona, corona gloriæ, corona beatitatis.

Hanc aliquando ſibi paratam præſenſiſſe viſus P. Jacobus Vela è Societate JESU, genere illuſtris, at virtute, & victoria ſui illuſtrior.

Hic in extremo vitæ limine, & pia in Deum fiducia plenus, & bonæ conſcientiæ teſtimonio ita confirmatus fuit, ut Chriſti effigiem manu tenens, in hæc verba eruperit.

Hiſt. Soc. Part. 1. l. 2. n. 115. *Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per IESVM CHRISTVM.* Dixit, & ſecurus ſui in pace requievit, quia ſecurus de corona, quæ ſe manebat ab illa ſui dum in vivis eſſet victoria.

§. 4.

Quàm glorioſa ſit de ſeipſo victoria.

VIdimus Paragrapho ſuperiore quàm fructuoſa, ſpectemus modò quàm glorioſa: etit hæc ad illam acriore ſtimulo: generoſas quippe mentes magis extimulat gloria, quàm utilitas: gloriam autem illius Victoriæ petendam duco, ex eo, quod in ea repoſita ſit ſpecies quædam martyrii.

Hom. 35. Appello magni Pontificis fidem, atque authoritatem: is erit è Petri ſede D. Gregorius & nomine & re etiam ipſa magnus. Hæc ille quondam è pulpito ad ſubjectam concionem.

Si adjuvante Nos Domino, virtutem patientiæ ſervare contendimus, & in pace Eccleſiæ vivimus, & tamen Martyrii palmam tenemus. Duo quippe ſunt Martyrii genera. unum in mente: aliud in mente ſimul, & actione. Itaque eſſe Martyres poſſumus, etiamſi nullo ferro percutientium trucidemur; mori quippe à perſequente, martyrium in aperta opere eſt: ferre verò contumelias, odientem diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione.

Hæc ubi extulit S. Pontifex; tum ad experientiam appellat, & fidem ſæculorum, & majorum dicta.

Probamus, inquit, *quotidie, quod ante nos dictum eſt, quia Sancta Eccleſia Electorum floribus plena, habet in pace lilia, in bello roſas.*

Lilia, ſunt animæ à morum nitore, & gratia, ab innocentia vitæ, à caſtitate candidæ ad inſtar liliorum; & hæc *lilia* explicantur, & florent in alta Eccleſiæ pace, in qua nullus extrinſecùs eſt hoſtis, perſecutio nulla, cædes Electorum omnino nullæ:

Roſa verò, ſunt animæ à fuſo Chriſti cauſa ſanguine purpureæ totæ, rubicantes totæ. & hæ *Roſa* patent, ac nitent in bello, hoc eſt inter equuleos, & cataſtas; cruces inter, & rotas; ferrum inter, & ignes, quibus dum excruciantur Martyres, rubent toti à nobili ſanguinis effuſi purpura; & aliore murice, omni Regum purpura digniore. Et hæc eſt, quæ Athletis iſtis conceditur de tyrannis victoria: ſed audeo dicere, par illi, & fortè major, quæ à ſui victoria: majus enim eſt vicîſſe ſeipſum, quàm alios quoſque: in hoc quippe brevis plerumque pugna, ad diem, & horam: in illo diuturna ad menſes, ad annos: Martyr enim cùm perſecutores, cùm tyrannos vincit, momento propè, & certat, & vincit, quamdiu ſcilicet durant tormenta: at ſui Victor (hoc eſt, in pace Martyr, & paſſionum ſuarum generoſus domitor) & pugnat, & vincit ad annos, & ſæculum ſi voles, quamdiu ſcilicet durat hæc mortalis vita, quæ etſi ferat *Lilia*, non fert tamen niſi inter ſpinas, hoc eſt nonniſi inter acriores inſurgentium paſſionum aculeos, quibus dum fortiter obſiſtit, non modò ſui victor eſt, ac dominus: ſed unà etiam & mali dæmonis, quem ut mancipium trahit, nec unquam patitur ut dominum, ut patiuntur illi, qui ejus ſuggeſtionibus obediunt, ac cedunt. Argumento ſit illud quod ſubjicio.

Puella nobilis Burgunda à malo genio & diu, & graviter agitata impuris imaginibus, cùm ex hoc prælio victrix evaſiſſet, illud à Deo, ceu Agonotheta, in præmium accepit, ut Dæmon eam ut *Dominam* agnoſceret, eique etiam ad nutum pareret; quod & cœlo imperante fecit vel invitus; & quidem opportunè: nocte enim quadam cùm à Juvene procaci, & petulantiore graviſſimè urgeretur, nec eſſet ratio ſeſe ab illo expediendi, erat enim ſola, & ſine teſte, ſine adjutore: memor divinæ promiſſionis. Wadingus in Annal. Minor. an. 1. *Diabole*, inquit, *ubi es?* cui ille. *Adſum*. inquit, *ô Domina, quid me vis? Ecce me, tantùm impera.*

Tum huic illa: *Libera me à nebulone iſto, qui mihi infeſtus eſt.*

Mora nulla paruit Dæmon, & juvenem pedibus abreptum à puella, ſeu *Domina ſua*, quàm longiſſimè projecit.

Sic illa & ſui victrix, & impuri amaſii, imò & tartari; glorioſâ ſanè victoriâ.

§. 5.

Quàm turpe ſit, & probroſum à ſeipſo vinci? & ſuis cupiditatibus famulari?

PRobrum illud petes è variis capitibus, è quibus hoc

Primùm, quod vinci à ſeipſo pugnet cum hominis natura: natus eſt enim homo, ut cæteris animantibus imperet: deinde & ſibi.

Secundùm, quod pugnet cum ratione; *ratio* enim in homine eſt veluti *Domina*, & *cupiditas ancilla*. Hanc autem dominari, & illam famulari longè turpiſſimum.

Dominum ancillari, & ancillam dominari, abuſio eſt, inquiebat Hugo. De Clauſtro animæ.

Addo ego & magnum probrum, quod naturæ luce agnovit, extulitque Plato, cujus hoc effatum dignum melioribus cedris. *Vinci à ſeipſo turpiſſimum eſt, & peſſimum.* Lib. de Legibus.

Turpiſſimum quia infamis ſervitus: *peſſimum*, quia ut bellè, & verè Seneca: *Bis interimitur, qui ſuis armis perit.* At qui vincitur à ſeipſo, *ſuis armis* & ipſe *perit*, quia perit à ſuis cupiditatibus, quæ militant adverſus animam, quæ & arma ſunt, quibus & ratio debellatur, & pars hominis ſuperior in ſervitutem redigatur, quod eſt ingens probrum.

Eſſe autem ſervitutem à vitiis, & cupiditatibus pulchrè oſtendit D. Ambroſius ore, ut ſolet, melleo, ſacraque facundia: illum audiamus.

Servit

In Pſal. 99.

Servit omnis, qui authoritatem non habet puræ conſcientiæ: ſervit quicunque metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exaſperatur, vel mœrore dejicitur. Servitus enim eſt, omnis paſſio: quoniam qui facit peccatum ſervus eſt peccati. & quod pejus eſt, multorum ſervus eſt, qui ſubjectus eſt vitiis, multis ſe dominis addixit, ut ſervitio ei exire non liceat: cujus rationem addit ille ipſe S. Præſul: quia qui ſic ſervit, jam non eſt amplius ſuus: ſed cupiditatis, ſed vitii, cui ſervit; uti ſervus non ſuus eſt; ſed Domini: & hinc Deo, ceu ſupremo, & optimo Domino, nunquam dicere poteſt quod olim David. *Tuus ſum ego.* In quæ verba ſic D. Ambroſius. *Satis rarus eſt, qui poſſit dicere Tuus ſum. Non poteſt dicere ſecularis tuus ſum: plures enim Dominos habet. Venit libido, & dicit, Meus es, quia ea, quæ ſunt corporis, concupiſcis.*

Pſal. 118.

Venit avaritia, & dicit, Meus es: quia argentum, & aurum quod habes, ſervitutis tuæ pretium eſt. Venit luxuria, & dicit. Meus es: quia unius diei convivium pretium tuæ vitæ eſt. Venit ambitio, & dicit, Planè meus es: quod ideò te imperare aliis feci, ut mihi ipſe ſervires. Denique *veniunt omnia vitia, & ſingula dicunt, Meus es.*

Hæc ubi ex vero protulit S. Doctor, tum æſtu quodam ſeu doloris, ſeu ſtuporis excitus exclamat. *Quem tanti competunt, quàm vile mancipium eſt?*

Vile enimverò mancipium, quia cupiditatum, quia vitiorum mancipium: amplius dico, quia & mali dæmonis mancipium: à quo & audit infaudum illud, *Meus es:* quod ut in aperto ponat D. Ambroſius, exemplum ponit in proditore Juda; de quo ſic inquit.

Venit, & introivit in eum ſatanas, & cœpit dicere Non eſt tuus IESVS: ſed meus eſt: ea, quæ mea ſunt, cogitat, quæ mea ſunt in pectore ſuo volvit: tecum epulatur, & mecum paſcitur. A te panem accipit, à me pecuniam; tecum bibit, & mihi tuum ſanguinem vendit: tuus eſt Apoſtolus, & meus mercenarius.

Quod de infami proditore dixit, jactavitque dæmon: hoc & de omnibus illis, qui à ſeipſis vincuntur, qui libidini, qui peccatis ſerviunt miſerabili certè, & damnanda ſervitute, quam ne aliquando incurras, Amice Lector.

Franciſci Petrarchæ verbis te compellatum velim. Sic ille ad unum aliquem de reportata victoria gloriantem.

Dialog. 103.

Cave ne te vincat ira, ſuperbia, crudelitas. Hi enim ſunt victoriæ comites, & Victorum hoſtes inviſibiles, & horrendi: à quibus clariſſimi Victores turpiſſimè victi ſunt.

Seneca ep. 113.

Teſtis erit Alexander inter victores facilè princeps: de quo ſic Romanus Sapiens epiſtola ad Lucilium.

Alexander quidem Perſas, Hircanos, & Indos, & quidquid Gentium uſque ad Oceanum extendit Oriens, vaſtabat, fugabatq;. Sed ipſe, modò occiſo amico, modò amiſſo jacebat in tenebris aliàs ſcelus, aliàs deſiderium ſuum mœrens. Victor tot Regum, atque populorum, iræ, triſtitiæq; ſuccubuit: id enim egerat, ut omnia potiùs haberet in poteſtate, quàm affectus.

Hæc ubi de Alexandro protulit Seneca non ſine ſtupore, doloreque: tum quaſi indignabundus ſic exclamat:

O quàm magnis homines erroribus tenentur, qui jus dominandi trans maria cupiunt mittere, & feliciſſimos ſe judicant, ſi multas per milites provincias obtinent, & novas veteribus adjungant, ignari quid iſtud ſit ingens, paratumq; regnum Imperare ſibi, maximum imperium eſt.

Hæc Romanus Sapiens, quo judice Imperium omne, quod in alios aut naturâ, aut fortunâ, aut vi, & armis obtinetur, ut vaſtum videatur, & ſit, parvum eſt: at quod in ſe habetur, longè maximum.

§. 6.

Exempla pauca eorum, qui ſeipſos generosè, & fortiter vicerunt.

QUia homines plùs credunt oculis, quàm auribus, plùs factis trahuntur quàm verbis; ideò hic in medium adducam exempla eorum, qui ab affectibus etiam licitis ſibi temperarunt, dein aliorum, qui illicitis etiam fortiter reſtiterunt: & hi, & illi victores ſui.

D. Ambroſius è primis duos nobis in exemplum proponit: Davidem, & Imperatorem Valentinianum. Et quidem libro, quem inſcripſit de S. Jacob, & vita beata, agens de paſſionum compreſſione, ſic ait. Lib. 2.

I. Davidis.

Quem de hominibus meliorem, & fortiorem aſſumemus, quam S. David, qui cupiditatem, qua concupierat aquam de lacu Bethleem hoſtilis interclusam exercitu ſibi auferre non potuit, potuit mitigare?

Et eò quidem, ut jam allatam *profuderit Domino, ne ſanguinem illorum, qui eam detulerant, bibere videretur. Quæ res indicio eſt, quod concupiſcentia quidem rationem præveniat: ſed ratio cupiditati reſiſtat.* Et ita fortiſſimè reſtitit in Davide: uti deinde in Valentiniano Imperatore, de quo ſic elatè in oratione funebri:

II. Valentiniani Imp.

Ferebatur ludis Circenſibus delectari. ſic illud abſterſit, ut ne ſolemnibus quidem Principum natalibus, vel imperialis honoris gratiâ, Circenſes putaret eſſe celebrandos. Aiebant aliqui ferarum eum venationibus delectari, atque ab actibus publicis intentionem ejus abduci. Omnes feras uno momento juſſit interfici. Iactabant invidi, quod prematurè prandium peteret: cœpit ita frequentare jejunium, ut plerumq; ipſe impranſus, convivium ſolemne ſuis Comitibus exhiberet, quo & religioni ſatisfaceret, & Principis humanitati. Scenicæ cujuſdam formâ, ac decore deperire Romæ Adoleſcentes nobiles nuntiabatur. Juſſit eam ad comitatum venire. Deductam tamen nunquam aut ſpectavit, aut vidit. Poſtea redire præcepit, ut & omnes agnoſcerent irritum ejus non eſſe mandatum, & adoleſcentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipſe qui potuit habere in poteſtate, deſpexerat. Et hæc fecit cùm adhuc non haberet uxorem.

Hactenus de Valentiniano Ambroſius, quæ eò magis admiranda, quod & in flore Juventutis, & in Purpura, & in ſumma, quæ eſſe ſolet quidlibet agendi, licentia, ea valuerit cupiditatum etiam licitarum moderatione; quanto magis ſi eæ fuiſſent illicitæ? ſed ad alios tranſeamus.

Hom. 20 ad Popul. Antioch.

D. Chryſoſtomus aureo, ut aliàs, ſtylo extollit Conſtantini Imperatoris factum illuſtre, quod & extollet poſteritas omnis. Cùm enim illius effigies affabrè elaborata, publicoque loco expoſita, à neſcio quibus ſicariis auſu temerario, lapidibus appetita fuiſſet, ſuadebant Aulicorum nonnulli, ut omnino condignum de nefariis contumeliæ illius authoribus, ſupplicium ſumeret: atque animum Imperatoris ad pœnam à ſontibus exigendam acriùs, ac potentiùs extimularent, addebant & nefandum illud, totam ipſius faciem ad vivum bellè expreſſam, & vivis coloribus quaſi animatam, lapidibus fœdum in modum vulneratam, atque deformatam.

III. Conſtantini Magni.

Quid hic expectes, Amice Lector? an irarum fulmina? an verborum jacula? an cataſtas? an toras? an ferrum? an ignes? Horum omnino nihil. Nam & ſubridens Imperator, & faciem manibus blandè palpans. *Ego verò*, inquit, *nuſquam vulnus in fronte, nuſquam livorem in genis, nuſquam in tota facie deformitatem ſentio.* Dixit, & Aulicos omnes rubore ſuffudit, & à conſilio acerbiore divertit, & ſimul poſteros docuit, quâ in illatis injuriis eſſe debeant moderatione.

Ea certè, quæ decet à Chriſto Chriſtianos, & qualis, noſtra hac ætate fuit Ferdinandi II. glorioſæ memoriæ, Imperatoris Auguſti; cujus memorabilis vox fuit: cùm enim à rebellibus Viennæ obſideretur, & ſublimi è ſpecula hoſtium duces acerbiſſimos tormentorum magiſter conſpicatus, diſcerpturum ſe illicò exonerato tormento bellico polliceretur, paululum hæſit, atque addubitavit Ferdinandus: ſed mox imminentem fomiti manum inhibens, *Vivant*, inquit, *ac divinæ ſerventur ultioni*: ſuæ (licèt juſtiſſimæ) nihil dari voluit pius Princeps, ſui in eo victor, ac deinde, cœlo auſpice, etiam hoſtium, quos à tergo viſa eſt ſequi cœleſtis ultio.

Vidimus in Purpura, martioque pulvere fortes, & ſui victores animos: attendamus etiam in Infula, Pedoque.

V. S. Thomæ Villanova. S. Thomas Villanova, Archiepiſcopus Valentinus, hominem de Clero, quod corruptiſſimis moribus Ordini dedecori eſſet, acriùs, ut par erat, objurgârat. Quid ille? Altiùs vociferari, & in S. Præſulem invehi cœpit planè inverecundè.

Quid deinde. Sacri Inquiſitores officii, ea de inſolentia moniti, hominem corripi, & in vincula duci jubent. Ejus rei nuntius accumbenti ad menſam Præſuli cùm allatus eſſet, exiliit illicò, atque impranſus conſcenſa mula ad Quæſitores accurrit, & cùm multis fruſtrà egiſſet, ne miſero illi linguæ impotentia, pœnæ eſſet, ad extremum ſanctè affirmavit, non abiturum ſe, niſi voti compotem, atque ita ſibi, ut incolumem redderent evicit.

Tum etiam peramanter complexum, impoſitumque mulæ totam per Urbem pari ſecum equitantem gradu circumduxit, ſermoneſque cum illo miſcuit amiciſſimos. Dixiſſes de victis injuriis triumphum agi, & verò etiam agebatur, duce Sanctiſſimo Præſule, victore ſui, victore & hominis aliàs inimiciſſimi.

Spectavimus in tolerandis injuriis grandes animos, & ſui victores: videamus etiam in fortunæ bonis, cùm ea inimica manus aut ferro, aut igne abſumpſerit.

VI. Remigii. Pro ea, qua erat ſagaci mente, ſpiritu prophetico, cœleſtique revelatione didicerat S. Remigius futuram anno proximè ſequenti ingentem annonæ caritatem, quam ut ex parte levaret pius Præſul pro ſuo grege ſollicitus, etiam ingentes tritici acervos in ſuis villis collegerat, non tam ſibi; quàm ſuis uſui futuros. Sed, ô malum invidia! ô malum ebrietas! ô malum ab hac, & illa furor! homines impii muſto jam madidi, & mente capti, derepentè ignem in villas injiciunt, & triticum omne in feſtucis adhuc captivum abſumunt, involante illicò flamma & conſumente exſuccam meſſem, feſtucaſque arentes: à quibus deinde in tecta, in trabes evaſit flamma, & propè momento deſæviit.

Quid hic Remigius? à ſuis monitus mox advolat, eructantes flammarum globos conſpicit, & hinc abſumptas ſegetes, illinc labentia tecta contuetur, ingenteſque murorum moles, ac minas: & nihilo territus, propiùs accedit quaſi calefacturus algentes à frigore manus: tum etiam ad aſtantes converſus, hæc illis ore placido, ſerenoque vultu. *Semper bonus eſt ignis.* *Surius in ejus vita.*

O amicas voces! ô injuriæ acceptæ immemores! ô oblitas immanis damni! ô Remigio dignas! ô victorem ſui animum! ô cœleſti ſpectaculo amicos gratoſque vultus! ô placidam magnæ mentis in repentino caſu ſerenitatem.

Sed hæc injuria quanta quanta fuit, ſtetit in fortunæ bonis, eáque impetiit, abſumſitque, demus aliud, quod etiam cadat in ipſam perſonam.

VII. S. Bernardi. D. Bernardo, ſanctiſſimo, & mitiſſimo Præſuli alapam impegerat Clericus impudenti auſu, immitique manu. Quid deinde? audi quid ore lacteo, ore melleo Bernardus: *Oportet eum aliis ignoſcere, cui toties ignoſcitur à Deo.* Digna tantum Præſule ſententia, digna chriſtiano, digna & ſancto.

Ab Infulatis Patribus ad Virgines deflecto: nam & in his, & ab his glorioſa ſui victoria; in qua eminere viſa S. Ulphia; in paucis amans virginitatis, quam ut in tuto poneret amentiam finxit, & ſic procorum oculos, amores, atque inſidias eluſit; utque Virgo eſſet, amens videri, & haberi voluit, in eo ſanè & amaſiorum omnium, & ſui victrix: uti & S. Brigida. Hæc in finibus Scotiæ nata, ut erat eleganti forma, & ſpecie propè ad naturæ miraculum, in omnium oculos atque amores incurrit, oris ut dixi elegantia, genarum rubore, nitore frontis, & maximè oculorum gratia, atque illecebris, quibus capi propè omnes: ne porrò ſic malè caperentur à Deo ſupplex petiit, ut ſe aliquo corporis vitio devenuſtaret, quo procorum inquietudo, atque importunitas ſedari poſſet. VIII. S. Ulphiæ Virginis. *Bollandus 31. Ian.* IX. S. Brigidæ Virginis.

Et ita factum eſt, & factum benè: mox enim, cùm oculorum decore maximè placuiſſet; alterum ſubito ulcere percuſſum amiſit, ne homini impoſterum ulli placeret. Sed uni cœleſti ſponſo, cui omni decore pulchrior Virginitas.

Vidiſti oculis ipſis chariorem Virginitatem, illuſtri ſanè ſui ipſius victoria; accipe etiam vitâ ipſa chariorem nobili prorſus & inaudita à ſæculis de cupidine triumpho.

S. Euphraſia à milite impuro fortè deprehenſa, ut Virginitatis ſuæ florem intactum ſervaret, hoc uſa ſtratagemate; finxit ſibi unguentum eſſe, quo illitus ille in præliis nulla poſſet ferri acie penetrari. X. S. Euphraſiæ Virg. & Martyris.

Ne autem verba videretur nundinari, collum fictitio unguento muniens, experiundi causâ ictum gladii, ſed validâ impactum manu, cæſim ab eo flagitavit.

Ille verò, nulla deprehenſa in vultu fraude; quem ſcilicet neque genarum vividus color, ac rubor, neque oculorum nitor, & gratia, neque totius corporis compoſitio, & conſtantia, deſeruerat, vibrat enſem, & collum perſecat: ſicque Euphraſia ex Virgine fit Martyr, & miles ex amaſio lictor. *Nicephor. l. 7. c. 13.* *Baronius ad An. Ch. 309.*

O triumphum hactenus inauditum, Virginitatis inermis de Cupidine loricato! ô ſui victorem animum! ô gratam Superis Virginei pudoris victimam, quæ à terris cœlo reddita vivet in ævum, vivet in æternitatem, exemploque poſteris omnibus erit, ne, etiam ſub ferro, etiam ſub ipſa mortis imagine, cadant animis, néve libidini cedant; nunquam victi, ſemper victores.

§. 7.

Quædam præſidio futura ad Victoriam ſui.

E Multis pauca in medium afferam, & quidem more meo, brevi compendio: ex his

PRIMUM PRÆSIDIUM

A Rationis Imperio.

EST in homine, ceu parvo mundo, pars quædam inferior, ſeu animalis; & pars ſuperior, id eſt rationalis: illa ſubjici debet; hæc imperare: quod ipſum elatiore ſtylo notavit aliquando Romanus Orator:

Eſt animus in partes diſtributus duas, quarum altera rationis eſt particeps: altera expers. Cum igitur præcipitur, ut nobiſmetipſis imperemus: hoc præcipitur, ut ratio coerceat temeritatem. Eſt in animis omnium fere naturâ molle quiddam, demiſſum, humile, enervatum quodammodo, & languidum. Si nihil eſſet aliud, nihil eſſet homine deformius: ſed præſto eſt Domina omnium, & regina ratio, quæ connixa per ſe, & progreſſa longiùs, fit perfecta virtus: *Lib. de offic.*

Virtus, inquam, ut aiunt Theologi, *Moralis*, hoc eſt

naturalis ordinis, quam definivit Clemens Alexandrinus; dum ait: *Virtutem eſſe congruam, & concinnam animi affectionem, quæ per totam vitam rationi ſubjicitur.* (L. 9. Pedag. c. 12.)

In hac porrò affectionum, id eſt paſſionum animi, ſubjectione, & rationis imperio, poſita eſt hominis perfectio. *Dominetur vitiis ratio, ſubjiciatur corpus animo, animus Deo, & impleta eſt tota hominis perfectio,* inquiebat Sanctus Proſper. (In Sententiis.) Nec perfectio ſolùm; ſed & ſolida optataque animi tranquillitas: ut enim eleganter, & piè S. Leo:

Tunc eſt vera pax, quando & caro animo judice regitur, & animus Deo præſide gubernatur. (Serm. 1. de Quadrag.)

Nec tantum *pax*, ſed & vera *libertas*: ſi enim paſſionibus ſubjici eſt pudenda, & miſeranda ſervitus; ita & illis imperare, *libertas*: ut enim diſertè Plutarchus.

Rationi ſervire libertas eſt: nec ſolummodò *libertas*: ſed & *honeſtas*: addo & felicitas.

Ratione vivendum eſt; non affectu: hoc vivere indecorum: illo, decorum vel maximè; imò & feliciſſimum. Ex quo manavit illud Epicuri, in hoc ſanè Sapientis, effatum nobile. *Præſtat rationabiliter eſſe infelicem, quàm abſque ratione felicem.* (Laërtius.)

Audax omnino liberumque pronuntiatum: ſed tamen verum: poteſt enim quis ſalvâ ratione; imò & ſalvâ virtute eſſe infelix, ſaltem ex mundi legibus, & hominum oculis: at ſine ratione, felix eſſe non poteſt cœli, Deique calculo, quo certè niſi ſis felix, es mortalium omnium infeliciſſimus; uti è contra eo judice feliciſſimus, quia proximus Deo, qui eſt prima & ſumma ratio.

Et hoc ipſum eſt, quod vel ſolo naturæ lumine agnovit, extulitque è Poëtis unus aliquis, dum ita cecinit.

Diis proximus ille eſt, quem ratio, non ira movet, nec ſimilis aliqua perturbatæ mentis paſſio. Ne porrò ſic moveat, *Id quod in homine præcipuum eſt, imperet cæteris, quæ ſunt nobis, beſtiiſque communia: atque idipſum, quod excellit in homine, id eſt mens, & ratio, potiori ſubjiciatur, quæ eſt ipſa Veritas, Unigenitus filius Dei*, ut Chriſtianè D. Auguſtinus. (L. 1. de Serm. Domini in monte. c. 2.) Si autem ſic imperet, quod volet impetrabit: quia ut rectè Seneca. *Quidquid ſibi imperavit animus, obtinuit.*

SECUNDUM PRÆSIDIUM

A diffidentia ſui, & in Deum fiducia.

Cœleſtis Sponſa in Cantico Amoris, hæc olim de Cœleſti Sponſo gratulabunda.

Læva ejus ſub capite meo; & dextera illius amplexabitur me. (Cant. c. 2. v. 6.) In quem locum Interpretes, in alias, atque alias opiniones diſcedunt.

Theodoretus per *lævam* intelligit comminationem ſupplicii: per dextram æterni regni promiſſionem, utraque animam, ceu ſponſam, Chriſtus ſtringit; ſibique copulat, videlicet illius metu, & ſpe hujus.

D. Ambroſio *Læva* ſponſi *eſt præſentium remuneratrix: dextra futurorum.* Et hac, & illa ſponſam cingit, & quaſi complectitur cœleſtis Sponſus.

D. Anſelmo, D. Gregorio, *Læva ſponſi eſt vita præſens*, & brevis: *dextera, vita futura*, atque æterna.

Aliis, *Læva* eſt *adverſitas*, *dextera Proſperitas*: & hac, & illa Cœleſtis ſponſus Animam, ceu ſponſam, ſuſtinet atque ſuſtentat mirâ & amabili viciſſitudine: adverſitate quidem ne nimiùm efferatur; proſperitate, ne plùs æquo abjiciatur.

Aponio, *Læva* eſt *diffidentia ſui; dextera* eſt ſingularis *in Deum fiducia.* Illa de viribus ſuis diffidit ſponſa, hac fidit Deo: illa ſe abjicit, hac ſe erigit ad actus heroicos, & cœlo dignos, ac beatitate: illâ nihil poſſe ſe cognoſcit, & ex vero fatetur: hac autem poſſe ſe omnia confidit, & ſibi certò pollicetur. Denique illa infirma eſt; hac verò fortis. Et hinc prima utilitas à ſui cognitione, & nata inde diffidentia.

Ut enim rectè D. Cyprianus. *Utilius eſt infirmum ſe homo cognoſcat, ut fortis exiſtat: quàm fortis videri velit, & infirmus emergat.* (Lib. de ſingularitate Clericorum.)

Altera utilitas eſt victoria de ſeipſo, quæ & à ſui diffidentia, & à fiducia in Deum enaſcitur. Ut porrò ſic enaſcatur *opus eſt virtute*, ut ait D. Bernardus: *& non quacumque: ſed qua induaris ex alto: ipſa enim, ſi perfecta ſit, facilè ſic victorem ſui, & invictum reddit.* (Serm. 85. in Cant.) Nec victorem ſolùm, ſed & triumphatorem ab hac ipſa de ſe diffidentia, ſine qua, ut annotat Richardus, *Impoſſibile eſt, quempiam de ſeipſo triumphare, donec experimento didicerit, propriâ virtute ſe non poſſe obtinere triumphum.* (In Cant. c. 21.)

Ubi autem experimento id didicerit: tum & illa duo diſcet in Chriſti, ceu ſponſi ſchola.

Primum à ſeipſo nihil poſſe: tum in Deo omnia poſſe, ſi modò illi innitatur. Quidni enim *omnia poſſibilia ſint innitenti ſuper eum, qui omnia poteſt*, ut ſcitè D. Bernardus; qui conſultò addidit illud *innitenti*; (Suprà.) quia, ut eodem loco ille ipſe S. Doctor adjecit, omnia poſſe animam *innixam ſuper dilectum ſuum. Alioqui fruſtra nititur, ſi non innitatur.* Hoc eſt fruſtra quippiam perficere molitur, ſi ſuam in Deo fiduciam non collocet: ſtatim enim atque deficit ſpes in Deo, deficit & acceptum hactenus è cœlo robur, quo uno ſublato fruſtra ſunt cætera: ut enim eleganter, & piè Divus Ambroſius. *Eſto, ſint aliqui duri ad labores, firmi ad injurias perferendas; ſi ſpem auferas, non poteſt perpetua eſſe patientia.* (In Pſal. 118.)

Ut ergo ſit *perpetua*, dicat ſponſa, dicat fidelis anima, & cum Pſalmiſta, & cum Divo Bernardo:

Tu es Domine ſpes mea, & ſi exurgant adverſum me prælia, ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſus ſpiritum concupiſcat, in te ego ſperabo. (Serm. 9 in Pſal. Qui habitat.)

TERTIUM PRÆSIDIUM

Ab oratione, & imploratione cœleſtis auxilii.

Aponius in illud ſponſæ, hoc eſt animæ fidelis, de ſponſo cœleſti, id eſt Chriſto.

Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. (Cant. c. 2. v. 6.) *Læva*, inquit, Chriſti, id eſt ſcutum fidei, eſt ſub capite meo: *dextrâ* verò, id eſt gladio orationis amplexatur, & obarmat me.

Amplexatur, inquit, quod eſt amoris, & benevolentiæ ſingularis; *obarmat* autem, quod eſt præſidii, defenſionis, tutamenti: hæc ille, & meritò. Ad victoriam enim de nobis obtinendam opus eſt cœleſti auxilio, atque adjumento: hoc autem non obtinetur niſi oratione.

Oratio enim, ut rectè D. Auguſtinus, *oranti eſt ſubſidium, Deo ſacrificium, dæmonibus flagellum.* (In Manuali.)

Subſidium, inquam, ad ſuperandas immoderatas animi affectiones: ut enim D. Hieronymus, *Jejunio paſſiones corporis: oratione peſtes ſanandæ ſunt mentis*: hoc eſt paſſiones immodicæ, quæ animam inficiunt, ut peſtis ſolet corpus. (In Marcum Evang.)

Ne porrò inficiant, adhibenda eſt oratio, ceu antidotum potens, atque efficax adverſus illas animi peſtes: cujus neceſſitatem, atque efficaciam oſtendit, & commendat D. Auguſtinus; uſus alia ſimilitudine: ſic enim inquit:

Quoniam in medio laqueorum poſiti ſumus, facilè à cœleſti deſiderio frigeſcimus. Quapropter aſſiduo indigemus munimento, ut expergefacti ad Deum noſtrum, verum, & ſummum bonum cùm diffluimus, recurramus. Recurrimus autem per orationem, atque ad eum redimus, à quo per paſſiones noſtras longiùs abiimus; dumque ſic redimus, non mundi tantùm, & mali dæmonis; ſed & carnis, ceu hoſtis domeſtici, & noſtri victores evadimus, & hoc orationis præſidio; mirum enim

quantum hæc valeat ad victorias de quibuſlibet hoſtibus obtinendas. Quo in genere, ut antiquum, ſic & illuſtre illud, quod refert ſacer hiſtoricus.

Pugnabat Ioſue contra Amalec, hoſtem Iſraëlis infenſiſſimum: *Moyſes autem, & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis. Cumq́; elevaret Moyſes manus, vincebat Iſraël: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.* Ut vel ex eo intelligerent, non tam Joſuanis armis vinci Amalec; quàm Moyſis oratione debellari. *Exod. c. 17. v. 10.*

Sed hoc, inquies, antiquioris eſt memoriæ; demus aliud recentioris.

Pater du Jarrie, Societatis JESU hiſtoricus illuſtris, & de Indiis ſuo calamo benè meritus, refert Luſitanos in Africa duodecies centena millia Angolanorum incredibili celeritate fudiſſe, fugaſſe, profligaſſe, cùm P. Barrera è Societate JESU, manus ex Urbis vicinæ mœnibus ad inſtar alicujus Moyſis ad cœlum protenderet, nonniſi pauculis ſuorum deſideratis, qui dum idem Pater manus remitteret, proſtrati fuerunt. Diceres illam Chriſtianorum de barbaris victoriam, vel ex hoc pendere ſi manus in cœlum extuliſſet bonus Pater, Dei ſervus; tum enim in Luſitanos inclinabat victoria: ſi demiſiſſet paululum, declinabat; ſaltem ad aliquorum è Luſitanis cædem; tantùm in oratione, orantiſque contentione erat momenti.

Quod in illa de Angolanis victoria: hoc & in iſta de nobiſipſis; pendet hæc ferè tota ab oratione, pioque in Deum per eam exceſſu.

QUARTUM PRÆSIDIUM

Ab aſſidua, attentaq́; animi vigilantia, & duriore exercitatione corporis ad pravos affectionum motus vel evitandos, vel comprimendos.

Corpus quid ſit? VT ante paucia inſinuavi, in homine, ceu microcoſmo, duæ ſunt partes: inferior una, quæ carnis ferè eſt tota: ſuperior altera, quæ ſpiritus eſt, & rationis. Videndum quæ ſit illa? & inde quâ opus vigilantiâ, ut comprimatur, contineaturque intra terminos rationis?

I. Aſinus. Corpus D. Hilarioni erat velut aſinus, ſic enim illud vocitare ſolebat, atque ut memorat D. Hieronymus, ſæpè, ut fit, calcitrantem, non hordeo, ſed pa[illegible] nutriebat, fame conficiebat, verberibus debili[illegible] *S. Hieron. in vit.*

Ita D. Franciſcus Borgia, ex Duce Gandiæ Societatis JESU religioſus, rogatus à ſocio ſuo, cur adeò corpuſculum tractaret malè? cur flagellis, ciliciis, aliiſque miris modis maceraret? reſpondit ingenuè. *Iſta bellua jam luat, atq́; eluat bona illa tempora, quæ aliquando habuit, & guſtum quem ſenſit in ſaculi illecebris.* Ita corpus belluam appellabat, & tractabat ut belluam. *In ejus vita l. 4. c. 5.*

D. Chryſoſtomo Corpus eſt velut *equus indomitus*, qui ſi habetur indulgentiùs, & liberaliùs, illicò recalcitrat, & nonniſi ad fœdas libidines adhinnit. *Anima reſultat, ut equus indomitus*, inquiebat orator aureus. *Hom. 31. in ep. ad Hebr.*

II. Equus indomitus. Anima, hoc eſt ea pars, quæ in homine dicitur animalis, illa inſultat rationali. Ne porrò inſultare pergat, fræno regi, flectique, virga cædi, calcaribus pungi, duriùs tractari debet, atque exercitari, & ſic intra rationis terminos contineri.

Eſt corpus Animæ, quod Domino ſervus, & vile mancipium; debet hoc aſperiùs haberi, non autem molliùs, ne inſoleſcat, néve etiam rebellet.

III. Animæ mancipium. Schythæ, quondam avidi novarum regionum, moverunt in Aſiam magis meridionalem, ingentibus copiis, & animis, ibique annis aliquot commorati & Urbes, & Provincias ſuis armis ſubegerunt.

Dum ea res ex voto cedit, & foris omnia aguntur probè; domi quàm peſſimè: ſervi quippe, & mancipia, quæ in ædibus remanſerant, eò delapſi ſunt impudentiæ & libidinis efferatæ, ut ſibi dominorum ſuorum junxerint uxores.

Ubi in caſtris Schytarum innotuit id ſcelus, animos omnium commovit vel maximè, & in Patriam revocavit. Pergunt ergo magnis animis, & juſtam ſpirantes de mancipiis ſuis ultionem. Sed ecce dum patriis tectis fiunt propiores, monentur ſervos ſuos junctis animis, & viribus ingentem conflaſſe exercitum, obviamque armatâ manu procedere. *Herodotus l. 4.*

Agebatur de aris, & focis, & pro his, atque illis utrimque pugnandum acriter. Dubia erat belli alea, verendumque ne ſervi à deſperatione & conſilia & animos caperent. Quid igitur remidii?

E ſenioribus unus aliquis, Vir, ut ætate, ſic & longa rerum experientia clarus, veritus ne ſervi illi ſuæ conditionis immemores, in dominos ſuos vehementiùs irruerent, perſuaſit Schytis, ut arma poneret miles, nec ferrum expediret, nec nudaret enſem: ſed potius flagella explicaret, ſumeret in manus, & ſic iret in hoſtem: cum ſervis, & mancipiis agendum flagellis, non ferro, & armis.

Placuit conſilium, ponuntur arma, expediuntur flagella, fit ingens clamor, & jam manus manui, pes pedi erat committendus: ſed mirum dictu, viſuque!

Ubi flagella in oculos venêre, concidere illicò ſervis animi, corda tremere, vacillare manus, nec fuit qui enſem ſtringeret, qui ſagittas emitteret in Dominos, præcipiti fuga elapſi omnes; ſic Schytis, & Dominis ceſſit incruenta victoria.

Quod Schytis illis, hoc & nobis: rebellat caro, Inſultat corpus animo, ceu Domino mancipium; educantur flagella, veſtes cilicinæ, catenulæ, aliaque pœnitentiæ inſtrumenta ad corpuſculi caſtigationem, & aliquam ex merito lanienam, & illicò ſubſidet omnis ille à carne, à corpore tumultus, rebellio omnis ceſſabit, & pugna.

Et ita factum legimus jam inde à mundi naſcentis infantia, cùm à peccato corruptum eſt genus noſtrum, & caro ſpiritui rebellare cœpit, ac bellum movere.

Ita S. Irenæo teſte ipſemet Adam, primus homo, ſtatim à lapſu in peccatum, ut ſuam ipſo facto oſtenderet pœnitentiam, carnemque domaret, foliis ficulneis ſeipſe contexit, cùm alia eſſent folia benè multa, quæ minùs ejus corpus vexare poſſent, utpote molliora.

Condignum pœnitentiæ amictum ſibi fecit, *retundens petulantem carnis impetum*, inquit Irenæus. *Lib. 3. c. 37.*

Quod pugnæ genus, ut valeat in omnibus à corpore vitiis, maximè tamen in luxuria; hæc enim edomanda maceratione carnis, flagellis, ciliciis, aliiſque ejuſmodi corpuſculi afflictationibus.

Ita S. Macarius Alexandrinus in ea, quæ illi fuit cum carne lucta, & putidæ veneris inſultibus, è cellula exceſſit, venitque in ſolitudinem lacui vicinam è quo evolabant infeſta veſparum agmina, quibus ad ſex omnino menſes nudum ſe expoſuit, ut earum aculeis ac morſibus pungeretur, lancinaretur, ac conficeretur totus. Et verò ita lacer, ita cruentus & lividus ad ſuos rediit, ita à ſe quodammodo alius, ut nemo unus omnium eum, niſi de voce agnoſceret.

Ita nimirum (ut in ſimili D. Gregorius de S. Benedicto, qui ſe nudum in urticas, & ſpinas induerat) *voluptatem traxit in dolorem, & vicit peccatum, quia mutavit incendium.* *In ejus vita c. 2.*

Incen-

Incendium, inquam, voluptatis venereæ, in doloris incendium. Seneca, ſeverus morum cenſor, memoriæ prodidit, *flagellis quartanam diſcuſſam fuiſſe quorumdam.*

De benef. l. 1. c. 6.

Quid illis, hæc & pravis affectionibus; quæ velut animi febres ſunt; tertianæ aliæ, aliæ quartanæ, aliæ etiam quotidianæ: hæ, inquam, flagellis diſcuti poſſunt, & corporis caſtigatione vel reprimi, vel tolli.

Durius tractandum eſt corpus, ne animo malè pareat, inquiebat ille ipſe Romanus Sapiens, ſed inſtitutum proſequamur, & videamus qoid animæ ſit corpus.

IV. Laqueus.

D. Gregorio, Pont. Max. Corpus animo eſt veluti *laqueus*: Nos, inquit, *geſtamus laqaeum noſtrum, nobiſcum circumferimus inimicam, carnem noſtram loquor, de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis ipſa origine: ſed multo amplius prava conſuetudine vitiatam. Hinc eſt quod tam acriter adverſus ſpiritum concupiſcit, quod aſſidue murmurat, & impatiens eſt diſciplinæ, quod illicita ſuggerit, quod nec rationi obtemperat, nec ullo timore inhibetur.*

V. Impedimentum animi.

D. Bernardo, Corpus eſt velut *impedimentum*, & gravior ſarcina: ſic enim ait:

Primum impedimentum noſtrum, & occupatio gravis eſt neceſſitas miſeri hujus corporis: quod dum modò ſomnum, modò cibum, modò veſtem cateraq; ſimilia quærit, haud dubiè quin frequenter impediat nos ab exercitio ſpirituali. Hactenus S. Præſul.

VII. Hoſtis domeſticus.

D. Baſilio Corpus eſt veluti *domeſticus hoſtis*, contra quem ſtandum in vigilia, & acie, ne dum nos invadit, ſuperior evadat.

D. Baſilius de jejunio.

Perinde, inquit, *atque in acie, hinc atque hinc inſtructa ad conflictum, qui alteri parti fert ſuppetias, facit ut alter vincatur. Ita, qui carni ſeſe adjungit, expugnat ſpiritum. & qui ſtat à ſpiritu, carnem in ſervitutem redigit.*

Hæc ille, quo judice caro ſpiritui inſidias ubique ſtruit; ubique bellum intentat, & movet, ubique incurrit in prælium, in quo cavendum eſt quàm maximè, ne ſpiritus carni jungatur, néve illi tantiſper conniveat: ſi enim jungitur aut minimum connivet, illicò vincitur, & perit. Sed ne longiùs; videamus quid de corpore, & ſentiant, & loquantur alii.

VII. Vinculum animi.

Annæo Senecæ, *Corpus* eſt veluti quoddam animæ *vinculum*, quo ni caveat conſtringitur illa, & quaſi captiva tenetur, ac ducitur: quod ab homine, & à ſe alienum dum exiſtimat Seneca, ſic de ſe ipſo & liberè, & verè.

Major ſum, & ad majora natus ſum, quàm ut mancipium ſim corporis mei, quod certè non aliter aſpicio, quàm vinculum libertati meæ circumdatum.

Hæc ille non minùs eleganter, quàm generosè; quocum utinam & ſentirent, & loquerentur etiam Chriſtiani, etiam Religioſi, dicerentque & ipſi *Major ſum &, ad majora natus ſum, quàm ut mancipium ſim corporis mei.*

Et certè qui hujus mancipium eſſet immortalis animus, qui ideò natus eſt, ut illius ſit Dominus, illius præſes, ac moderator, & ſi voles etiam Rex: & hoc à natura, Deoque: à qua dignitate, officioque ſi dejici, ac deturbari ſeſe patiatur, næ infelix erit mancipium: ſed non patietur ſi ſeipſe, ſi Deum audiat. Erit enim corpori quod herus ſervo, quod mancipio Dominus, quod diſcipulo Magiſter, quod Rex ſubdito: & ſic ubique ſuus, ubique liber erit animus: ut enim ille ipſe Seneca, quo authore libenter utor.

Contemptus corporis ſui, certa libertas eſt.

Sed inquiet unus aliquis corporis ſui amantior, & cuticulæ fortè etiam indulgentior, non ita abjiciendam eſſe corpuſculi curam; eſt enim anima velut illius hoſpes, ut rectè D. Bernardus:

Nobilem hoſpitem habet corpus, quem honorare debet.

Eſt hominis altera pars (conſtat enim hic corpore & anima) adeoque aliqua huic illius incumbit ſolicitudo, aliquis debetur amor, & velut juncta charitas. Nec abnuo, & hanc, & illam ei deberi contendo, dummodo intra limites rationis. & fateatur ipſe Romanus Sapiens:

Fateor, inquit, *corporis noſtri nobis inſitam charitatem: fateor nos hujus gerere tutelam, non nego indulgendum illi: ſerviendum nego.* *Epiſt. 14.*

Indulgendum ait, at cautè, at moderatè, ne dum nimiùm indulges, aut mordeat, aut pungat: *Anima enim in carne, velut inter ſpinas verſatur*, ut ſcitè advertit D. Bernardus. Et hinc cautè, & circumſpectè in ea, & cum ea agendum eſt animæ: ſi enim incautiùs, ſi liberiùs; ſuos illa exeret aculeos, ſuas ſpinas, concupiſcentias intelligo, affectusque malè ordinatos, à quibus, & pungetur, & cruentabitur animus; & quod ſummum malorum eſt, ab accepta plaga, etiam in miſerandam, atque abominabilem ſervitutem redigetur. Id ne tibi accidat, AMICE LECTOR, age, eſto Dominus tui, eſto tui victor, nunquam ſervus, nunquam victus.

Serm 47. in Cant.

Eris porrò victor ſi carnem domare, & macerare ſtudeas; uti etiam exemplo ſuo nos doctos voluit Conſalvus Gomius è Societate JESU. Cùm eſſet hic Caravacæ Collegii Rector in magna licèt infirmitate corporis, mira erat ſeveritate animi: utque eſſet conſtantiùs; ſingulos hebdomadæ dies in certa afflictationum genera diſtributos habebat.

Binis flagello ſe verberabat, totidem induebant cilicin, duabus noctibus veſtitus cubabat duro ſuper ſcamno, duabus verò nudus ſuper cilicino ſtragulo. Sic illi perpetua cum corpuſculo erat lucta, perpetua & victoria. & hæc, & illa fuit in Viris longè Sanctiſſimis. *Hiſtor. Societ. Part. 5. l. 4. n. 10.*

Petrus Abbas Canenſis loricam ſubtus carnem occultam induebat quouſque putreſceret, atque ab ejus corpore rupta decideret. *In ejus vita c. 8 tom. 7. Surii.*

D. Dominicus ſingulis noctibus catena ferrea ſeſe flagellabat. Primò pro ſeipſo. Deinde pro peccatoribus adhuc in hac vita mortali ſpirantibus, ut ad meliorem vitam, quæ erat gratiæ, eos revocaret indulgens Numen. Denique pro Animabus, quæ in expiatoriis ignibus tenebantur, ut eas Dei miſeratio ex illis in cœlos educeret. *In ejus vita l. 4. c. 9.*

Et hæc ſunt, quæ, partim pro ſubigenda carne, egerunt Viri, aliàs ab innocentia vitæ ſpectatiſſimi; partim ex puriore animarum zelo, ut eas gratiæ, cœloque redderent; ut & tu eorum exemplo provocatus eadem audere, eadem & moliri diſcas, nec ab iis, ut ſolent delicatuli, abhorrere.

Et certè, qui abhorreas, cùm eæ corporis macerationes, quales quales demum ſint, ſint *Amici tui?*

Sanè Amicos ſuos appellare ſolitus B. Franciſcus Borgia. Cùm enim ei perennis eſſet pugna cum corpore, quod ſuum *inimicum* vocitabat, Amicos dicebat eas res omnes, quæ in illud facto veluti cuneo incurrerent, & afficerent quàm peſſimè. *In ejus vita l. 4. c. 1.*

Si quando de vi Solis æſtu, atque ardore torreretur, ſi aliàs à frigore, & gelu rigeret totus, ſi maderet, ſi difflueret imbribus, ſi nive ſi grandine impeteretur, ſi podragra, ſi chyragra laboraret, aut alio quovis morbo, ſi de illo quis & ſentiret, & loqueretur malè, de illis omnibus dicere ſolitus. *Quàm bellè me probant Amici.*

Sic *Amicos* habebat, dicebatque ea omnia, quæ nos abjectæ in terras animæ, & cœleſtium inanes, *inimicos* & dicimus, & horremus, & fugimus. Vide, Mi Lector, an ex æquo, an tibi, & delicatulis illis magis habenda fides, quàm veteranis illis in Chriſti palæſtra pugilibus.

Fides, inquit, *quam Chriſti patientia induxit; ſpes, quam hominis patientia expectat; dilectio, quam Deo magiſtro patientia comitatur.*

Viden' ut patientia, & huic, & illis ſit comes: ampliùs dico imò & magiſtra.

Liberum, inquies, pronuntiatum, quod non efferrem, niſi ante extuliſſet Tertullianus, gravis morum Magiſter; qui ſic olim de *Charitate*, quæ inter Theologicas virtutes eſt princeps, & cæterarum Regina: aliæ veluti pediſſequæ; ſic tamen de illa:

Dilectio ſummum Fidei Sacramentum, Chriſtiani nominis theſaurus, cujus niſi patientia diſciplinæ eruditur.

Ut autem oſtendat ſic erudiri, per omnia charitatis officia elabitur: docetque ea erudiri à Patientia veluti magiſtra.

Dilectio, inquit, *magnanimis*; noſter vertit, *patiens eſt: ita patientiam ſumit.*

Benefica eſt: malum patientia non facit. Non æmulatur: id quidem patientiæ proprium eſt. Nec protervum ſapit: modeſtiam de patientia traxit, Non inflatur, non protervit: non enim ad patientiam pertinet.

Nec ſua requirit, ſuffert ſua dum alteri proſit, nec incitatur. Cæterum quid impatientiæ reliquiſſet? ideò, inquit, dilectio omnia ſuſtinet, omnia tolerat. Utique quia patiens.

Vides ut dilectio omnia faciat, patientia comite, duce, magiſtra.

Attende, ut etiam aliæ *Virtutes*, quas *Morales* appellamus: non excurram per omnes, quod longum foret, & Lectori fortè tædium pareret; paucis ero contentus, ex illis de aliis facilis erit conjectura.

Cap. 13. Hactenus egimus *de Patientia tantùm in animo conſtituta, cùm eadem, etiam in corpore, demerendo Domino multipliciter adlaboret.* Quomodo autem adlaboret, docet Tertullianus, oſtenditque Patientiam aliis omnibus virtutibus adſtipulari.

Primò enim, *adflictatio carnis, hoſtia Domino placatoria.* En virtus quam mortificationem dicimus.

Secundò, per *humiliationis ſacrificium* En humilitas.

Tertiò, *cùm ſordes, cùm anguſtia victus Domino libat, contenta ſimplici pabulo, puroq́; aquæ potu, cùm jejunia conjungit, cùm cineri, & ſacco moleſcit.* En ſpontanea Paupertas. En etiam temperantia.

Quartò, cùm *precationes commendat, deprecationes affirmat. Cùm aures Chriſti Dei aperit, ſeveritatem diſpergit, clementiam elicit.* En oratio, ejuſque ſtudium.

Quintò, (quod inter *altiores, & feliciores gradus corporalis patientiæ* reponit Tertullianus) *Eadem ſanctitati quoque procurat continentiam carnis. Hæc & viduam tenet, & virginem adſignat, & voluntarium ſpadonem ad regna cœli levat.* En voluntaria Caſtitas, en in carne ſpiritus, ſine ulla carnis contagione.

Sextò, *quod de virtute animi venit, in carne perficitur. Carnis patientia in perſecutionibus præliatur. Si fuga urgeat, incommoda fugæ caro militat. Si & carcer præveniat, caro in vinculis, caro in ligno, caro in ſolo, & in illa paupertate lucis, & in illa patientia mundi.* En tibi ab hac invicta in malis conſtantia, ac fortitudo, quæ, ut ait ille ipſe Tertullianus, (quo authore hic utor) comite patientia *adverſus omnem ſubvertendæ fidei, vel puniendæ paraturam, ut verbera, ut ignem, ut crucem, beſtias, gladium conſtantiſſimè toleret.*

Nimirum *his patientiæ viribus ſecatur Iſaias, & de Domino non tacet. Lapidatur Stephanus &, veniam hoſtibus poſtulat.* Et ecce in hoſtes clementia, & miſeratio. Vis etiam ab eadem patientia ſalutarem pœnitentiam? eam dabit *Rex Babylonis, qui offenſo Domino cum ſqualore, & pædore ſeptenni, immolata patientia corporis ſui, & regnum recuperavit, &, quod optabilius homini eſt, ſatis Deo fecit.* Et ecce à patientia ſatisfactio. Adeò verum eſt, quod nulla virtus ſine patientia.

Tract. de Patientia. *Tolle charitati patientiam, & deſolata non durat*, inquiebat D. Cyprianus. Tolle & aliis virtutibus, & eas omnes ſuſtuleris.

Vidimus quomodo Patientia perfectum opus habeat ab illis virtutibus, quæ ei ſunt comites individuæ: attendamus quomodo etiam perfectum ex præmio, quod illi in cœlis parat Deus.

Quod autem illud & quantum magiſtra Dei ſapientia didicit *S. Franciſcus Aſſiſias.* Affixus erat hic lectulo, & eò quidem, ut nullam omnino quietem capere poſſet. Ad has inſolentis morbi anguſtias acceſſerat permoleſta vexatio murium à malo dæmone procurata, quæ adeo erat importuna, ut neque noctu, neque interdiu ulla daretur quies. Agnovit hic Vir ſanctus Dei manum, & ea ſe tangi paſſus eſt etiam cum ingenti gaudio, & gratiarum actione, cui dum liberaliùs indulget, hæc illi de cœlo audita vox: Franciſce, reſponde mihi, ſi terra quanta quanta eſt aurum foret, ſi & mare, & flumina, & fontes balſamum eſſent, ſi montes omnes, & colles, & ſaxa, lapides pretioſi, & tu tamen alium theſaurum multo illis pretioſiorem invenires; nunquid apprimè lætareris? Cui Franciſcus: Enimvero Domine. At nec illo theſauro dignus ſum. Cui Dominus: Te patientia in morbo, & in illis vexationibus dignum faciet eo theſauro, inter quem & theſauros illos tantum intereſt, quantum inter aurum, & lutum; inter balſamum, & aquam; inter adamantes & ſaxa. Quis autem ſit ille theſaurus, noſſe ſi vis, non alius eſt, quàm æterna vita, quam tibi, & tuæ patientiæ donatam volo, velut illius præmium.

Ad hoc dum aſpirat *S. Lutgardis*, incendi cœpit quodam virtutum omnium acquirendarum deſiderio: maximè tamen *Patientiæ.* Hinc illi injecta martyrii cogitatio, ardor, & æſtus quidam impotentior, quo adeò exarſit, adeò tota commoveri, agitarique ſe ſenſit, ut illi præ nimio impetu rupta ſit ea vena, quæ cordi opponitur, è qua & copioſus ſanguis emanavit. IV. In Præmio.

Nimirum illi in oculos, in animum incurrebat Agnes, Virgo caſtiſſima, & Martyr invicta etiam in illo ætatulæ flore. Et hinc ille ardor, & æſtus ille martyrii, quem ut ſopiret Chriſtus, ei ſeſe ſpectandum dedit, & hæc deinde ad illam: Lilia Ciſtercienſia tom. 2. c. 7.

Pro ferventiſſimo Martyrii deſiderio, quo tota exarſiſti, idem omnino cum Agnete Martyre in cœlo præmium obtinebis. Ejus enim Martyrium tuo deſiderio coæquaſti.

Dixit, & videri deſiit, & S. Lutgardem, ſi non Martyrii, ſaltem præmii, ac coronæ participem fecit. Tantum valuit Patientia & Martyrium etiam in voto tantùm.

Maneat igitur inconcuſſum illud, quod initio propoſui; imò quod ab ipſa naſcentis Eccleſiæ infantia propoſuit D. Jacobus, *Patientia opus perfectum habet.* Quod ſi perfectum habet, & ad perfectum nos Deus & ratio invitat *Non licet nobis una die ſine patientia manere*, ut rectè Tertullianus. Cap. 1. v. 4. Cap. 12.

Et vero ſibi non licere aiebat B. Mater *Maria de Victoria.* Huic ſi vel dies unus abiiſſet ſine aliqua patiendi materia, eum rebatur ſe perdidiſſe, indeque ſubtriſtis ſomno ſe dabat non ſine piis apud Superos querelis; imo & apud ſorores, quibus ſæpius audita ingeminare mœſtum illud: *Hodie diem perdidi*; Sub noctem è ſororibus una cùm audiſſet longa ex imo pectore ducere ſuſpiria; ex illa quæſivit ecquæ illorum cauſa? cui illa & ingenuè, & piè: Hodie, ô filia mea, nihil incurrit unde daretur aliquid pati Dei causâ. Et hinc mei gemitus, mea & ſuſpiria: Ex vero enim diem iſtum perdidi. Hæc illa, à qua abſunt quàm longiſſimè mortalium plerique, qui è contrario diem illum ponunt in lucro, in quo nihil occurrit adverſi. Diem illum albo notant calculo, cùm contra nigro ſignare debuiſſent. Quid facias? is error eſt mortalium. Ferdinãdus Moliſo in ejus vita. l. 2. c. 8.

§. 2. Patien

§. 2.

Patientia opus perfectum habet in exemplari ſuo, id eſt Deo, & Deo-Homine.

QUodcumque opus vel ars humana molitur, vel etiam cœleſtis ſapientia, gratiaque in lucem ac ſolem educit, eò perfectiùs eſt, quò perfectiùs fuerit exemplar, & quò ad illud propiùs acceſſerit. Unde ſi probavero Patientiæ opus pro exemplari ſuo habere *Deum* primò, ac deinde *Deum hominem*: ſimul confecero eſſe longè perfectiſſimum, maximè ſi ad hunc, & illum imitatione quadam ſeſe propiùs admoverit, atque exemplari ſuo quàm ſimillimum fecerit.

Exprimam autem illud, non ſtylo meo (quod ſcio, quàm retuſus ſit, & humilis) ſed grandiore, & aculeata Tertulliani eloquentia. Sic igitur ille:

Lib. de Patientia c. 2. *Nobis exercendæ patientiæ authoritatem, non affectatio humana caninâ æquanimitatis ſtupore formata: ſed viva, ac cœleſtis diſciplina divina diſpoſitio delegat. Deum ipſum oſtendens patientiæ exemplum.*

Quod ut ponat in publico, & clara luce, Dei ter Opt. ter Max. in genus humanum beneficia ſua ſpargentis ideam proponit, & ſic ait.

Qui florem lucis hujus ſuper juſtos, & injuſtos æqualiter ſpargit, qui temporum officia, elementorum ſervitia, totius genituræ tributa, dignis ſimul, & indignis patitur ſimul occurrere.

Ubi hanc beneficam Dei, ceu Authoris naturæ, manum, ſic explicuit: tum elabitur in averſa à cœlo, Deoque capita, in quæ tamen impluit, influitque eadem mens divina effuſâ quâdam in omnes, & æquâ liberalitate; quod ſummæ, id eſt divinæ, eſt patientiæ: ſic enim inquit:

Suſtinens ingratiſſimas nationes, ludibria artium, & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familia ipſius perſequentes, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem.

Ubi iſta, ſeu humanæ ingratitudinis, ſeu etiam perverſitatis monſtra, quaſi ex erebo extulit: tum veluti digito monſtrat, quò uſque tandem progreſſa ſit Dei patientia, eò certè, quò non datur ultra; eò ſcilicet, *ut ſua ſibi patientiâ detrahat: plures enim Domino idcircò non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.*

Et hæc quidem divinæ patientiæ ſpecies quaſi de longinquo, ſors ut de ſupernis æſtimetur. Verè de longinquo, quia de longinqua cœli regione. Verè de *ſupernis*, quia de Deo, ut vel hoc uno nomine, quòd à Deo ſit, æſtimetur à puſillis mortalibus.

Ab hac porrò Dei patientia, delabitur ad illam, quæ Dei hominis eſt, & quæ, ut ait Tertullianus *inter homines palam in terris quodammodo manu apprehenſa eſt.* Quæ autem, & quanta ſit illa, quàm antiqua, quàm nova, oſtendit ipſe in omni vita: ſed vel maximè in ultimò illius actu. Ut enim D. Cyprianus:

Omnes actus Chriſti ab ipſo ſtatim adventu patientiâ comite ſignantur. Lib. de bono Patientiæ.

Nimirum patientia illi comes jam inde à cunis, illius quodammodo ſignum, ac ſigillum, quo ſignati ſunt illius actus omnes: quod fusè docet Tertullianus maſcula, ut ſolet, eloquentia.

Naſci ſe Deus in utero patitur matris, & expectat, natus adoleſcere ſuſtinet, & adultus non geſtit agnoſci. Cap. 3. Crediſſes Dei hominis vitam Tragædiam eſſe, in qua & hic primus actus.

Secundus eſt iſte. *Contumelioſus inſuper ſibi eſt, & à ſervo ſuo tingitur, & tentatoris congreſſus ſolis verbis repellit*: & hic actus ſecundus.

Tertius eſt ille. *Nullum volentem ſibi adhærere, non ſuſcepit, nullius menſam, tectúmve deſpexit: Non publicanos, non peccatores aſpernatus eſt.*

Non illi Civitati, quæ eum recipere noluerat, iratus eſt, cùm etiam diſcipuli tam contumelioſo oppido cœleſtes ignes repræſentari voluiſſent. Ingratos curavit, inſidiatoribus ceſſit.

Et hic quartus patientiæ actus eſt.

Quintus, & poſtremus eſt ille. *Proditorem ſuum ſecum habuit, nec conſtanter denotavit, cùm verò traditur, cùm adducitur ut pecus ad victimam, ſic non magis aperit os, quàm agnus ſub tondentis poteſtate. Ille, cui legiones Angelorum, ſi voluiſſet, uno dicto de cœlis aſſuiſſent, ne unius quidem diſcentis gladium in ultorem probavit: Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt. Itaque & gladii opera maledixit in poſterum, & ſanitatis reſtitutione, ei, quem non ipſe vexaverat, ſatisfecit per patientiam miſericordiæ matrem.* Et hæc futuræ veluti paſſionis fuêre præludia; ad majora itum eſt. Nam & *deſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur*, infami ligno affigitur, nimirum, ut rectè Tertullianus. *Saginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat.*

Eſt amor, eſt & nata ex illo voluptas veluti pondus, quod quò propiùs accedit ad centrum, finemque ſui motus, eò celeriùs, & vehementiùs allabitur. Nempe impetum facit natura, facit & voluptas: & certè ingenitus Deo homini patiendi amor, ingenita etiam ex eo quædam patiendi voluptas, faciebat, ut eò ferretur ardentiùs, quò propior erat vitæ meta; & qui toto brevis ævi curſu patientiâ teſti voluerat, voluit eadem in illius fine ſaginari.

Hic te volo, mi Lector, evocoque ad contemplandum divinæ illius Patientiæ exemplar, ſive Dei ter Opt. ter Max. ſive etiam Dei hominis; atque ad extremum Tertulliani verbis compello.

Amemus patientiam Dei, patientiam Chriſti, rependamus illi, quam pro nobis ipſe dependit. Offeramus patientiam ſpiritus, patientiam carnis, qui in reſurrectionem carnis & ſpiritus credimus. Cap. 6.

TRACTATUS
DE VICTORIA
SVIIPSIVS.

Iob c. 7. v. 1. BEne cenſuit, benè dixit, qui & cenſuit, & dixit illud: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.*

Militia enimverò, in qua, & cum hoſte domeſtico, id eſt ſeipſo, certandum; & cum externo, putà Mundo & Dæmone pugnandum acriter, & vincendum fortiter, & glorioſè triumphandum. Et hæc erit *Victoria*, de qua mihi in præſens quæſtio, in qua primùm quæram qui ſit? & in quo poſita ea de ſeipſo victoria? Tum, quàm ea ſit plena gloriæ, & fructus uberrimi? Denique, quæ ad eam vel exempla, vel ſubſidia?

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Sapientis verba: *Certamen forte dedit illi ut vinceret.* Sap. c. 10. v. 12.

§. 1.

Quòd illud certamen forte, & quæ victoria?

EXcurrit hic Sapiens in laudes, & ſacratiora encomia Patriarchæ Jacob, Athletæ fortiſſimi; & hæc de illo. *Certamen forte dedit illi.*

Hoc in loco varius Interpretum ſenſus. Syrus enim vertit. *Et in forti certamine juſtificavit eum.* Arabicus *& gubernavit illum ingruente ei forti certamine.* Vatablus: *Obeundum ei arduum certamen conſtituit.*

Nimirum Deus Jacob, quaſi agoniſtæ, ac certatori duram luctam, & certamen forte conſtituit, dum ſcilicet eum objecit avaritiæ Laban, atque iræ, & perſecutioni Eſau, & Chananæorum; dum objécit & Angelo, quocum luctans, ac vincens, ab eo bravii, ac præmii loco benedictionem accepit, bonorum omnium fertiliſſimam, ac deinde glorioſum nomen adeptus eſt: ab eo enim audiit felici ac
Gen. c. 32. v. 28. fortunato nomine, atque omine, Iſraël, id eſt, *prævalens, vel dominans Deo.*

Et hæc ad litteram dicta paucis. Tranſeo ad ſenſum myſticum, & illud pronuntio *Certamen forte, & victoriam* eſſe hominis cum ſeipſo: at quænam illa? & in quo repoſita?

Sancti Patres ex Scripturæ ſacræ genio, modóque loquendi, eam aliis, atque aliis nominibus expreſſam volunt; & quidem

Primò *Mortificationis*: ita regius Vates, qui ſic de ſeipſo, ſic de aliis ejuſdem ſacratioris militiæ duci-
Pſal. 43. bus, & anteſignanis. *Propter te mortificamur tota die.*
2. Cor. c. 4. Ita & Gentium Apoſtolus: *Semper mortificationem IESV in corpore noſtro circumferentes.* Crederes illi mortificationem eſſe pro amictu, pro Chriſti veſte, & Chriſtiani, imò Apoſtoli nota.

Secundò dicitur eadem *Victoria abnegatio ſui.* Et hæc nuncupatio hauſta ex ipſo Chriſti oraculo; &
Matth. c. 16. v. 24. monito ſacratiore ad ſuos: ſic enim ad illos: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſeipſum.*

Tertiò denique eadem ſuiipſius *victoria* appellatur *odium ſui.* Et hanc appellationem ſortita ab ipſo Salvatore; cujus hoc ſolemne fuit effatum.

Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam Ioan. c. 12. v. 25. *cuſtodit eam. Et hæc eſt actio noſtra, hæc militia noſtra,* inquit Auguſtinus, adeóquè & hæc victoria. *Mortificatio* corporis, & animi: *Abnegatio ſui,* Odiumque Serm. 13. de verb. Apoſt. ſui.

§. 2.

Quàm nobilis de ſeipſo victoria? quàm etiam fortis & heroïca?

VT hanc veritatem in aperto ponerent ex antiquis ſapientiores eam compoſuêre cum alio quovis Victoriarum genere.

Fortis habetur, qui cum ferocioribus belluis, cum Urſo, Leone, aliiſque id genus animalibus & pugnat, & vincit: ita fortis audire geſtiit David cùm & ipſum cum Goliatho certamen affectaret: ſic enim ad Saülem.

Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat Leo, 1. Reg. c. 17. v. 35. *vel Vrſus, & tollebat Arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamq́; de ore eorum, & illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.*

Fortis audit, qui ferratas acies invadit, diſſipat, frangit, ſoloque inſternit etiam è Ducibus fortiſſimos.

Fortis denique qui & hoſtium Valla ſuperat, & Urbes quantumvis munitas expugnat, & ſub jugum venire cogit: At illis fortior qui cum ſeipſo ſic pugnat, ut vincat.

Ita viſum, ita probatum Sapienti, cujus hoc eſt veluti cœleſte quoddam oraculum. *Melior eſt patiens* Prov. c. 16. v. 32. *viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore Vrbium.*

Et hanc veritatem agnovêre, & prædicavêre Antiquiores Sophi etiam vel ipſo ſolo naturæ lumine. Lubet illos audire.

Plato certè Libro, quem inſcripſit de Legibus, ſic ait.

Vincere ſeipſum omnium victoriarum prima, & optima eſt.

Seneca. *Nulla ſpecioſior victoria, quàm virtute vin-* In Proverbiis. *cere:* cujus rationem hanc addit. *Bis vincit qui ſe vincit.* Alios quippe omnes vincit ipſe, & inſuper ſeipſum: quod ut difficillimum victoriæ genus eſt, ſic & nobiliſſimum: *nulla* quippe *major eſt victoria, quàm ea, quæ de cupiditatibus,* ut ſcitè D. Cyprianus; cujus cauſam hanc effert: quia *qui hoſtem vicit, fortior fuit* De bono pudicitiæ. *ſed altero. Qui libidinem repreſſit, ſeipſo fortior fuit:* quod ut in luce, & omnium oculis ponat, ſic proſequitur: *Qui inimicum proſtravit, externum hoſtem percuſſit: qui cupiditatem depreſſit, hoſtem domeſticum ſuperavit.*

Malum omne facilius vincitur quàm voluptas, quia illud quidquid eſt, horridum eſt; hoc verò blandum eſt, adeóque vinci difficillimum.

Quod ſi difficillimum; ſic & glorioſum: ut enim rectè D. Ambroſius. *Quid excellentius, aut magnificentius quàm exercere mentem, affligere carnem, & in ſervitu-* Lib. 1. Offic. c. 10. *tem redigere, ut obediat imperio, & conſiliis obtemperet.*

Porrò hujuſce victoriæ excellentiam, ac veluti majeſtatem ex eo diſces, quod qui ea gaudet & Rex ſit: quod in terris ſummum, & Deo ſimillimus, quod in cœlis eſt maximum.

Regem

Regem eſſe, & quidem ſui (quod majus eſt quàm aliorum eſſe) probat D. Ambroſius; dum explicat illud Vatis regii: *Anima mea in manibus meis ſemper*: ſic enim ait:

Pſal. 118.

Quicumque proprium corpus ſubegerit, nec ab ira, & aliis paſſionibus turbari animam ſuam rector ſui congrua vi permiſerit; is benè regia quadam poteſtate ſe cohibens, Rex dicitur, quod regere ſe noverit, & arbiter ſui juris ſit, nec captivus trahatur in culpam. Hactenus S. Præſul, ex quo pauca hic ſtylo notari velim.

Primò, quod quiſquis is eſt, ſit *Rector* ſui.

Deinde quod Regia quadam poteſtate præditus, adeoque *Rex*.

Tum etiam quod liber, *arbiter ſui*, *ſui Iuris*.

Denique quod nulla ratione *captivus*, uti ſunt qui vel alicujus culpæ, vel paſſionis vincula induunt; nec liberi illi ſunt, nec ſui, nec Reges: ſed affectionum ſuarum vitiorumque mancipia: at non ſic, qui illis dominantur; nam & hi liberi, & ſui Juris, & Reges, & quidem longè potentiſſimi.

Teſtem appello è ſacratiore Lycæo Boëtium. Hæc ille meliore metro:

Lib. de Conſ. metro 5.

Qui ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces.

Teſtem & è propbanis Claudianum. Hæc ille quondam, in Panegyrico Theodoſii:

Tu licèt extremos latè dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris ira;
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius Leges, tunc omnia jure tenebis,
Cùm poteris Rex eſſe tui.

Omnia, inquit, *tenebis*, cùm teipſum intra rectæ rationis limites tenueris, tuus eris; non aliorum (quod parum eſt) *Rex*, & Dominus; ſed *tui*, quod longè maximum cœlo, Deoque judice. Neque Rex tantùm; ſed Deo propinquus, Deo ſimillimus: quod ſummæ dignitatis eſt atque excellentiæ; quam & natura duce, ratione comite agnovit, ac prædicavit Romanus Orator; atque ex eo Lactantius, qui patientem componit cum Hercule virorum fortiſſimo: imò & anteponit, ſic enim ait:

Lib. 1. Div. Inſtitut. c. 9.

Nulla enim eſt tanta vis quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique poſſit.

Orat. pro Marcello.

At animum vincere, iracundiam cohibere, fortiſſimi eſt, quæ ille nec fecit unquam, nec potuit.

Hæc qui facit, non modo ego eum cum ſummis viris comparo: ſed ſimillimum Deo judico.

Hæc ubi ex Oratore Romano extulit Lactantius, tum ſubjicit.

Vellem adjeciſſet de libidine, luxuria, cupiditate, inſolentia, ut virtutem ejus impleret, quem ſimilem Deo judicabat. Non enim fortior judicandus eſt, qui Leonem, quàm qui violentiam, in ſeipſo incluſam feram, ſuperat iracundiam: aut qui rapaciſſimas volucres dejicit, quàm qui cupiditates avidiſſimas coercet: aut qui Amazonem bellatricem, quàm qui libidinem vincit, pudoris ac famæ debellatricem; aut qui fimum de ſtabulo, quam qui vitia de corde ſuo egerit; quæ magis ſunt pernitioſa, quia domeſtica, & propria mala ſunt, quàm illa, quæ & vitari poterunt, & caveri.

Hactenus Lactantius, à quo diſcedo, ut veniam ad rationes, quæ liquidò oſtendant vincere ſeipſum, nobiliſſimum eſſe genus victoriæ.

Una ducitur à difficultate, quæ eſt ex eo genere victoriæ: ſeipſum enim vincere, res eſt planè ardua, ac difficillima. *Multò ſeipſum, quàm hoſtem ſuperaſſe operoſius eſt*, inquiebat Valerius Maximus.

Lib. 4.

Altera petitur ab eo ipſo, qui ſic vincitur: fuit ea Quinti Curtii ratio, quo judice *eò clarior laus eſt, quò clarior ille quem viceris.*

L. 6. Hiſtor.

At qui ſeipſum vincit, vincit hoſtem tum naturæ dignitate, tum ſuæ redemptionis pretio, tum Chriſtiano nomine perilluſtrem.

Poſtrema hauritur à præmio, ac triumpho, qui illi victoriæ decernitur: præmium eſt ipſe Deus; Triumphus, cœleſtis, æternaque beatitas. Et hinc mihi proponitur

§. 3.

Quàm fructuoſa ſit de ſeipſo victoria?

HUjuſce Victoriæ fructus ad pauca hæc capita revocari poſſunt, è quibus

Primum eſt, quod qui ſeipſum conſtanter vincit; lapſu ætatis & annorum ingentem ſibi comparat virtutum, gratiarum, & meritorum acervum, atque theſaurum, qui ſanè proventus eſt longè maximus: & major auro, gemmis, unionibus, theſauroque Regum, Cæſarum, adeoque opibus totius univerſi: ſi enim, ut disertè Doctor Angelicus, *Bonum gratiæ majus eſt bono naturæ totius Univerſi*; & illud bonum, quod Victoria ſui comparatur, majus illo ſit oportet: eſt enim *bonum gratiæ*, adeoque etiam majus bono naturæ totius Univerſi.

I. Fructus.

Et hoc eſt bonum, quod illi adpromittit, Cœleſte, ac Divinum Numen liberali manu. *Qui vicerit*, inquit, *poſſidebit hæc*; hoc eſt, gratias uberes, cœleſtiaque dona, ceu ſemina quædam æternæ beatitatis, quæ etiamnum in hac vita mortali ſibi reſervat in vitam immortalem, ac beatam, ubi in tota quanta quanta eſt æternitate manebit ille gratiæ fructus cum ingenti fœnore.

Apoc. c. 21. v. 7.

Alterum caput è quo ducitur fructus alius longè ſuaviſſimus, eſt perennis animi pax & ſpiritalis quædam lætitia, quæ dimanat à Victoria ſui, & conſtanti Virtutum heroicarum exercitatione, quæ illi comes eſſe ſolet: nec enim eſſe poteſt perpetua, & conſtans victoria ſui, niſi & fortitudo ſit comes, & patientia, & humilitas, & caſtitas, & alia Virtutum propè omnium cohors, & cœleſtis quædam acies pulchrè ordinata; à qua in animum defluit altera pax, & lætitia ſpiritualis, ceu condimendum hujus infelicis ævi ſuaviſſimum. Et hoc eſt, quod diu ante adpromiſit Servator optimus D. Joannis ore, calamoque, quo ſic ad Nos, ſic ad Victores ſui, ceu Athletas generoſos: *Qui vicerit dabo illi manna abſconditum.*

II. Fructus.

Apoc. c. 2. v. 17.

Quod illud, quæris? eſt Pax animæ ſibi benè conſciæ, & ſuarum victricis cupiditatum.

Pax, inquam, *quæ exuperat omnem ſenſum*, ut ait Apoſtolus. *Pax* quæ ſumma voluptas, imò & fons perennis voluptatis: ut enim eleganter, ac verè D. Cyprianus *Voluptatem viciſſe, voluptas eſt maxima.* Hæc non tenetur niſi à generoſa ſui in omnibus victoria; quia ut rectè Cæſarius. *Verum gaudium non poſſidetur, niſi pax, & juſtitia teneatur*: at neque hæc, neque illa tenetur niſi à Victoria ſui, & quidem in rebus omnibus, in lecto, menſa, veſtibus, aliiſque id genus, in quibus plùs eſt ſolatii, quàm pœnæ: ſi modò ea Dei causâ quis ſubire geſtiat, uti aliquando geſtierunt glorioſi Martyres ad metalli fodinas compacti, quos ſic alloquitur Divus Cyprianus.

De bono pudicitia.

Humi jacent feſſa laboribus viſcera: ſed pœna non eſt cum Chriſto jacere. Squallent ſine balneis membra, ſitu, & ſorde deformia: Sed ſpiritualiter intus abluitur, quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illis exiguus: at non in ſolo pane vivit homo: ſed & in ſermone Dei. Veſtis algentibus deeſt: ſed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter, & cultus eſt.

Lib. 3. epiſt. ult.

Hæc S. Præſul ad invictos illos Chriſti pugiles, quæ ego hodie ad te quiſquis in eadem mortificationis palæſtra decertare ſtudes, ac vincere.

Tertium caput unde fluunt fructus uberrimi, & pretioſiſſimi, eſt merces æterna, eſt triumphi gloria

ſempiterni, quæ decernitur iis, qui ſe ipſos fortiter vicerint, & hoc quidem à ſupremo Agonotheta Chriſto: ſic enim inquit eodem, ceu arcanorum cœleſtium conſcio, D. Joanne.

Apoc. c. 3. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno*, hoc eſt in cœleſti gloria, cujus typus eſt thronus, & quies æterna, & corona beatitatis.

Sub B. Hermanno Ordinis Ciſtercienſis Abbate, monachus unus aliquis graviſſima carnis tentatione ſub noctem agitatus cùm ex ea victor evaſiſſet, *Converſum*, qui fortè ruri agebat, Vir eximiæ ſimplicitatis, & ſanctitatis, vidit coram ſe ſtare *columnam immobilem*, ex qua ad clavum velut affixa pendebat *Corona Imperatoria*: quam dum attonitus intuetur, adfuit illi Dominus ſpecie mirum quantum auguſtâ; qui coronam è clavo pendulam refigens, hæc illi.

Henriquez l. 2. Oſt. 12. c. 4. *Accipe coronam iſtam, & defer eam illi monacho* (nomen addidit) *quia hac nocte eam meruit.*

Illuceſcente die Frater ille *Converſus* ad Cœnobium feſtinus rediit, & B. Præſuli Hermanno, rem totam retulit, qui & intellexit eam coronam cœlo judice delatam illi Monacho, cujus teſtationis, & ſimul victoriæ teſtis erat.

Et hanc amas, ambiſque, Mi Lector, age, ſi te impetat gravior aliqua tentatio, eſto ut ille *Columna*: ſed immobilis: & tibi annuente cœlo deferetur Corona, corona gloriæ, corona beatitatis

Hanc aliquando ſibi paratam præſenſiſſe viſus P. Jacobus Vela è Societate JESU, genere illuſtris, at virtute, & victoria ſui illuſtrior.

Hic in extremo vitæ limine, & pia in Deum fiducia plenus, & bonæ conſcientiæ teſtimonio ita confirmatus fuit, ut Chriſti effigiem manu tenens, *Hiſt. Soc. Part. 3. l. 8. n. 118.* in hæc verba eruperit.

Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per IESVM CHRISTVM. Dixit, & ſecurus ſui in pace requievit, quia ſecurus de corona, quæ ſe manebat ab illa ſui dum in vivis eſſet victoria.

§. 4.

Quàm glorioſa ſit de ſeipſo victoria.

VIdimus Paragrapho ſuperiore quàm fructuoſa, ſpectemus modò quàm glorioſa: erit hæc ad illam acriore ſtimulo: generoſas quippe mentes magis extimulat gloria, quàm utilitas: gloriam autem illius Victoriæ petendam duco, ex eo, quod in ea repoſita ſit ſpecies quædam martyrii.

Appello magni Pontificis fidem, atque authoritatem: *Hom. 35.* is erit è Petri ſede D. Gregorius & nomine & re etiam ipſa magnus. Hæc ille quondam è pulpito ad ſubjectam concionem.

Si adjuvante Nos Domino, virtutem patientiæ ſervare contendimus, & in pace Eccleſiæ vivimus, & tamen Martyrii palmam tenemus. Duo quippe ſunt Martyrii genera. unum in mente: aliud in mente ſimul, & actione. Itaque eſſe Martyres poſſumus, etiamſi nullo ferro percutientium trucidemur; mori quippe à perſequente, martyrium in aperto opere eſt: ferre verò contumelias, odientem diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione.

Hæc ubi extulit S. Pontifex; tum ad experientiam appellat, & fidem ſæculorum, & majorum dicta.

Probamus, inquit, *quotidie, quod ante nos dictum eſt, quia Sancta Eccleſia Electorum floribus plena, habet in pace lilia, in bello roſas.*

Lilia, ſunt animæ à morum nitore, & gratia, ab innocentia vitæ, à caſtitate candidæ ad inſtar liliorum; & hæc *lilia* explicantur, & florent in alta Eccleſiæ pace, in qua nullus extrinſecùs eſt hoſtis, perſecutio nulla, cædes Electorum omnino nullæ:

Roſa verò, ſunt animæ à fuſo Chriſti cauſa ſanguine purpureæ totæ, rubicantes totæ, & hæ *Roſa* patent, ac nitent in bello, hoc eſt inter equuleos, & cataſtas; cruces inter, & rotas; ferrum inter, & ignes, quibus dum excruciantur Martyres, rubent toti à nobili ſanguinis effuſi purpura; & aliore murice, omni Regum purpura digniore. Et hæc eſt, quæ Athletis iſtis conceditur de tyrannis victoria: ſed audeo dicere, par illi, & fortè major, quæ à ſui victoria: majus enim eſt viciſſe ſeipſum, quàm alios quoſque: in hoc quippe brevis plerumque pugna, ad diem, & horam: in illo diuturna ad menſes, ad annos: Martyr enim cùm perſecutores, cùm tyrannos vincit, momento propè, & certat, & vincit, quamdiu ſcilicet durant tormenta: at ſui Victor (hoc eſt, in pace Martyr, & paſſionum ſuarum generoſus domitor) & pugnat, & vincit ad annos, & ſæculum ſi voles, quamdiu ſcilicet durat hæc mortalis vita, quæ etſi ferat *Lilia*, non fert tamen niſi inter ſpinas, hoc eſt nonniſi inter acriores inſurgentium paſſionum aculeos, quibus dum fortiter obſiſtit, non modò ſui victor eſt, ac dominus: ſed unà etiam & mali dæmonis, quem ut mancipium trahit, nec unquam patitur ut dominum, ut patiuntur illi, qui ejus ſuggeſtionibus obediunt, ac cedunt. Argumento ſit illud quod ſubjicio.

Puella nobilis Burgunda à malo genio & diu, & graviter agitata impuris imaginibus, cùm ex hoc prælio victrix evaſiſſet, illud à Deo, ceu Agonotheta, in præmium accepit, ut Dæmon eam ut *Dominam* agnoſceret, eique etiam ad nutum pareret; *Wadingus in Annal. Minor. an. 2.* quod & cœlo imperante fecit vel invitus; & quidem opportunè: nocte enim quadam cùm à Juvene procaci, & petulantiore graviſſimè urgeretur, nec eſſet ratio ſeſe ab illo expediendi, erat enim ſola, & ſine teſte, ſine adjutore: memor divinæ promiſſionis. *Diabole*, inquit, *ubi es?* cui ille. *Adſum*, inquit, *ô Domina, quid me vis? Ecce me, tantùm impera.*

Tum huic illa: *Libera me à nebulone iſto, qui mihi infeſtus eſt.*

Mora nulla paruit Dæmon, & juvenem pedibus abreptum à puella, ſeu *Domina ſua*, quàm longiſſimè projecit.

Sic illa & ſui victrix, & impuri amaſii, imò & tartari; glorioſâ ſanè victoriâ.

§. 5.

Quàm turpe ſit, & probroſum à ſeipſo vinci? & ſuis cupiditatibus famulari?

PRobrum illud petes è variis capitibus, è quibus hoc

Primùm, quod vinci à ſeipſo pugnet cum hominis natura: natus eſt enim homo, ut cæteris animantibus imperet: deinde & ſibi.

Secundùm, quod pugnet cum ratione; *ratio* enim in homine eſt veluti *Domina*, & *cupiditas ancilla*. Hanc autem dominari, & illam famulari longè turpiſſimum.

Dominam ancillari, & ancillam dominari, abuſio eſt, inquiebat Hugo. *De Clauſtro animæ.*

Addo ego & magnum probrum, quod naturæ luce agnovit, extulitque Plato, cujus hoc effatum dignum melioribus ceris. *Vinci à ſeipſo turpiſſimum eſt, & peſſimum.* *Lib. de Legibus.*

Turpiſſimum quia infamis ſervitus: *peſſimum*, quia ut bellè, & verè Seneca: *Bis interimitur, qui ſuis armis perit.* At qui vincitur à ſeipſo, *ſuis armis* & ipſe *perit*, quia perit à ſuis cupiditatibus, quæ militant adverſus animam, quæ & arma ſunt, quibus & ratio debelletur, & pars hominis ſuperior in ſervitutem redigatur, quod eſt ingens probrum.

Eſſe autem ſervitutem à vitiis, & cupiditatibus pulchrè oſtendit D. Ambroſius ore, ut ſolet, melleo, ſacraque facundia: illum audiamus.

In Pſal. 99.

Servit omnis, qui authoritatem non habet puræ conſcientiæ: ſervit quicumque metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exaſperatur, vel mœrore dejicitur. Servitus enim eſt, omnis paſſio: quoniam qui facit peccatum ſervus eſt peccati, & quod pejus eſt, multorum ſervus eſt, qui ſubjectus iſt vitiis, multis ſe dominis addixit, ut ſervitio ei exire non liceat: cujus rationem addit ille ipſe S. Præſul: quia qui ſic ſervit, jam non eſt amplius ſuus: ſed cupiditatis, ſed vitii, cui ſervit: uti ſervus non ſuus eſt; ſed Domini: & hinc Deo, ceu ſupremo, & optimo Domino, nunquam dicere poteſt quod olim David. *Tuus ſum ego.* In quæ verba ſic D. Ambroſius. *Satis rarus eſt, qui poſſit dicere Tuus ſum. Non poteſt dicere ſæcularis tuus ſum: plures enim Dominos habet. Venit libido, & dicit, Meus es, quia ea, quæ ſunt corporis, concupiſcis.*

Pſal. 118.

Venit avaritia, & dicit, Meus es: quia argentum, & aurum quod habes, ſervitutis tuæ pretium eſt. Venit luxuria, & dicit. Meus es: quia unius diei convivium pretium tuæ vitæ eſt. Venit ambitio, & dicit, Planè meus es: quod ideò te imperare aliis feci, ut mihi ipſe ſervires. Denique *veniunt omnia vitia, & ſingula dicunt, Meus es.*

Hæc ubi ex vero protulit S. Doctor, tum æſtu quodam ſeu doloris, ſeu ſtuporis excitus exclamat. *Quem tanti competunt, quàm vile mancipium eſt?*

Vile enimverò mancipium, quia cupiditatum, quia vitiorum mancipium: amplius dico, quia & mali dæmonis mancipium: à quo & audit infaudum illud, *Meus es:* quod ut in aperto ponat D. Ambroſius, exemplum ponit in proditore Juda; de quo ſic inquit.

Venit, & introivit in eum ſatanas, & cœpit dicere Non eſt tuus IESVS: ſed meus eſt: ea, quæ mea ſunt, cogitat, quæ mea ſunt in pectore ſuo volvit: tecum epulatur, & mecum paſcitur. A te panem accipit, à me pecuniam; tecum bibit, & mihi tuum ſanguinem vendit: tuus eſt Apoſtolus, & meus mercenarius.

Quod de infami proditore dixit, jactavitque dæmon: hoc & de omnibus illis, qui à ſeipſis vincuntur, qui libidini, qui peccatis ſerviunt miſerabili certè, & damnanda ſervitute, quam ne aliquando incurras, Amice Lector.

Franciſci Petrarchæ verbis te compellatum velim. Sic ille ad unum aliquem de reportata victoria gloriantem.

Dialog. 103.

Cave ne te vincat ira, ſuperbia, crudelitas. Hi enim ſunt victoriæ comites, & Victorum hoſtes inviſibiles, & horrendi: à quibus clariſſimi Victores turpiſſime victi ſunt.

Seneca ep. 119.

Teſtis erit Alexander inter victores facilè princeps: de quo ſic Romanus Sapiens epiſtola ad Lucilium.

Alexander quidem Perſas, Hircanos, & Indos, & quidquid Gentium uſque ad Oceanum extendit Oriens, vaſtabat, fugabatq́. Sed ipſe, modò occiſo amico, modò amiſſo jacebat in tenebris alias ſcelus, aliàs deſiderium ſuum mœrens. Victor tot Regum, atque populorum, iræ, triſtitiæq́ ſuccubuit: id enim egerat, ut omnia potiùs haberet in poteſtate, quàm affectus.

Hæc ubi de Alexandro protulit Seneca non ſine ſtupore, doloreque: tum quaſi indignabundus ſic exclamat:

O quàm magnis homines erroribus tenentur, qui jus dominandi trans maria cupiunt mittere, & feliciſſimos ſe judicant, ſi multas per milites provincias obtinent, & novas veteribus adjungant, ignari quid iſtud ſit ingens, paratumq́ regnum Imperare ſibi, maximum imperium eſt.

Hæc Romanus Sapiens, quo judice Imperium omne, quod in alios aut naturâ, aut fortunâ, aut vi, & armis obtinetur, ut vaſtum videatur, & ſit, parvum eſt: at quod in ſe habetur, longè maximum.

§. 6.

Exempla pauca eorum, qui ſeipſos generosè, & fortiter vicerunt.

QUia homines plùs credunt oculis, quàm auribus, plùs factis trahuntur quàm verbis; ideò hic in medium adducam exempla eorum, qui ab affectibus etiam licitis ſibi temperarunt, dein aliorum, qui illicitis etiam fortiter reſtiterunt: & hi, & illi victores ſui.

D. Ambroſius è primis duos nobis in exemplum Lib. 1. proponit: Davidem, & Imperatorem Valentinianum. Et quidem libro, quem inſcripſit de S. Jacob, & vita beata, agens de paſſionum compreſſione, ſic ait.

I. Davidis.

Quem de hominibus meliorem, & fortiorem aſſumemus, quam S. David, qui cupiditatem, qua concupierat aquam de lacu Bethleem hoſtili interclusam exercitu ſibi auferre non potuit, potuit mitigare?

Et eò quidem, ut jam allatam *profuderit Domino, ne ſanguinem illorum, qui eam detulerant, bibere videretur. Quæ res indicio eſt, quod concupiſcentia quidem rationem præveniat; ſed ratio cupiditati reſiſtat.* Et ita fortiſſimè reſtitit in Davide: uti deinde in Valentiniano Imperatore, de quo ſic elatè in oratione funebri:

II. Valentiniani Imp.

Ferebatur ludis Circenſibus delectari. ſic iſtud abſterſit, ut ne ſolemnibus quidem Principum natalibus, vel imperialis honoris gratiâ, Circenſes putaret eſſe celebrandos. Aiebant aliqui ferarum eum venationibus delectari, atque ab actibus publicis intentionem ejus abduci. Omnes feras uno momento juſſit interfici. Iactabant invidi, quod prematurè prandium peteret: cœpit ita frequentare jejunium, ut plerumq́ ipſe impranſus, convivium ſolemne ſuis Comitibus exhiberet, quo & religioni ſatisfaceret, & Principis humanitati. Scenicæ cujuſdam formâ, ac decore deperire Romæ Adoleſcentes nobiles nuntiabatur. Iuſſit eam ad comitatum venire. Deductam tamen nunquam aut ſpectavit, aut vidit. Poſtea redire præcepit, ut & omnes agnoſcerent irritum ejus non eſſe mandatum, & adoleſcentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipſe qui potuit habere in poteſtate, deſpexerat. Et hæc fecit cùm adhuc non haberet uxorem.

Hactenus de Valentiniano Ambroſius, quæ eò magis admiranda, quod & in flore Juventutis, & in Purpura, & in ſumma, quæ eſſe ſolet quidlibet agendi, licentia, ea valuerit cupiditatum etiam licitarum moderatione; quanto magis ſi eæ fuiſſent illicitæ? ſed ad alios tranſeamus.

Hom. 20 ad Popul. Antioch.

D. Chryſoſtomus aureo, ut aliàs, ſtylo extollit Conſtantini Imperatoris factum illuſtre, quod & extollet poſteritas omnis. Cùm enim illius effigies affabrè elaborata, publicoque loco expoſita, à neſcio quibus ſicariis auſu temerario, lapidibus appetita fuiſſet, ſuadebant Aulicorum nonnulli, ut omnino condignum de nefariis contumeliæ illius authoribus, ſupplicium ſumeret: utque animum Imperatoris ad pœnam à ſontibus exigendam acriùs, ac potentiùs extimularent, addebant & nefandum illud, totam ipſius faciem ad vivum bellè expreſſam, & vivis coloribus quaſi animatam, lapidibus fœdum in modum vulneratam, atque deformatam.

III. Conſtantini Magni.

Quid hic expectes, Amice Lector? an irarum fulmina? an verborum jacula? an cataſtas? an rotas? an ferrum? an ignes? Horum omnino nihil. Nam & ſubridens Imperator, & faciem manibus blandè palpans. *Ego verò*, inquit, *nuſquam vulnus in fronte, nuſquam livorem in genis, nuſquam in tota facie deformitatem ſentio.* Dixit, & Aulicos omnes rubore ſuffudit, & à conſilio acerbiore divertit, & ſimul poſteros docuit, quâ in illatis injuriis eſſe debeant moderatione.

Ea certè, quæ decet à Chriſto Chriſtianos, & qualis, noſtra hac ætate fuit Ferdinandi II. glorioſæ memoriæ, Imperatoris Auguſti; cujus memorabilis vox fuit: cùm enim à rebellibus Viennæ obſideretur, & ſublimi è ſpecula hoſtium duces acerbiſſimos tormentorum magiſter conſpicatus, diſcerpturum ſe illicò exonerato tormento bellico polliceretur, paululum hæſit, atque addubitavit Ferdinandus: ſed mox imminentem fomiti manum inhibens, *Vivant*, inquit, *ac divinæ ſerventur ultioni*: ſuæ (licèt juſtiſſimæ) nihil dari voluit pius Princeps, ſui in eo victor, ac deinde, cœlo auſpice, etiam hoſtium, quos à tergo viſa eſt ſequi cœleſtis ultio.

Vidimus in Purpura, martioque pulvere fortes, & ſui victores animos: attendamus etiam in Infula, Pedoque.

V. S Thomæ Villanova.

S. Thomas Villanova, Archiepiſcopus Valentinus, hominem de Clero, quod corruptiſſimis moribus Ordini dedecori eſſet, acriùs, ut par erat, objurgârat. Quid ille? Altiùs vociferari, & in S. Præſulem invehi cœpit planè inverecundè.

Quid deinde. Sacri Inquiſitores officii, ea de inſolentia monin, hominem corripi, & in vincula duci jubent. Ejus rei nuntius accumbenti ad menſam Præſuli cùm allatus eſſet, exiliit illicò, atque impranſus conſcenſa mula ad Quæſitores accurrit, & cùm multis fruſtrà egiſſet, ne miſero illi linguæ impotentia, pœnæ eſſet, ad extremum ſanctè affirmavit, non abiturum ſe, niſi voti compotem, atque ita ſibi, ut incolumem redderent evicit.

Tum etiam peramanter complexum, impoſitumque mulæ totam per Urbem pari ſecum equitantem gradu circumduxit, ſermonesque cum illo miſcuit amiciſſimos. Dixiſſes de victis injuriis triumphum agi, & verò etiam agebatur, duce Sanctiſſimo Præſule, victore ſui, victore & hominis aliàs inimiciſſimi.

Spectavimus in tolerandis injuriis grandes animos, & ſui victores: videamus etiam in fortunæ bonis, cùm ea inimica manus aut furtu, aut igne abſumpſerit.

VI. Remigii.

Pro ea, qua erat ſagaci mente, ſpiritu prophetico, cœleſtique revelatione didicerat S. Remigius futuram anno proximè ſequenti ingentem annonæ caritatem, quam ut ex parte levaret pius Præſul pro ſuô grege ſollicitus, etiam ingentes trinci acervos in ſuis villis collegerat, non tam ſibi; quàm ſuis uſui futuros. Sed, ô malum invidia! ô malum ebrietas! ô malum ab hac, & illa furor! homines impii muſto jam madidi, & mente capti, derepentè ignem in villas injiciunt, & triticum omne in feſtucis adhuc captivum abſumunt, involante illicò flamma & conſumente exſuccam meſſem, feſtucasque arentes: à quibus deinde in tecta, in trabes evaſit flamma, & propè momento deſæviit.

Quid hic Remigius? à ſuis monitus mox advolat, eructantes flammarum globos conſpicit, & hinc abſumptas ſegetes, illinc labentia tecta contuetur, ingentesque murorum moles, ac minas: & nihilo territus, propiùs accedit quaſi calefacturus algentea à frigore manus: tum etiam ad aſtantes converſus, hæc illis ore placido, ſerenoque vultu. *Semper bonus eſt ignis.*

Surius in ejus vita.

O amicas voces! ô injuriæ acceptæ immemores! ô oblitas immanis damni! ô Remigio dignas! ô victorem ſui animum! ô cœleſti ſpectaculo amicos gratosque vultus! ô placidam magnæ mentis in repentino caſu ſerenitatem.

Sed hæc injuria quanta quanta fuit, ſtetit in fortunæ bonis, eàque impetiit, abſumſitque, demus aliud, quod etiam cadat in ipſam perſonam.

VII. S. Bernardi.

D. Bernardo, ſanctiſſimo, & mitiſſimo Præſuli alapam impegerat Clericus impudenti auſu, immitique manu. Quid deinde? audi quid ore lacteo, ore melleo Bernardus: *Oportet eum aliis ignoſcere, cui toties ignoſcitur à Deo.* Digna tanto Præſule ſententia; digna chriſtiano, digna & ſancto.

VIII. S. Ulphiæ Virginis.

Bollandus 31. Ian.

Ab Inſularis Patribus ad Virgines deflecto: nam & in his, & ab his glorioſa ſui victoria; in qua eminere viſa S. Ulphia; in paucis amans virginitatis, quam ut in tuto poneret amentiam finxit, & ſic procorum oculos, amores, atque inſidias eluſit; utque Virgo eſſet, amens videri, & haberi voluit, in eo ſanè & amaſiorum omnium, & ſui victrix: uti & S. Brigida. Hæc in finibus Scotiæ nata, ut erat eleganti forma, & ſpecie propè ad naturæ miraculum, in omnium oculos atque amores incurrit, ocia ut dixi elegantia, genarum rubore, nitore frontis, & maximè oculorum gratia, atque illecebris, quibus capi propè omnes: ne porrò ſic malè caperentur à Deo ſupplex petiit, ut ſe aliquo corporis vitio devenuſtaret, quo procorum inquietudo, atque importunitas ſedari poſſet.

IX. S. Brigidæ Virginis.

Et ita factum eſt, & factum benè: mox enim, cùm oculorum decore maximè placuiſſet; alterum ſubito ulcere percuſſum amiſit, ne homini impoſterum ulli placeret. Sed uni cœleſti ſponſo, cui omni decore pulchrior Virginitas.

Vidiſti oculis ipſis chariorem Virginitatem, illuſtri ſanè ſui ipſius victoria; accipe etiam vitâ ipſa chariorem nobili prorſus & inaudito à ſæculis de cupidine triumpho.

X. S. Euphraſiæ Virg. & Martyris.

S. Euphraſia à milite impuro fortè deprehenſa, ut Virginitatis ſuæ florem intactum ſervaret, hoc uſa ſtratagemate; finxit ſibi unguentum eſſe, quo illitus ille in præliis nulla poſſet ferri acie penetrari.

Ne autem verba videretur nundinari, collum fictitio unguento muniens, experiundi causâ ictum gladii, ſed validâ impactum manu, cæſim ab eo flagitavit.

Nicephor. l. v. c. 19.

Baronius ad An. Ch. 309.

Ille verò, nulla deprehenſa in vultu fraude; quem ſcilicet neque genarum vividus color, ac rubor, neque oculorum nitor, & gratia, neque totius corporis compoſitio, & conſtantia, deſeruerat, vibrat enſem, & collum perſecat: ſicque Euphraſia ex Virgine fit Martyr, & miles ex amaſio lictor.

O triumphum hactenus inauditum, Virginitatis inermis de Cupidine loricato! ô ſui victorem animum! ô gratam Superis Virginei pudoris victimam, quæ à terris cœlo reddita vivet in ævum, vivet in æternitatem, exemploque poſteris omnibus erit, ne, etiam ſub ferro, etiam ſub ipſa mortis imagine, cadant animis, néve libidini cedant; nunquam victi, ſemper victores.

§. 7.

Quædam præſidio futura ad Victoriam ſui.

E Multis pauca in medium afferam, & quidem more meo, brevi compendio: ex his

PRIMUM PRÆSIDIUM
A Rationis Imperio.

EST in homine, ceu parvo mundo, pars quædam inferior, ſeu animalis; & pars ſuperior, id eſt rationalis: illa ſubjici debet; hæc imperare: quod ipſum clariore ſtylo notavit aliquando Romanus Orator:

Lib. de Offic.

Eſt animus in partes diſtributus duas, quarum altera rationis eſt particeps: altera expers. Cùm igitur præcipitur, ut nobiſmetipſis imperemus: hoc præcipitur, ut ratio coerceat temeritatem. Eſt in animis omnium ferè naturâ molle quiddam, demiſſum, humile, enervatum quodammodo, & languidum. Si nihil eſſet aliud, nihil eſſet homine deformius: ſed præſto eſt Domina omnium, & regina ratio, quæ connixa per ſe, & progreſſa longiùs, fit perfecta virtus: Virtus, inquam, ut aiunt Theologi, *Moralis*, hoc eſt

naturalis

L. 9. Pedag. c. 13.

naturalis ordinis, quam definivit Clemens Alexandrinus; dum ait: *Virtutem eſſe congruam, & concinnam animi affectionem, quæ per totam vitam rationi ſubjicitur.*

In Sententiis.

In hac porrò affectionum, id eſt paſſionum animi, ſubjectione, & rationis imperio, poſita eſt hominis perfectio. *Dominetur vitiis ratio, ſubjiciatur corpus animo, animus Deo, & impléta eſt tota hominis perfectio,* inquiebat Sanctus Proſper. Nec perfectio ſolùm; ſed & ſolida optataque animi tranquillitas: ut enim eleganter. & piè S. Leo:

Serm. 1. de Quadrag.

Tunc eſt vera pax, quando & caro animæ judice regitur, & animus Deo præſide gubernatur.

Nec tantum *pax*, ſed & vera *libertas*: ſi enim paſſionibus ſubjici eſt pudenda, & miſeranda ſervitus; ita & illis imperare, *libertas*: ut enim diſertè Plutarchus.

Rationi ſervire libertas eſt: nec ſolummodò *libertas*; ſed & *honeſtas*: addo & felicitas.

Ratione vivendum eſt; non affectu: hoc viverè indecorum: illo, decorum vel maximè; imò & feliciſſimum Ex quo manavit illud Epicuri, in hoc ſanè Sapientis,

Laërtius.

effatum nobile. *Præſtat rationabiliter eſſe infelicem, quàm abſque ratione felicem.*

Audax omnino liberumque pronuntiatum: ſed tamen verum: poteſt enim quis ſalvâ ratione; imò & ſalvâ virtute eſſe infelix, ſaltem ex mundi legibus, & hominum oculis: at ſine ratione, felix eſſe non poteſt cœli, Deique calculo, quo certè niſi ſis felix, es mortalium omnium infeliciſſimus; uti è contra eo judice feliciſſimus, quia proximus Deo, qui eſt prima & ſumma ratio.

Et hoc ipſum eſt, quod vel ſolo naturæ lumine agnovit, extulitque è Poëtis unus aliquis, dum ita cecinit.

Diis proximus ille eſt, quem ratio, non ira movet, nec ſimilis aliqua perturbatæ mentis paſſio. Ne porrò ſic moveat, *Id quod in homine præcipuum eſt, imperet cæteris, quæ ſunt nobis, beſtiiſque communia: atque idipſum,*

L. 2. de Serm. Domini in monte. c. 2.

quod excellit in homine, id eſt mens, & ratio, potiori ſubjiciatur, quæ eſt ipſa Veritas, Unigenitus filius Dei, ut Chriſtianè D. Auguſtinus. Si autem ſic imperet, quod volet impetrabit: quia ut rectè Seneca. *Quidquid ſibi imperavit animus, obtinuit*

SECUNDUM PRÆSIDIUM

A diffidentia ſui, & in Deum fiducia.

COeleſtis Sponſa in Cantico Amoris, hæc olim de Cœleſti Sponſo gratulabunda.

Cant. c. 2. v. 6.

Læva ejus ſub capite meo; & dextera illius amplexabitur me. In quem locum Interpretes, in alias, atque alias opiniones diſcedunt.

Theodoretus per *lævam* intelligit commiuariunem ſupplicii: per dextram æterni regni promiſſionem, utraque animam, ceu ſponſam, Chriſtus ſtringit; ſibique copulat, videlicet illius metu, & ſpe hujus.

D. Ambroſio *Læva* ſponſi *eſt præſentium remuneratrix: dextra futurorum.* Et hac, & illa ſponſam cingit, & quaſi complectitur cœleſtis Sponſus.

D. Anſelmo, D. Gregorio, *Læva ſponſi eſt vita præſens*, & brevis: *dextera, vita futura*, atque æterna.

Aliis, *Læva* eſt *adverſitas, dextera Proſperitas*: & hac, & illa Cœleſtis ſponſus Animam, ceu ſponſam, ſuſtinet atque ſuſtentat mirâ & amabili viciſſitudine: adverſitate quidem ne nimium efferâtur; proſperitate, ne plùs æquo abjiciatur.

Aponio, *Læva* eſt *diffidentia ſui; dextera* eſt ſingularis *in Deum fiducia.* Illa de viribus ſuis diffidit ſponſa, hac fidit Deo: illa ſe abjicit, hac ſe erigit ad actus heroicos, & cœlo dignos, ac beatitate: illâ nihil poſſe ſe cognoſcit, & ex vero fatetur: hac autem poſſe ſe omnia confidit, & ſibi certò pollicetur. Denique illa infirma eſt; hac verò fortis. Et hinc prima utilitas à ſui cognitione, & nata inde diffidentia.

Lib. de ſingularitate Clericorum.

Ut enim rectè D. Cyprianus. *Utilius eſt infirmum ſe homo cognoſcat, ut fortis exiſtat: quàm fortis videri velit, & infirmus emergat.*

Altera utilitas eſt victoria de ſeipſo, quæ & à ſui diffidentia, & à fiducia in Deum enaſcitur. Ut porrò ſic enaſcatur *opus eſt virtute*, ut ait D. Bernar-

Serm. 85. in Cant.

dus: *& non quacumque: ſed qua induaris ex alto: ipſa enim, ſi perfecta ſit, facilè ſic victorem ſui, & invictum reddit.* Nec victorem ſolùm, ſed & triumphatorem ab hac ipſa de ſe diffidentia, ſine qua, ut annotat Richardus, *Impoſſibile eſt, quempiam de ſeipſo triumphare, donec experimento didicerit, propriâ virtute ſe non poſſe obtinere triumphum.*

In Cant. c. 21.

Ubi autem experimento id didicerit: tum & illa duo diſcet in Chriſti, ceu ſponſi ſcholâ.

Primum à ſeipſo nihil poſſe: tum in Deo omnia poſſe, ſi modò illi innitatur. Quidni enim *omnia poſſibilia ſint innitenti ſuper eum, qui omnia poteſt*, ut ſcitè D. Bernardus; qui conſultò addidit illud *innitenti*;

Suprà.

quia, ut eodem loco ille ipſe S. Doctor adjecit, omnia poſſe animam *innixam ſuper dilectum ſuum. Alioqui fruſtra nititur, ſi non innitatur.* Hoc eſt fruſtra quippiam perficere molitur, ſi ſuam in Deo fiduciam non collocet: ſtatim enim atque deficit ſpes in Deo, deficit & acceptum hactenus è cœlo robur, quo uno ſublato fruſtra ſunt cætera: ut enim eleganter, & piè Divus Ambroſius. *Eſto, ſint aliqui duri ad labores, firmi ad injurias perferendas; ſi ſpem auferas, non poteſt perpetua eſſe patientia.*

In Pſal. 118.

Ut ergo ſit *perpetua*, dicat ſponſa, dicat fidelis anima, & cum Pſalmiſta, & cum Divo Bernardo:

Serm. 9 in Pſal. Qui habitat.

Tu es Domine ſpes mea, & ſi exurgant adverſum me prælia, ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſus ſpiritum concupiſcat, in te ego ſperabo.

TERTIUM PRÆSIDIUM

Ab oratione, & imploratione cœleſtis auxilii.

APonius in illud ſponſæ, hoc eſt animæ fidelis, de ſponſo cœleſti, id eſt Chriſto.

Cant. c. 2. v. 6.

Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Læva, inquit, Chriſti, id eſt ſcutum fidei, eſt ſub capite meo: *dextrâ* verò, id eſt gladio orationis amplexatur, & obarmat me.

Amplexatur, inquit, quod eſt amoris, & benevolentiæ ſingularis; *obarmat* autem, quod eſt præſidii, defenſionis, tuamenti: hæc ille, & marhò. Ad victoriam enim de nobis obtinendam opus eſt cœleſti auxilio, atque adjumento: hoc autem non obtinetur niſi oratione.

In Manuali.

Oratio enim, ut rectè D. Auguſtinus, *oranti eſt ſubſidium, Deo ſacrificium, dæmonibus flagellum.*

Subſidium, inquam, ad ſuperandas immoderatas animi affectiones: ut enim D. Hieronymus, *Iejunio*

In Marcum Evang.

paſſiones corporis: oratione peſtes ſanandæ ſunt mentis; hoc eſt paſſiones immodicæ, quæ animam inficiunt, ut peſtis ſolet corpus.

Ne porrò inficiant, adhibenda eſt oratio, ceu antidotum potens, atque efficax adverſus illas animi peſtes: cujus neceſſitatem, atque efficaciam oſtendit, & commendat D. Auguſtinus; uſus alia ſimilitudine: ſic enim inquit:

Quoniam in medio laqueorum poſiti ſumus, facilè à cœleſti deſiderio frigeſcimus. Quapropter aſſiduo indigemus munimento, ut expergefacti ad Deum noſtrum, verum, & ſummum bonum cùm diffluimus, recurramus. Recurrimus autem per orationem, atque ad eum redimus, à quo per paſſiones noſtras longiùs abiimus; dumque ſic redimus, non mundi tantùm, & mali dæmonis: ſed & carnis, ceu hoſtis domeſtici, & noſtri victores evadimus, & hoc orationis præſidio: mirum enim

quantum

De benef. l. 6. c. 8.

Incendium, inquam, voluptatis venereæ, in doloris incendium. Seneca, ſeverus morum cenſor, memoriæ prodidit, *flagellis quartanam diſcuſſam fuiſſe quorumdam.*

Quid illis, hoc & pravis affectionibus; quæ velut animi febres ſunt; tertianæ aliæ, aliæ quartanæ, aliæ etiam quotidianæ: hæ, inquam, flagellis diſcuti poſſunt, & corporis caſtigatione vel reprimi, vel tolli.

Duriùs tractandum eſt corpus, ne animo malè pareat, inquiebat ille ipſe Romanus Sapiens, ſed inſtitutum proſequamur, & videamus quid animæ ſit corpus.

IV. Laqueus.

D. Gregorio, Pont. Max. Corpus animo eſt veluti *laqueus*: *Nos*, inquit, *geſtamus laqueum noſtrum, nobiſcum circumferimus inimicum, carnem noſtram loquor, de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis ipſa origine: ſed multo amplius prava conſuetudine vitiatam. Hinc eſt quod tam acriter adverſus ſpiritum concupiſcit, quod aſſidue murmurat, & impatiens eſt diſciplinæ, quod illicita ſuggerit, quod nec rationi obtemperat, nec ullo timore inhibetur.*

V. Impedimentum animi.

D. Bernardo, Corpus eſt velut *impedimentum*, & gravior ſarcina: ſic enim ait:

Primum impedimentum noſtrum, & occupatio gravis eſt neceſſitas miſeri hujus corporis: quod dum modò ſomnum, modò cibum, modò veſtem cæteraq; ſimilia quærit, haud dubiè quin frequenter impediat nos ab exercitio ſpirituali. Hactenus S. Præſul.

VII. Hoſtis domeſticus.

D. Baſilio Corpus eſt veluti *domeſticus hoſtis*, contra quem ſtandum in vigilia, & acie, ne dum nos invadit, ſuperior evadat.

D. Baſilius de jejunio.

Periade, inquit, *atque in acie, hinc atque hinc inſtructa ad conflictum, qui alteri parti fert ſuppetias, facit ut alter vincatur. Ita, qui carni ſeſe adjungit, expugnat ſpiritum. & qui ſtat à ſpiritu, carnem in ſervitutem redigit.*

Hæc ille, quo judice caro ſpiritui inſidias ubique ſtruit; ubique bellum intentat, & movet, ubique incurrit in prælium, in quo cavendum eſt quàm maximè, ne ſpiritus carni jungatur, néve illi tantiſper conniveat: ſi enim jungitur aut minimum connivet, illicò vincitur, & perit. Sed ne longiùs; videamus quid de corpore, & ſentiant, & loquantur alii.

VII. Vinculum animi.

Annæo Senecæ, *Corpus* eſt veluti quoddam animæ *vinculum*, quo ni caveat conſtringitur illa, & quaſi captiva tenetur, ac ducitur: quod ab homine, & à ſe alienum dum exiſtimat Seneca, ſic de ſe ipſo & liberè, & verè.

Major ſum, & ad majora natus ſum, quàm ut mancipium ſim corporis mei, quod certè non aliter aſpicio, quàm vinculum libertati meæ circumdatum.

Hæc ille non minùs eleganter, quàm generosè; quocum utinam & ſentirent, & loquerentur etiam Chriſtiani, etiam Religioſi, dicerentque & ipſi *Major ſum &, ad majora natus ſum, quàm ut mancipium ſim corporis mei.*

Et certè qui hujus mancipium eſſet immortalis animus, qui ideò natus eſt, ut illius ſit Dominus, illius præſes, ac moderator, & ſi voles etiam Rex: & hoc à natura, Deoque: à qua dignitate, officioque ſi dejici, ac deturbari ſeſe patiatur, næ infelix erit mancipium: ſed non patietur ſi ſeipſe, ſi Deum audiat. Erit enim corpori quod herus ſervo, quod mancipio Dominus, quod diſcipulo Magiſter, quod Rex ſubdito: & ſic ubique ſuus, ubique liber erit animus: ut enim ille ipſe Seneca, quo authore libenter utor.

Contemptus corporis ſui, certa libertas eſt.

Sed inquiet unus aliquis corporis ſui amantior, & cuticulæ fortè etiam indulgentior, non ita abjiciendam eſſe corpuſculi curam; eſt enim anima velut illius hoſpes, ut rectè D. Bernardus:

Nobilem hoſpitem habet corpus, quem honorare debet.

Eſt hominis altera pars (conſtat enim hic corpore & anima) adeoque aliqua huic illius incumbit ſolicitudo, aliquis debetur amor, & velut juncta charitas. Nec abnuo, & hanc, & illam ei deberi contendo, dummodo intra limites rationis. & fatetur ipſe Romanus Sapiens:

Epiſt. 14.

Fateor, inquit, *corporis noſtri nobis inſitam charitatem: fateor nos hujus gerere tutelam, non nego indulgendum illi; ſerviendum nego.*

Serm 47. in Cant.

Indulgendum ait, at cautè, at moderatè, ne dum nimiùm indulges, aut mordeat, aut pungat: *Anima* enim *in carne, velut inter ſpinas verſatur*, ut ſcitè advertit D. Bernardus. Et hinc cautè, & circumſpectè in ea, & cum ea agendum eſt animæ: ſi enim incautiùs, ſi liberiùs; ſuos illa exeret aculeos, ſuas ſpinas, concupiſcentias intelligo, affectusque malè ordinatos, à quibus, & pungetur, & cruentabitur animus; & quod ſummum malorum eſt, ab accepta plaga, etiam in miſerandam, atque abominabilem ſervitutem redigetur. Id ne tibi accidat, Amice Lector, age, eſto Dominus tui, eſto tui victor, nunquam ſervus, nunquam victus.

Eris porrò victor ſi carnem domare, & macerare ſtudeas; uti etiam exemplo ſuo nos doctos voluit Conſalvus Gomius è Societate JESU. Cùm eſſet hîc Caravacæ Collegii Rector in magna licèt infirmitate corporis, mira erat ferveritate animi: utque eſſet conſtantiùs; ſingulos hebdomadæ dies in certa afflictationum genera diſtributos habebat.

Hiſtor. Societ. Part. 5. l. 1. n. 11.

Binis flagello ſe verberabat, totidem induebat cilicio, duabus noctibus veſtitus cubabat duro ſuper ſcamno, duabus verò nudus ſuper cilicino ſtragulo. Sic illi perpetua cum corpuſculo erat lucta, perpetua & victoria. & hæc, & illa fuit in Viris longè Sanctiſſimis.

In ejus vita c. 2 tom. 7. Surii.

Petrus Abbas Cavenſis loricam ſubtus carnem occultam induebat quouſque putreſceret, atque ab ejus corpore rupta decideret.

In ejus vita l. 4. c. 9.

D. Dominicus ſingulis noctibus catena ferrea ſeſe flagellabat. Primò pro ſeipſo. Deinde pro peccatoribus adhuc in hac vita mortali ſpirantibus, ut ad meliorem vitam, quæ erat gratiæ, eos revocaret indulgens Numen. Denique pro Animabus, quæ in expiatoriis ignibus tenebantur, ut eas Dei miſeratio ex illis in cœlos educeret.

Et hæc ſunt, quæ, partim pro ſubigenda carne, egerunt Viri, aliàs ab innocentia vitæ ſpectatiſſimi; partim ex puriore animarum zelo, ut eas gratiæ, cœloque redderent; ut & tu eorum exemplo provocatus eadem audere, eadem & moliri diſcas, nec ab iis, ut ſolent delicatuli, abhorrere.

Et certè, qui abhorreas, cùm eæ corporis macerationes, quales quales demum ſint, ſint *Amici tui?*

In ejus vita l. 4. c. 1.

Sanè Amicos ſuos appellare ſolitus B. Franciſcus Borgia. Cùm enim ei perennis eſſet pugna cum corpore, quod ſuum *inimicum* vocitabat, Amicos dicebat eas res omnes, quæ in illud facto veluti cuneo incurrerent, & afficerent quàm peſſimè.

Si quando de vi Solis æſtu, atque ardore torreretur, ſi aliàs à frigore, & gelu rigeret totus, ſi maderet, ſi difflueret imbribus, ſi nive ſi grandine impeteretur, ſi podragra, ſi chyragra laboraret, aut alio quovis morbo, ſi de illo quis & ſentiret, & loqueretur malè, de illis omnibus dicere ſolitus. *Quàm bellè me probant Amici.*

Sic *Amicos* habebat, dicebatque ea omnia, quæ nos abjectæ in terras animæ, & cœleſtium inanes, *inimicos* & dicimus, & horremus, & fugimus. Vide, Mi Lector, an ex æquo, an ubi, & delicatulis illis magis habenda fides, quàm veteranis illis in Chriſti palæſtra pugilibus.

Ad

Ad ea, quæ jam attigi, unum addi velim pro coronide: haud paulò ardentiùs inſiſtendum interiori homini domando, quàm corpori, & frangendis animi motibus, quam oſſibus: ac licet utrique danda ſit opera; verùm priori illi præcipuè, perpetuò, atque ab omnibus: alteri verò quantum & rerum, & perſonæ, & temporis ratio exigit. Cui pulchrè concinit, quod Henrico IV. Galliarum Regi vir cordatæ virtutis, Carthuſianus Monachus reſpondit: Interroganti enim quid eſſet diſcriminis inter aſperitatem Jeſuitæ, & Carthuſiani? *Quòd hic*, inquit, *corpore macerando animum Deo ſubdit: ille frangendo animo corpus obſequi Deo, cogit*. Diſpari quidem medio; ſed ſine pari.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

R.P. IACO-

R. P.

JACOBI LOBBETII

LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

TRACTATVS ASCETICI

SIVE

CONCIONES ASCETICÆ

DE VIRTVTIBVS

AD OMNES CHRISTIANÆ

ET RELIGIOSÆ PERFECTIONIS

AMATORES.

PARS SECUNDA.

REVERENDISSIMO PRÆSULI

AMPLISSIMÓQUE DOMINO,

D. GVILIELMO NATALIS

EXEMPTI MONASTERII

SANCTI LAURENTII

AD LEODIVM

ABBATI,

CLERI SECVNDARII CIVITATIS

PATRIÆ AC DIOECESIS LEODIENSIS

CONSERVATORI APOSTOLICO;

DOMINO TEMPORALI IN ANTHINNES,

GLONS, VILLEREAUX, MASWYCK, &c.

PATRONO SVO AC MÆCENATI

SALVTEM AC FELICITATEM.

VT haſcè Conciones Aſceticas etiamnum Tuo nomini inſcriberem, REVERENDISSIME PRÆSVL, fecêre multa. Et quidem primò commendabilis memoria D. HENRICI NATALIS Parentis veſtri Propatrui, qui anno 1558. Monaſterio Laurentiano ſumma votorum ac ſuffragiorum conſenſione præfectus, non minus virtute, doctrináque quàm Pedo Infuláque inclaruit, & cui deinde ſucceſſiſti anno 1658. evoluto jam ſæculo, nec ſine Numine: ut vel inde diſceret poſteritas, requiri ſæculum, ut crearetur alter NATALIS Abbas. Lubet ex Annalibus veſtris præclara illius elogia hîc deſcribere: ea nobis reliquit veri bonique amans Antiquitas, atque in poſteros omnes tranſmiſit. Sunt autem illa ejuſmodi: *D. Henricus Natalis Monaſterii Sancti Laurentii Abbas electus, & confirmatus Anno 1558. vir fuit omni virtutum genere præſtans, moribus, animiq; indole nobilis, corpore venerabilis, celeberrimus ob ingenii præſtantiam, & ſolertiam inter Proceres popularesq; habitus. Prudentiâ maturus, optimus rei domeſticæ œconomus, bibliothecam omnigenis refertam libris, diligentiæ, ſtudiorumq; monimentum ſuorum poſteris reliquit.*

Præclara Monaſterii ædificia magna ex parte ædificavit, collapſa reſtauravit, exornavitque. Novi chori ædis ſacræ per malitiam exercitus Auriaci exuſtæ, uſque ad feneſtras vitreas fundamenta jecit: Campanas per incendium reſolutas, pondere & numero auxit. Caſtellum de Kikempoix cum ſuis omnibus appendicibus ex parte dirutum, necnon alias colonias inſtauravit, & decoravit, multaq́ alia bona, & utilia fecit. Deceſſit 2. Octobris Anno 1577. Vir longiore vita dignus relicto magno ſui deſiderio. Hactenus Annales veſtri maxima quæque ingentis animæ decora brevi compendio complexi, quæ ego, pace Tua, paullò fuſiùs explicabo; nec enim Illuſtrium Heroum dicta, factáve ita curſim, & levi quaſi pede decurrenda. Siſtatur in iis oculus, ſiſtatur & calamus; ut etiam ſiſtatur & animus, gratáque eorum omnium cum laude fructúque recordatio. Hæc certè poſteros alit, fovet, recreat, docetque ad ſcientiarum, virtutumque ardua, ſi non pari, at ſuppari gradu eniti: vivit enim, vivétque ævum in omne, atque ad ſucceſſores tranſibit ea tanti Præſulis memoria. Et verò quidni tranſiret, cùm is fuerit, qui non uno, ſed omni virtutum genere præſtiterit, externa compoſitione, & moribus amabilis; interna autem animi indole nobilis, quod eximium naturæ beneficium eſt, & Dei donum ſingulare, ac veluti raſa quædam tabula, quæ & prima, & optima litterarum lineamenta facilè admittat, & pulcherrimarum virtutum colores atque imagines in ſe ipſa exprimi patiatur, & ita expreſſit in eo Præſule, cujus elogium ſtylo reddimus. Corpus illi natura dedit ad ſpeciem venerabile, ac veluti domicilium magnæ mentis, in qua & ingenii ſolers eſſet præſtantia, quæ illum magnatibus ſpectabilem faceret, & ſummis infimisque amabilem, ad quam acceſſit prudentia, virtutum aliarum veluti magiſtra, cui addita ratio œconomica, quæ magno Præſuli in numeroſa familia eſt omnino neceſſaria, ne vel prodiga liberalitate, atque profuſione, Monaſterii bona diſſipet, vel etiam ſordida tenacitate ita coarctet, ut non patiatur diffundi, cum aut neceſſitas aliqua, aut decori ratio id exegerit. Et hoc ipſum eſt quod exemplo ſuo Poſteros probè edoctos voluit Reverendiſſimus Præſul Henricus Natalis datus Abbas eò loci, qui vel iniquitate temporum collapſa reſtauraret, vel armorum impetu ac furore diruta erigeret, atque in ſplendorem priſtinum reſtitueret: quod factum & probant, & muta quadam voce loquuntur ea ipſa Monaſterii Veſtri præclara quæque ædificia, atque in primis novus chorus ædis ſacræ, quem ille è buſto, & cinere Auriaco ad feneſtras uſque excitavit, duxiſſétque ad ipſum uſque culmen;

nisi

niſi mors (quæ etiam Infulatis Capitibus imminet) tantùm aut invidiſſet, aut impediviſſet boni. Verùm, ut hoc impediverit; at non impedivit quin bibliothecam optimis libris inſtructam relinqueret veluti opportunam ac nobilem religioſæ familiæ ſuppellectilem. Et hæc ſunt domeſtica quaſi decora, quibus & gaudere, & frui poteſt D. V. ad quæ addi poſſunt alia à Præſulibus Anteceſſoribus veſtris ornamenta, ſeu ea petenda duxeris ab inſigni morum vitæque ſanctitate, ſeu à doctrina, & recondita quadam eruditione, ſeu ab hac & illa. Et quidem à ſanctitate eminere viſus S. POPO primus Aſceterii veſtri Abbas: B. STEPHANVS, qui illi proximè ſucceſſit, & cui ob ſingularem innocentiam conceſſum, ut & cœleſtibus viſis illuſtraretur, & Angelico recrearetur alloquio. B. GOSWINVS ex vobis aſcitus D. Iacobi Abbas. B. RVPERTVS Tuitio item datus in Præſulem, cùm prima doctrinæ ac ſanctitatis fundamenta apud vos jeciſſet. Vir ſanè ævo ſuo nulli fortè ſecundus, & cui poſteritas illud aſcripſit elogium: *Doctus Rupertus*. Hanc porrò doctrinam, non tam ſtudio acquiſivit, improbóque labore, quàm cœlitus hauſit à DEI Matre. Iuvat, bona Tua venia, illius meminiſſe favoris. In D. LAVRENTII Cœnobio pœnè puer educatus, tum in religioſam familiam admiſſus à BERENGERO Abbate, viro integritate, conſtantia, ſapientiáque verè magno; tum etiam litteras (quæ apud Laurentianos erant in pretio) doctus: ingenio tardiore cùm eſſet, parumque promoveret; ad DEI Matrem, ceu aſylum confugit, ante illius imaginem in genua prolapſus. Adfuit religioſo juveni, ceu filio ſupplici, melioris Sapientiæ Mater multo lumine conſpicua, promiſitque illum tanta divinarum rerum cognitione donandum, quanta tēporibus illis polleret nemo. Videret porrò ne conceſſum cœleſti pietate beneficium, terræ infoſſum turpi ſitu obſoleſcere pateretur. Virgini & Matri benè monenti paruit: exinde enim in ſcriptionem incubuit totus, nec ſcribere deſiit, niſi cùm & vivere: adeò illi in oculis, atque amoribus erat ea ſcriptio: quæ profectò ibit in ſæcula, unáque cum RVPERTI nomine, Aſceterii Veſtri nomen, famámque feret etiam in exteros orbes, ipſamque propè æternitatem, quam DOMINATIONI VESTRÆ dum opto, voveóque feliciſſimam, ſimul etiam finio, ne poſitos epiſtolæ fines excedam.

REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Leodii 1 Novemb. Anno 1664.

Humillimus in Chriſto ſervus & cliens

IACOBVS LOBBETIUS è Societate IESU.

INDEX
TRACTATUUM, QUÆSTIONUM
ET PARAGRAPHORVM.

TRACTATUS PRIMUS DE PAUPERTATE CHRISTIANA ET RELIGIOSA. pag. 1

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Beati pauperes ſpiritu.* Matth c. 5. v. 3.

§. 1. *Qui pauperes ſpiritu, & cur ſpiritu?* pag. 1
§. 2. *Pauperes ſpiritu cur, & unde beati?* 2
§. 3. *Quid ſit paupertas ſpontanea, & religioſa.* 3
§. 4. *Qui fuerint in Chriſto paupertatis gradus?* 5
§. 5. *Qui eſſe debeant in Chriſtiano, qui etiam in Religioſo paupertatis gradus?* 6
§. 6. *Quæ incitamento eſſe poſſint ad illam in ſpiritu paupertatem?* 9

TRACTATUS SECUNDUS DE MUNDI CONTEMPTU. pag. 10

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Chriſti Salvatoris verba: *Vos de deorſum eſtis; Ego de ſupernis ſum: Vos de mundo hoc eſtis; Ego non ſum de hoc mundo.* Joan. c. 8. v. 23.

§. 1. *Quid ſit mundus?* pag. 10
§. 2. *De contemptu divitiarum. Quid ſint divitiæ?* 12
§. 3. *De contemptu honorum. Quid ſit honor?* 14
§. 4. *De contemptu voluptatum. Quid ſit voluptas?* 15
§. 5. *Præcipua quædā incitamēta ad fugā voluptatū.* 16
1. *Ab earum inanitate.* ibid.
2. *Ab earum brevitate.* ibid.
3. *Ab earum cupidine bona menti noxia.* ibid.
§. 6. *Præcipua quædā incitamenta ad mundi fugam.* 17
1. *A brevitate, fluxúque rerum mūdanarum.* ib.
2. *A mundi fallacia, & malis dolis.* ibid.
3. *A periculis.* ibid.
4. *A moleſtiis, & curis edacibus, quas creat irrequieta, & ſemper egena bonorū mundi poſſeſſio.* 18
5. *Ab ipſa hominis natura.* ibid.

TRACTATUS TERTIUS DE HUMILITATE. pag. 19

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Humiles ſpiritu ſalvabit.* Pſ. 33. v. 19.

§. 1. *Qui humiles ſpiritu, & cur ſpiritu?* 19
§. 2. *Cognitio ſui radix vera & Chriſtiana humilitatis.* ibid.
§. 3. *Etiam Infulata, etiam Coronata capita hac ipſa ſui cognitione intra naturæ, & rationis limites continentur.* 20
§. 4. *Quæ ſit vera, & chriſtiana humilitas?* 21
§. 5. *De humilitate judicii, & illius origine.* 22
Origo prima Humilitatis. A nihilo ſui. ibid.
Origo ſecunda Humilitatis. A perpetua dependentia à Deo. 23
Origo tertia Humilitatis, A carnea, & fragili corporis mole, qua clauditur ſpiritalis, & immortalis animus. ibid.
Origo quarta Humilitatis, Ab eodem corpore, ceu morborum omnium infami diverſorio. 24
Origo quinta Humilitatis, Mors inevitabilis, atque ſecundùm illam pulvis, & cinis. ibid.
Origo ſexta Humilitatis, A deordinatione ſenſuum tam externorum, quàm internorum; uti & potentiarum animæ. 25
Origo ſeptima Humilitatis, A peccato, ceu ſummo malo. 26
§. 6. *De Humilitate voluntatis, ſeu affectus.* 27
Primus gradus Humilitatis, eſt Cordis. ibid.
Secūdus gradus Humilitatis, eſt oris & linguæ. 28
Tertius gradus Humilitatis, eſt operis. 29
Concluſio. *Humilitas via ad ſublimitatem.* 30

TRACTATUS QUARTUS DE ARDENTIORE ANIMARUM ZELO. pag. 32

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Tabeſcere me fecit zelus meus.* Pſ. 118. verſ. 39.

§. 1. *Quis ille zelus, & quid ſit zelus?* 32
§. 2. *Quotuplex ille zelus?* 33
§. 3. *Quæ ſint zeli ſancti affectiones, vel quaſi affectiones?* 35
§. 4. *Quos maximè afficere debeat zelus?* 39
§. 5. *Quæ ſint invitamenta ad ſalutem animarum procurandam?* 40
I. Invitamentum. *Ex hominis naturâ ac præſtantiâ.* ibid.
II. Invitamentum. *Ex animæ rationalis dignitate, & pretio.* 41
III. Invitamentum. *Corona Beatorum, quos cælo intuleris.* 43
IV. Invitamentum. *Chriſti lucrum & votum, addo & Virginis.* 44
§. 6. *Nonnulla ad ſalutem animarum adjumenta.* 45
I. Adjumentum. *Oratio, & per eam intima quædam cum Deo familiaritas, atque unio.* ibid.
II. Adjumentum. *A divino cæleſtis Verbi pabulo.* 46
III. Adjumentum. *Ab exemplo vitæ ſanctioris, quæ cum doctrina conſentiat.* 47

TRACTATUS QUINTUS DE HORA ORATIONIS SEDVLO IMPENDENDA. pag. 49

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Particula bona diei non te prætereat.* Eccl. c. 14. v. 14.

§. 1. *Quæ ſit ea bona diei particula?* 49

§. 2. *Hora*

§. 2. *Hora Orationis particula eſt bona diei.* pag. 49
§. 3. *Quanti horam Orationis, id eſt particulam bonæ diei, æſtimaverint Chriſtiani Heroës, & quàm ſedulo, & conſtanter obierint?* 50
§. 4. *Unde fiat, ut particulam illam bonæ diei, id eſt horam Orationis multi elabi ſinant?* 51
§. 5. *Quæ, & qualis Oratio cenſenda ſit eſſe particula diei bonæ?* 52
§. 6. *Particula bonæ diei laïcis eſt Sanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptio.* 53
§. 7. *Particula bonæ diei Sacerdotibus eſt SS. Miſſæ ſacrificium.* 54
§. 8. *Particulam illam bonæ diei, id eſt ſacram Communionem, quanti fecerint gratæ ſuperis animæ, quanti Angeli, & Chriſtus ipſe?* 55
§. 9. *Particulam illam bonæ diei, id eſt ſacro-ſancti Corporis Chriſti conſecrationem, quanti fecerint vel in terris ſancti, vel etiam è cœli curia Beati Spiritus, vel etiam Deus ipſe.* 57

TRACTATUS SEXTUS DE SACRO-SANCTA EUCHARISTIA. 58

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus.* Pſalm. 110. verſ. 4.
Ecquodnam illud mirabile, cujus memoria debeat eſſe perennis? 59
Sacro-ſanctæ Euchariſtiæ Miracula in genere moris.
Primum Miraculum.
Amoris miraculum. ibid.
Secundum Miraculum.
Obedientiæ miraculum. 61
Tertium Miraculum.
Patientiæ miraculum. 62
Quartum Miraculum.
Humilitatis miraculum. 65

TRACTATUS SEPTIMUS DE SALUBRI DEI TIMORE. 67

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Initium ſapientiæ timor Domini.* Eccl. c. 1. v. 16.
§. 1. *Quid ſit timor, & quid timor Domini?* 67
§. 2. *Quàm multiplex, & varius ſit ille timor?* 68
§. 3. *Timor filialis proprius eſt excelſis à virtute, & ſanctitate mentibus.* 71

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad eadem verba: *Initium ſapientiæ timor Domini.* Eccl. c. 1. v. 16.
Quæ ſint motiva ad ſacrum illum Domini timorem? 72
§. 1. *Primum motivum timoris Domini, ab ipſa morte, atque adnatis illi anguſtiis.* ibid.
§. 2. *Secundum timoris motivum à tonitru Divinæ vocis, & extremi Iudicii fulmine.* ibid.
§. 3. *Tertium motivum timoris ab ignoratione ſui ſtatus.* 74
§. 4. *Quartum motivum timoris ab æternis inferorum incendiis.* 75
§. 5. *Quintum motivum timoris à miſerabili eorum lapſu, qui videbantur jam in cœlis poſuiſſe nidum ſibi.* 76
§. 6. *Sextum motivum timoris ab iis, qui è cella monaſtica, ceu terreſtri quodam cœlo, in barathrum vitiorum primò delapſi, ac deinde in chaos inferni.* 79
§. 7. *Septimum motivum timoris à facili ac prono ad ima vitiorum lapſu.* 80
§. 8. *Octavum motivum timoris à graviore & periculoſo hoſtium noſtrorum incurſu, Carne, Mundo, Dæmone.* 81

TRACTATUS OCTAVUS DE SINGULARI IN DEUM FIDUCIA. 83

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Iacta ſuper Dominum curam tuam; & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem juſto.* Pſal. 54. v. 25.
§. 1. *Explicatio thematis.* 83
§. 2. *Quid ſit ea in Deum fiducia, quæ ejus ſymbola, quæ baſis, quæ fulcimenta?* ibid.
§. 3. *Quid ſit fiducia in creaturis, quàm vana, quàm brevis, quàm fragilis, quàm & noxia?* 85
§. 4. *Qui ſint effectus repoſitæ in ſolo Deo fiduciæ.* 87
§. 5. *Quæ ad eam fiduciam in nobis excitandam incitamenta.* 89

TRACTATUS NONUS DE LIBERALITATE. 90

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* Prov. c. 19. v. 17.
§. 1. *Quid ſit liberalitas?* 90
§. 2. *Prima pars Liberalitatis, aut verius illius umbra, petita à profanis, Gentilibus, & Turcis erga deos etiam falſos.* 92
§. 3. *Prima pars liberalitatis Chriſtianorum in Eccleſiam, & ſacras ædes, & inde earundem opulentia.* ibid.
§. 4. *Secunda pars liberalitatis in patriam, amicos tenuioris fortunæ, viros litteratos, & artifices, peritiores, vel denique in non petentes, & promiſcuè in omnes.* 95
§. 5. *Tertia pars liberalitatis in hoſpites, ac peregrinos.* 96

§. 6. *Quarta pars liberalitatis in pauperes, atque egenos.* 97

§. 7. *Quàm verum, quàm indubitatum illud Sapientis:* Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis? Prov. 19. v. 17. 98

§. 8. *Ad eadem verba* Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis. Prov. c. 19. v. 17.

An maxima, & potiſſima pars illius fœnoris ſit Chriſtus, ſit Deus ipſe. 101

§. 9. *Ad eadem verba:* Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis. Prov. c. 19. v. 17.

Iuſta Chriſti querela, juſta expoſtulatio in eos, quos nulla etiam ſui in pauperibus, tangit miſeratio. 102

JACOBI LOBBETII
SOCIETATIS JESU THEOLOGI,
TRACTATUS ASCETICI
DE VIRTUTIBUS
EX NORMA ADHORTATIONUM.

TRACTATUS
DE PAUPERTATE
CHRISTIANA, ET RELIGIOSA.

AETERNAS divinæ Providentiæ leges, ex eo damnavit aliquando *Celſus*, quòd hominibus majorem dediſſet paupertatem quàm brutis animantibus: ſic enim inquiebat:

Nos certè magnis laboribus ægrè vitam quærimus; illis cuncta, nulla ſemente, & nullo naſcuntur apparatu.

Lib. 4. contra Celſum p. 218. Hæc ille, contra quem depugnat Origenes: ut que pugnet, non verbis; ſed rationum pondere ac momentis, quærit cur author naturæ Deus homines & naſci, & vitam omnem exigere voluerit majore in paupertate, & rerum neceſſariarum indigentia, quàm ipſa animantia bruta, etiam immaniſſima, quibus ſcilicet proſpicit de victu, & annona nullo eorum labore, ſemente nulla, cura etiam nulla; iis quippe naſcuntur, & ſpontè ſerviunt omnia. Cur non & homini? Id quærit Origenes, & rationes alias, atque alias adjicit. Primæ enim, & ſummæ Rationi, id eſt Deo, nihil eſt ſine ratione: eam ipſi videamus.

Una fuit, ut humanæ menti, atque intelligentiæ daretur materia, in qua ſeipſam exerceret, ne iners maneret, atque otioſa: Et hinc etiam altera, ne ſterilis maneret & artium rudis atque expers; dum enim homini paupertatem comitem addidit, ſimul etiam coëgit adinvenire artes alias, quibus victum ſibi compararet, alias quibus veſtitum, alias etiam, quibus delitias, quibus & opes.

Sic ex hac rerum omnium tam neceſſariarum, quàm utilium indigentia nata eſt agricultura, nata ars olitaria, ſartoria, fabrilis, aliæque id generis artes, quas non inveniſſet, non indagaſſet mens humana, ſi rerum omnium affluentia ſpontè quaſi adfuiſſet; tum enim in iis inveniendis non elaboraſſet hominis ingenium. Et hinc ducitur alia ratio.

A lapſu Adami, & depravata ex eo natura futurum erat ut poſteri rebus divinis inveſtigandis minimè eſſent vacaturi, ut ſaltem inveniendis artibus addicerent ſeſe, & pauperes vivere ſatius fuit, quàm eſſe otioſos. Et has rationes produxit, & publico dedit Origenes. Aliam D. Ambroſius in illud D. Lucæ:

Luc. 12. v. 24. *Conſiderate corvos, quia non ſeminant, & Deus paſcit eos.* Opinatur enim inopiæ noſtræ cauſam eſſe avaritiam, & ſic ait:

Etenim illis (nempè corvis) *idcircò inelaborati pabuli uſus exuberat, quòd fructus ſibi communes ad eſcam datos, ſpeciali quodam neſciunt vindicare dominatu. Nos communia amiſimus, cùm propria vindicamus: Nam nec proprium quicquam eſt, ubi perpetuum nihil eſt, nec certa copia, ubi incertus eventus. Cur enim divitias tuas æſtimes, cùm tibi Deus etiam victum cum cæteris animantibus voluerit eſſe communem? Aves cæli ſpeciale nil ſibi vindicant, & ideò pabulis indigere neſciunt, quia aliis invidere non norunt.*

Hactenus S. Ambroſius, à quo tranſeo ad eam, quam Chriſtus inter Beatitudines reponendam eſſe cenſuit, paupertatem, pro qua fuſiùs exponenda ſit

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Beati pauperes ſpiritu.* Matth. c. 5. v. 3.

HIc tria agitari poſſe video: Primùm qui ſint hi pauperes? Deinde qui tales ſpiritu? & cur ſpiritu? Denique cur, & unde beati? De his enim omnibus oriri poteſt diſceptatio, pro qua alios atque alios paragraphus proponemus. Sit igitur

§. 1.

Qui pauperes ſpiritu, & cur ſpiritu?

PRima pars hujuſce Quæſtionis ſiſtet in ea vocula *Pauperes*, eoſque partietur in tres claſſes: *Pauperes triplices.*

Sunt enim primò *Pauperes* cenſu, & mendiculi, invita, & miſerabili neceſſitate pauperes. Et huic paupertati nullum eſt pretium, nullum & præmium, beatitudo omnino nulla; potius infelicitas multa, multa & miſeria, ut proinde de illa meritò dixerit Plutarchus: *I. Cenſu.*

Cum paupertatem malorum extremum cenſeamus: hanc non aliter ac gravem ac difficilem morbum liberis tradere formidamus. *De Amore parent. erga liberos.*

Et hoc verùm eſt de illa paupertate ſi nuda fuerit, nec illi comes patientia, & cum divina voluntate conſenſio: ſi enim & hæc, & illa adſit, omnino dives eſt atque opulenta, ut in illam cadere poſſit iſtud Senecæ:

Honeſta res eſt læta paupertas, & is cui cum tali paupertate benè convenit, dives eſt: Dives, inquam, ſi minus terris: at certè cœlo. *Epiſt. 2.*

Sunt deinde alii *pauperes ſpiritu*, licet non cenſu: & is fuit Abraham, qui *cenſu* dives erat; at *ſpiritu*, & affectu pauper. *II. Spiritu.*

Is quoque D. Gregorius, Pont. Max. qui licet In Thiara auro oiteret, & gemmis, & cenſu abundsret opulento, at ſpiritu, at animo, & affectu paupet erat, & pauperior illo Eremicola, cui unicus domi cattus erat, quem deperibat magis, quàm & aurum & gemmss & uniones ipſe Gregorius.

Et is, etiam Seneca judice, erit quiſquis erit ſapiens, multum enim inter hunc, & ſpiritu, affectuque divitem intereſt: nec enim divitiæ eumdem apud hunc, & illum locum habent, ut diſertè oſteodit Seneca: ſic enim ad illum:

L. de beata vita. c. 20. *Apud me divitiæ aliquem locum habent, apud te ſummum: Ad poſtremum divitiæ meæ ſunt, tu divitiarum es.* Et hinc conficit & illud: *Mihi divitiæ ſi effluxerint, nihil auferent niſi ſemetipſas, tu ſtupebis, & videberis tibi ſine te relictus, ſi illæ à te receſſerint.* Et hoc, quia & *cenſu* dives es, nec ſpiritu, affectuque pauper.

III. Et cenſu & ſpiritu. Denique ſunt alii & *cenſu*, & *ſpiritu pauperes.* Ii ſunt Religioſi, qui bonis omnibus terrenis ſe abdicant, & hoc quidem amore, affectuque ſpontaneæ paupertatis. Et hoc eſt ſpiritu eſſe pauperem.

Non ſic pauper *Diogenes Cinicus*, qui vanæ gloriolæ auceps ex paupertate famam ſibi nomenque fecit; non ex virtute: ſed ex vanitate.

Non ſic paupet *Crates Thebanus*, qui ex ſtudio liberioris philoſophiæ, autum quod poſſidebat abjecit in mare, addens & vulgò decantatum: *Abite malæ voluntates, mergam vos, ne mergar à vobis.*

Non ſic *Ariſtippus*, qui cum navim pyraticam conſcendiſſet, aurum omne, quod multum habebat, proLaërtius l. 4 c. 8. jecit in mare, adjiciés & philoſophicũ illud: *Satius eſt, ut hæc per Ariſtippum, quàm propter hæc pereat Ariſtippus.*

Non ſic etiam alii profanæ ſapientiæ candidati.

Non ſic, inquam, pauperes, vel ex eo quòd *paupertas ſubſidium iis eſſet ad philoſophiam*; ut apud Stobæum Diogenes, quis & hi, & illi, & ipſi pauperes, vel ea affectatione vanæ gloriæ, vel ex ſtudio profanæ ſapientiæ, vel alia quapiam cauſa, quæ nec ſpiritui ſervit, nec virtuti, nec cœlo promerendo. Ut autem quis ſpiritu pauper ſit; neceſſum eſt, ut paupertas & huic, & illi adſtipuletur, ac ſerviat. Ac ne meis tantùm dictis ſit fides, excipe quæ D. Gregorius Nyſſæ Epiſcopus, ſic ille, inquit, etiam è cœli regia:

Lib. de Beatitudinibus. *Vis intelligere quis pauper ſpiritu ſit? Qui corporalem opulentiam animæ divitiis permutat, qui propter ſpiritum egenus eſt, qui terrenas divitias veluti quoddam onus excuſſit & abjecit*; & hoc quidem, *ut ſublimis ſurſum rapiatur.* Certus cum illis in ſublime, in cœlum, in Deum ferri non poſſe, cujus hæc eſt ratio, Authore eodem ſancto Præſule:

Quia ponderoſa quædam res eſt aurum, oneroſæ res omnis, quæ divitiarum cauſa, expetitur. Levis verò res quædam, & ſublimia petens eſt virtus. Si igitur ad ſuperna nos accedere oportet, ab iis, quæ deorſum trahunt inopes & egeni ſimus, ut in ſuperis verſemur.

Hactenus S. Gregorius Niſſæ Pontifex, à quo tranſeo, ut enucleatiùs explicem quid innuat ea vocula *ſpiritu*: tria omnino innuit.

Primò ſpiritu, id eſt, non carne; ſed anima, ſed voluntate, ſed amore. *Spiritu*, inquit D. Bernardus,

Serm. 1. in feſto SS. omnium. *id eſt ſpirituali voluntate, ſpirituali intentione, deſiderio ſpirituali propter ſolum beneplacitum Dei, & ſalutem animarum.* Et hoc, ait propter plebeios pauperes, qui ii ſunt *neceſſitate miſerabili, non laudabili voluntate.*

Deinde *ſpiritu*, hoc eſt afflatu diviniore Spiritus Sancti, non autem aura mundi, aura terræ, aura vanitatis; hæc enim ſi aſpiret, pauperem facit, & cœli, & ſoli; ille autem ſi afflet, pauperem quidem facit ſoli, ſed divitem cœli.

Denique *pauperes ſpiritu*, ex fine ſcilicet, quem ſibi præfigunt, hoc eſt, ex ſpiritualibus bonis, quæ ambiunt & prenſant, dum terrena, cœli, Deique amore deſpiciunt, atque abjiciunt.

Quiſquis is eſt, D. Auguſtino dicitur, & eſt *pauper Dei.* In ſententiis.

Alii *pauperes ſpiritu* opinantur, idem eſſe ac *humiles ſpiritu*, nec immeritò: paupertati enim juncta ſemper eſt humilitas, ceu illi comes individua, ceu germana ſoror; uti contra divitiis, atque opulentiæ plerumque ſocia eſt Superbia, & tumor aliquis elatæ mentis.

Qui ita pauperes ſunt à Chromatio appellantur *Pauperes mundo: ſed divites Deo: egentes ſæculo; ſed locupletes Chriſto.*

Et ita pauperes eſſe nos docuit ipſe Chriſtus; non verbo tantùm; ſed exemplo: Naſcens in ſtabulo, vivens in hoſpitio, moriens in patibulo. Edocuit, inquam, ut & tu veluti benè doctus in illius ſchola diſcipulus, imitari diſcas. Et certè quidni diſcas? Quidni & imiteris? Maximè cùm ea ſit & divitiarum, & bonorum omnium hujus ævi ratio, quæ te nec beare velit, nec ut velit, poſſit, ſed è contrario potius & miſerum reddere, & infelicem relinquere, ut proinde tibi, ſi ſapis, audiendus ſit D. Bernardus: *Noli amare bona, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant.*

§. 2.

Pauperes Spiritu, cur, & unde beati?

BEati enimvero ſunt, non quidem in re: ſed in ſpe; non beatitudine patriæ, ſed viæ; non in conſummatione gloriæ & coronæ, ſed inchoatione virtutis & pacis: quod ut magis ponatur in aperto, Primùm id pronuntio, Beatos eſſe, quia Beati dicuntur ipſo primæ ac ſummæ Veritatis oraculo, quod nec falli poteſt, nec fallere: Et hoc eſt quod non capit Mundus, non capit Caro; quia, ut ſcitè D. Ambroſius: *Inde incipit beatitudo judicio divino, ubi ærumna æſtimatur humano.* At, inquies cur? & Lib. de Offic. c. 16. unde Beati? Iam paucis inſinuavi cùm modum edocui, quo ſunt beati: ſed fuſiùs explicari voles, quod preſſiùs dixi; hoc & ipſe volo.

Primò, Beati dicuntur, & ſunt quia ſpem omnem I. Ratio. ſuam, opes, ſalutem, felicitatem in Deo poſuerunt, etiam vel ex hoc quod ſeſe bonis omnibus terrenis exuerint.

Deinde Beati, quia his liberi, atque expediti, II. Ratio. ad ſuperna contendunt, ipſamque, quæ in cœlis eſt, beatitatem, quam etiam ex nunc quaſi prenſare videntur, atque poſſidere: & inde Servator optimus pronuntiat illud: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum*; quod dum expendit D. Bernardus, æſtu quodam ſeu ſtuporis, ſeu amoris, ſeu etiam gaudii, ſic de illa paupertate:

Magna quædam penna eſt paupertatis, quæ tam cito volat Serm. 14. de Advent. Domin. *in regnum Cælorum: nam in aliis virtutibus quæ ſequuntur, promiſſio futuro tempore indicatur: paupertati non tam promittitur, quàm datur. Unde & præſenti tempore enuntiatum eſt, Quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum: cùm in cæteris dicatur, hæreditabunt, conſolabuntur, & ſimilia.* Hoc nimirum ſpontaneæ paupertati datum, eique ſoli: ut inde noſceres quo apud ſuperos eſſet in pretio, ut cui, quaſi ex nunc conceditur beatitudo, quæ (ut annotat D. Gregorius Nyſſenus) eſt *Dei propria Deo.*

Et hinc, dum Chriſtus ipſe, Magiſter optimus, Pauperes ſpiritu pronuntiat, & facit eſſe beatos, ſimul etiam pronuntiat, & facit eſſe participes Divinitatis, quod ſummum eſt, quod & divinum.

Accedit quod beati ſint ex quadam complexione, III. Ratio. cumuloque ſpiritualium bonorum, quæ brevi oratione complexus eſt D. Gregorius Nazianzenus: ſic enim inquit:

Monachorum opes in paupertate, poſſeſſio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cælibatu (ſiquidem præſtantiores fœtus illi ſunt, qui ſecundùm Deum exiſtunt, quàm qui à carne ortum ducunt) qui delitiis minimè ſtudere, pro delitiis habent; qui regni cæleſtis Orat. 18.

cantâ

causâ humiles ſunt, qui in mundo nihil habent, & ſupra mundum exiſtunt, qui etiam in carne extra carnem vivunt, qui pro portione Deum habent, qui propter regnum inopia laborant, & propter inopiam regnant.

Hactenus D. Gregorius de Monachorum, id eſt pauperum ſpiritu, beatitate, quam æquâ lance dum expendit D. Bernardus, hujus ævi divites, hoc eſt carne divites, ſpiritu verò pauperes ſic compellat:

Veritas loquitur, quæ nec falli, nec fallere poteſt, & ipſa eſt, quæ dicit: Quoniam beati pauperes ſpiritu. Et tamen ô malum! ô nefas! ſic vos inſenſati filii Adam divitias quæritis, divitias deſideratis uſque adhuc, cùm jam beatitudo pauperum divinitùs commendata, prædicata mundo, credita ſit ab hominibus. Quærat eas Paganus, ſi ſine Deo vivit. Quærat Iudæus, qui terrenas promiſſiones accepit. Sed quâ fronte, magis, aut quâ mente Chriſtianus divitias quærit, poſtquam Chriſtus beatos eſſe pauperes prædicavit?

Certè effrons, & amens ſit oportet ſi ambiat, & quæritet divitias, in quibus nonniſi miſeria, & infœlicitas, ſpreta, & relicta paupertate, in quâ vera beatitudo eſt.

Et hæc eſt D. Bernardi ratiocinatio, cui neceſſe eſt cedere omnes, ſi modò à Chriſto Chriſtiani: & ita ceſſit aliquando *S. Simeon Stylites*, qui cùm audiſſet in templo legi beatitudines, mox relictis ovibus, quas paſcebat, monaſterium adiit, inde columnam conſcendit, in qua perdius & pernox ſtetit ad annos 47. ut nonnulli volunt: imò ad 80. ut opinatur Baronius; factus ævi ſui miraculum, & ſtupor orbis.

Hic è paſtore Eccleſiaſtes, bis in die è columna, ceu pulpito, dicebat ad affluentem turbam. Et hæc illi erat concio: *Contemnite terreſtria, amate, & ambite cœleſtia, quæ ſola vos beabunt.* Ita Theodoretus
In ejus vita. oculatus, & auritus teſtis.

Redeo ad rationes, quas in fronte hujuſce quæſtionis explicandas mihi propoſui; jam allatis adjici poteſt quarta.

IV. Ratio. Ea ſcilicet, quòd ſpontanea illa paupertas hominem quaſi reſtituat primævo innocentiæ ſtatui, in quo conditus Adam, & in quo ſingulis communia fuiſſent omnia, proprium nihil; & quod inde conſequens eſt, tam Adæ, quàm poſteris, & omnibus & ſingulis communis totus fuiſſet mundus; in quo ſanè magna futura erat beatitas.

V. Ratio. Denique, quod rationum omnium eſt veluti compendium, hoc eſt, quod ea paupertas ſit veluti Cœli pretium; ſit & pretium regni cœlorum. & hanc rationem extulit D. Auguſtinus. Lubet illum audire, & cum eo paragraphum hunc claudere. Sic olim ad ſuos è pulpito.

Serm. 20. de verbis Domini. *Felicitas magna Chriſtianorum, quibus datum eſt ut paupertatem faciant pretium regni Cœlorum.*

Hoc ubi produxit velut illuſtre paupertatis elogium, tum verſa ad Auditores oratione, ſic ad illos:

Non tibi diſpliceat paupertas tua, nihil ea poteſt ditius inveniri. Vis noſſe quam locuples ſit? Cœlum emit. Quibus theſauris conferri poſſit, quod videmus paupertati indultum? Vt ad regnum cœlorum veniret dives, poſſeſſione ſua obtinere non poteſt: hanc obtinet, ut contempta perveniat.

Et hæ rationes faciunt pro ea, quam dixi pauperum beatitate. Sed, inquies, ea eſt alterius ævi, non autem hujus temporis: huic certè nihil relinquitur niſi ſquallor, & horror ei quodammodo congenitus. Ut hunc, & illum detergam, Amice Lector, tibi in aures, & animum injiciam ea, quæ olim Heliodoro S. Hieronymus: ſic enim ad illum,

Ep. ad Heliodorum, ſub finem. *Paupertatem times? ſed beatos Chriſtus pauperes appellat. Labore terreris? at nemo Athleta ſine ſudore coronatur. De cibo cogitas? ſed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exeſa jejuniis membra collidere? ſed Dominus tecum jacet. Squallidi capitis horret inculta cæſaries? ſed caput tuum Chriſtus eſt. Infinita eremi vaſtitas te terret? ſed tu paradiſum mente deambulas. Quotieſcumque illuc cogitatione conſcenderis, toties in eremo non eris. Scabra ſine balneis attrahitur cutis? Sed qui in Chriſto ſemel lotus eſt, non illi neceſſe eſt iterum lavari. Et breviter ad cuncta audias Apoſtolum reſpondentem: non ſunt condignæ paſſiones hujus ſæculi ad ſuperventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Delicatus es frater, ſi & hic vis gaudere cum ſæculo, & poſtea regnare cum Chriſto.*

Hæc D. Hieronymus, ut levaret adnata paupertati faſtidia. Videamus modò, quæ ſit illa.

§. 3.

Quid ſit paupertas ſpontanea & religioſa?

NOn eſt mei conſilii paupertatem hîc preſſiùs definire ex ſcholæ legibus, & placitis; neque enim in præſentia Theologum ago; ſed Eccleſiaſten, cujus potiſſimum eſt ſuppoſitâ naturâ, & affectionibus paupertatis, in ejus encomia, & laudes excurrere: *Paupertatis deſcriptiones.* quod modò facere certum eſt, ex aliis atque aliis ejus deſcriptionibus, ex quibus illius vis, dignitas, ac ſanctitas magis ac magis eluceſcet.

Eas autem petere fixum eſt è SS. Patribus, maximè Religionum fundatoribus, quibus ea paupertas fuit *1. Eſt murus Religionis.* in primis curis, atque amoribus. D. Ignatio, Societatis JESU parenti. *Paupertas* dicta eſt *murus Religionis.* Sic enim in ſuis conſtitutionibus: *Paupertas ut murus Religionis diligenda, & in ſua puritate conſervanda.* *Part. 6. c. 21.*

Murus à muniendo dictus, quòd urbes, quòd caſtella & arces muniat ac ſervet, & quamdiu integer manet, ſua urbi, ſua arci ſecuritas eſt, ſua & civibus atque incolis ſalus, & incolumitas: ubi labefactatus, ubi dirutus eſt, & hoſtibus patent, & militi ſunt prædæ, ac direptioni.

Inde factum ut Antiquis muri habiti fuerint *ſancti*, in quos impreſſionem facere ſummum erat nefas.

Sic Plutarchus in Romulo: *Muri*, inquit, *urbis ſancti ſunt, non portæ. Muri ſancti ſunt* quia hoſtem arcent, & cives tuentur. *Portæ* non item, quia quoſque & admittunt, & emittunt, etiam ſubinde & hoſtem.

Sic & Cicero de natura Deorum. *Muri*, inquit, *urbis, quos ſanctos dicitis.*

Quod ſi muri ſancti ſunt, & ſancta paupertas, quia Religionis murus, adeóque & ſanctè ſervanda, & eam quiſquis auſu temerario violârit, atque infregerit; næ ille gravi ruinæ ſubjacebit. Et ita ſubjacere viſus frater *Elias* miniſter Generalis Ordinis, *Wadingus Annal. Min. par. 2. c. 19.* etiam vivo S. Franciſco. Hic contra paupertatis leges, ſibi laxas veſtes fecerat è panno ſubtili, ac pretioſo, largis quoque manicis, quas ut vidit Pater Seraphicus (ut erat amans, & tenax paupertatis) eas illicò exuere juſſit, & ipſe eas ſuis ſuperinduit, in iiſque quaſi exultare viſus, nam & ſuſpenſo gradu procedere, & manicas laxare, & veſtem in ſinus alios atque alios explicare, ſupercilio ad gravitatem compoſito; imò & voce grandiore ſic ad ſuos: *Salvete Domini.* Ubi ſic peracta ſcena, tum Franciſcus ingenti niſu, impetuque ſibi veſtes detrahere; abjicere, & à ſe quàm longiſſimè amovere cum bile & ſtomacho; ad extremum adjicere & tonitru illud concitatæ vocis. *Sic veſtiuntur Ordinis noſtri filii degeneres.*

Dixit, & fratribus ſuis animos addidit ad ſervandam in veſte, in victu, & in cæteris paupertatem, ceu *Religionis murum.* Unus tantùm frater *Elias*, qui eum infregerat, & ipſe, quaſi per laxatæ jam paupertatis & muri illius ruinam, exceſſit, abiit, effugit infelix Apoſtata, & ab Ordine, & à ſe, & à Deo ipſo. Quod illi: hoc prius & alteri. Is fuit ſextus Divi Franciſci ſocius dictus *Ioannes à Capella*, ex eo quòd laxitatis amantior, *capellam*, id eſt pileum, in Ordinem induxiſſet, cui proinde P. Seraphicus, ut filio à paupertate, ceu bona matre, degeneri, duo eventura prænuntiavit. Primum fuit gravis corporis infirmitas, quæ lepra fuit: Alterum gra-

Wadingus in Annal. Min. Tom. 1.

vior animæ interitus, qui illi à laqueo fuit, ad quem deſperabundus confugit, & è quo deinde pependit infamis ſarcina, & victima nil miſerantis orci. Tanti refert murum illum Religionis intactum, integrúmque ſervaſſe.

Et hæc de prima illa paupertatis deſcriptione: aliã quoque offert ille ipſe S. Ignatius, eámque ſuavem, & ſummè amabilem, dum *matrem* appellat, & in veneratione, in amore eſſe vult, ut apud filios

II. Mater.

mater ſolet; ſic enim ait:

Diligant omnes paupertatem ut matrem. Eſt nomen matris, nomen amoris, quem vel ipſa natura congenitum voluit, & filiis altè impreſſum, adeò ut, qui amorem illum violârit, & naturam quoque violaſſe cenſendus ſit.

Quod liberis natura dedit: hoc gratia religioſis. Mater primò fœtum concipit, utero geſtat, tum in lucem edit, lactat, enutrit, ſovétque ſinu, & in juſtam ætatem educit, non ſine ingentibus curis. Et *paupertas*, ceu religioſi hominis pia mater, eum concipit, dum ſæculo renunciare jubet, & terrena omnia à ſe quàm longiſſimè removere, tum in tyrocinio, quaſi utero geſtat, tum per religioſa vota in lucem, ſolémque educit, tum oratione, & piis aliis exercitationibus, ceu lacte paſcit; tum adultum fovet, firmatque in longam ætatem, non ſine labore multo, & magnis impendiis. Et hoc, quia illi eſt quod filiis mater, à quibus id ſuo jure exigit, quod hæc ab illis, ſcilicet tenerum quendam amorem, reverentiam, venerationem, quam qui negârit, non verus filius cenſendus eſt, ſed degener. Ne porrò is ſit unquam, iterum è Cœli Regia S. Ignatium audiat, ſibique, etiam uni dictum putet illud: *Diligant omnes paupertatem ut matrem.*

Eſſe porrò matrem, vel ex eo quòd religioſum, ceu filium concipit, edit, lactat, fovet. Diſce ex cœleſti ad Religionem vocatione.

Wadingus Tom. 1. Annal.

Ea erit fratris Bernardi à Quinta-valle; imò & prius ipſius D. Franciſci, cui librum Evangelii aperienti, primùm occurrit illud:

Matth. 19.

Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Ecce ut concipit, ut edit ad vitam religioſam & Franciſcum & Bernardum.

Marc. c. 6.

Secundò: *Nihil tuleritis in via, neque ſacculum, neque peram* quia aderit S. paupertas, ceu blanda & provida mater, & ipſa vos enutriet. Et certè enutrivit & illum, & poſteros.

Tertiò eidem objectum & illud Evangelicum:

Matth. c. 16.

Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

III. Sponſa.

Ecce ut fovet, firmátque in adultam ætatem; maneat ergo indubitatum illud, quod *paupertas* ſit Religioſo quod filio *Mater*, & nimium quàm bona mater: ſed & *Sponſa.*

Sic eam appellandam aliquando cenſuit D. Franciſcus, qui eandem modò *Matrem*, modò *Sponſam*, quod amantis erat; modò etiam *Dominam*, quod reverentis, vocitare ſolitus erat.

Sponſam quidem, quam deſponderat ſolemni voto, quo illi ſeſe in perpetuum obſtrinxerat, & à quo illi gignendi erant numeroſi in Chriſto filii, conjugio nexuque ſpiritali, cum paupertate, ceu *Sponſa*,

IV. Domina.

quam etiam *Dominam* inſcribebat ſuam, quod debitæ illi ſubmiſſionis fuit.

Româ in Gallias aliquando pergebat Franciſcus, cùm ei hæc objecta ſpecies: tres videlicet mulieres,

Wadingus ſupra Ann. Min. 0.

pauperculæ illæ, & pannoſæ; ſtatura tamen ætate, formâque per omnia ſimiles, quæ Franciſcum amicè ac benignè ſalutantes, hæc illi: *Benè veniat Domina paupertas.* Dixerunt, & ſimul loqui, ſimul & videri deſierunt, & ſimul etiam Franciſco paupertatem ut Dominam reliquerunt.

Et hanc ex eo Dominam habuit, amavit, ſuſpexit; & à ſuis haberi, amari, ac ſuſpici voluit: quam deinde ut liberalem, ut potentem in paucis ſuis omnibus pro viatico eſſe voluit: cùm enim eos emitteret in varias Orbis partes, non aliud illis viaticum dare ſolitus, quàm illud Regii Vatis, Regiæ & divitis paupertatis: *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet;* & certè ab illo ſatis, abundéque fratribus fuit etiam in ſæcula.

V. Pro omni viatico.

Ibant aliquando ex illis duo, cùm ecce in via à fame propè deficere: & inde conqueri etiam de Chriſto, qui Evangelicis viris id aliquando dediſſet in mandatis: *Nihil tuleritis in via, neque ſacculum, neque peram.*

Dum hæc inter ſe, ecce viſitur Adoleſcens ſanè ſpecioſus in paucis, qui ex iis quærit ecquid eſſent ſubtriſtes, & queruli? Auditque de irrita Chriſti promiſſione & gemere, & queri. Ecquid enim aiebant: *Hic inedia perimus. Vbi ubi data à Chriſto fides? Vbi & annona in eum confidentibus? Cùm pera inanis eſt, cùm & vacuus ſacculus, vacuus quoque & inanis & latrans a fame eſt ſtomachus. Qui enim ſit alius?*

Hæc ut audiit adoleſcens, tantiſper eos ſedere juſſit in molli herba, atque ad modicum videri deſiit; mox & rediit, & panes attulit, appoſuitque recentiſſimos, & miri ſaporis, tum etiam graviùs increpitans, monuit ut memores eſſent, ac retinentes, illius *viatici*, quod illis Franciſcus, *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.*

Dixit, & mox evanuit, peractâ ſcilicet ſcena, cujus ergo venerat.

Erat utique bonus Genius, à quo illi benè docti didicerunt, quàm locuples ea eſſet paupertas, & quàm certa ſpes in Deum rejecta, & à Chriſto firmata, & inſuper liliorum, ac volucrum fidejuſſione pauperibus obligata.

Hac fidejuſſione uſus B. Cajetanus Thienæus Theatinorum Fundator.

Hic Venetiis (ubi Ordinis ſui fundamenta jecerat) in ſumma vixerat rerum omnium nuditate, & benè illi ceſſerat, cúmque inde Neapolim cogitaret, monitus ab amico, Non eadem omnium locorum eſſe ingenia: ſcitè reſpondit, velle ſe experiri an Deus alius eſſet Venetiis, alius Neapoli, & an non & hic, & ibi fidem ſervaret, liliorum ac volucrum fidejuſſione confirmatam. Dixit, & fecit, ſuo & Ordinis ſui bono.

Inde factum arbitror, ut ejus imaginibus addantur lilia, vel candoris ipſius, ac intaminatæ virginitatis ſymbola; vel certè ſpei in Deum repoſitæ argumenta.

Venio ad alteram ejuſdem Paupertatis deſcriptionem. Ea D. Chryſoſtomo eſt *Portus tranquillus*, in quem ſe recipiunt Religioſi, & tuti, ac ſecuri degunt, dum interim alii jactantur undarum, hoc eſt divitiarum, æſtu, vel certè graviore earum ſarcina deprimuntur, & ſubinde etiam merguntur.

Hom. ult. in Matth.

VI. Tranquillus portus.

D. Franciſci lectulo fortè aſſidebat Frater *Leo* ejuſdem Seraphici Patris ſocius, cùm ei objecta eſt hæc viſio in altiore mentis exceſſu. Flumen erat altum, & profundum, quod tamen Fratribus tranſvadare neceſſum erat. Ex his aliquos magnis, & gravibus ſarcinis onuſtos videbat mergi, hos citiùs, illos tardiùs pro ratione majoris, aut minoris ponderis incumbentis, cùm interim alii, fortunati magis, & nulla gravati ſarcinâ, & quàm citiſſimè, & ſine ullo ſui periculo transfretarent.

Et hæc tum illi oblata ſpecies, quam ſibi redditus non ſine gemitu, & uberibus lacrymis expoſuit: cui Franciſcus ceu fidelis Interpres:

Wadingus ſupra an. Minor. 19.

Flumen, inquit, eſt mundus hic aſpectabilis, quem omnes tranſire neceſſum eſt. Qui verò graviore ſarcinâ onuſti viſi ſunt Fratres: ii ſunt, qui paupertatis immemores, & terrenis inhiant, & iis ſe gravant, atque opprimunt, æternumque merguntur.

Qui autem eorum ſarcina liberi, atque expediti, cito pede tranſeunt, ii ſunt, qui paupertate duce vadum tenent, & portui beatitatis redduntur; ibi perpetuam tranquillitatem inventuri: adeò verum eſt; quod Paupertas vel ipſa portus ſit, vel in portum inducat: Portum dico æternæ beatitatis. Ut proinde nemini mirùm videri debeat, ſi æquis illius æſtimatoribus & in pretio fuerit & in amoribus.

P. Thomas Saillius, notus in Belgio à prudentia, virtute, animarum zelo, & gratia, qua ſemper valuit apud viros Principes; maximè verò apud Alexandrum Farneſium, Belgii Gubernatorem, cùm illi eſſet cariſſimus, & in aula frequens, attrita ſemper tunica uſus eſt, monentibusque aliquando amicis, minus id decorum videri, atterique quodammodo cum veſte perſonæ authoritatem, generosè reſpondit: *Nihil eſſe tam glorioſum, quam & vivere & mori in purpura paupertatis.* Ita illi paupertas in oculis fuit, & in pretio.

Rho hiſt. vari. l. 7. c. 12.

VII. *Pro ingenii lucro & delitiis.*

Quod illi, hoc & P. Sebaſtiano Barradio. Notus is eſt à calamo, doctíſque ingenii monumentis: ſed notior à virtute, atque imprimis ſtudio religioſæ paupertatis: ex hoc factum ut veſtes ſemper haberet & amaret laceras, & longo uſu detritas, quas aliquando noctu ſurreptas (nec enim aliter potuit) à veſtiſpico, non ſine querela, his verbis manè repoſceret: *Bone Frater, quid meum mihi pretium? Quid meas aufers delitias inclementi furto?*

Rho ibid.

Pannoſas, & laceras veſtes *ſuum pretium* appellat, *ſuas & delitias*, quæ tamen erant ejuſmodi, ut lineus thorax in furni ſtatim abierit everriculum; adeo lacer, & abjectus erat.

VIII. *Pro cœli pretio & animarum lucro.*

Vidimus in Barradio paupertatem in pretio, & delitiis habitam; attendamus ut aliis, emendo cœlo fuerit & animarum lucro.

Hoc, & illud ſpectantes è Dominicana familia Patres, dum in America Ordinis ſui fundamenta jacerent, cùm ſumma eſſet habendi licentia, cùm latiſſimæ, atque uberrimæ regiones à victoribus diſtribuerentur, & devicti Orbis particulas quiſque invaderet, oblatus eſt Patribus lacus Zampangus, cum circumjectis aliquot populis, & quamvis invitaret lacus opportunitas (erat enim piſcoſiſſimus) & ipſa populorum ſervitus eò loci ac temporis paſſim admitti ſolita: generosè tamen abſtinuerunt, ſatius rati emendicata ſtipe vitam traducere, quàm paupertati religioſæ derogare. Et rectè. Hac enim duce, ac magiſtra commodiùs ſeritur Evangelium, hac colligitur meſſis copioſior; hac certius cœlum emitur, hac majora fiunt animarum lucra; quibus dum intendit S. Ignatius in Manreſano illo receſſu, paupertatis amore incenſus, illius ſe hoſtiam perpetuam dicavit hac ſolemni formula:

Omnipotens ſempiterne Deus, licet ego Ignatius conſpectu tuo indigniſſimus, pietate tamen ac miſericordia tua fretus infinita, impulſuq; tibi ſerviendi deſiderio, firmiter ſtatuo coram ſacratiſſima Virgine, ac matre tua ſanctiſſima, curiaq; cœleſti univerſa, in omnimoda tam ſpirituali, quàm actuali paupertate divinam tuam Majeſtatem imitari, eiq; perpetuo deſervire.

Hæc Ignatius in primis illis melioris vitæ tyrociniis, ut patet ex Autographo, nobis ab eodem relicto, cui titulum fecerat: *Dialogus cum ſancta Virgine Deipara.* in quo & in ejus patrocinium recipi, & in ſupremo ſpiritualis paupertatis gradu vitam ſanctam optabat auſpicari. Qui in Ignatio fuit paupertatis amor, quæ cura, ſtudiumque, idem & in ejus diſcipulo S. Franciſco Xaverio.

Ad Bungenſem in Japonia Regem venerat, ab eo & exceptus perhonorificè & benignè auditus, unde etiam illi regiæ magnificentiæ munera obtulit. Recuſavit ille, adjecitque Apoſtolicum illud: *Se quæſtuoſiſſima animarum mercatura intentum, reliqua omnia in poſtremis habere.*

Hæſit attonito ſimilis Bungenſis, & quantum in Xaverio ſublimioris ſapientiæ eſſet, prudenter conjectans, animum adjecit ad eam religionem, in qua ſuſpexerat rerum omnium, quas mundus æſtimat, deſpicientiam. *In ejus vita.*

Ita non tantùm emendo Cœlo: ſed & lucrandis Deo animabus probè ſunt opes paupertatis; quod & in Conſalvo Sylveria ſuſpexit, & amavit hæc ætas noſtra.

Adibat ille Regem *Monomotapa*, qui à Luſitania monitus, tum de avita ejus nobilitate, tum de fama ſanctitatis, illicò gentis illius more cum honorifica legatione, & muneribus miſit qui hoſpiti ſoſpitem gratularetur adventum; tum etiam admiſit in intimum conclave, & quidem calceatum, quod illis Gentibus perhonorificum, tum petiit quantum auri, quot boves, quot ſervos, quot puellas (nam barbaris ad omnem libidinem projectis id minimè fœdum eſſe cenſetur) ſibi vellet, daturum ſe perlibenter omnia quæ poſtularet.

Renuit Conſalvus, addiditque & Regis, & populi ſalutem cordi eſſe, cætera contemptui. Inſolita illa opum deſpicientia, barbarum, primò in admirationem egit, deinde & Religioni noſtræ gratiam, atque authoritatem conciliavit. Adeò verum eſt, Apoſtolicam illam paupertatem & Cœlo emendo, & acquirendis Chriſto animabus ſervire quàm optimè. Nec mirum, quia in una paupertate collecta quaſi virtutum omnium gratia, nitor, fulgorque, qui & oculos intuentium perſtringit, & ad animos uſque evadens, eos etiam commovet, ac percellit. *In ejus vit.*

IX. *Mater virtutum.*

Semper *virtutibus cognata paupertas*, inquit D. Chryſologus; uti & divitiis extranea, atque inimica. Amplius dico. Eſt *paupertas virtutum parens, & ſocia*, & hinc eos omnes, quos ad conſummatam virtutum omnium perfectionem elegit Deus, ad paupertatis quoque ſtudium, & culmen evocavit. *Serm 28.*

Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes germanitas combinata; imò congeminata paupertas, in Apoſtolorum principes eliguntur, ut annotat ille ipſe S. Præſul Ravennas. *Suprà.*

Et hoc ipſum eſt quod aliquando Chriſtus B. Angelam De Fulginio edoctam voluit, ut illam ad virtutum omnium apicem educeret: docuit enim paupertatem virtutum omnium matrem eſſe, illi proinde ſe totam addiceret, ſi virtutes alias, & conſummatæ perfectionis culmen aſſequi vellet. *Bollandus in ejus vita 4. Ian. c. 12.*

Eſſe autem paupertatem virtutum propè omnium matrem; & eas illius veluti nobiles partus, patebit per ſingulas excurrenti. Ubi enim eſt paupertas, ibi & animi demiſſio, & ſui deſpicientia, ibi & illi congenita modeſtia, ibi & patientia, individua illius ſocia & quaſi fœtus, ibi in Deum & ſuperos fiducia, à quibus ſcilicet ſperat aliquod levamentum; ibi & orandi ſtudium, ardorque Entheus; ibi & temperantia, comes indigentiæ, aliæque virtutes morales, quas ut concipit paupertas; ſic & in lucem educit, fovet, nutrit, ut filias ſolet bona mater; addo etiam ut pædagogus diſcipulum, ut militem palæſtra: certè ſic eam appellandam cenſuit D. Baſilius, & D. Chryſoſtomus. Hic enim paupertatem dixit eſſe pædagogum ad omnem colendam pietatem: ille verò palæſtram, in qua virtus exerceretur.

X. *Pædagogus*

XI. *Palæſtra.*

Hic finio, téque duco, Mi Lector, per alios, atque alios paupertatis gradus, pro quibus ſit

§. 4.

Qui fuerint in Chriſto Paupertatis gradus?

BEata Angela de Fulginio in exceſſu mentis didicit in Chriſto tres fuiſſe paupertatis gradus, è quibus *Bollandus in ejus vita 4. Ian. c. 14.*

I. Gradus. Primus, fuit in bonis omnibus temporalibus, quibus carere voluit; nec enim ullam terræ portionem ut ſuam occupavit, non vineam, non hortulum,

non agrum, non ullam aliam poſſeſſionem adiit, non aurum habuit, non argentum; non pecuniam, non greges ovium, non boum armenta, non equos, aut alias fortunæ blandientis phaleras admiſit; ſed iis omnibus exui ſe paſſus eſt. Et hinc illi perennis fuit cum inopia, ſiti, fame, frigore, calore, aliiſque incommodis pugna, ſimul & victoria. Et hic illi primus fuit eximiæ paupertatis gradus, & is quidem infimus.

II. Gradus. Secundus, eóque ſuperior in hoc poſitus, quod pauper fuerit & nudus ab amicis, conſanguineis, familiaribus, potiſſimùm verò magnatum, ac virorum principum, in quorum favore, gratiáque pleriſque mortalibus repoſitæ divitiæ. Si matrem habuit in terris, ea paupercula fuit, ſi patrem putatitium, & is quoque pauperculus, arte faber, opificio vilis, atque abjectus in hominum oculis; ſi diſcipulos, & hi quoque cenſu pauperes, ex aquis & piſcatione educti, adeóque mortalium calculo miſeri, quia laboribus addicti, laboribus innutriti, quibus ægrè vitam toleraſſent.

Quid ab his aut illis expectari potuit levandæ paupertati? Quid opis? quid gratiæ? quid ſplendoris? omninò nihil.

Non trivit Auguſta Principum limina, non aulas frequentavit, non aucupatus eſt Regum, potentum gratiam, non ſervivit eorum oculis; non Phariſæis, non Scribis, non Pontificibus genu flexit, ut inde etiam aliquid attraheret, vel lucelli, vel gratiæ, & favoris. Iis omnibus exutum ſe voluit, ut per omnia paupertatem indueret, & tenaciter retineret. Et hic in Chriſto ſecundus fuit paupertatis gradus.

III. Gradus. Tertius ab illo fuit, & is quidem ſummus, quo ſcilicet *exſpoliavit ſemetipſum ſeipſo*. Et hæc ſumma, hæc conſummata paupertas, quæ non cadit, nec cadere poteſt niſi in Chriſtum: quod ut ponatur in aperto, & clarâ luce, excurramus per ſingula ipſius attributa, & divinas in eo perfectiones, ex his, quæ occurrit.

Prima, eſt potentia, eáque ſumma ac divina, & illius inopem ſe fecit, illa ſe quodammodo exuit: & cùm eſſet Omnipotens, velut impotens & naſci, & vivere, & mori voluit.

Primò enim infantiam non eſt dedignatus, nec infirmitates adnatas illi ætatulæ.

Secundò dum vixit, & debilis, & infirmus eſſe, ac videri voluit: nam & fatigari voluit ex itinere, & ſedere fatigatus ſuper fontem, & prædicatione laſſati, & eſurire, & ſitire, & algere, & æſtuare, quod cujuſdam impotentiæ.

Tertiò, dedit elementis, ventis, turbinibus, & aliis rebus inanimis, quas condiderat, in ſe vim aliquam, & ab iis etiam pati voluit, & velut impotens aliquis homuncio ea tolerare, quæ intuliſſent, quod & viſum eſt impotentiæ.

Ita vinculis, funibus, catenulis teneri ſe paſſus eſt, ligari, conſtringi, etiam ad columnam, etiam ad immanem laniенam, quod & datum impotentiæ.

Ita virgis, loris, catenulis hamatis poteſtatem fecit in ſe ſæviendi dirum in modum.

Spinas aculeatas admiſit in ſacrum caput, iis ſe pungi, perfodíque paſſus eſt, nec reſtitit.

Ita velo facultatem dedit, ut oculos; gemina illa novi cœli ſidera, gemina univerſi lumina tegeret, occultaret, & quaſi alta nocte, tenebriſque damnaret.

Ita clavis trabalibus conceſſit, ut pedes illos Evangeliſantes pacem, Evangeliſantes bona, penetrarent, pervaderent, & infami ligno affigerent. Manus illas divinas, quæ ſuſtinent Orbem, & totius Univerſi molem vel uno digito appendunt, perfodi, penetrari, & Cruci configi paſſus eſt, nec manuum ſuarum vim, ac potentiam explicare voluit, & clavos excutere, amovere, damnare. An non illud & impotentiæ?

Ita Cruci (ligno utique maledictionis) permiſit ut in ea moriens jacere quodammodo cogeretur, etiam nudus ad probrum, & ignominiam, etiam cruentus ad dolorem, & cruciatum, in eáque expiraret ad ſtuporem, & horrorem Univerſi. Nam & cœli contenebreſcere, & Sol obſcurari, & pallere Luna, & ſidera fugere, & terra tremere, & rupes diſſilire, & inferi ipſi perhorreſcere, vel ex eo, quòd Omnipotens velut impotens videretur, & eſſet.

Denique, ita etiam mortuus, atque etiam algidus totus lanceæ unius cuſpidi vim dedit, ut latus perfoderet, & evaderet ad cor ipſum, officinam amoris, charitatis divinæ ſedem, Deitatis habitaculum. An non & illud impotentiæ?

Vidimus quî in creaturis anima, & ſenſu vacuis ſemetipſum ſeipſo exſpoliârit Chriſtus, quod ſummæ in eo paupertatis fuit. Spectemus quî etiam in animatis.

Pilato, Judici poſt homines natos iniquiſſimo, poteſtatem fecit, ut ſe ſibi ſiſtendum curaret, interrogaret, damnaret.

Aliis, ut accuſarent, ut calumniis onerarent, ut falſis teſtimoniis opprimerent.

Militi, ac tortoribus, ut ſe virgis, loris, catenulis lacerarent quàm peſſimè, clavis transfoderent, & infami ligno appenderent, Judæis ut è cruce pendenti inſultarent improbè. Et hoc is fecit, qui vel ſolo nutu eos perdere potuit, & in nihilum redigere. An non illud fuit potentiam exuiſſe, & induiſſe impotentiam?

Fuit enimverò, fuit & ſummæ paupertatis, ſed tamen ſpontaneæ.

Sed ne longiùs, ad alia gradum faciamus, videamuſque quî in aliis etiam pauper. Erat in Deo-homine ſapientia, eáque duplex. Increata una, creata altera: & hac, & illa ſeſe ſpoliavit, dum pro homuncione ſimplici, idiota: imò & ſtulto haberi voluit.

Erat in eo ſumma ſanctitas, innocentiáque ſumma, & ea quoque ſeipſe exuit, cùm pro nocente, ſeductore, blaſphemo, ac reo læſæ majeſtatis & & humanæ, & divinæ agnoſci voluit, & per ſummam infamiam traduci; & hoc, ut ex eo quoque pauper eſſet, & nudus à bona fama, à ſanctitate, innocentiaque. An non & illud ſummæ paupertatis?

Erat in Chriſto ſummum in omnia imperium, principatus omninò ſummus, & ab eo Principes alii, atque Imperatores; erat enim illi in femore ſcriptum, Auguſtum illud: *Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Et hoc: *Per me Reges regnant, & legum Conditores jura decernunt*.

Et hoc quoque regno, hoc imperio, hoc principatu ſemetipſum exſpoliavit: ut vel inde etiam pauper eſſet; imò & ſubditus, & ſervus, & emptitius, & reipſa venditus triginta argenteis, quo pretio vix veniret vel jumentum.

An non & illud ſummæ paupertatis? Enimverò ſummæ.

Et hanc à Chriſto didicit B. Angela in æſtu orationis, & extaſi altiore, atque etiam tranſmiſit ad poſteros, ut & ipſi amarent eſſe ſpiritu pauperes, & eſſe à Chriſto re etiam ipſa, quod ſunt nomine, Chriſtiani.

§. 5.

Qui eſſe debeant in Chriſtiano? Qui etiam in Religioſo paupertatis gradus?

SUnt alii, atque alii, & quidem ex iis aliqui ſunt conſilii, alii etiam præcepti. Ex his primus eſt fidei ac religionis causâ, æquo animo ferre bono- I Gradus.

rum

rum etiam omnium proſcriptionem, & inde etiam paupertatem, quæ etiam eſt veluti quoddam martyrii genus; qui enim opes, & neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem tollit, unà etiam & vitam videtur ſuſtuliſſe.

Certè viro diviti, & nobili plerumque mitiùs accideret ipſa mors, quàm bonorum omnium ſpolium.

Quid enim acerbius in vitâ evenire poteſt, quàm & ſe, & liberos, & poſteros, avita hæreditate ſpoliari, & inde quaſi exui & nobilitate & priſco avorum ſtemmate, atque à ſummis divitiis, atque opulentia ad extremam paupertatem, & mendicam redigi. Et tamen id patiaris eſt neceſſe, ſi modò ia es, qui à Chriſto es Chriſtianus.

Et ita olim paſſi, qui ex Hebræis ad Chriſti fidem veniebant Judæi, qui à ſuis contribulibus, vel ex eo quòd Chriſto nomen dediſſent, bonis omnibus exuebantur, ad quos ulim ita Gentium Apoſtolus.

Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam.

Ita hoc, quo vivimus ævo, in Japonia Juſtus Ucondonus, & exilium paſſus, & amiſſionem duorum principatuum, Taracuquienſis & Acalſienſis, & à poſſeſſione annui cenſûs aureorum ſeptuaginta millium, in extremam egeſtatem ſubitò tranſivit; *Hiſt. Soc. Part. 5 l. 7. n. 217 & ſeq.* inſuper & patris optimi, ſenis jam decrepiti, & fratris unici, & conjugis lectiſſimæ, ac parvorum filiorum ſpoliationem, exturbationémque è patriis ædibus miſerrimam, amœno tamen vultu, & mira ſemper frontis ſerenitate ſuſtinuit; quòd ſibi pro Religione, & ſpoliari, & mori glorioſum duceret.

Ita etiam in Anglia S. Thomas Cantuarienſis & exilium lubens admiſit, & bonorum omnium proſcriptionem, & ſuorum inſuper è regno expulſionem vidit infracto ſemper animo, ut qui nec ſibi, nec carni, nec ſanguini quicquam concederet; ſed omnia daret & Religioni, & paſtorali officio, à quo ſanè non exceſſit niſi cum vita.

Ita & illius exemplo permoti è primâ Angliæ nobilitate longè plurimi & patriam cum extero ſolo mutavère, & ſummas opes, cum ſumma paupertate, rati ſatis divites ſe fore, ſi innocentia eſſent locupletes.

Et rectè: veræ quippe divitiæ in una virtute poſitæ, & plus ſatis dives, qui Cœlo dives eſt.

Et hic primus, ut dixi, Chriſtianæ paupertatis eſt gradus, ad quem accedit.

II. Gradus. Secundus, & quidem illi affinis, & proximè junctus, is nimirum ſi pro fide, ac religione in aliis etiam ſervandâ, ad extremas paupertatis anguſtias venire ſis paratus.

Puta, ut in ditionibus, in Provinciis, in Regnis ab Avito ſanguine, Deóque tibi concreditis, fidem intactam, illibatámque conſerves.

Et ita, hoc quo ſpiramus ſæculo, paratus fuit Ferdinandus II. glorioſæ memoriæ, Hungariæ, ac Bohemiæ Rex, ac deinde Imperator ſemper Auguſtus.

Hic in immani illa ſubditorum à ſe defectione, in acerba, injuſtaque & Bohemiæ regni, & aliarum ditionum, per ſummum nefas invaſione, cùm ſatis ſentiret, non tam ſuam agi cauſam, quàm fidei, ac Catholicæ religionis jugulum peti, pro hac, & illa ita ſtetit, ut bonis omnibus exui potiùs ſe, ſuoſque pateretur, quàm ſibi ſubditos Religione.

Hinc aliquando Auguſtam conjugem dextra prenſans, & læva cariſſimos liberos, auditus eſt dicere, & in faventes auras emittere Auſtriacum, id eſt, verè Catholicum illud:

Malle ſe cum his, & illa etiam oſtiatim mendicare; quàm pati ut Religio Catholica in ſuis provinciis, ac regnis aliquid detrimenti ſua conniventia pateretur.

Dignas Auſtriaco ſanguine voces, dignas & cœlo, Cœlitumque corona, dignas, quæ in Regum, Cæſarumque coronis, & auro, & adamante inſcriberentur. Cui non impares fuerunt & illæ Sereniſſimi Wilhelmi Boiorum Ducis, dignæ & ipſæ quæ litteris cubitalibus ſcriberentur in omnibus ſacrarum ædium propylæis.

Ejus ditionibus imminebat Lutherana hæreſis, nec ut, aliàs ſolet, inſtar cancri irrepebat; ſed vaſto fremitu, vicino quaſi è diluvio ſeſe in Boiariam infundere parabat, & ni patentibus portis admitteretur, cædes, atque incendia minabatur.

Quid hic Wilhelmus? Pro patriæ libertate, pro aris, & focis, pro Avita fide certus ſtare, in ducali ſymbolo ſibi Eccleſiam poſuit, ſubjecta hac epigraphe *Rho hiſt. vitæ l. 2. c. 2. n. 17.*

PRO HAC OMNIA.

Nimirùm pro Eccleſia, pro Orthodoxa Religione, & gazas opulentas exhaurire, & arma armis opponere, & vitam ſanguinémque profundere, & quodlibet potiùs & agere, & pati; verbo uno, *pro hac omnia.* Ita priſcum fidei decus incorruptum *Boiaria* ſtetit, & vicinarum provinciarum ruinas intacta ſpectavit ipſa, luxit, damnavit, atque in Eccleſiæ, fideique defenſione omnem felicitatem invenit. Ubi enim potiùs?

Et hic ſecundus eſt paupertatis gradus, quem non adeunt niſi grandes animæ, & invicta malis pectora.

Venio ad tertium, in hunc veniunt ii, eæque omnes, qui Chriſti amore victi, terrena omnia, à ſe quàm longiſſimè removent, atque abjiciunt, tum affectu interno: tum etiam effectu; uti quondam fecerunt Apoſtoli, in ipſa naſcentis Eccleſiæ infantia; ac deinde lapſu temporum viri religioſi, qui etiam paupertatis voto ſeſe obſtringunt, ut eò viciniores ſint cœlo, Deoque, quò à terris fuerint remotiores *III. Gradus.*

Ex illis fuerunt Anachoretæ priſcique monachi, qui abeuntes à ſæculo, amanteſque ſolitudinis; ac deſertorum, receſſerunt in invia; invia, dico, hominibus; at Angelis pervia, quibuſcum agere, volupe illis fuit.

Ex his unum, alterúmve producam, quos ſolitudo diutiùs tulit, & ſanctitatis fama longiùs extulit.

Primus erit Julianus Ægyptius, monachus, qui per annos ſeptuaginta in quodam brevi ſpelæo (veriùs ſepulchro) moratus, nihil omninò mundi hujus poſſedit præter cilicium, ſagum, vaſculum ligneum, & librum. Toto autem vitæ tempore nunquam lucernam accendit, licet alta eſſet nox, profundæque tenebræ, & hoc ſtudio paupertatis, quam etiam miraculo Deus probatam voluit; per ſingulas enim noctes illuſtrabat cæleſtis quædam & amœna lux, ſic ut clarè legere poſſet. Adeò apud ſuperos chara paupertas eſt. *Joannes Eviratus in prat. Spir. c. 13.*

Alter erit S. Macedonius, qui totos quadraginta annos ſolo hordeo madefacto victitavit, panè verò nunquam uſus, niſi in graviore ægritudine. *Theodoret. hiſt. SS. PP.*

Hic à magno Flaviano Epiſcopo, de vertice montis, (in quo ſibi caſam pauperem poſuerat) deſcendere juſſus, imò & presbyter ordinatus, ubi ſenſit abeundum à ſolitudine, à lege paupertatis, quam ſibi præſcripſerat, cum ingenti impetu elapſus ex ejus manibus in montem ſuum revolavit: adeò illius amans & retinens fuit. In hunc cùm aliquando veniſſet militiæ præfectus venationis gratia, occurrénsque viro Dei, quæſiſſet ex illo, *Quid illic ageret?* objecit ipſe & illud: *Et tu, cur? & quorſum huc aſcendiſti?* cui ille, *venaturus.* Tum Macedonius, *Et ego*, inquit, *Deum venor, & eum capere cupio; & contemplari deſidero, nec ab hac pulchra ceſſabo venatione uſque dum cepero.*

Bona enimverò, & felix homini præda, Deus ipſe; & hunc venantur, hunc& capiunt, qui ſpiritu pauperes, qui affectu & effectu tales ſunt.

Quales etiam Religioſi, quorum paupertas cùm voto firmata ſit, & in aperto; de iis in præſentia tacebo, aſcendámque ad alium paupertatis gradum.

IV. Gradus. Is erit quartus, & in eo poſitus, ut teipſe non tantùm bonis omnibus terrenis prives; ſed & amicis privari te velis, ut uni Deo ſis amicus; quem in gradum nos exemplo ſuo vocavit Chriſtus.

Quàm porrò arduus, & aſcenſu difficilis ſit iſte gradus, colligetur ex ipſa amicitiæ natura, neceſſitate bonoque.

Neceſſitas inde liquet, quòd & à ſapientibus comparetur rebus ad vitam neceſſariis, imò & ad bonum Univerſi.

Extat illud vulgare, & tritum Adagium: *Sal vitæ eſt amicitia, oculus vitæ eſt ſapientia, Antidotum vitæ eſt patientia.*

Sal quidem, quia ut hic conſervandæ humanæ vitæ eſt neceſſarius; ſic & amicitia.

Ea quo fluxit & illud Oratoris Latini: *Amicus magis neceſſarius, quàm ignis, & aqua.* Et hæc, & ille ita neceſſarius, ut qui aqua & igni interdixerit, & vita quoque interdixiſſe cenſendus ſit. *Aut ſocietas, aut mors.* Quia ſcilicet ſine amico, vita duci non poteſt; ſed potiùs vivens ac ſpirans imago mortis.

Lib. de Amicitia.

Et iſta probant Amicitiæ in privatis neceſſitatem; hoc etiam communi mortalium generi, quòd illa etiam componatur ſoli, qui orbis eſt oculus, & animatorum vita, ut oſtendit illud ejuſdem Romani Oratoris.

Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt.

Quod ſi Amicitia vitæ hominis eſt, quod *Sal*, quod *Ignis*, & *Aqua*, quod *Sol* univerſo; certè & homini, & mundo neceſſaria ſit oportet.

Videamus, quî etiam utilis. Id more ſuo, id eſt doctè, & elatè oſtendit D. Auguſtinus, qui ſic aliquando de illa.

Lib. de Amicit. c. 2.

Amicitia eſt divitibus pro eleëmoſyna, exulibus pro patria, pauperibus pro cenſu, agrotis pro medicina, mortuis pro vita, ſanis pro gratia, imbecillibus pro virtute, robuſtis pro præmio.

Quod ſi adeò neceſſaria, adeò utilis Amicitia eſt; profectò, qui eâ ſe exuit, & magno bono ſe exuit; adeóque & in hoc pauper ſit, eſt neceſſe.

Et ita ſe exutum voluit Chriſtus, atque ab amicis nudum: & ita etiam ut velit Religioſus, oportet, ſi modò cum Chriſto pauper eſſe velit.

Ita ſe exuit Pior monachus, Magni Antonii diſcipulus. Huic parentibus vita functis ſoror erat ſuperſtes, eáque vidua cum duobus filiis, quam ut inviſeret adduci non potuit niſi magiſtri ſui Antonii impulſu, atque imperio, cui ceſſit quidem, ſed ita ut à ſorore viſus ipſe, ſororem tamen non viderit: ubi enim ad illius ædes venit, foris ſubſtitit ad januam atrii; ſed clauſis ſemper oculis; adfuit ſoror, atque ad illius pedes concidit, ſeu gaudio, ſeu amore victa. At ille:

Ruffinus in vitis PP. l. 6.

Ecce, inquit, *ego ſum Pior frater tuus, vide ergò me quantum volueris.* Dixit, & videri ſe paſſus eſt à ſorore; at eam ipſe non vidit unquam. Mox enim & eremo, & cellulæ ſuæ redditus. Nimitùm illi pro conſanguineis nec oculus erat, nec affectus; adeò eos à ſe removerat.

Caſſian. collat. 24. c. 9.

Et ita etiam removit Apollo monachus, qui à fratre ad ſæculi negotia revocatus, eum quoque à ſe repulit, adjiciens & illud, *quod eſſet mortuus*; mortuis autem ſi nihil cum ſæculo, nihil eſt aut eſſe poteſt cum amicis, & propinquis.

Et ita etiam ſibi nihil eſſe voluit S. Arſenius, qui à Senatore ſanguine juncto ex aſſe inſtitutus hæres, hæreditatem licet opimam repudiavit: addens & iſtud inter monachos uſurpari ſolitum: *Se ante illum eſſe mortuum.* Enimverò mortuus erat: ſed mundo; ſed affinibus, & propinquis: & ita mortuus ſit oportet, quiſquis cum Chriſto paupere, pauper eſſe volet.

Chriſto ad populum dicenti, adſuit importunus aliquis, qui hæc injecit: *Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te.* Cui ille: *Quænam eſt mater mea? & qui ſunt fratres mei?*

Matth. c. 12. v. 47.

Hæc ſubintulit Servator optimus, non quòd matrem ſibi eſſe negaret, ut voluit Marcion & Manichæi; ſed *ut paternis ſe miniſteriis ampliùs, quàm maternis affectibus debere oſtenderet*, ut doctè notavit D. Chryſoſtomus; ſed & oſtenderet nihil ſe dare carni, & ſanguini, quem exuerat: ſed ſpiritui, & uni Deo.

Hinc extendens manum in diſcipulos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in Cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

Ecce ut amicitiæ, ut propinquitati nihil conceditur: ſed omne, quod eſt amoris, atque officii datur Spiritui, datur & Æterno Patri.

Ab hoc Chriſti oraculo probè docta S. Victoria, Virgo & Martyr, à Proconſule rogata. *Vis ire cum Fortunatiano fratre tuo?* Erat ille Gentilis, illicò reſpondit.

Surius 11. Febr.

Nolo, quia Chriſtiana ſum, & illi ſunt fratres mei, qui Dei præcepta cuſtodiunt. Dixit, & cum meliore ſorte fratribus, id eſt, martyribus, carcere clauſa, ibique fame enecta, virginitatis lilia, rubentibus martyrii roſis, & laurea adornavit, & ab illo chriſtianæ paupertatis gradu, ſibi gradum fecit ad ſuperos, & Cœli regiam: ad quam etiam aſcendes per eoſdem gradus, quiſquis cum Chriſto, Spiritu pauper eſſe voles.

V. Gradus. Venio ad ultimum, & ſummum paupertatis gradum. Hic in eo ſitus eſt, ut quis ſemetipſum, ſeipſo ſpoliet, ad conſummatam enim perfectionem non eſt ſatis ſe aliis ſpoliaſſe; niſi & ſeipſo etiam ſpoliet. ut enim ſcitè Divus Gregorius: *Non ſufficit noſtra relinquere, niſi relinquamus & nos.*

Hom. 32. in Evang.

Relinquere ſe, abnegare ſe, eſt deſinere eſſe quod quis erat, & incipere eſſe quod non erat. At qui fiet illud? docet ille ipſe S. Pontifex: dum enim ſibi ipſi objicit, *quò ibimus extra nos?* reſpondet: *Aliud ſumus per peccatum lapſi; aliud per naturam conditi, aliud quod fecimus, aliud quod facti ſumus. Relinquamus noſmetipſos, quales peccando nos fecimus. & maneamus noſmetipſi, quales per gratiam facti ſumus. Ecce etenim, qui ſuperbus fuit, ſi converſus ad Chriſtum humilis factus eſt, ſemetipſum relinquet. Si luxurioſus quiſque, ad continentiam vitam mutavit, abnegavit utique quod fuit. Si avarus quiſque ambire jam deſiit; & largiri didicit propria, qui priùs aliena rapiebat, procul dubio ſemetipſum reliquit. Ipſe quidem eſt per naturam; ſed non eſt ipſe per malitiam.*

Hæc ubi generatim extulit S. Doctor, tum ea declarat exemplo petito ab ipſo Gentium Apoſtolo, qui ſanè alius evaſit à ſeipſo: ſic enim de illo ſacratiore eloquentia.

Penſemus quomodo ſe Paulus abnegaverat, qui dicebat: Vivo ego, non ego. Extinctus quippe fuerat ſævus ille perſecutor, & vivere cœperat pius prædicator: hinc etiam de ſeipſo. *Vivit verò in me Chriſtus*; *ac ſi apertè dicat: Ego quidem à memetipſo extinctus ſum; quia carnaliter non vivo, & quia in Chriſto ſpiritualiter vivo.* Et quia ita vivo, jam & meipſum meipſo exſpoliavi: qui gradus paupertatis, imò & perfectionis, eſt ſummus, quia ab eo non exuit ſolùm, quod vitii erat & culpæ; ſed etiam, quod naturæ. Et ita exuat Religioſus eſt neceſſe, ſi cum Chriſto, ſpiritu pauper eſſe velit.

Exuat, inquam, primò quod culpæ eſt, hoc eſt pravas animi affectiones; dein etiam quod eſt naturæ

Naturæ inſitum eſt judicium proprium, voluntas etiam propria, & hanc, & illud exuat, & ſic alius erit à ſeipſo, ſic exſpoliaverit ſeipſum ſeipſo, ſic denique pauper erit terris, & cœlis dives. Utque ſit, pauca in medium adducam, quæ ei ſtimulo eſſe poſſint, ad perfectam illam cum Chriſto paupertatem.

§. 6.

Quæ incitamento eſſe poſſint ad illam in ſpiritu Paupertatem?

Lib. de Patientia. TErtullianus exemplum producit Chriſti, quod ipſi jam intulimus. *Nec major*, inquit, *ad pecuniæ contemptum exhortatio ſubjacet, quàm quod ipſe Dominus, in nullis divitiis invenitur. Semper pauperes juſtificat, divites prædamnat.*

Et ſanè paupertas ea Chriſti, muta quædam exhortatio, & quidem longè potentior, quàm eſſet illa, quæ verbis fieret, & copioſa oratione; maximè cùm ad eam accedit cenſura, & judicium, quo divites prædamnat ſupremus Judex, & juſtitia, quæ pauperes comitatur, & benè afficit, etiam eodem Judice. Sed quia nonnulli eo non ita fortè movebuntur, niſi acceſſerint & alia ejuſdem ſpontaneæ paupertatis commoda, viſum eſt è multis pauca proponere.

Paupertas I. Dives eſt. Primùm, quod & paupertas illa dives ſit, atque opulenta; & ab ea quoque divites, atque opulenti, ſpontanei illi pauperes.

Teſtem adduco etiam è profanis Valerium Maximum. ſic ille aliquando.

Lib. 4. c. 4. *Omnia habet, qui nihil concupiſcit, & quidem certiùs, quàm qui cuncta poſſidet.* Cujus rationem hanc adjicit: *Quia dominium rerum collabi ſolet; bonæ mentis uſurpatio nullum triſtioris fortunæ recipit incurſum. Itaque quorſum attinet aut divitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miſeriarum ſtatu ponere, cùm & illarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus ſit referta; & hujus horridior aſpectus, ſolidis & certis bonis abundet.*

Hæc ille etiam ſolo naturæ ductu, atque lumine, cui ſimilia habet Seneca Epiſtola ad Lucilium, quem uti diſcipulum probè doctum voluit. Sic enim ad illum:

Epiſt. 2. *Cui cum paupertate benè convenit, dives eſt: non qui parum habet; ſed qui plus cupit, pauper eſt. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum paſcat aut fœneret, ſi alieno imminet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computet.*

Certè qui hæc computat, pauper eſt: qui nec computat, nec appetit, abundè dives.

Si hæc de paupertate, quæ vel ex neceſſitate obvenit, vel caſu, aut fortunæ adverſantis incurſu, dixerint illi priſci Sapientes; quid de ea dicturi fuiſſent, quæ voluntate aſſumitur, & quæ virtuti conceditur, & cœlo lucrando ſervit, æternisque bonis. Certè & illa, & longè potiora, uti deinde lapſis longè ſæculis Chriſtianè Caſſiodorus, qui ſic

II. Felix & beata. ad Chriſtum.

Lib. de Anima c. ult. *Verè Omnipotens es, qui & ipſas miſerias feciſti potentes. Nullus Regum egentibus tuis par eſt, nulla purpura piſcatorum tuorum retibus adæquantur, quando illa in mundanas tempeſtates impellunt, hæc ad littus æternæ ſecuritatis adducunt. Pauper de nobis, dives ex tuo, factus es ſocius mortalitatis noſtræ, ut nos participes redderes æternitatis tuæ.* At unde hujus participes? utique à paupertate, cujus & ipſe amans fuit Chriſtus, & cujus æmulatores Apoſtoli ex vero *egentes Chriſti*, quibus nullus Regum par eſt: ut enim D. Bonaventura ad illa

Serm. 1. Pſal. 138. Pſalmiſtæ verba. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* verè inquit, *honorati. Major* quippe *honor impenditur piſcatori, quàm Regi; major Iacobo, quàm Alexandro; major Philippo, quàm Cyro, & Dario.*

Nec huic enim, nec illis ſua diademata ſubmittunt Reges: at ſubmittunt *piſcatori*, hoc eſt pauperi: adeò dives illa, adeò honorata & felix etiam III. Honorata.
in terris: at multò magis in cælis; illius enim remigio, & inter procellas hujus ævi ſecura navigat animæ navis, & portum obtinet beatæ æternitatis: & certè quidni obtineat etiam Angelorum præſidio tuta: quod probavit objecta aliquando D. Antonino, Archiepiſcopo Florentino Angelorum cuſtodia.

Is de via incurrit in pauperem, abjectámque IV.
domunculam, in qua erat vidua una, & tres ejus Secura.
filiæ, pauperculæ omnes, nudis pedibus, laceræ totæ, & contentæ vili lanificio: ſed ô ingens bonum paupertas! ô grata, & cara Superis caſa, cui ſcilicet imminere, imò incubare vidit Angelos; vidit, Surius Tom. 3. p. 49.
inquam, & aſtupuit, ac deinde ſuperingrediens liberali eleëmoſyna donavit, & abiit; ratus utique benè impenſam pauperculæ familiæ ſtipem: & verò benè erat impenſa, ex mente, & ſtudio ſancti Præſulis: at non ita ex genio muliebri, & innata illi in malum propenſione: ex hac enim magna in paupercula illa domo facta eſt morum in pejus mutatio; quæ enim priùs operi intentæ, inertis deinde otio laxatæ, obnoxiæque vitiis aliis, quorum parens ſolet eſſe otium; quod & deinde advertit pius Antiſtes: cùm enim elapſum eſſet non modicum temporis, eadem via ſemitáque tranſiens, conſpexit non jam Angelos, bonos utique cœli genios; ſed malos ex erebo dæmones, faſtigio domûs inſidere; adeò grata fuerat illis, quæ ab eleëmoſyna, cæteroquin pia, imminuta paupertas; adeo & hæc proficua, ſi, ut erat, integra manſiſſet.

Nimirum ſecura eſt paupertas, & ſibi tuta, quia ſub cœli tutela, & ſub Angelorum præſidio: uti è contrario opulentia minimè tuta, minimè ſua, quia ſub erebi dominio, & cacodæmonis inſidiis.

Vidimus quî ſecura ſit paupertas, ſpectemus quî V.
etiam fœcunda. Eremicolæ jam ſeni attulit unus Fœcunda.
aliquis non levem pecuniæ vim, addens & iſtud: *Habe eam ad expenſas tuas, quia & ſenuiſti, & infirmus es.* Et verò infirmus erat vel maximè, quia lepra fœdum in modum infectus. Quid igitur ille? primùm oblatam ſibi pecuniam cum ſtomacho reſpuit, tum adjecit & illud:

Tu poſt ſexaginta annos venis auferre nutritorem meum. In vitis PP.
Ecce tantum temporis jacens, & gemens in infirmitate mea, libello 6.
nulla tamen unquam re indigui, Deo nutriente & paſcente num. 20.
me. Apage igitur, & pecuniam tibi ſerva, ego mihi Deum, meum utique nutritorem; quem ſi ſervavero, omnia cum illo ſervaturus ſum, ſi dimiſero, & omnia cum illo dimittam, neceſſe eſt.

Dixit, & pecuniam abjecit, & paupertatem ſibi retinuit veluti nutricem.

Amavimus in ſene paupertatem fœcundam; VI.
ſuſpiciamus in virgine etiam pretioſam. Pretioſa.

Erit hæc S. Catharina Sueciæ: huic erant viles atque attritæ manicæ, vilis & durus lectulus; at & hunc, & illas pretioſas videri voluit Chriſtus; fecit Surius in
enim ut manicæ purpureæ apparerent, ac veluti ejus vita,
recenti, & pretioſo murice tinctæ; & ipſe lectulus Tom. 2. c. 12.
velut aulæis cinctus, atque veſtitus: adeò pretioſa Superis, Chriſtoque paupertas, quæ tamen incautis mortalibus, & vilis apparet, & contemptibilis. Ne porrò ſic appareat, vide, Mi Lector, quo apud Chriſtum ſit in pretio, hoc notavit in Purpura, quæ etiam Regibus eſt in pretio: ut & hoc veluti ſymbolo doceret quàm pretioſa eſſet paupertas: attende quàm etiam potens.

Certè ejus potentiam, atque vim notavit S. Leo VII.
Pontifex in paupertate, ſimul & cæleſtibus divitiis Potens.
S. Petri, Apoſtolorum Principis, qui rogatus eleëmoſynam à claudo, mortalium pauperrimo, hæc illi.

Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, Act. c. 3.
hoc tibi do. In nomine IESV CHRISTI Nazareni,

ſurge

ſurge, & ambula. Quam paupertatem & cum ea junctam potentiam demirans S. Leo, ſic de hac, & illa:

In feſto Sanctorum omnium. *Quid hac humilitate ſublimius? quid hac paupertate locupletius? Non habet præſidia pecuniæ: ſed habet dona naturæ. Quem debilem edidit mater ex utero, ſanum fecit Petrus ex verbo. Et qui imaginem Cæſaris in nummo non dedit, imaginem Chriſti in homine reformavit.*

Ecce mirabilem à paupertate potentiam. Cui nec argentum, nec aurum eſt: eſt gratia miraculorum, gratia ſanitatum, quæ nec auro, nec argento, nec gemmis & unionibus emi poteſt; imò nec Regnis, atque Imperiis totius Univerſi. Sola paupertate emitur, ſola ab ea vim habet, & quod diademata non dant Regibus, paupertas dat piſcatori: adeò potens eſt illa, adeò ſublimis.

Et hanc in ea ſanè potentiam, ſive ſublimitatem etiam in hoc declarat S. Pontifex, quòd *hujus theſauri*, id eſt *paupertatis opibus non ſolum adjutus ſit: ſed etiam quinque millia virorum, qui tunc ad exhortationem Apoſtoli ob ejuſdem curationis miraculum, crediderunt.*

Ecce paupertatis Apoſtolicæ potentiam, quæ non ſiſtit in corporibus: ſed evadit etiam ad animos, & ubi illa curarit, curat & hos, & quidem miraculo longè majore. Majus enim eſt mederi animis, quàm corporibus, & quantum inter corpora & animos intereſt, tantùm eſt neceſſe inter horum & illorum curationem intereſſe. Sed, inquies, ut dives, ut potens ſit illa paupertas; at ſuos aſſeclas perſæpè deſtituit, ac deſerit.

Et hæc cogitatio, hic timor multos invadit, atque occupat, quos ideo acri ſtylo carpit D. Auguſtinus: ſic enim ad illos,

Tu Chriſtiane, tu Dei ſerve, tu bonis operibus dedite, tu Domino ſuo caro aliquid exiſtimas defuturum? An putas, qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſe non paſcitur? An putas terrena deerunt, quibus cæleſtia, & divina tribuuntur? Unde hæc incredula cogitatio? Quid facit in domo Dei perfidum pectus?

Perfidum vocat, cui deeſt ea, quæ Chriſtiano eſſe debet in Deum fiducia: faciat ille, quod ſuum eſt: & divinæ Providentiæ cætera committat; atque (ut ſcitè D. Hieronymus) *In promiſſis veritatis nemo dubitet, ſit homo, qui eſſe debet, & mox addentur ei omnia, propter quem facta ſunt omnia.*

Et hæc è multis incitamenta eſſe poſſunt ad eam, quâ de agimus, Religioſam paupertatem.

TRACTATUS
DE MUNDI CONTEMPTU.

MUndi acceptio, alia *Phyſica*; *Moralis* alia: phyſica eſt illa fabrica, quam oculis uſurpamus, nimirum, cœli, elementa, mixta, animalia; ſeu illa libero velis aëre volare, ſeu aquis innatare, ſeu terris inſiſtere, aut adrepere. Et hanc fabricam odiſſe, hanc contemnere omninò nefas; eſt enim opus Dei pulcherrimum, atque abſolutiſſimum: & veluti Imperatoris omnium Dei hortus, ac paradiſus, quem incolunt puſilli mortales.

Et hæc prima mundi acceptio; eáque phyſica, atque innoxia; altera, ut dixi, eſt moralis & noxia: Eſtque ille ipſe mundus contagione quadam malefica noxius, & periculoſus, atque ut cum Scripturâ loquar, *totus in maligno poſitus*, in quo, ut loquuntur Divi Patres, fœtore vitiorum putere videntur omnia, *ipſeq; aër, qui ſuper incubat, ſceleſtis vocibus conſtupratus*, ut elatè more ſuo Tertullianus. De hujus contemptu fugaque mihi erit in præſentia diſceptandi locus, pro quo ſit *L. de Spect. c. 27.*

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Chriſti Salvatoris verba: *Vos de deorſum eſtis; Ego de ſupernis ſum: vos de mundo hoc eſtis, Ego non ſum de hoc mundo.* Ioan. c. 8. v. 23.

PHariſæos hîc arguit, damnátque Chriſtus, vel ex eo, quod de *deorſum* ſint, quod de *mundo hoc*, id eſt, ad infima abjecti, terrenique toti, ipſe verò è contra de *ſupernis* ſit, & non de *hoc mundo*. ut is quoque ſis, Amice Lector, primùm id ſtatuam, & omnes, qui de hoc mundo ſunt, eſſe *de deorſum*.

Deinde paucis monebo, ut *de ſupernis* ſis: utque ſis, erigere conabor, & te velut manu ducere ad inſignem divitiarum, honorum, voluptatumque contemptum atque deſpiciendam: hæc enim tria, ſi te illis inclines, faciunt ut *de deorſum* ſis, & *de hoc mundo.* ut enim D. Joannes:

Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre. ſed ex mundo eſt. *1. Joan. c. 2. v. 16.*

Hoc eſt, quæ non eſt *de ſupernis*, ſed *de deorſum*, eò quippe hominem abjicit: & hæc & illa ſeu carnis, ſeu oculorum concupiſcentia, & ſuperbia vitæ: quod ut in aperto ponatur; ſit

§. I.
Quid ſit Mundus?

GRæcis mundus dicitur καταβολή, id eſt *dejectio*, ut vel ipſo nomine intelligeremus eſſe miſeriarum omnium fundum, & quaſi ſentinam. *Mundus quid ſit?*

Quam in rem ſacræ Scripturæ Interpretes explicant, ac vertunt illud D. Pauli, ut eſſemus ſancti & immaculati, *ante mundi conſtitutionem*, græcè καταβολήν, hoc eſt *dejectionem*, quod vocabulum, ut notat Origenes, divinitùs excogitatum ab Apoſtolo ad mundi abjectionem, & vilitatem exponendam; ubi enim illuſtrat illud Servatoris monitum. *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum: vos de mundo hoc eſtis.* *1. Abjectio.* *Ioan. c. 8.*

Rectè, inquit, deorſum: nam quomodò mundus iſte habere aliquid ſuperni poſſet cujus conditio eſt dejectio. Quod ſi totus mundus, & quæ in ipſo ſunt, in dejectione ſunt; neceſſum eſt & qui mundo & iis, quæ in ipſo ſunt, adhæret tenaciùs, & ipſe quoque in dejectione ſit, in qua ſunt & ii, qui aliquando ſpirituales neſcio qua naturæ depravatæ inclinatione ad mundi licentiam, ſolutóſque mores ſe demiſerunt; & à ſublimitate vitæ ſanctæ, & culmine ſanctimoniæ ſe demiſerunt, lutulento vitio adhæreſcentes, & tandem corporis voluptatibus, ſeu blandiſſimis dominis, ſeſe mancipantes: qui ejuſmodi ſunt, à Regio Vate nominantur *graves corde*, hoc eſt, inquit S. Chryſoſtomus, qui lutum cor habent, & ponderoſum, qui terræ affixi lucris, & honoribus inhiant, pronóque affectu ſeſe in vitæ voluptatea ingurgitant, nec Cœlum, nec Deum unquam intuentur terræ filii, & in terras abjecti, *In Pſal. 4.*

utique

utique ex ipſo genio mundi, qui totus eſt *abjectio*, à qua & aliud illis malnm eſt, de quo ſic S. Augu-
In Pſal. 148. ſtinus, dum ait, *eorum cor & animum in terra putreſcere.*

Et hæc à prima mundi nuncupatione eſt macula, cui affinis eſt altera; ea eſt immunditiés, quæ à
II. Mundus minimè mundus. mundo animæ adhæreſcit, eámque inficit ſua putredine, & graveolentia; à qua ſic audit mundus, proindéque divinè monet S. Petrus, ut fugiamus
2. Pet. 1. v. 21. *coinquinationes mundi*, vel, ut in alio loco dicit, eam *quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem*; quaſi puticulos olentes, & cœnoſam colluviem deſcribit tetrum odorem exhalantem, ad quam nemo poteſt accedere quin fœdè, pudidéque maculetur.

Eandem ob cauſam D. Jacobus Apoſtolus, qui illas quoque mundi coinquinationes animadverterat, caſtæ religionis florem, pulchritudinemque eſſe
Jacob. 1. v. 17. dixit, *Immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*, in cujus loci explicatione Doctor Angelicus pios illos, aureóſque verſus attulit:

Mundus non mundus, qui mundos polluit, ergo
Qui manet in mundo, quomodò mundus erit?

Tract. 18. in Ioan. Qun eodem ſenſu multò antè exclamàrat D. Auguſtinus: *Si delectat te mundus, ſemper vis eſſe immundus*, ideóque *fuge mundum, ſi vis eſſe mundus*, ut ille
In Epiſt. 1. S. Ioan. ipſe S. Præſul.

At, inquies, in mundo nati ſumus, in mundo verſamur, & vivimus etiam vel inviti: ea eſt naturæ, in quam venimus neceſſitas. Quid facias? quî illum declines? quî ab illo fugias, qui in illo es, illo cingeris, & ambiris? ita eſt, non inficior; nec te ab illo diſcedere velim loco: ſed affectu. Et hoc eſt quod monet, urgetque D. Bernardus, cujus hoc effatum dignum Cedro:

Serm. 26. in Cant. *Chriſtianus, utatur mundo, non fruatur.*

Quî enim eo frueretur, qui pro illo creatus non eſt? quod æqua, ut aſſolet omnia, lance ponderans D. Auguſtinus ſic olim ad Deum:

In Solilog. *Exteriora cuncta pro corpore creaſtis corpus pro anima, animam pro te, ut tibi ſoli ſerviret, tibi ſoli vacaret, poſſidens te ad ſolatium, cætera ad ſervitium.*

Sed & ad aliam mundi nuncupationem declinet
III. Mundus impoſtor. oratio; oſtendet ea, quis illius ſit genius. D. Gregorius Nazianzenus mundum appellat πλάνον hoc eſt *impoſtorem*, qui falſa pro veris, mala pro bonis, vilis pro pretioſis, inani & fallaci jactantia venditat, atque oſtentat: quam mundi fraudem, & pompam inſigni mendacio adumbratam, Divi Patres, aliia atque aliis nominibus, ceu vivis coloribus depingunt, & ſub oculos ponunt.

Propheta Regius, *vanitatem*; imò & *mendacium* vocat; ſic enim ad mortales omnes, *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Appellat *mendacium* bracteata illa mundi bona, inane tectorium mundanæ lætitiæ, felicitatis larvam, res inaniſſimas, verbo uno *vanitatem* & *mendacium*, quibus, hominibus illudit, & mentitur improbè.

Cap. 2. Propheta Abacuc eadem mundi bona pompamque mendacem, *phantaſiam* nominat, ut diſertè obſervat D. Cyrillus.

Cap. 13. Oſeas Propheta clariore & altiore voce uſus ait eſſe *idolum*, hoc eſt rem nihili.

David, & ipſe Vates, & quidem Regius, dicit eſſe *imaginem in nihilum redigendam*. B. Apoſtolus, *figuram prætereuntem*.

D. Gregorius Nyſſenus, *umbratiles & imaginarias fallacias*: & alio loco, *ſpectrum inane*.

Tract. 1. in Pſal. c. 4. v. 6. D. Auguſtinus *phantaſma*, ceu inanem phantaſiæ ludum; qualis ferè eſt in ſomnis, ſopita ratione: ſed vigili phantaſia, quæ in amœna noctis unius imagine ſibi multa fingit, ſibi plaudit, ſibi illudit mendaciter, quæ & agnoſcit & damnat excuſſo ſomno.

D. Gregorius Theologus παίγνιον, id eſt veluti puerilia crepundia, & ludicra puerorum infantium quæ ridet, carpitque, vel ex eo, quòd (ut Sapientis calamo & voce utar) *infantium inſenſatorum more viventes homines* ludos ſibi faciant; quales ferè Iſmaël cum Iſaaco, quorum meminit Moyſes in Geneſi; luteas ille imagines cùm effinxiſſet, eas ab Iſaaco volebat adorari, quæ fuit impia pueri ſtulti, & improvidi luſio, cui nec connivere nec colludere unquam voluit Iſaac.

Quod Iſmael olim; hoc etiam eo quo vivimus ævo, mortalium plerique: luteas illi domos extruunt, luteas & imagines, & illas æſtimari volunt, & has coli, atque honorari, & ſi quis fortè ætate grandior, aut eas deſpiciat, aut etiam pede & calcibus evertat; in lacrymas eunt, & pueriles ejulatus, quaſi facta immani quadam jacturâ.

Quid facias? pueri ſunt, & puerilia ſtultè depereunt, & adulti, ætatéque jam maturis pro ridiculo ſunt.

Quod pueri viris, quod ſenibus, & grandævis videntur, & ſunt: hos nos ſumus cæleſtibus Intelligentiis, hoc beatis in cœlo mentibus, qui noſtra omnia, & domos, & palatia, & immanes ædificiorum ſubſtructiones, & veſtium luxum, & auri, argentique vim, & gemmarum lucem & gratiam: & theſauros omnes, & honores, & voluptates, quibus indulgemus, pro crepundiis habent, & ludis puerilibus, quæ D. Auguſtinus pro ea qua valuit ſapientia, & ingenii vi, atque perſpicacia, meritò appellavit *volatica ludibria temporum*, & *lucrum* L. 5. Conf.
luteum. c. 12.

Temporum, inquit, *ludibria*, quæ cum illis labuntur, & volant, nihilque reſidui relinquunt, præter unicum fuiſſe; nec ampliùs eſſe.

Lucrum autem *luteum*, hoc eſt, vile, abjectumque, quale ſolet eſſe lutum, quod ſub pedibus eſt, quod teritur, quod conculcatur; & tamen ut lutum ſit, à puſillis & luteis hominibus habetur in pretio, in primis curis, atque amoribus: & hoc ita ſuadente mundo, qui ex vero *impoſtor* eſt.

Deſcendo ad aliam ejuſdem mundi nuncupa- IV.
tionem: is lingua ſancta, id eſt Hebræa, dicitur Mundus eſt
oalóph, id eſt *tranſitus*; tranſit enim, & *concupiſcentia* tranſitus.
ejus, ut aiebat Meſſiæ carus diſcipulus.

Præclarè ex hac ipſa mundi appellatione Sapiens Romanus: *Quoties occurrit domus ſplendida, cohors culta, ſervorum lectica formoſis impoſita calonibus, quid miraris? quid ſtupes? pompa eſt: oſtenduntur iſta res: non poſſidentur, & dum placent, tranſeunt.* Hæc ille ſapienter: prope divinè S. Gregorius Nazianzenus, *Adhuc paululum*, inquit, *& ecce mundus tranſit, ac ſcena* Orat. 19.
diſſolvitur.

Paululum ait; quid enim hæc vita, niſi paululum? quid anni noſtri, niſi tela aranea? quid niſi ſcena, quæ & aperitur, & clauditur? quid mundus, niſi modicus vapor, qui illicò ſolvitur, ac diſſolvitur, & tranſit? quid niſi dies heſterna, quæ occidit? mille anni ſicut dies unus: cùm & vitam omnem, & quæ in vita ſunt, componit D. Auguſtinus, & ſic inquit: *Illa pulchra, cùm oriuntur, & tendunt eſſe: quò magis* Lib. 4. Conf.
celeriter creſcunt ut ſint, eò magis feſtinant ut non ſint. c. 10.

Eſt enim omnium rerum, quæ videntur fluxus mirabilis, atque mutatio quaſi volatica, ut amplecti atque retinere fruſtrà coneris, quæ te etiam invito à manibus effugient, atque elabentur.

Quod ipſum Antiqui vidêre ſapientes, qui ea de cauſa, rerum omnium naturam ſimilitudine quadam, atque imagine, profluenti aquæ, & flumini comparabant, in quo nullus bis eandem aquam poſſit attingere. Et hunc fluxum cognoſcere & prudentiæ erat, & altioris cujuſdam ſapientiæ: quod ipſum indicabat vox græca vel ſua ſola etymologia. φρόνησις enim, hoc eſt *prudentia*, eſt cognitio motus, & fluxus. σοφία autem, ſive *ſapientia*, eſt comprehenſio lationis, ſive motus rerum creatarum, quæ perpetuò

circumſe-

circumferuntur : quod ipſum cognoſcere , atque comprehendere , ſummæ eſt prudentiæ , atque ſapientiæ.

Et certè magna quædam eſt ſapientia & Chriſtiano homine digna intelligere , fluere omnia , & abire , & nihil in humanis eſſe ſtabile , quibus proinde adhæteſcere minimè debeamus.

De cor. mil. c. 13. *Omnia imaginaria in hoc ſæculo, & nihil veri*, inquiebat Tertullianus : cui addo, & nihil firmi, ac ſtabilis.

Et tamen hæc ipſa ut imaginaria ſint, ut fluxa, potentiſſimè hominum ſtudia rapiunt ; horum enim cauſa & maria omnia navigantur, & in terræ penetralia deſcenditur, & noctes inſomnes tranſiguntur, & ſuſcipiuntur contentiones & bella , & per arma, per ignes , & quotidiana pericula , & per mortes curritur ; & (quod ſummum eſt malum) peſſundatur animæ ſalus, & Deus ipſe contemnitur, & quæ ab illo offerebatur beatitas æterna, deſpicitur, quod maximæ eſt dementiæ , atque infelicitatis : quam ut aſpicit , ut deplorat D. Bernardus , dulciſſimus animorum magiſter, hæc ipſa, ſeu ridentis fortunæ, ſeu mundi bona , componit cum igne & ſole ; & mortalium animos cum molli cera , cum leviuſcula nive, & nitenti glacie : ut enim hæc, & illa ad ignis, & ſolis æſtus , atque ardores liqueſcit , & ſolvitur : ſic & hominum animi ad mundi bona. Sic enim

Lib. 2. de Conſid. de illis : *Quando hoc incautu non fuit, quod ignis ad ceram, quod ſolis radius ad nivem , & glaciem ?* Sed de his infra fuſiùs , hic leviter attigiſſe ſit ſatis : redeo ad illam , quæ in manibus eſt, mundi nuncupationem : eſt illa, ut dixi , *tranſitus* : ab hoc in ſacris paginis ſalutari elogio homines dicuntur , & ſunt *Tranſitores*.

Pſal. 38. Ita ſeipſe appellavit David, dum ſic ad Dominum: *Advena ego ſum apud te.* Hieronymus ex Hebræo legit,
Epiſt. 28. *Tranſitor ego ſum.* Sic & à Moyſe dictus *Abram* , de
Cap. 14. v. 13. quo in Geneſi hunc in modum Septuaginta : *Quidam nuntiavit Abram Tranſitori.* vulgata lectio habet, *Abram Hebræo*, quæ vox lingua ſancta ſignificat *Tranſitorem.*

Captus erat Loth, quod quidam nuntiavit *Abram Tranſitori*, ut annotat Theodoretus ex Philone.

Quam appellationem nactus eſt dum in vivis eſſet ; hanc & poſteris moriens reliquit ; ſic enim ſacra hiſtoria de felici illius ex hac vita migratione :
Gen. c. 25. *Et appoſitus eſt ad populum ſuum* : quod interpretatur Scholiaſtes Græcus ; *Appoſitus eſt ad Tranſitores* : quales nimirum & populus hebræus , & mortales omnes , qui ſi tranſitores ſint , ut ex vero ſunt , tranſitoriis occupari ac diſtineri non debent ; ſed ea tantùm leviter , ac veluti per tranſennam attingere.

Qua de re pulcherrimum , & ſapientiſſimum eſt
Serm. 2. de Reſurr. Divi Leonis effatum , ac monitum : *Ad æterna prælectos peritura non occupent.* Quod ſi quæ fortè in hoc ipſo mundi tranſitu commoda quædam blandiantur, ſi quæ alliciant bona , *non amplectenda nequiter : ſed tranſeunda ſunt fortiter*, ut monet ille ipſe S. Pontifex. Hanc ob cauſam David Rex ſanctiſſimus , in purpura & ſceptro, in mediis aulæ deliciis , argenteas columbæ alas ſibi cupiebat , ut longiùs à mundo & omnibus mundi illecebris avolaret , nec ullà earum ſuavitudine à cæleſtibus, aut impediretur, aut retardaretur ; nam perfectò ut veriſſimè, ſic & ingenioſiſſimè dixit illud D. Auguſtinus :

Serm. 37. de verbis Dom. *Amor rerum terrenarum , viſcus eſt ſpiritualium pennarum : ecce concupiſti , hæſiſti.*

Ne porrò hæreas ; (memor , quod mundus ipſe, quantus quantus eſt , ſit *Tranſitus*) & ipſe tranſi, atque evola.

Sic à mundo tranſiit , ſic evolavit aliquando Ioannes Brennus , primus Comes Viennenſis : deinde Rex Ieroſolymorum : denique Imperator Conſtantinopolitanus : hic in illo dignitatis culmine de ſalute ſollicitus , & anxius quem eſſet finem habitura purpura Imperatoria , quem ſceptra , & coronæ ; nocte intempeſtâ vidit ſenem aſpectu venerabilem albis veſtibus indutum, qui dextrâ habitum minoritarum , & lævà cordam cum ſoleis tenens , hæc illi :

Dei voluntas eſt , ut in hoc habitu moriaris. *Wadingus in Annal. Minor. Anno 33.*

Ex horruit Imperator , & aſtupuit ad repentinas illas voces , & Purpuræ cum eo habitu mutationem.

Nocte proximè ſequenti ſeſe illi ſtiterunt alii duo, & ipſi amictu niveo, eademque in aures injecerunt.

Tum etiam nocte tertia alii tres & ipſi candidi toti, qui & eaſdem voces, eadem monita inculcarunt.

Quid hic Imperator ? A ſomno ſibi redditus , & vigiliæ , fratrem *Angelum* , qui ſibi à confeſſionibus erat , ad ſe evocavit , eique objectas in ſomnis imagines fuſiùs expoſuit : qui ſanctè aſſeveravit & illas ſibi quoque propoſitas in ameœna ſomni imagine. Quid inde ? Deum è mundo evocantem audit Imperator , & aulæ pompis valere juſſis , Purpuram mutavit cum vili , ſed religioſo habitu ; & ſceptrum cum rudi fune , & ſoleis , indeque annuente cœlo, Deoque probante , promptum ac celerem animum ad cœleſtia divinaque monita tranſtulit, & poſt dies paucos tertiana febri correptus in paupere amictu, ſecuriùs & lætiùs obiit , quàm alii in Purpura & murice. Adeò illi profuit mundum deſeruiſſe, priuſquam eum deſereret mundus ipſe.

Quod illi , hoc & aliis , ſi modò piè illius æmuli fuerint. Un & priùs fuerat *Alexander Alenſis* , à doctrina conſpicuus, & in ſæculo nominatus. Vove- *Ibidem anno 15.* rat hic nihil ſe negaturum unquam , quod in Divæ Matris honorem peteretur. Hujus porrò voti conſcius Franciſcanus unus aliquis, dum oſtiatim mendicat , ab illo candidè petiit , idque per Virginem , ut Ordinis ſui habitum ſuſciperet , & abiret à mundo.

Videri poterat inſolens ea petitio , & aliena ab homine ſtipem poſtulante ; nec enim hominem petit ; ſed quæ hominis ſunt , qui mendicat. Verùm Alexander , illud ſibi dictum à Deo cenſuit , non à mendiculo, cenſuit, inquam, & Franciſcano Ordini nomen dedit , eique à doctrina , & virtute nomen fecit.

§ 2.

De contemptu divitiarum.

VT te ducerem , Amice Lector , ad mundi contemptum , in fronte prioris pagellæ quæſtionem hanc objeci , Quid eſſet mundus ? ex hujus enim notione facilè enaſcitur illius deſpicientia : ſic & in hac pagella, ut te quaſi manu ducam ad divitiarum contemptum , hanc movebo quæſtionem ,

Quid ſint Divitiæ ?

Primùm injici poteſt quæſtio ; Quid divitiæ ex ſua natura ? quid deinde ex hominum virtute , aut vitio ?

Hæretici nonnulli , ut fanatici , opes natura ſua malas eſſe voluerunt , & malos eos omnes , qui illas poſſiderent. Error eſt , & hæreſis fanaticorum. Enimverò natura ſua nec bonæ ſunt , nec malæ moraliter : cur enim aurum , cur argentum ? cur uniones & gemmæ malæ ſint ? naturæ partus ſunt & quidem nobiles ac boni , ſi phyſicam entitatem attendas. At ſi uſum bonum , malùmve ſpectes , aut bonæ ſunt , aut malæ , ideóque à Platone & Ariſtotele dicebantur *organica* , & inſtrumenta , quæ nihilò ſecius vitiis , quàm virtutibus inſervirent.

His ita ex natura conſtitutis , videndum erit primò quid divitiæ ex virtute ſint ? quid deinde ex mortalium vitio ? *Quid divitiæ ?*

D. Gregorius Nazianzenus, de Georgio Alexandrino Pontifice , qui peſte Ariana , multiſque vitiis fœdè maculatus , pulſo à malevolis invidiſque Athanaſio , in Eccleſiæ thronum irrepſerat ; de illo, inquam ,

Orat. de S. Athanaſio.

inquam, infame memorat illud, quod ea, quæ fuerant *pietatis adjumenta*, convertiſſet *in impietatis instrumenta*.

I. Ex virtute, pietatis adjumenta.

Pietatis adjumenta, vocat Eccleſiaſtica bona, opes, divitias, opulentum patrimonium, & beneficium pingue, quod pietati adjumento eſſe debet; debet enim ex virtute, & ſacris altaribus, & decoro templi impendi, quod eſt pietatis in Deum, ac ſuperos; vel in pauperes, atque indigos diſtribui, quod eſt pietatis & miſerationis in proximos. Et hic divitiarum eſt uſus ex natura, & virtute; præpoſterus autem ex vitio, à quo illa ipſa bona, quæ erant *pietatis*

II. Ex vitio, impietatis inſtrumenta.

adjumenta, fiunt *inſtrumenta impietatis*. Quæ porrò ab illis, ceu inſtrumentis naſcantur, & gignantur mala, patebit ex aliis, atque aliis opum, & pecuniæ appellationibus, è quibus, hæc prima, & antiquiſſima.

III. Cephet i. amor, & concupiſcentia.

Ab hac lingua ſancta, argentum appellatur *Chepeth*, cujus etymon, Hebræorum ſapientes petunt à *Chaſaph*: hoc eſt amare, concupiſcere, deſiderare. Eſt enim vis pecuniæ mirabilis ad ſui amorem excitandum, & incendendas hominum voluntates.

Vidiſti argentum, & concupiſti; captus es per oculos: lubrica veneni vis introiit: vidiſti aurū, & in eo, non metallum; ſed amatorium philtrū expertus.

Homil. in ditaſcentes.

In iis, quæ ſub aſpectum cadunt, Sole ut nihil lucidius, ſic & nihil amabilius, & tamen mortalium plerique *libentiùs vident aurum, quàm ſolem*: quia in auro mira vis, & amoris, & concupiſcentiæ: & hæc & ille naſcitur è triplici fonte, ut ſcitè notavit S. Maximus, videlicet *Luxuria, ambitione, diffidentia.*

Luxuria, ceu voluptatis amor, opes efflagitat; quibus & ſuis, & illi pabulum detur.

Ambitio verò & ipſa opes impēsè quærit, quibus & vanam gloriolam captet, & honorū titulos acquirat.

Diffidentia denique de amabili Dei providentia, aurum, argentúmve operosè congerit, ne quid fortè aliquando deſit. Et hi ſunt fontes inſanæ illius cupiditatis, & concupiſcentiæ; à qua dum opes accumulas, attende quid accumules.

IV. Denſum lutum.

Dicet prophetica voce vates Habacuc, cui opes, & aurum, argentúmve *denſum eſt lutum*. Sic enim ingeminat illud fatale, ac funeſtum.

Cap. 2. v. 6.

Væ ei, qui multiplicat non ſua; hoc eſt, qui opes amplificat injuſtè partas, vel non ſuas, quia ſubitò avolaturas.

Ubi ab irato cælo haſce minas; tum ſic ad illum. *Uſquequò & aggravat contra ſe denſum lutum*,

Divitias appellat *denſum lutum*, in quo duo gravia notat incommoda; *lutum* enim inficit, & quia *denſum* premit; ſic & opes, quia ferè cum peccato conjunctæ ſunt, & animam commaculant, & gravant. Quod ſic explicat Sanctus Gregorius cognomento

Cap. 21.

& re etiam ipſa Magnus. *Avarum contra ſe denſum lutum aggravare, eſt terrena lucra cum pondere peccati cumulare.* Hinc chaldæus pro denſo luto, vertit *gravitatem peccatorum*. Syrus autem *nubem luti*, ut innuat, quod ſicut è luto vili, & fimeto vapor exurgit; ita ex opibus ſordidarum affectionum, & & ſcelerum nubes exhalat; quibus involuta mens, & quaſi oppreſſa, in ſumma cœleſtium rerum caligine, & ignoratione verſatur.

Et hoc primum ab opibus malum eſt: alterum eſt *gravitas* quædam, ac veluti *pondus* animæ incumbens, quod & adverterunt ſeptuaginta Interpretes, cùm ſic eum locum verterunt. *Uſquequò & aggravat torquem ſuam graviter.*

Torquem vocat, & quidem auream, quæ dum collo imponitur, ornare videtur: at non tam ornat, quàm onerat: ſic & opes avaro, non tam ornamento ſunt, quàm ponderi.

Tranſeo ad aliam Divitiarum appellationem.

V. Fæces.

Eæ à Sophonia vocantur *fæces*; ſic enim Dei voce, minisque: *Viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis.* Ita

Cap. 1. v. 12.

quod lutum vocavit Habacuc, Sophonias *fæces* appellat: ut enim fæcibus inquinari, & fœdè conſpurcari homines ſolent; ſic & homines divitiis; quibus dum plus æquo inhærent, ac veluti defiguntur; etiam in iis quaſi coagulari, ac congelari omnem divinorum ſenſum amittunt; hinc eò loci, quo Interpres noſter dixit, *viros defixos*, ſacra lingua poſuit *Kopheim*, hoc eſt, *coagulatos, & congelatos*. Et hinc in mentibus tepor, frigus, & ſtupor, qualis & in corporibus eſſe ſolet à gelu rigidiore; quo dum conſtringitur homo, & animam ſæpiùs, & vitam amittit; ut cum Propheta dicere poſſit & illud: *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* Non eſt vita, non eſt gratia, quæ animæ vita eſt.

Pſal. 68.

VI. Proditor ſervus.

Et hoc à divitiis ingens eſt malum: aperiet & alterum, altera earumdem nuncupatio. Hæc petetur è D. Auguſtino, qui disertè aurum nominat *proditorem ſervum*.

Serm. 26. de verbis Apoſt.

Hæc appellatio, ut plena abjectionis, ſic & perfidiæ, atque infidelitatis.

Aurum, argentum, & quodcumque æs nummatum tibi ſervire videtur: at tantùm in ſpeciem ſervit; ex vero autem tibi improbè dominatur, & infami te ſubjicit ſervituti: imò & te prodit dum blanditur, & ſervit: prodit enim te hoſtibus tuis, mundo, carni, dæmoni, prodit & indomitis paſſionibus, quibus te ſervum facit, & vile mancipium. Ubi autem ſic prodidit, quaſi transfuga te deſerit atque deſtituit: & inde à D. Cyrillo Alexandrino, eædem ipſæ divitiæ dicuntur *fugitivæ*. *Plutus*, inquit, eſt *fugitivus*.

VII. Fugitivus.

In Sophon. num. 10.

Erat Antiquis Plutus divitiarum Deus; imò & pro divitiis ſumebatur; quæ & fugitivæ appellantur, & ſunt, dum enim tibi ſervire videntur, deſerunt te, atque aufugiunt.

Quod more ſuo & ingenioſè & eleganter oſtendit Divus Ambroſius, dum ſic ad illos *viros divitiarum*, hoc eſt, qui non tam poſſident divitias, quàm ab illis poſſidentur. ſic inquam ad illos:

Quid proſunt innumeræ poſſeſſiones? publica ſunt non tua, hodie tu tenes, cras alius. Cum tu exieris, alius intrabit: vix moviſti pedem, alius greſſum intulit. Et tamen (qui error eſt inſanus, & quæ nunc dementia) audio etiamnum ais, *Prædium meum, & domus mea*:

Homil. de Villic.

quod irridet & damnat Amaſenus Præſul Aſterius, dum ait mirari ſe quonam modo ea, quæ ipſorum non ſunt, inani ſyllaba (μοῦ) ſibi vendicent, tribusque fallacibus litteris (mea) aliena capiant.

In communibus terræ bonis idevenire ſolet, quod in hiſtrionibus, quorum bona propriè, & peculiariter poſſidet nemo; verùm ad uſum quiſque ſumit, quod perſonæ convenit: ſic terram, & quæ in eâ circumferuntur; quaſi veſtes ex aliis alios ſumere, quibus deinde alii utentur: quam viciſſitudinem D. Baſilius pulchrè declarat duplici ſimilitudine.

De non adhære. ſec.

Prima petitur à *talorum circumvolutionibus*, in quibus res continuò mutantur.

Altera à fluxu præterlabentis aquæ, cui ſimilis natura divitiarum: *Eſt enim*, inquit, *fluxa, ſuos poſſeſſores torrente prærapido velocius prætercurrit, alios alio modo, apta mutare dominos*,

In Pſal. 61.

Et hinc præclarum illud Coronati Poëtæ in ſacris Odis monitum. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*: in græco eſt, *ſi fluant*.

Ubi miratur D. Auguſtinus cæcos mortalium oculos, qui affluere divitias vident, effluere non vident: & tamen cùm affluunt, fluunt, & ſubitò è ſinu elabuntur.

In Pſal. 61.

Et illis cor appones? amores affiges tuos? non affiges certè, ſi ſapis, Amice Lector.

At, inquiet tinus aliquis, ut fluxæ ſint divitiæ: at non ita, quin ſubinde, & ſæpiùs ad vitam uſque maneant, & vitæ mortisque confinia.

Demus illud tibi; at quantum illud eſt? quantum dies & vita. At rurſum quantum illa? dies una, ſi compares ad æternitatem, imò & momentum, quo elapſo elabuntur & divitiæ, téque deſerunt in ævum omne.

Et hanc piam, ac ſalutarem cogitationem ingerit David, cùm ob oculos ponit pompam divitis è vita abeuntis: ſic enim de illo:

Pſal. 48. *Quoniam cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria domus ejus.* Ubi non ſumere omnia, eſt omnia relinquere, & nudum, atque ab omnibus rebus imparatum, ex hoc mundo educi.

Quod ipſum monet, ſuiſque diſcipulis inculcat Seneca, dum ſic ad illos:

Epiſt. 102. *Quidquid circa te jacet rerum, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta: Transeundum eſt. Excutit redeuntem natura, ſicut intrantem. Non licet plus inferre, quàm intuleris.*

Quod verbo Seneca docuit, hoc re etiam ipſa Conſtantinus Magnus, Imperator Auguſtus. Is cùm videret quendam in palatio inexplebili divitiarum amore flagrantem corporis humani menſuram haſtâ ſolo dimetiens, ſic inquit,

Euſeb. l. 4. c. 30. de vit. Conſtant. *Si totius Univerſi opes haberes omnes, plus tamen hoc à me circumſcripto terra ſpatio non habebis; ſi & illud fortè habueris.*

Ab illo divitiarum fluxu, quem indicavit, vel inditum illis nomen, deſcendo ad aliam earumdem appellationem.

VIII. Fortunæ vomitus. Stobæus ſerm. 91. Eæ, Diogeni philoſopho dicuntur, & ſunt *fortunæ vomitus*: ex eo quòd ubi inaniſſimâ cupiditate, ceu quadam fame ſitíve devoratæ fuerunt, & quidem labore magno, non ſine nauſeâ evomantur, & celerrimè ad alios tranſeant.

Eæ divitiarum appellationes, vel earum fugam, vel etiam inanitatem, vanitatemq́ue oſtendunt: ea, quam ad extremum ſubjicio, etiam vitium; quod ſic aperit D. Auguſtinus, cùm eas nominat *delitiarum matres*, quæ ſcilicet animum liberiorem, & voluptuarium nactæ, eum excitant ad molliſſimum, & delicatulum vitæ genus, infandáſque voluptates, quibus capti, & quaſi ebrii, à Deo recedunt.

IX. Delitiarum mater.

Ebrios dixi ex D. Cyrillo, qui ait opes *inebriare*, *In Sopho. n. 10.* quod nihil aliud eſt, quàm mentem de ſua ſede deturbare, ratione privare, & in omnia vitia præcipitem agere: quod malum aperit, & latiùs explicat ille ipſe S. Præſul:

Quid ſunt, inquit, *divitiæ? ſerviunt tantùm carni*, *Hom. 7. in Ep. ad Coloſſ.* *ſunt improba, abominandaq́, voluptatis adminiſtra, & matres arrogantiæ, & radices, & procreatrices faſtus, vanaq́, gloriolæ.* verbo uno D. Chryſoſtomo ſunt *malitiæ* *Serm. 4. in Pſal. Qui habitat.* *ſchola.* D. Bernardo, *laqueus diaboli*, quo ſcilicet homines capit, atque irretit.

X Diaboli laqueus. Quod ſi ex SS. Patrum calculo eæ ſint diviriæ, ſi *impietatis inſtrumenta*, ſi *delitiarum matres*, ſi *concupiſcentiæ fomites*, ſi *denſum lutum*, ſi *faces*, ſi *proditor & fugitivus ſervus*, ſi *fortunæ eructantis vomitus*, ſi *malitiæ ſchola*, ſi *diaboli laqueus*, quis eas æſtimet? quis in amoribus habeat? quis impenſiùs quærat? nemo certè, nemo unus omnium, ſi modò cælis, Deóque ſapiat. Quod ſi eas, aut fortuna dederit, aut amabilis Deì providentia in ſinum injécerit liberaliore manu: iis ſic utetur, ut quæ ex vitio *impietatis* erant futuræ *inſtrumenta*, faciat ex virtute *pietatis adjumenta.*

§. 3.

De contemptu honoris.

VT in eum venias, Amice Lector, quæſtionem hanc injiciam, Quid ſit honor? Ex illius quippe notione facilè naſcetur ejuſdem deſpicientia.

Quid ſit Honor?

De eo mihi erit quæſtio, qui in hac aûra mortali exhibetur à puſillis mortalibus, non de illo, qui in Cœli regia, in beatitate à Deo redditur. Hic cæleſtis eſt, ille mundanus, de quo in præſens eſt diſceptatio. Et hic triplex eſt.

Unus eſt æquus, & juſtus, qui virtuti, & inclytis facinoribus debetur, èſtq́ue veluti vectigal legitimum, & his & illi debitum.

Epiſt. 62. Et hic *Syneſio* dicitur, & eſt, *præmium virtutis.*

Alter poſitus eſt in blandimentis auræ popularis, & falſi honoris choragio. Et hic omninò damnandus.

Poſtremus eſt pars quædam Chriſtianæ Juſtitiæ, & is eſt honor, qui debetur illis, qui excelſa ac mirabili inter homines dignitate præcellunt, ſeu ea ſacra ſit, ſeu etiam profana. De hoc, & illo mihi in præſentia diſputatio, & quidem, Primò

De honore, qui circumfertur aura populari, plauſu, præconiis, coronis, aliiſque laudis titulis, quibus avidè, & inſatiabiliter inhiant mortales, & de hoc inquiremus, Quid ſit?

Dioni Proſæo dulcium Poëtarum eloquentiſ- *Orat. 62.* ſimo, eſt *vecordium hominum illecebra.*

Aliis *ventus* eſt, & aura levis, quæ vix excitata concidit.

Aliis eſt *fumus*, quem diſſipat, ac diſpergit aura etiam leviſſima.

Et hoc tamen & illo inflata hominum mens tumido faſtu inſoleſcit, & ſibi multa perperam atque inſolenter arrogat. ut meritò dixerit Salvianus: *Pediſſequa plerumque novi honoris eſt arrogantia.* Ne tibi *Epiſt. 2.* ea ſit, Amice Lector, honorem illum fuge, fuge popularem auram, nec ama laudari; hic enim ventus eſt, fumus, vanitas, verbo uno nihil. Ita fugit S. Franciſcus Aſſiſius, qui ut gliſcentem ſanctitatis *In ejus vita* ſuæ famam extingueret, conduxit hominem dicaciſſimum, qui & vitam, & mores ſuos omni verborum petulantia inceſſeret: & verò ſtrenuè inceſſit; nam & ruſticū vocitare, & indoctū, & ſtigmaticum.

Probavit illud vir ſanctus, & convitium etiam laudibus, & honori aliàs debito prætulit.

Venio ad aliud honoris genus, quod dignitati, quod officio veluti congenitum, & quod illud ſit quæro?

D. Chryſoſtomo, Oratori aureo, magnoq́ue Præſuli, dignitas omnis, etiam ſacra, ſacerdotium, *Lib. 2. de Sacerdot. c. 7.* infulæ, mythra, tiara, eſt *grave onus & ponderoſum*: imò & *moles*, cui ſuſtinendæ non ſufficientem animum, neque vires ſibi eſſe diceret.

D. Auguſtino, bellatori fortiſſimo, & militantis Eccleſiæ Primipilo Epiſcopalis dignitas, erat *ſarcina*, *Epiſt. 60.* ſub qua & ipſe gemeret, & propè fatiſceret.

D. Paulino, viro charitatis in proximum nulli ſecundo, dicitur, & eſt Epiſcopalis Infula *ſacra moles*, illius ſcilicet magnitudinem, pondusq́ue expertus erát. Quod de infula, pedoq́ue pronuntiârat; hoc & de ſacerdotio, de quo ſic etiam ſua doctus experiētia:

Vix adhuc intellectum ſacra molis capio mentis anguſtiis, & onus muneris mei, conſcius infirmitatis horreſco.

Sidonio Apollinari, viro meritis, & judicio clariſſimo regendæ Eccleſiæ munus appellatur *oneris im-* *Lib. 6 Epiſt.* *poſiti maſſa.*

Zachariæ vati, dicitur *talentum plumbi*, vel *maſſa* *Cap. 5.* *plumbea.*

A B. Petro Damiano, plus animo, quàm veſte, pileóque purpureo, ſacrorum hominum officium *Epiſt. 20.* vocatur *onus onerum.*

D. Bernardo, Doctori lacteo, *onus gygantinis*, ut *Epiſt. 256.* aiunt, *vel ipſis quoque Angelicis humeris formidabile.*

Ecce, quæ congeſſerunt Divi Patres, ut ſub oculos ponerent eum honorem, qui à dignitate etiam ſacra, ceu fonte dimanat, ut vel ex iis etiam intelligeres, conficereſq́ue illud, omninò fugiendum eſſe honorem illum, qui tamen admitti poteſt etiam ſine nævo ullius vanitatis.

Et ita fugerunt Sanctiſſimi quique, nec in eum venerunt niſi coacti. Ita vim, & impreſſionem compluribus factam accepimus, qui tanquam victimæ innocentes ad aras ducti, & renitentes abrepti.

Et ita de ſe D. Ambroſius & piè, & verè:

Quàm reſiſtebam, inquit, *ne ordinarer; poſtremò cùm* *Lib 5. Ep. 25.* *cogerer, ſaltem ordinatio protelaretur; ſed non valuit præſcriptio, prævaluit impreſſio.*

Ita S. Paulinus, non tam Italiæ, quàm totius Occidentis lumen, cùm omni ratione conniteretur, & ordines ſacros, & gubernandæ religionis molem effugere;

Epiſt. 25. effugere; *vi ſubita* (ut ejus utar oratione) fuit aſtrictus, & *multitudine ſtrangulante compulſus.*

Ita S. Athanaſius, vir ille incomparabilis, & ævi ſui miraculum, omni animi contentione Eccleſiæ honores declinabat: quod cùm advertiſſet Alexander, Præſul Sanctiſſimus, & ejus in ſede prædeceſſor, cùm eſſet in extrema vitæ linea, & jam propè animã ageret, collecto ſpiritu, & eo, quod reliquum erat vocis, ac vitæ, ſacro numine ſic eſt affatus:

Niceph. l. 8. c. 44. *Athanaſi, fugiturum te credis; ſed non effugies.*

Ita D. Auguſtinus, cùm & undis populorum, & Præſulum votis, & Cleri ſuffragiis videret eſſe cedendum, & gemere cœpit, & ubertim flere: cujus rationem hanc reddidit Poſſidonius in ejus vita; *quod* *Cap. 4.* *majori conſideratione intelligeret, & gemeret, quàm multa, quàm magna ſua vita pericula, de regimine Eccleſia impendere jam ac provenire ſpectaret, atque ideo fleret.*

Orat. 27. Ita D. Gregorius Nazianzenus, qui vitæ probitate, & ſapientia, beatis mentibus propè par videbatur, de ſe verè confitetur, electum ad Pontificium munus fuiſſe *clamantem, lamentantem, ejulantem.*

Ita denique (ne omnes conſecter, quod longum foret & propè adynaton) D. Chryſoſtomus, hæc de ſeipſo & ingenuè, & verè. Cùm ſacerdotio eſſet *Lib. 1. de Sacerdotio c. 8.* initiandus, ſacro metu ſe dicit, *ſeipſum occultaſſe*, cùm verò facta deinde fuit mentio Epiſcopatus, & curæ animarum, & inexplicabilem pavorem, & ægritudinem tam ingentem animum ſuum occupaviſſe, ut periculum fuerit, ne corpus ab anima diſſolveretur.

Ecce ut ſacrum honorem exhorruerunt, fugeruntque viri longè ſanctiſſimi, quorum exemplo, & horrere, & fugere diſces, Amice Lector.

Et verò quidni exhorreas, fugiaſque: cùm ab illo felicitatis, & ſecuritatis propè nihil, infelicitatis autem, & periculi plurimùm oriatur. Cujus teſtes volo, producóque vel ex ipſa Petri ſede: ſede (ut autumant cœci mortales) quaſi beatitatis, utpote primo in terris ſacræ majeſtatis culmine.

Ex eo certè Pius, hujus nominis Quintus, ſic de Purpura, & Tiara, quam induerat, & ſentire & loqui ſolitus:

Ego cùm religioſus fui, de mea ſalute ſperavi quàm optimè; factus deinde Cardinalis, cœpi timere; denique creatus Pontifex, propè de ea deſperare.

Similia priùs & ſenſerat, & locutus fuerat Hadrianus Sextus, qui cathedram Summi Pontificis *ſpinoſam* appellare ſolebat. Quæ appellatio ut iret in poſteros, etiam tumulo hoc inſcribi voluit:

Hadrianus VI. hic ſitus eſt, qui nihil infelicius in vita, quàm quod imperaſſet, duxit.

At unde hæc in præcelſis illis mentibus? Utique ex humili imprimis de ſe ſenſu: qualis & fuit in S. Leone Pont. Max. qui de ſui aſſumptione in Petri ſedem, & Pontificatum ſic aliquando locutus:

Serm. 2. *Quid tam inſolitum? tam pavendum, quàm labor fragili, ſublimitas humili, dignitas non merenti?*

Hæc Sanctus Pontifex, qui & ſe fragilem ad labores illos Apoſtolicos aſſumi, & vilem, abjectumque in ſuis oculis, ad id ſublimitatis evehi, ac denique ſuo judicio non merentem eò attolli dignitatis, omnino exhorruit, atque expavit.

Alia de cauſa S. Thomas à Villa-nova: hic dum gemeret ſub onere Archiepiſcopatus Valentini, nec aliud, quàm de illo deponendo cogitaret; memor an- *F. Turien le Febure in vitis SS. Part. 3.* tiqui; & religioſi ſtatus, in quo bonam vitæ partem exegerat, non ſine ſingulari animæ quiete, ac ſolatio; ſic aliquando ad unum aliquem è ſuis familiaribus:

Nunquam tantum extimuiſſe eradi è libro divinæ prædeſtinationis, quàm cùm inſcriptus eſt cathalogo Prælatorum.

Adeo huic inſcribi horrent magnæ mentes, & aliàs natæ cœlis animæ.

Non ſic hoc quo vivimus ævo mortalium plerique, non ſic: Plures certè inveneris, qui dignitates illas, etiam ſacras ambiant, quàm qui detrectent; plures, qui eas ſequantur, quàm qui fugiant.

Ludovicus Galliæ Rex, hujus nominis undecimus, Abbatem Bargienſem (quo familiariter utebatur) rogavit aliquando ut Abbatiam ſuam cederet alteri, cui ſors addixerat. Cui Abbas: *Quadraginta ſunt anni, ex quo cœpi diſcere duas Alphabeti litteras, A. B. concede mihi & quadraginta annos alios, quibus duas alias ſequentes, & quidem longè difficiliores C. D. addiſcam, & tum votis tuis, ô Rex, faciam ſatis.*

Hæc Abbas liberali joco, ſerio tamen, & apud multos nimium quàm vero, quibus hoc ſtudium, hæc & cura etiam à primo limine aditæ Religionis, ut Infula donentur, & Pedo. Crederes unà cum cucullo indui eam ſacræ illius dignitatis apperentiam.

Non ſic iti, quorum ſupra memini, non ſic præcelſæ mentes, quibus in primis curis eſt ſui demiſſio, & generoſa honorum omnium deſpicientia, à qua unica fit gradus ad honores nullo unquam ævo interituros.

Fatebor tamen ſubinde etiam ſine nævo ambitionis appeti poſſe dignitates tum profanas, tum etiam ſacras; cùm ita exigit boni publici ratio.

Ita Sigiſmundus Imperator, quando in Comitiis Electorum rogatus ut primo loco (tanquã Rex Hungariæ, & ſimul Marchio Brandeburgenſis) ſuffragium ferret, pro ſe tulit, & hæc adjecit: *Conſtare ſibi de ſua voluntate ad bonum Eccleſiæ, & Imperii procurandum.* *Spondanus An. 1410.*

Hanc dicendi libertatem admirati Electores cæteri, aſſenſerunt; & rectè, veritatem enim probavit eventus, & Eccleſiæ, Imperioque profuit Sigiſmundus, ut videre eſt in Actis Concilii Conſtantienſis.

Similis ambitio tenuit olim S. Fulcnnem, primò Epiſcopum Placentinum, deinde Ticinenſem, cujus factum non ſine ſtupore, laudéque memorari ſolet: cùm adoleſcens ſtudioſus, & mendicus ſtipem ab ancilla hominis prædivitis peteret, datam ea lege; ut nunquam Epiſcopatum admitteret, protinus audita conditione, reſpuit, non ſine numine; ad Pedum enim, & Inſulam deinde aſcitus, & ſibi profuit illuſtri vitæ ſanctitate, & Eccleſiæ, inſigni, qua fuit, cura paſtorali.

Verùm (ut ingenuè dicam quod ſentio) ea ambitio ſeu profani, ſeu ſacri honoris non eſt probanda, niſi eam cœlum indiderit, & boni communis ratio, zelúſque animarum.

§. 4.

De Contemptu Voluptatum.

VT in eum facili via ducaris, Benevole Lector, ex omni propè Antiquitate, & Authoribus ſacris, & profanis, alias atque alias voluptatis notiones in medium producam: ex illis pronum erit in illius contemptum, odiúmque venire.

Quid ſit Voluptas?

Ex ipſa notione, ceu facie, ſe prodet voluptas, & quæ, qualiſve ſit, intuentibus aperiet: & quod inde conſequens erit, odium ſui conciliabit, fugamque ſuadebit.

Ciceroni, *voluptas eſt malorum eſca, quâ homines capiuntur ut hamo piſces.* *In Catone Majore.*

Effatum illud Latinus Orator hauſit ex Platone.

Eidem Oratori voluptas eſt *malorum omnium mater*, ſic enim lib. 2. quem de legibus inſcripſit:

Imitatrix boni eſt voluptas, malorum mater omnium, cujus blanditiis corrumpuntur, quæ naturâ bona ſunt.

Senecæ, voluptas, hoſtis eſt, & quidem acerrimus, & formidandus vel maximè. Quis enim (ut ait) *quis*, inquam, *hoſtis, in quemquam tam contumelioſus fuit, quàm in quoſdam voluptates ſuæ ſunt?* *Epiſt. 39.*

Hoſtes omnes, quos homini vel natura tulit, vel odium conciliavit, vel malitia invenit, provocat Sapiens Romanus, & neminem homini magis contumelioſum pronuntiat ipſa voluptate.

Ciceroni, ad quem rurſus revocor, *voluptas peſtis eſt*, ſic enim in Catone majore:

Nulla capitalior peſtis, quàm corporis voluptas hominibus à naturâ data eſt.

Senecæ, ad quem etiam redit oratio. Voluptas eſt *latro*, ſimilis *Phyletis*, qui in Ægypto, à latrociniis, & immanitate erant notiſſimi, hi quos cepiſſent, amplectendo necabant.

Inde ſapienter ſic monebat Seneca: *Voluptates præcipuè exturba, & inviſiſſimas habe, latronum more, quos Phyletas Ægyptii vocãt, in hoc nos amplectũtur, ut ſtrangulẽt.*

Æneæ Gazeo, voluptas eſt *mors mellea*: qualem paſſus dicitur *Glaucus*, Minoris filius, quem melle ſuffocatum volunt Antiqui, quæ mors, ſi illi fuit: non mellea, ac ſuavis; ſed fellea; ſed atrox fuit calamitoſo adoleſcenti, qui in melle non apum dulcedinem; ſed aculeum mortis invenit.

Et hunc etiam inveniet quiſquis voluptatis mella guſtare volet.

Vate Regio judice, voluptas eſt homini, quod in Oceano *Sirenes*: hæ navigantes cantu dum alliciunt, in vada, in ſyrtes abripiunt, perduntque miſerabili naufragio: quod dum deplorat ille ipſe Vates, ſic

Pſal. 43. flebiliter canit: *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis.*

D. Ambroſius cum D. Chryſoſtomo legit ex Aquila: *Humiliaſti nos in loco Sirenum.* Hoc eſt, ut illuſtrat doctiſſimus ille Pater, in ſæculi voluptate, carnis illecebris, oblectatione ſenſuum, in quibus humiliamur; & onerarias frangimus, & demergimus Cataplum cæleſtibus bonis refertum, nudique in littus ad omnium ludibrium projicimur; nudi, inquam, à bonis operibus ad littus devolvimur miſerandæ æternitatis; Deo, & Angelis ludibrio, nobis autem exitio.

Thren. c. 4. Ieremiæ, voluptas eſt *Lamia*.

Olim opinabantur, de genere Lemurum eſſe *Lamias*, ſeu dæmones, in formoſarum mulierum effigiem indutos, quæ juvenes delicato voluptatis ſenſu ineſcatos devorarent, ut ait Philoſtratus.

Hæc igitur *Lamia*, eſt blanda, & perfidioſè ridens corporis ſenſuumque voluptas, quæ ſuos amatores devorat, atque ad vitæ finem intempeſtivè deducit.

Vidimus voluptatem compoſitam cum *Sirenis* & *Lamia*; videamus, & cum *Circe* comparatam. Credita eſt hæc oblato melito & infauſto poculo homines transmutaſſe in belluas, quod & facit voluptas; hæc enim Amaſios ſuos mutat in belluas, non quidem natura; ſed vitæ morumque ſimilitudine: quam metamorphoſim eleganter, & aptè de-

Serm. 2. ſcribit S. Chryſologus: ait enim, quod *mentem faciat amentem, carnem luteam reddat; corpus, animi diverſorium, animæ vas, murum ſpiritus, Virtutum ſibolam, Dei templum, in ſcenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigat in theatrum.*

Ecce quæ in una, & ab una voluptate metamor-

Lib. 7. Stromatum. phoſes, ob quas jure ſanè meritiſſimo audit *improbitatis & vitii Metropolis*; ſic enim eam appellat Clemens Alexandrinus: crederes in eam, improbitatem omnem, vitia omnia confluxiſſe, ut ad Metropolim ſolent cives: crederes ab eadem mala omnia fluxiſſe tanquam ab eorum fonte, & certè *malorum omnium fontem* dixêre Pythagoræi.

Quocirca voluptatem fugias eſt neceſſe, ſi vitia, ſi mala velis effugere.

Præcipua quædam ad fugam voluptatum incitamenta.

I.

Ab earum inanitate.

VT eam oculis ſubjiciant Divi Patres, alias atque alias in medium adducunt ſimilitudines quibuſcum eam componunt.

Prima ducitur à phantaſmatibus, ſive inanibus aberrantis phantaſiæ ſimulacris, quibus ſibi homo illudit improbè.

In amœna noctis, & ſomniorum imagine ſibi fingit unus aliquis Cræſi divitias, Alexandri Regna, atque Imperia, Sardanapali delitias, aliaque ejuſmodi delirantis phantaſiæ ludibria, quæ diſcuſſo ſopore inania videt, rideique homo: & hujuſmodi eſt voluptas omnis; vita enim hæc qualis, qualis eſt, ſomnus eſt, & voluptas imago ſomni.

Hinc bellè, atque eleganter Divus Gregorius Nyſſenus, voluptatem ait eſſe ſimilem *fallacium phantaſmatum*, quæ cùm teneri ab amatoribus creditur, ſubitò evaneſcit, atque in nihilum recidit. Tract. 1. in Pſal. c. 4.

Inde Cidonius ſimulacra potiùs voluptatum eſſe dixit, quàm voluptates, & Poëta non ignobilis *ſomnia* nuncupavit:

Par levibus ventis, volucríque ſimillima ſomno.

Cyrillus Alexandrinus, doctus & pius Antiſtes, In Mich. eas compoſuit cum umbris prætervolantibus; quæcumque enim, inquit, blandiuntur carni, *inſtar umbrarum prætereunt.* Quid inanius, quid fugacius umbrâ? & umbra eſt voluptas omnis. n. 79.

II.

Ab earum brevitate.

Sapiens (cujus ore Numen loquitur) eam triplici ſimilitudine bellè declarat.

Prima petitur à *Lanugine*, quam levis aura & tollit, & diſſipat.

Altera à *fumo*, quem diſpergit vel leviter aſpirans ventus.

Poſtrema à *memoria hoſpitis*, vel *unius* tantùm *diei*: ſic enim de ſenſuum delectatione, de voluptate, cui plus æquo indulgent ſtulti mortales.

Lanugo, inquit, *quæ à vento tollitur, & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis unius diei. Proinde beata mens, quæ hoſpita magis, quam domina terrenorum*, ut inquiebat magnus Pontifex S. Leo. Cap. 5.

Domina quippe iis inhæret, inſiſtit, immoratur; Serm. 12. in imò immoritur terrenis, ut ſuis: *hoſpita* verò, cùm Quadrag. ea ſua non reputet, ab iis abit, eáque non invita, ac reluctans, ſed ſpontè, & læta deſerit; audit enim & illud ejuſdem ſancti Pontificis:

Mens intenta manſuris, ibi deſiderium ſuum figit, ubi quod deſideratur æternum eſt. Serm. 1. de Reſurrect.

III.

Ab earum Cupidine bonæ menti noxia.

Ut noxiam doceant Authores graviſſimi, fidelibus oculis objiciunt ea omnia, quæ à voluptate relinquuntur, ceu infandi miſeríque illius partus.

Tertullianus, altiore ut aſſolet ſtylo, aſſerit infelicem animam, *libidinibus & concupiſcentiis evigorari.* Marceſcit enim, & ab illis diffluit omnis animi vigor, & quæ à natura, ab indole parta erat, quaſi juventus, in miſerabile effœtumq; ſenium degenerat.

Solon, inter Græciæ ſapientes facilè princeps, aureum illud dictum, ut præſtantia ingenii pignus reliquit: *Voluptatem fuge*; utque ſuaderet, ac perſuaderet, hanc rationem addidit: *Ægritudinem, & acerbum animi ſenſum progenerare.*

D. Gregorius Nyſſenus, qui docendi, & ſentiendi gloria ſummos æquavit, hoc extulit pronuntiatum: *Omnis voluptas conjunctum habet dolorem, atque moleſtiam.* Et hanc, & illum poetica venuſtate, mellitoque lepore, ſic expreſſit, & cõvenuſtavit Boëtius: De Reſur.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes, De conſol.
Apumq; par volantum, l. 3. Metr. 7.
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Ab hoc certè, ut ſcitè notat D. Baſilius & nomine & re etiam ipſa Magnus: *Voluptas omnis, plus doloris habet, quàm jucunditatis.* Etſi enim primis, ut ita dicam

dicam, labellis, cùm guſtatur, mel habet, ac quandam velnti ſuavitatem, mox tamen ea in fel acerbum, atque amarulentum degenerat; imò & aculeum animo altiùs infixum relinquit.

Hinc prudenter Seneca *magno lui voluptates* aitbàt, adeoque Sapienti dimittendas. Sic enim ad ſuos olim, ſic modò etiam ad nos:

Epiſt. 27. *Dimitte iſtas Voluptates turbidas magnò luendas, non enim ventura tantùm; ſed & præterita nocent.*

Qui autem noceant, oſtendit Boëtius. *Venturæ* quippe ſui famem, atque appetentiam pariunt inſatiabilem; *Præterita* verò nauſeam, & ſeram pœnitentiam. Sic enim ait:

L. 3. de conſ. Philoſoph. *Quid de corporis voluptatibus loquar? quarum appetentia quidem, plena eſt anxietatis, ſatietas verò pœnitentiæ.* Quamquam quid dico ſatietatem, cùm nulla eſſe poſſit à voluptate ſatietas? ut enim D. Hieronymus:

Epiſt. ad Damaſum Papam. *Semper voluptas famem ſui habet, & tranſacta non ſatiat.*

Qui enim ſatiaret quæ ſemper eſt prodiga, adeoque & indiga: quod eleganter, & mellea, ut aſſolet, eloquentia, explicat Ambroſius; ſic enim inquit:

Lib. ſuper Lucam c. 6. *Nihil prodiga ſatis eſt voluptati: ſemper famem patitur ſui, qua alimentis perpetuis neſcit impleri.*

Et hæc à voluptate etiam præſenti dimanant mala, illa; dum ea videmur frui, eam guſtare, eam plenis, ut ita dicam, buccis haurire; majora ſunt, quæ relinquuntur à præterita, horror mortis, ac divini judicii, conſcientiæ vermis, fœtor corporis; imò & animæ.

De quibus illud eſt oraculum magni Pontificis, Innocentii hujus nominis III. qui ſic illos voluptatum amaſios compellat.

Quid proſunt divitiæ? quid epulæ? quid delitiæ? & ab his, & illis parta voluptas? non liberabunt à morte, non defendent à verme, non eripient à fœtore; imò & his, & illis magis ac magis immergent, & immergendò, etiam æternùm perdent. Ne porrò perdant, dum vita ſinit, Lactantium audi & ſequere; ſic enim ad te:

Te moneo, ut oblectamenta iſta terræ pro magnis, ac veris bonis habere ne credas, quæ ſunt non tantùm fallacia, quia dubia, verùm etiam inſidioſa, quia dulcia, addo ego, quæ & noxia, quia mala. Et hæc paucis ad voluptatum fugam incitamenta attigiſſe ſuffecerit: Tranſeo ad alia illis affinia.

Præcipua quædam incitamenta ad Mundi fugam.

I.

A brevitate fluxúque rerum mundanarum?

BRevitas petitur ab interitu eorum, quæ in mundo ſunt, eóque triplici. ut enim D. Chryſoſtomus:

Hom. 25. in Epiſt. ad Hebr. *Omnia mundi bona triplex interitus tollit; aut enim ex ſeipſis veteraſcant, aut luxu dominorum ſuorum conſumuntur, aut ab extraneis diripiantur*, Quod, ſi triplex iis interitus, certè & citus ut ſit, eſt neceſſe; ſi enim una non tollantur ratione, at tollentur altera; ideóque, ut rectè & ſapienter D. Hieronymus:

Lib. 7. in Iſay. *Nulla res longa mortalium eſt, omniſq́; felicitas ſeculi, dum tenetur, amittitur.* Amittitur, inquam, & ſæpiùs etiam in puncto, in momento temporis.

Appello fidem Sapientis, qui ſic de mundi amatoribus: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Quod dum ea, qua par eſt, lance expendit D. Bernardus, ſic olim ad ſuos, ſic modò ad nos:

In medit. *Dic mihi ubi ſunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiſcum fuerunt? nihil ex iis remanſit, niſi cineres, & vermes: attende diligenter, quid ſunt, & quid fuerunt: ſicut tu comederunt, & biberunt, riſerunt, duxerunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic anima eorum ignibus deputatur.*

Quæ cùm ita ſint, age, Mi Lector, & elige. Eligere te jubet D. Auguſtinus, & ſic compellat:

Quid vis? utrùm amare temporalia, & tranſire cum tempore? an mundum non amare, & in æternum vivere? Tract. 2. in Ep. 5. Ioan.

Ne porrò ſic vivas, dum vivis in carne, morere mundo, ut poſt mortem carnis, Deo vivere incipias. D. Bernard. Epiſt. 105.

II.

A fallaciâ & malis dolis.

Mundi hujus aſpectabilis fallacia, ex eo oſtenditur, quòd falſa pro veris jactitet. Præter experientiam, quæ teſtis eſſe ſolet veritatis, appello Patrum fidem, atque authoritatem, atque imprimis D. Auguſtini: hæc olim ille ad Licentium, hæc modò ad nos omnes:

Proſpera hujus mundi, aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam: certam dolorem, incertam voluptatem, durum timorem, timidam quietem, rem plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem. Epiſt. 39.

Hæc ille etiam de proſperis hujus mundi, & verè, & piè, quæ tibi altiùs animo infixa velim eſſe, Amice Lector, ne ea tibi aliquando illudant improbè.

Divo Auguſtino conſentit D. Bernardus, & ipſe generoſus mundi contemptor, de quo hoc illius judicium, ac cenſuram accipe.

Mundus, inquit, *eſt ubi malitia plurimum; ubi ſapientia modicum, ubi omnia ſunt viſcoſa, omnia lubrica*, in quibus pedem figere dum credis, dum fortiter ſtare, & nutas, & concidis.

Quod ſi is eſt mundus, & ii quoque caro, & diabolus mundi adjutores in ea, qua vivimus cum illo lucta, & tamen & hos, & illum ſequimur: quod & damnat, & deplorat ſanctus Præſul. Sic enim de illius, & horum fallaciis, dolis, malitia.

Mundus clamat, ego deficiam; caro clamat, ego inficiam; diabolus clamat, ego decipiam; Chriſtus dicit, ego reficiam: & tamen ſuperba mens noſtra, magis vult ſequi deficientes, quàm reficientem.

An non ille ſtupor? illa dementia? Eſt enim verò ſtupor, eſt & amentia, quam ut exuas, Mi Lector, à mundi brevitate, atque fallacia, te traduco ad ſpectandos illius laqueos, atque pericula, ut ea quoque dum licet, declines.

III.

A periculis.

Ut ea ponantur in aperto, claraque luce, Divi Patres mundum comparant, modò cum irato mari, & fœdis tempeſtatibus horrido; modò cum ſterili ſolo, & ſpinis, ac dumetis aſpero, è quo non roſas colliges; ſed ſpinas.

Mari juſtè comparatur hic mundus, quia falſitatibus amarus eſt, fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempeſtatibus commovetur, inquiebat olim Caſſiodorus. In Pſ. 44.

Primum eſt amarities orta ex ſalſedine: & huic reſpondet ea, quæ in mundo eſt falſitas, quæ palato bonæ mentis inſipida accidit, atque amara; uti è contra veritas & ſapida, & dulcis ſentitur; & eſt; nihil enim animæ rationali veritate dulcius, hac paſcitur, hac & recreatur.

Alterum, quod in mari, ceu inconſtanti elemento, videmus, atque horremus, ſunt undæ, ſunt decumani fluctus, qui afflante aura vehementiore tolluntur in altum; ac mox concidunt, & naves fœdè quatiunt: eas enim modò in ſublime elevant impetu inſolentiore, modò in ima, & quaſi in infernum deprimunt.

Et huic æſtui maris ſimilis planè diabolica tentatio, à qua & fluctus, & tempeſtates, & hoc à vitiis, quæ dicimus *Capitalia*, ex his *Superbia* in altum erigit, tollitque velut in ſidera. *Acedia* verò demittit, deprimitque ad inferos uſque, & *Gula* abjicit ad paſtum cum animalibus: & *Luxuria*, ad canes, ad porcos relegat; facitque ut homo, aliàs cœlo natus, ac Superis, ſit veluti ſus in volutabro luti.

Et hæc vitia ſunt veluti fluctus diabolici, à quibus enaſcitur poſtremum fœda tempeſtas, & ab illa miſerabilis animæ ſalutiſque naufragium.

Et ecce, quæ à mundo tibi pericula, Benevole Lector.

Et hæc ſubjiciuntur oculis, à mari, cui comparatur mundus.

Alia explicantur alia ſimilitudinê, quæ mundo eſt, cum arido, ſterilique ſolo, è quo nihil enaſcitur præter ſpinas, & dumeta, quæ ſic exponit D. Bernardus.

Serm. in Cant. *Plenus eſt mundus ſpinis, quæ in terra ſunt, & in tua carne ſunt. verſari in his, & minimè lædi, divina potentia eſt, & non virtutis noſtra.*

Spinæ porrò illæ, ſeu aculei, quibus pungit, & lacerat nos mundus, aliæ ſunt in terra, hoc eſt, in hominibus terrênis, à quibus modò invidiæ aculeis pungimur, modò maledica lingua laceramur, modò calumniis impetimur, modo iræ veluti quibuſdam puncturis cruentamur, modò avaritiæ rapinis exuimur, & ſpoliamur bonis, quæ fortuna benignior affuderat. Et his ſpinis plenus eſt mundus.

Aliæ ſunt in carne tua: & hæ ſunt à duplici *Concupiſcentia; carnis* ſcilicet, atque *oculorum.* Habet enim hæc caro noſtra, licèt mollicula videatur, & ſit; habet, inquam, ſpinas ſuas, ſuóſque aculeos: hi porrò ſunt inſatiabilis bonorum cupiditas, & amor inſolens, quo diu, noctuque ſtimulamur, & carnis ſtimuli, quibus ad venerem, ad libidinem excitamur, & afflictiones, hoc eſt, fames, morbi, peſtis, bella, aliaque, quibus impetimur, atque atterimur.

Et tamen, quæ noſtra eſt cæcitas, quæ dementia, & amamus ea pericula, eos æſtus mundi, ceu irati maris, eos ſtimulos, eos ſpinarum aculeos. Et hoc eſt, quod horret, quod deplorat D. Auguſtinus; ſic enim olim ad ſuos, ſic modò ad nos:

In Pſalmo. *Ecce turbat mundus, & amatur. Quid ſi tranquillus eſſet? formoſo quo modo hæreres, qui ſic amplecteris fœdum? flores ejus quomodo colligeres, qui à ſpinis non revocas manum?*

Profectò (inquit è Petri ſede D. Gregorius)

In Dialog. *deſpiciendus à nobis hic mundus foret, ſi nobis blandiretur, ſi rebus proſperis demulceret animum.*

At poſtquam tot flagellis premimur, tanta adverſitate fatigamur, tot nobis quotidiè dolores ingeminat, quid nobis aliud quàm ne diligatur, clamat?

Quod ſi clamat, uti verè clamat, non tam voce, quàm reipſa, quàm incommodis, quàm periculis, quàm flagellis, eum certè audiamus eſt neceſſe, niſi ſurdi ſimus, & caucaſo rupibusque duriores, niſi in malum noſtrum, in ruinam proni, ac præcipites, niſi contra nos ipſos, vitam, ac ſalutem noſtram conjurati, quod malorum ſummum eſt, ſummum ſtuporis, cœcitatis, atque dementiæ.

IV.

A moleſtiis & curis edacibus, quas creat irrequieta & ſemper egena bonorum mundi poſſeſſio.

Inter moleſtias cenſeri poteſt, ac debet: Primò inſolens & inquieta eorum appetentia, ſi non habes.

Deinde metus, ac timor, qui te occupat, & angit, ſi habes. Et hunc & illam ſcitè exponit D Gre-

Cap. 31. gorius in illud Jobi: *Si expavi ad multitudinem nimiam.*

Magna, inquit, *eſt ſecuritas cordis, nihil concupiſcentiæ habere ſæcularis: nam ſi ad terrena adipiſcenda cor inhiat, cor ſecurum tranquillúmque nullatenus eſſe poteſt.* Cujus rationem mox ſubjicit, dicens:

Quia aut non habita concupiſcit ut habeat; aut adepta metuit, ne amittat: & dum in adverſis ſperat proſpera, in proſperis formidat adverſa; huc illucq;, quaſi quibuſdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate verſatur.

Et hæc de appetentia, metuque Magnus Pontifex, quibus affinia alia adjicit D. Auguſtinus, qui, poſtquam docuit fallacem in temporalibus eſſe ſanitatem, illicò ſubdit:

Labor & perpetuus timor, & periculoſa jucunditas, initium ſine providentia, finis cum pœnitentia.

Ecce ingentia mala, primùm in illis acquirendis *labor*, ſecundò in conſervandis *timor*, & *ſollicitudo.* Tertiò, ſi in poſſidendo eſt *jucunditas* aliqua, certè *periculoſa* eſt: & hoc quia *initium ſine providentia*, quia *finis cum pœnitentia.* Ex quibus duo conficit S. Doctor:

Primum nec eſſe, nec dici poſſe felices, qui ea bona poſſident; alterum, ea negare eſſe potiùs Dei miſerentis, quàm punientis. Juvat illum audire, etiamnum ſpirantem in ſcriptis: ſic ille de fallacibus hominum judiciis, ac vulgi ſenſu:

Amant homines diverſas res, & quando quiſque quod In Pſ. 26.
amat habere videtur, felix vocatur; verè autem felix non eſt. Multi enim miſeri ſunt magis habendo quod amant, quàm carendo. Amando enim res noxias, miſeri: habendo, ſunt miſeriores.

Hæc ubi extulit tum aperit amabiles divinæ providentiæ vias, bonitatem, ſi negat; juſtitiam, & formidabiles iras, ſi concedit.

Propitius Deus, inquit, *cùm malè amamus, negat quod amamus; iratus autem dat amanti, quod male amat.* Primum eſt Dei miſerentis, ſecundum punientis. Et quia ejuſmodi eſt ea bonorum hujus mundi poſſeſſio, quia mendax, quia plena edacibus curis, ſic imprudentes, incautóſque illorum amatores compellat D. Auguſtinus, ſic revocat ad unicum, verum, & ſummum bonum:

Redite, inquit, *prævaricatores ad cor, & inhærete illi,* Lib. 4.
qui fecit vos; ſtate cum eo, & ſtabitis; requieſcite in eo, Conf.
& quieti eritis. Quò itis in aſpera, quo itis? bonum quod amatis ab illo eſt. Quò vobis adhuc, & adhuc ambulare vias difficiles, & laborioſas? Non eſt requies, ubi quæritis eam. Quærite quod quæritis; ſed non ubi quæritis. Beatam vitam quæritis, ſed in regione mortis: non eſt illic.

Et quia non eſt illic, hinc difficultas, labor, ſollicitudo irrequieta, & miſerabilis egeſtas, etiam in rerum mundanarum vel maxima copia.

Quod experientia ſua probè doctus ille ipſe, quo authore utor, Auguſtinus, ſic ad Deum in exceſſu, æſtuque orationis:

Hoc ſcio Domine Deus meus, quia ubicumque ſum ſine In Medit.
te, malè mihi eſt præter te: non ſolùm extra me: ſed etiam in me: quia omnis copia, quæ Deus meus non eſt, mihi egeſtas eſt.

Quod ſi egeſtas eſt, *Quid igitur per multa vagaris homuncio? quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama unum bonum, in quo ſunt omnia, & ſufficit. Deſidera ſimplex bonum, quod eſt omne bonum, & ſatis eſt.* Ita D. Auguſtinus, à quo tranſeo ad aliud, quod ſtimulo eſſe debet ad glorioſam illam mundi hujus deſpicientiam, videlicet

V.

Ab ipſa hominis natura.

In hac duo ſpectare poſſumus, & amare. Primum, quod Deo nata, Dei ſit capax. & inde alterum, quod mundo major ſit.

Ex primo D. Bernardus conficit, mundi bonis occupari poſſe, ex ſecundo repleri non poſſe; ſic enim inquit?

Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omni- Serm. de
bus occupari poteſt, repleri omninò non poteſt. Capacem dedic. Eccl.
enim Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit: at creata omnia, Deo minora ſunt, igitur iis impleri non poteſt mens humana; imò nec ea appetere, ſi modò ſe norit. ut enim D. Cyprianus: *Nihil appetere jam de ſæculo poteſt, qui ſæculo major eſt.* At ſæculo major humanus animus, igitur nec de ſæculo quicquam appetere poteſt. Et hæc notaſſe, ſit ſatis.

TRACTA-

TRACTATUS DE HUMILITATE.

QUi ſanctitatem dixit eſſe *ſcalam*, non aberravit à vero: ut enim hæc alios, atque alios gradus habet, quibus aſſurgit in altum: ſic & illa tot gradus habet, quot enumerat virtutes. Ex his porrò gradibus primus omnium eſt *Humilitas*, quia prima virtus, à qua ad altiora, id eſt cœleſtia, ac divina, incipit aſcenſus: ad quem, quia omni contentione aſpirare debes, Mi Lector, ideo de illa hîc paucis.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Humiles ſpiritu ſalvabit.* Pſalm. 33. verſ. 19.

§. 1.

Qui humiles ſpiritu, & cur ſpiritu?

NE ſine Numine additum putes illud *ſpiritu*: eſt enim qui humilis ſit; ſed non *ſpiritu*: eſt qui videatur, & non ſit: eſt qui deforis, & non intus ſit humilis. Vadem habeo D. Ambroſium; ſic ille

Lib. 7. epiſt. 44. aliquando: *Multi habent humilitatis ſpeciem; ſed virtutem non habent: multi eam foris prætendunt; ſed intus impugnant.*

Qui porrò ſint illi, oſtendit D. Hieronymus in quadam è ſuis epiſtolis ex aliis atque aliis ſignis, quæ fucatam atque adulterinam humilitatem oſtendunt, & re tamen ipſa veram non exhibent: tum quæ ſint ſigna fuſiùs edocet:

Perfacilè, inquit, *eſt aliquem habere veſtem contemptam, ſalutare ſubmiſſiùs, manus & genua deoſculari, inclinato in terram capite, oculiſq; dejectis humilitatem polliceri, lenta voce, tenuiq; ſermones infringere, & ad omne verbum peccatorem ac miſerum ſe clamare: ſed ſi levi ſermone offenſus fuerit, continuò videbis attollere ſupercilia, levare cervicem, & delicatum illum vocis ſonum inſano clamore repentè mutare.*

Ecce ut falſa illa, atque ementita humilitas ſe prodit. Nè ſic aliquandò ſe prodat, & oculis ſpectantium illudat improbè, opportunè monet ille ipſe S. Doctor epiſtola ad Celantiam, in qua ſic eam hortatur, & monet: *Humilitatem ſectare, non quæ oſtenditur, aut ſimulatur geſtu corporis, aut fractâ voce verborum: ſed quæ puro cordis affectu exprimitur: aliud enim eſt virtutem habere, aliud virtutis ſimilitudinem.* Hanc plerique oſtentant, illam omninò pauci: inde juſtæ S. illius Doctoris querelæ.

Multi hujus virtutis umbram, veritatem pauci ſectantur.

Epiſt. 27. Ne porrò ſectentur ultra, *auferantur*, inquit, *omnia figmenta verborum, ceſſent ſimulati geſtus, veram humilitatem patientia oſtendat*: ut autem oſtendat, non blanda voce, non fucatis verborum lenociniis, non mentito habitu; ſed re etiam ipſa: diſertis verbis aperit D. Gregorius quantum illud ſit malum, & quàm deplorandum in Eccleſia, dum in ea Præſules atque Doctores aliud ore explicant, & aliud corde tegunt. Sic enim ad illos è Petri ſede: *Quid dicturi ſumus? quia iniqua operibus docemus, & falsâ voce, ea,*

In Regiſtro. *quæ ſunt juſta prætendimus. Oſſa jejuniis atteruntur, & mente turgemus: corpus deſpectis veſtibus tegitur, & elatione cordis purpuram ſuperamus; jacemus in cinere, & excelſa aſpicimus, doctores humilium, duces ſuperbiæ.*

Superbia, inquam, quæ eò deformior eſt, quò pulchrioribus involucris tegitur; eò periculoſior, quò virtutis imagine blandior; ut enim D. Hieronymus: *Neſcio quomodo turpiora ſunt vitia, cum virtutis ſpecie celantur.* In Marcum.

Ne verò ſic celentur per fraudem & malos dolos, videndum erit quæ ſit radix Chriſtianæ humilitatis, tum quid ea ſit, quæ ex iſta naſcetur humilitas.

§. 2.

Cognitio ſui Radix vera & Chriſtianæ Humilitatis.

APud Delphos in Apollinis æde fuit celebris illa ſententia melioribus impreſſa typis. *Noſce teipſum*, contra quam multis ſanè modis declamare eſt auſus Menander in Traſyleonte, entitque in adverſum illud: *Vtilius eſſe, noſce alios.*

Verùm contra hunc pugnavit tota retrò antiquitas, tota deinde & poſteritas, apud quam pro oraculo habitum illud Delphicum: *Noſce teipſum*, & meritò; eſt enim ea ſui cognitio, ut & difficillima; ſic & utiliſſima.

Difficillimam cenſuit Chilo Philoſophus, nominatus inter ſuos; rogatus enim quid eſſet in rebus humanis, & ſcientiis difficillimum. Reſpondit: *Noſſe ſeipſum*: & jure ſanè quàm optimo. Sunt enim in homine tot receſſus, & tam abditi, ut eos pervadere longè difficillimum. Eſt etiam & in eodem cœcus amor ſui, qui falſa pro veris obtrudit, adeoque illudit improbè. Quid facias? cœcus eſt amor, adeóque ex eo cœca, & malè oculata ſui cognitio.

Eſt tamen eadem & ſcientiarum omnium longè *maxima, & tanta*, teſte D. Hieronymo, ut, *cui omnium ſcientia data eſt, hæc non fuerit conceſſa. Omnium ſcientia datur Adæ, atque adeò omnibus nomina impoſuit: ſed ſui cognitio, non ei plenè conceditur, ideò ſibi nomen non impoſuit. Iſta ſui cognitio ſuperbiam omnem exterminat. Quis enim ſuperbiat, qui ſe ex limo eſſe ſciat, & in limum, adeóque pejorem limo putredinem rediturum.*

Et hinc utiliſſimam quoque eſſe pronuntio.

Appello illud Chriſti ad D. Catharinam Senenſem oraculum. cùm ei ſeſe videndum dediſſet, ſic deinde ad illam:

Si noſti, filia mea, quis ego ſim, & quæ tu ſis, beata eris: tum ſubdit & divinum, quo & hoc, & illud noſſe poſſit:

Ego ſum, qui ſum. Tu es, quæ non es.

Hæc ubi cœleſti voce audiit, tum & animo excepit illud: *Tui cognitione omnes inimici fraudes eludes, omnes laqueos effringes, nec unquam contra Cœli placita præceptaq; incurres: & uberem eodem propitio Cœlo gratiam obtinebis, & ab illa deinde etiam beatitatem.*

Ecce ut cœleſti, divinóque oraculo probata utilitas, quæ à ſui cognitione, ceu fonte, dimanat. Ecce ut quàm utiliſſima: ſcire vis quàm etiam neceſſaria? Excipe à luculenta Divi Bernardi oratione ad Eugenium Pont. Max. ſic enim ad illum:

Noveris licèt omnia myſteria, noveris lata terræ, alta Cœli, profunda maris; ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento ruinam, non ſtructuram faciens. Quidquid extruxeris extra te, erit inſtar congeſti pulveris, ventis obnoxium. Lib. 2. de Conſid.

Ut rem ſub oculos ponat, utitur S. Præſul duplici ſimilitudine, quæ & ſub oculos cadit. Prima ducitur

ab *ædificio*, quod in altum erigitur: ſed nullo priùs jacto fundamento, quo erecta moles ſuſtentetur, & inde ait, non *ſtructura* eſt: ſed *ruina*. Et talis eſt omnium aliorum ſcientia: ſi vel unica ſui cognitione, ceu fundamento, deſtituatur, *ruina* eſt, non *ſtructura*.

Ruina dico, quæ etiam in tartarum uſque devolvatur, non *ſtructura*; quæ in cœlos aſſurgat: ut enim etiam profani Poëtæ metro hîc utar:

Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

Altera ſimilitudo petitur à pulvere malè congeſto, ex quo ut cumulum ingentem feceris, ſi vehementior aſpiret aura, ſi ventus incutrat validior, illicò in auras abit, & fit ludus ventorum, non jam cumulus, non ædificium; ſed pulvis, & nubes pulveris penitùs diſſipata, atque evaneſcens.

Sic erit, ſi omnem aliam ſcientiam accumularis, relictâ tui unius cognitione, pulverem accumulaſti, & præterea nihil. Unde nihil tibi, nec in terris, nec in Cœlis reliquum erit.

Hæc ubi ad Eugenium Bernardus, tum ſic deinde ad illum rurſus:

A te proinde incipiat tua conſideratio, non ſolùm autem; ſed & in te finiatur quocumque evagetur, ad te revocaveris eam cum ſalutis fructu, tu primus tibi, tu ultimus.

Hæc ubi Eugenio ſcripſit, dixitque Bernardus, tum ad extremum iſta conficit, & veluti pro coronide adjicit:

Non ergo ſapiens, qui ſibi non eſt ſapiens. Omnia illi deſunt, qui nil ſibi deeſſe putat.

At qui ſeipſe neſcit, ſibi non ſapit, & qui nihil ſibi deeſſe credit, omnia, ut illi deſint, eſt neceſſe. Omnia dico, hoc eſt virtus omnis, quia ut ille ipſe S. Abbas ad eundem Eugenium:

Lib. 5. de Conſid. *Virtutum bonum quoddam & ſtabile fundamentum eſt humilitas: nempe ſi nutet illa, virtutum aggregatio nonniſi ruina eſt.* at nutabit illa, ſi nutet vel una ſui cognitio: adeóque & virtutum aggregatio, non erit *niſi ruina*.

Quod cùm probè noſſent, & altiùs in animum admiſiſſent omni ævo viri ſapientes, in id unum incubuerunt toti, ut ſeipſos apprimè noſcent, ut patebit ex Paragrapho ſequenti.

§. 3.

Etiam Inſulata, etiam Coronata capita hac ipſa ſui cognitione, intra naturæ, & rationis limites continentur.

Divus Chryſoſtomus in medium adducit antiquæ memoriæ Heroas, Abrahamum & Davidem, qui in hac ipſa ſui cognitione ac deſpicientia fuêre facilè principes. Juvat illum audire etiamnum ſpirantem in ſcriptis:

In c. 2. Matt. hom. 20. *Non eſt*, inquit, *minima pars philoſophiæ, meritum ſuum poſſe dignoſcere. Ille maximè ſeipſum novit, qui ſe nihil eſſe exiſtimat. Propterea quippe & David, & Abraham, poſtquam jam ad ſummum virtutis faſtigium evaſerant; tunc illud quod dico præcipue videntur impleſſe: nam*

Gen. c. 18. ps. 29. *unus quidem ſe eſſe dixit terram, & cinerem: alter verò ſe vermem vocabat.*

Nec ſpectabat hic, aut ille, quid à ſplendidioris fortunæ phaleris eſſet: ſed quid à natura: hoc nempe fuit Sapientis. & hoc unum ab Eugenio Pont. Max. ſpectari voluit divus Bernardus, dum ſic ad illum:

Lib. 2. de Conſid. *Hæc tui conſideratio in tria quadam dividitur. Si conſideres quid, quis, & qualis ſis: quid in naturâ, quis in perſonâ, qualis in moribus.*

Si quæras, & attendas *quis ſis?* tibique ipſe dicas ſolemne illud. *quis es?* ſtatim audies;

Sacerdos magnus, ſummus Pontifex, tu princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedec, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus.

En quis es, inquit; *ſed noli oblivìſci etiam quid?* imò & opportunè *cum eo qui es, etiam quod ante eras, conſidera. Quid dico, eras? & nunc es. Quid deſinas intueri, quod non deſiſti eſſe? Una ſanè conſideratio, quid fueris, & quid ſis. Nam quis ſis factus, altera: non oportet ut iſta extrudat illam in ſcrutinio tui. Es enim adhuc, quod eras, & non minus hoc es, quàm quod factus es poſt; fortè & magis. denique illud natus es, mutatus hoc, non in hoc mutatus. non rejectum illud; ſed iſtud adjectum, adjectum* quòd Epiſcopus, quòd & Pontifex, non *rejectum* illud, quid *homo*. Tibi enim *conſideranti quid ſis, neceſſe* eſt *naturam occurrere, quia es homo, nam homo natus es. Porrò percunctanti quis? perſona reſpondetur nomen, quod eſt Epiſcopus: quod quidem factus, non natus es.*

Hæc ubi non minùs ingenioſè, quàm piè extulit D. Bernardus, tum quærit ex Eugenio: *Quid tibi horum videtur ad purum eſſe tui, & ad te principalius pertinere? quod factus? an quod natus? nonne quod natus?*

Hoc ego conſulo, conſideres maximè, quod maximè es, hominem videlicet, quod & natus es; nec modò quid natus ſed & qualis natus, oportet attendas. Tolle proinde mox hæreditaria hæc perizomata ab initio maledicta. Dirumpe velamen foliorum celantium ignominiam, non plagam curantium, dele fucum fugacis honoris hujus, & malè colorata nitorem gloriæ, ut nudè nudam conſideres, quia nudus egreſſus es de utero matris tuæ, numquid Inſulatus? numquid micans gemmis, aut floridus ſericis, aut coronatus pennis, aut ſuffarcinatus metallis?

Si cuncta hæc veluti nubes quaſdam matutinales velociter tranſeuntes, & citò pertranſituras, diſſipes, & exſuffles à facie conſiderationis tuæ, occurret tibi homo nudus, & pauper, & miſer, & miſerabilis.

Homo, inquam, *natus de muliere, & ob hoc cum reatu: brevi vivens tempore, ideóque cum metu: repletus multis miſeriis, & propterea cum fletu.*

Hæc ubi, tum ex hominis natura, tum ex culpa protulit S. Præſul, tum iterum converſa ad Eugenium oratione, ſic eum urget, atque obteſtatur, adjiciens ad extremum illud:

Salubris copula, ut cogitans te ſummum Pontificem, attendas pariter viliſſimum cinerem non fuiſſe; ſed eſſe. Imitetur cogitatio naturam; imitetur & quod dignius eſt, auctorem naturæ ſumma imaq; conſocians.

Hactenus Bernardus, qui hæc olim ad Eugenium, hæc etiam modò ad nos, ut ſimus animo, & cogitatione, qui re ipſa ſumus *homines*, hoc eſt fragiles, mortales, ex vili argilla, lutóque malè compacti: & hæc erit quàm utiliſſima noſtri cognitio, quæ noſmetipſos quodammodò nobis reddet: ſed quales à natura ſumus, non quales ab aſcititiis ornamentis, à quibus nobis uſu venit, quod ſtatuæ ex luto factæ, atque formatæ: hæc ut tegatur pretioſis veſtibus, auro gravetur, gemmis ornetur, atque unionibus, iis poſitis ſtatua videtur, & eſt, & quidem lutea. Et nos ii ſumus, etiam in Inſula, etiam in Tiara; adjicientur enim hæc omnia homini, nec proinde rejicietur quod hominis erat: ſed relinquetur.

Et hoc ipſum eſt, quod etiam in diademate propoſitum aliquando ſibi voluerunt præcelſæ, regiæque mentes, ne ſui unquam eſſent immemores.

Philippus Macedo, Regum ſui ævi nulli fortè ſecundus, cùm in Charonæa fudiſſet Athenienſes, ea victoria inſolenter uſus fuit, nec ſatis memor humanitatis, quàm à natura induerat, extitit: Ne porrò aliàs immemor eſſet, conſultum putavit, ut è pueris honorariis unus aliquis hoc ei quotidie in memoriam revocaret, *hominem eſſe ſe.*

Itaque priuſquam aut prodiret in publicum, aut ad colloquium quemquam admitteret, puer ei diebus ſingulis ter proclamabat illud:

Philippe,

Philippe, homo es. Hac cogitatione, hacque ſui cognitione ſeipſe continebat, coërcebatque intra præſcriptos à natura & ratione terminos. Eadem alu intra arctiorea chriſtianæ humanitatis ac modeſtiæ cancellos.

Ne exemplis chartam onetem, unus erit inſtar omnium B. Franciſcus Borgia ex Gandiæ Duce, & Prorege Catalauniæ, Societatis JESU religioſus, idem etiam Generâlia Præpoſitus. Hic cubitu ſurgens, terram, communem omnium matrem, ter quotidie oſculabatur, hoc conſilio.

Lib. 4. vita ejus c. 4.

Primò, ut ſe ex humo conditum, recensque natum eam contigiſſe meminiſſet, quod cogninoni ſuiipſius ſerviebat: Deinde, ut Chriſto, qui in terram de Cœlo genus humanum liberaturus, deſcenderat, gratias ageret ea ſui demiſſione.

Denique, ut à terris abductum, in Cœlum, tanquam ab exilio revocatum, benignus Deus tranſcriberet, quod altioris erat ſpei, atque ad cæleſtia aſpirantis.

Et hæc de cognitione ſui, quæ petitur ab ipſa naturæ noſtræ compagine, & attenta meditatione: âliam accipe, quæ etiam à priſtinæ ſortis, ac fortunæ perenni conſideratione.

Inter Indica regna eminet Regnum Mogor, Indum inter. & Gangen. Ejus Rex Echebar multò potentiſſimus, ſi quos infimæ ſortis homines, benè tamen de regno meritos ad honores eveheret, ne fortè inde ſuperbirent, atque inſoleſcerent, jubebat, ut ſignum aliquod ſui prioris ſtatus palam & ante ſe geſtarent. Puta inſtrumentum artis, quam ante profeſſi erant; ut ſi agricola, aratrum; ſi hortulanus ligonem aut ſarculum præferret.

Hiſtorica Relatio de magno Rege Mogor.

Ita Architalaſſum, ſeu præfectum maris, quem è depreſſiore fortuna, ad id officii ac dignitatis erexerat, juſſit ut quoties in aciem progrederetur, aut ſolveret è portu; haſtam ante ſe geſtari curaret, eo quòd aliquando & ipſe eorum caput fuiſſet, qui haſtas conficiebant.

Amabat nimirum Rex ſanè providus ac prudens perennem in omnibus eſſe priſtinæ fortunæ memoriam, atque ex ea quoque ſui cognitionem, quæ faſtum omnem retunderet, reprimerétque.

Quod ille in aliis & amavit, & quæſivit in cœca gentilitatis nocte: hoc alii in ſeipſis, in Evangelii luce, ſoléque.

Amicus Epiſcopus primò, dein & Cardinalis, cùm olim paſtor ovium fuiſſet, ut in oculis ſemper eſſet illud, pro ſcuto ſibi ſumpſit *agnellum*, cui in capite eſſet apertus codex.

Willegiſus ex filio Rotarii Archiepiſcopus Moguntinus, ad conclave ſuum rotas affigi voluit, addita hac epigraphe:

Willegiſi, memento quo parente natus ſis.

Agatocles ex figulo Rex Siciliæ, ut ſemper ad manum eſſet iſtud priſtinæ fortunæ memoriale: menſæ Regiæ adhibere ſolitus vaſa figuli, ex iis edere, ex iis & bibere: non argento, non auro, ut mos eſt Regibus.

Et hæc ad priſtinæ ſortis memoriam.

Ego etſi eam amem, probémque; optémque omnibus & in oculis eſſe, & in animo; malo tamen eam, quæ eſt naturæ, & conditionis humanæ, quam non accepimus à fortuna; ſed hauſimus à natura, à qua, Mi Lector, *homo es*, hoc eſt, ab humo: quod ſi eum eſſe te memineris, eris certè qui es, ſecundùm illud Philemonis pronuntiatum,

Maxim.

Homo cùm ſis, id fac ſemper intelliges, & ſemper eris homo. hoc eſt & rationalis ſimul, & humilis: ſed ut ia ſis, neceſſum eſt larvam deponas, qua ſpectantium oculia illudis improbè.

Mirum ſanè: ſed verum tamen, qui in hoc ſublunari mundo degunt, larvati ſunt propè omnes, adeóque alios ſe mentientes, quàm reipſa ſint. Appello prophetæ Regii fidem; hæc ille aliquando: *Verumtamen in imagine pertranſit homo.*

Pſal. 38. v. 7.

In hebræo eſt, in *figuris idolorum.* hæc extrinſecus aurum, gemmas, uniones, & quidquid è terræ ſinu, vel è fundo maris pretioſum erui poterat, illud oſtentabant; at intrinſecus nihil erant præter abjectum alicujus ligni ſegmen, & quidem aridum, & ſæpè carioſum. Ita *Iovem* fingebat ſtulta antiquitas auro gravem, nitentem gemmis, throno inſidentem, qui Cœlos volveret, terram quateret, miſceret tonitrua, vibraret fulmina, omniáque pro nutu ſusque deque verteret.

Ita *Mercurium* effingebant ſuo caduceo inſignem, eloquentiæ principem, qui auditores flecteret partea in omnes.

Ita *Martem* armis timendum, ſtrictóque ferro terribilem oſtentabant, qui & exercitus in campum effunderet, & demeteret etiam coronata capita.

Et hi omnes, ut ſuis illis phaleris ornati eſſent extrinſecus: at intus non erant niſi aut vile luti figmentum, aut lapis è rupe deciſus, aut lignum aridum à tinea corroſum.

Quod idolis illis, hoc & mortalibus: hoc inter, eminent aliqui *Iovis* inſtar ſceptro verendi, & corona, & purpura.

Alii veluti *Mercurii*, eloquentes illi & facundi in roſtris, in foro: hi verò *Martis* ad inſtar ferrum rotant & enſes, & urbes, & regna domant.

Hi regno ponuntur, illi Ducatu, Comitatu alii. Hic ſerica nitet veſte, ille plumaria, hic divitiis gaudet, ille voluptatibus, honoribus eminet alius. Sed tolle larvam, tolle illa omnia deforis adjecta, & quod intus eſt attende. Et quid aliud? lutum, putredo, cinis. adeo verum illud Regii Vatis: *In imagine, in idolorum figuris, pertranſit homo.* Et quò abit? *in domum æternitatis*; ſed nudus, ſed omnibus ſpoliatus.

Eccl. c. 12. v. 5.

Nutricum ſpolia illa detrahit, phaleras illas excutit mortis manus; & ſicuti nudum natura immiſit in orbem; ſic & nudum dimittit.

I modò, ſpolia iſta affluentis fortunæ quære; i phaleras illas adorna, illis omnibus aliquando ſpoliandus.

Quamquam, quid ad illa veluti ſectanda te in ſpeciem evoco, ô quiſquis es mortalis, quiſquis es homo; ac non potiùs ab iis revoco? Evoco ſanè, ut videas *quis* ab iis *ſis*; revoco, ut iis depoſitis, noveris *quid ſis*: lutum ſcilicet, putredo, cinis: & hæc erit *tui cognitio*, ad quam te probè formatum volui, ut is eſſes, qui ab humo humilis, & in teipſum abjectus.

Et is fuit Robertus Cardinalis Nobilius. Hic ſe Societati devoverat, nec per illum ſtetit quominus Purpuram cum noſtra veſte, aulam cum Collegio commutaret, non alio ſanè ſtudio, quàm humilitatis, quam & prodidit Romæ moriens ſuprema illa voce: *Humilitas, Humilitas, Humilitas.* Et hæc illi vox, Societati, Collegio Cardinalium, Nobilitati omni, imò & Orbi univerſo, veluti teſtamento, relicta, quam & ultimam accipias ipſe, Amice Lector, ſervesque ſeros in annos ad uſque mortem, aditumque beatitatis.

Nadaſi in An. Dier. Mem. Ian. 17

§. 4.

Quæ ſit vera & chriſtiana humilitas?

Optarat aliquando B. Magdalena de Pazzi in ſchola Humilitatis edoceri probè, & intelligere quid nominis ea eſſet, quid rei, quæ illius partes, quæve officia?

Votis cœlum annuit, annuit & Dei Mater. E cœli regia dimiſit magnos Humilitatis magiſtros S. Albertum Carmelitam, & S. Ignatium Societatis JESU fundatorem: ab his edocta quàm optimè.

Nicolaus Puccinius à P. vita, c. 12.

Optandum eſſe ut iidem nobis obvenirent Magiſtri: ſed quoniam ea grana non conceditur niſi præcelſis à virtute mentibus, ideo mutuanda nobis

erunt

erunt pauca ex relictis Sanctorum Patrum monumentis.

Unde dicta Humilitas? *Humilitas* ab humo dicta, quia per illam, ad ima, & ad humum uſque deprimimur; & hoc quidem nullius impulſu; ſed ſponte, & prona voluntate: ſi enim aliena vi, manuque deprimimur; jam non eſt virtus, ſed pœna; nec tam humilitas, quàm humiliatio, quæ tamen ſubinde etiam humilitati acquirendæ plurimum deſervit.

Et ita cenſuit, ita dixit Vates Regius, dum ſic ad Dominum: *Bonum mihi Domine, quia humiliaſti me.* Pſal. 118.

Franciſcus I. Rex Chriſtianiſſimus ad Capuam captus, fortè ad quoddam Cœnobium diverit, in cujus porta litteris grandioribus extabat ille ipſe Pſaltis verſiculus. Vidit, legit, ingemuit.

Quid autem ſit ea humilitas, non ita in aperto eſt.

B. Laurentius Juſtinianus dicere ſolitus, *neminem benè ſcire quid eſſet humilitas, niſi, qui à Deo accepiſſet, ut eſſet humilis; in nullo enim tam falli homines, quam in verâ humilitate cognoſcendâ.* In ejus vito c. 9.

Quod tanti Præſulis pronuntiatum veriſſimum eſſe cenſeo, ſi ſermo ſit de *ſcientia* humilitatis, quæ *dicitur practica*, ſecus de *ſpeculativa*. Exiſtimo enim non tam falli homines in cognoſcenda vera humilitate, quàm in habenda. In hac certè quàm plurimos aberrare credo, qui ſe humiles opinantur, nec tamen reipſa ſunt.

Quid facias? nobis facilè blandimur, in cauſa propria judices cœci. Sed veniamus ad humilitatis definitionem: ea variis alia eſt, atque alia, ex alio atque alio illius vel affectu, vel etiam effectu. Unde meo quidem judicio non eſt preſſiùs data definire ex arctioris Logicæ legibus: ſed his in præſentia ligari nolumus, quia non tam logicum agimus aut Philoſophum, quàm Eccleſiaſten.

D. Baſilio: *Humilitas eſt depoſitio vani ſenſus, qui ab elatione vana de ſe exiſtimationis proficiſcitur.* In cap. 2 Iſay q. 198.

Mali corvi (ut dici ſolet) *malum ovum.*

Quid ſit Humilitas? Vana de ſe exiſtimatio, ceu fœcundario malum parens, ab elatiore animo, vanum etiam ſenſum gignit; & hunc deponit, & præfocat humilitas.

D. Bernardo: *Humilitas eſt, qua quis veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit.* vel ut in Epiſt. ad Henricum Archiepiſc. Senonenſem: *Humilitas eſt contemptus propriæ excellentiæ.* L. de Grad. Humil.

Alberto Magno: *Humilitas vera, & perfecta eſt, cùm gloria contemnitur exhibita, nec appetitur exhibenda.* In Paradiſo animæ. c. 2.

Joanni Ruſbrochio, viro in paucis erudito, & pio: *Humilitas eſt animi demiſſio, id eſt, interna quædam, & profunda cordis & animi coram celſiſſima Dei majeſtate inclinatio, & ſubmiſſio.* Lib. de præcipuis virt. n. 2.

Qui enim ſupremum in Cœlis Numen, excelſiſſimum illud ſuſpicit, ut ſeipſe coram illo demittat, atque abjiciat, neceſſe eſt: & hoc quidem, non ſpecie tenus, & quaſi ad oculum; ſed profundiore quadam cordis, id eſt affectus, inclinatione, & animi, id eſt judicii, ſubmiſſione, quod eſt veræ humilitatis.

D. Thomæ Aquinati, Angelico doctori: *Humilitas eſt virtus, quâ quis defectum ſuum conſiderans, ſe in infimo ſecundùm modum ſuum continet.* vel ut ille ipſe S. Doctor: *Eſt laudabilis ſui ad ima dejectio.* 2. 2. q. 161. art. 1. ad 2.

Et hæ ſunt definitiones ſparſæ in eorum operibus, quas hîc velut in cumulum cogere volui, ut humilitati, quæ profundo humani cordis, quaſi alta nocte tegitur, lucem aliquam afferrem.

Quotuplex Humilitas. D. Bernardo, duplex humilitas. Una *judicii*, quæ eſt imperfecta: Altera *affectus*, quæ perfecta eſt.

Judicii. *Judicii* humilitas eſt, quâ quis ſeipſum ad lucem veritatis intuens, agnoſcit ſuam vilitatem, & ſe coram Deo demittit, atque abjicit: non tamen vult ab aliis vilis haberi, aut contemni.

Affectus. *Affectus* humilitas eſt, quâ quis etiam ab aliis talem ſe haberi cupit, qualem ſe Deo teſte, & judice cognoſcit.

De hac, & de illa ſic D. Bernardus: *Eſt humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet calorem, & eſt humilitas, quam charitas format, atque inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cogitatione conſiſtit.* Serm. 42. in Cant.

Ubi & hoc & illud humilitatis genus ita diſtinxit, tum ſubjicit unde & hoc & illud originem ſumat, & ſic ait:

Etenim tu ſi temetipſum intus ad lucem veritatis, & ſine diſſimulatione inſpicias, & ſine palliatione dijudices, non dubito quin humilieris, & tu in oculis tuis factus vilior tibi ex hac vera tui cognitione: quamvis necdum fortaſſe id eſſe patiaris in oculis aliorum. Hæc ubi protulit de origine illius humilitatis, tum ſic conficit:

Eris igitur humilis: ſed de opere interim veritatis: & minime adhuc de amoris infuſione: & rationem adjicit.

Nam ſi veritatis ipſius, qua te tibi veraciter atque ſalubriter demonſtravit, ſicut ſplendore illuminatus: ita amore affectus fuiſſes, voluiſſes procul dubio, quod in te eſt, eandem omnes de te tenere ſententiam, quam ipſam apud te veritatem habere cognoſcis.

Ubi hæc extulit S. Præſul de ſola illa humilitate, quæ Judicii eſt, ſeu agnitæ jam veritatis, tum eos acriore ſtylo pungit, qui eam unicam ſectantur; nec apud alios ii haberi volunt, qui ex vero apud ſe ſunt: & qui aliter ſe ponderant: aliter ab aliis ponderari volunt, quod iniquum eſt vel maximè.

Pondus, inquit, *& pondus abominatio eſt apud Deum. quid enim? tu te depretiaris in ſecreto apud teipſum veritatis trutina ponderatus: & foris alterius pretii mentiens, majori te pondere vendis nobis, quàm ab ipſa accepiſti?* quod cùm iniquum ſit, & juſtitiæ atque æquitati penitus adverſum.

Time, inquit, *Deum, & noli hanc rem peſſimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas. Hoc enim eſt reſiſtere veritati, hoc pugnare contra Deum, qui & veritatis amans eſt, imò & ipſa veritas.*

§. 5.

De humilitate Judicii, & illius origine.

Jam vidimus, in quo poſita ſit ea *humilitas Judicii*: in præſentia illius originem inquirimus: eam antè paucis aperuimus; ſed ferè generatim tantùm, cùm diximus eſſe *cognitionem ſui*: ea ducitur è duplici fonte.

Primus eſt, ut inſpiciamus, qui ſimus à natura, etiam innoxia.

Secundus, qui deinde à culpa, quæ naturam affecit quàm peſſimè, corrupit, peſſundedit.

Ab hoc, & illo fonte, etſi impuro, manabit tamen purus aliquis & defæcatus virtutis, id eſt, Chriſtianæ humilitatis, rivulus. Ex eo hauriamus primò quod fluit à natura.

Origo prima Humilitatis.

A nihilo ſui.

Teipſe inſpicias, ô quiſquis es homo, quid fueris! quid ſis? & unde ſis? Conſule antiqua ſæcula, & ſi voles incipe à prima naſcentis orbis infantia, & ex ea quære quid fueris? audies *nihil*: nam in toto illo ſæculorum lapſu non fuiſti, nec ullus te vidit oculus, nec auris ulla de te vel verbulum audiit: nec mirum, quia non eras. Igitur ab omnibus retro ſæculis diceris *nihil.*

Sed age, ab illis abi, excede, penetra ſi potes, & quantum potes in ipſam Æternitatem, quæ non annos, non ſæcula recenſuit, non tempus ullum; ſed quaſi immenſam abyſſum, & interminabilem quamdam veluti durationem, & omnis principium durationis; ſed ſine principio: quære, inquam, ex illa, & in illa ipſa quanta quanta eſt æternitate, quære quid fueris; audies etiam *nihil.* Sed agedum, inquire modò quid ſis? & unde ſis? ſi quid ſis? reſponde-

reſpondebitur *homo*: at unde ſis, etiam è nihilo? Hæc igitur origo tui *nihil*. Quod ſi hæc origo tui, certè & origo humilitatis.

Felix Barbarina, Virgo non minùs genere, quàm virtute nobilis aiebat ſe omnium creaturarum eſſe poſtremam. Canes, feles, ſerpentes, vermiculi, inquiebat, ex aliquo ſunt, & hi ſaltem ex putredine, ego verò de nihilo, & ne quidem de putredine.

Hæc illa ſimplici mente, & virgineo candore, quem impugnare nolim: quia hoc ipſo ſibi viam parabat ad illam, de quâ agimus, humilitatem, & ita parârunt & aliæ etiam præcelſæ virtutis animæ.

B. Franciſco Borgiæ, Societatis JESU Generali Præpoſito, nulla dies abiit, quin de hoc ipſo ſui nihilo cogitaret, & ſeriò quidem, in eo ſe immergebat, & abſorbebat totum, ut ex eo emergeret abjectior, & inſignis contemptor ſui.

Emmanueli Sa, Societatis noſtræ, viro in paucis erudito, & à ſcriptis ſuis nominato, theſes aliquando tranſmiſit de hoc ipſo humilitatis argumento. Ex his 1. *Factus ſum è nihilo.* 2. *Redigar in nihilum.*

Has, inquam, theſes tranſcripſit ipſe, ut eas illuſtraret, extenderet Emmanuel, ſibique remitteret, futuras argumento religioſæ commentationis, in quam etiam dum venit B. Angela de Fulginio exclamare ſolita: *O nihilum! ô nihilum! ô abyſſus nihili! quàm es mortalibus incognita: & tamen ut ſis, es ſcientiarum omnium ſcientia.* Et hanc, ut priùs inſinuavi, S. Catharinam Senenſem edocuit ipſe Chriſtus, magiſter optimus, dum ſic ad illam: *Ego ſum, qui ſum; Tu es, quæ non es*, & unica illa ſcientia voluit eſſe probè doctam.

Bollandus in ejus vit.

Et tu illâ eâdem eris, ſi ſapis, Amice Lector.

Origo ſecunda Humilitatis

A perpetua dependentia à Deo.

Theologi ſatis conſcii illius, quod in ſcholis jactari ſolet, *Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*; ut hanc ipſam hominis à Deo dependentiam ſub ſenſum ponant, aliam, atque aliam exhibent ſimilitudinem, ex qua velut manu ad illam cognoſcendam ducamur. Ex his eſt

Prima: quod ſicut imago in ſpeculo pendet ab objecto: ſic & homo à Deo. Tolle immiſſam ſpeciem in ſpeculum, tolle & objecti concurſum, ſimul & ſpeculi tollis imaginem, quia ea eſt imago objecti ab eo perenni quaſi influxu dependens; ſic & homo, qui eſt imago Dei.

Secunda petitur à pondere ſuſpenſo in aëre, & à manu tenentis perpetuo dependente.

Finge ferri molem in ſublime elatam, in eo ſuſtineri valida manu: hæc ſi ſe remittat, ſi ferrum laxet, illicò centro ſuo redditur, & ad ima decidit.

Finge & alterum eveniſſe tibi quod olim Habacuc, qui juſſus prandium ferre Danieli, ab Angelo per capilli verticem elatus, & in Babylonem per medium aërem tranſportatus eſt: ſi & Habacuc, & tibi manum ſubtraxiſſet Angelus, ſtatim ad terram defluxiſſes.

Et ita in nihilum defluas eſt neceſſe, ſi vel momento tantùm manum ſubtrahat Deus, qui te veluti pendulum ſuſtinet ſupra abyſſum nihili, è quo exiiſti.

Tertia ducitur à lumine, quod emanat, & exit è Sole: ſubtrahe ſolem, ſubtrahe & illius influxum, lumen illicò ſubtrahis; quia ab hoc totum pendet: ſic & homo, ceu emiſſus à ſempiterno illo ſole radius, mox evaneſceret, ſi inſtanti vel unico illius influxum, illapſúmve detraxeris, quia etiam ab illo quantus quantus eſt, pendet.

Quarta trahitur ab umbrâ, quæ eſt à corpore, & eſt illius quaſi ſimulacrum, aufer corpus, quod umbræ eſt cauſa, & umbram auferas eſt neceſſe: ſic & homo, qui eſt velut umbra Dei, tollitur, ſi tollitur, qui à Deo eſt concurſus.

Quod ſi totus à Deo dependeat homo, etiam (ut loquuntur Scholaſtici) *in eſſe naturæ*, neceſſum eſt, ut illi totum ſe ſubmittat, quod eſt humilitatis, & in eo nihili ſui, dependentiæ ſuæ; vilis, & abjectus quoque ſit in oculis ſuis, qui ex vero in divina illa ſupremáque mente vilis atque abjectus eſt.

Mitto ea, quæ ſunt gratiæ, & altioris cujuſdam ordinis, in quibus à Deo ſic pendet puſillus homuncio, ut nec hilum in eo ordine poſſit, ne quidem duas illas voculas effari:

Dominus IESVS, niſi accedat Spiritus Sancti impulſus, & gratia. Et hinc quoque ſibi vilis, atque abjectus eſt. 1. Cor. c. 12. v. 4.

Origo tertia Humilitatis.

A carnea & fragili corporis mole, quâ clauditur ſpiritalis, & immortalis animus.

Eſt corpus hominis pars altera, de quo multi multa:

Tertulliano, Corpus *limus eſt titulo hominis inciſus. Limus*, en illius origo, cui ut natura nomen faceret, titulo hominis incidi placuit, ac notari, ut ab aliis, quæ pariter à limo petita ſunt, diſcerneret. De Reſurr. car. c. 16.

D. Gregorio Nyſſeno, eſt *ſtatua lutea. Statua*: quæ formam illi dat; *lutea*, quæ quàm vile, quàm abjectum ſit, oſtendat, ac probet. Orat. 3. de Beat.

Iobo patienti, *lutea domus*: *domus* quidem, quam inhabitet princeps animus; at *lutea*. quam non incolat ſine aliquo ſui damno, & quaſi dedecore: utpote qui ſpiritus ſit, & cui luto contineri probroſum. Cap 4. v. 19

Arnobio, corpus *carcer* eſt, & quidem inglorius ille, obſcurus, & malis inſupèr fœcundus; ut enim, inquit, *animæ corporum indutæ carceribus ſub procellis agunt, tempeſtatibusq; fortunæ*: addo ego & naturæ, quæ ſuas quoque volvit procellas, ſuas agitat tempeſtates. Lib. 2. contra Gentes.

Empedocli, *antrum* dicitur; Academiæ principi, *ſpeleum*. quid anguſtius? & tamen ea clauditur, arctaturque grandis animus, cui nec orbis ipſe ſufficit: quid miſerius?

Senecæ, hoc eſt latino ſapienti, *vinculum* eſt: ſic enim de illo pronuntiat: Epiſt. 65.

Corpus non aliter aſpicio, quàm vinculum aliquod libertati meæ circumdatum.

Eſt libertas ingens omninò homini bonum, & generoſæ menti potior vitâ; ſervitus enim eſt altera mors: at corpus judice Seneca *vinculum* eſt, quo ita adſtringitur, & quaſi captivus tenetur, ut qui aliâs liber erat, & ſuus; jam in corpore nec liber ſit, nec ſuus. Quid infelicius?

D. Bernardo, corpus eſt *laqueus*, quo verſuti, & improbi Erebi venatores utuntur, ut animam intercipiant, eámque miſerum in modum lacerent.

Ipſum corpus, inquit, *laqueus quidam eſt, minimè ergo decet eſſe ſecurum hominem, qui ſecum portat laqueum ſuum.* Quid enim periculoſius? Serm. 3. in Pſal Qui habitat.

D. Chryſoſtomo, *ſepulchrum eſt gypſo incruſtatum.* cui conſonat etymon corporis, quod græcè dicitur σῶμα, quaſi σῆμα, hoc eſt ſepulchrum. Quid miſerabilius animo quàm claudi hoc vivo, & ductili ſepulchro? denique (ne omnia perſequar, quæ de corpore dici poſſent, vel ex illius natura, vel ex vitio) D. Paulo dicitur, & eſt *corpus mortis*, à quo quàm citiſſimè cupit liberari, ut à noxio cadavere, à quo lues in animam importetur. Quid eo miſerabilius? Ad Theod. p. 649. Ad Rom. c. 7. v. 24.

Cùm tale ſit corpus; certè ex eo habet quod queratur, quod gemat, quod reformidet, qui eo clauditur animus: habet & homo unde ſibi vilis ſit & contemptui: ſed & aliunde, pro quo ſit

Origo quarta Humilitatis

Ab eodem corpore, ceu morborum omnium infami diverſorio.

Prima illa, & innoxia hominis ætas morbum ne de nomine quidem noverat: neſciebat quid febris, quid calculus, quid podagra, aut chiragra, quid onagra, quid aqua intercus eſſet, multóque minus, quid ab æſtu febrili modò ſudare, & ſolvi, modò ab ejuſdem inſolenti frigore rigere, & totis artubus contremiſcere.

Neſciebat, quod, quantúmve tormenti genus eſſet innato in intimis meatibus ſaxo, calculóve, ceu equuleo torqueri, aut lentam chiragræ, podagræ, onagræve alluviem pati; aut aquâ intercute diſtendi & craſſeſcere: hæc, inquam, aliáque morborum genera non ſenſerat; imò nec ſciebat quidem è ſuo corpore, ceu officinâ, peti.

At ubi peccatum, ceu omnia mali fontem admiſit; illicò ſenſit ab eo & febrem, & calculum, & chiragram, & podagram, & onagram, & hydropen, & morbos omnes tamquam ab una totius mali ſcaturigine fluere, ac derivari.

Senſit & morborum cauſas, ceu totidem portas, in ſuam perniciem aperiri, quas occludere, ut plurimum velit, non poſſit.

Eæ porrò aliæ ſunt, atque aliæ: vel enim ex parentum vitio, praváque complexione oriuntur, & in fœtum emanant morbi: vel ex quadam intemperie, pugnáque quatuor humorum inter ſe diſſidentium. Vel ex intemperantiâ victus, inſolentia laboris, ac ſtudiorum; vel ex quadam aëris, cælíque impendentis injuriâ, & malignis influentiis: Vel ex alia quapiam cauſa, quæ de foris appellit: & cui reſiſtere, ut velis quàm maximè, non poſſis.

Ecce morbos, ecce morborum cauſas, à quibus cùm peſſimè afficiatur immortalis animus, habet profectò incumbentem, & quaſi adnatam domi malorum tempeſtatem, ſub qua gemat, & fuſcat, & ſub qua ſeipſe abjiciat, ſibi gravis, ſibi vilis, vilis Angelis, vilis & Deo, utpote velut infamis morborum ſaccus, infamis ac putida cloaca, in qua tamen nec malum ſiſtit: eſt enim rurſus alia atque alia malorum ſcaturigo, eáque perennis, ut patebit ex dicendis.

Origo quinta Humilitatis,

Mors inevitabilis, atque ſecundùm eam pulvis, & cinis.

Hoc argumentum attigi paragrapho tertio: hîc in illud ſtylum longiùs ducam, eſt enim ejuſmodi, unde ſibi vel maximè vileſcit homo; imò ut ei vileſcant omnia.

Majores noſtri inter ſua ſymbola, exeſam nudámque hominis calvariam propoſuêre, adjecta hac epigraphe:

Cogitanti vileſcunt omnia.

Vileſcit & auri pondus, gemmarum nitor, gazæque opulentiores, è quibus nihil è mundo exportabis, ſicut nihil intuliſti. Exibis enim nudus ex hoc mundo ut nudus intraſti in eum.

Vileſcit purpura, qua etiam exueris: Vileſcunt ſceptra, diademata, coronæ, Imperia, quæ etiam in morte depones.

Vileſcit honor omnis, & magni nominis umbra, & quidquid hominum calculo magnum, & ſublime videtur, id omne vileſcit.

Vileſcunt aulæ ornatiores, opipara convivia, & omnia gulæ irritamenta, cùm iis vel ſeſe tantùm miſcuerit ultimæ neceſſitatis, id eſt mortis, memoria; quæ ut in illis etiam eſſet perennis, apud Ægyptios Reges, in menſis primum & ultimum ferculum erat exeſa hominis calvaria. Multa inferebat, multa etiam efferebat, copioſa clientum turba: at calvariam efferebat nunquam. Erat illa primum, & ultimum ferculum, à quo naſcebatur etiam cæterorum nauſea: omnia enim ei deſipere eſt neceſſe, cui benè mors ſapit.

Denique à morte vileſcit etiam ſibi ipſi homo, ut aliis ſit pretioſus, cujus probè memor Conſtantinus Imperator, id aliquando Ablavio, aulico ſuo, & ſummo Juſtitiæ adminiſtro oſtenſum voluit, ut quem ea dignitas extulerat, mors ipſa, & alta ſepulchri nox, & in ea cinis, ac pulvis deprimeret.

Fuit Ablavius, Bizantii natus, urbe nobili (quæ poſtea à Conſtantino dicta eſt Conſtantinopolis) ex humili loco, abjectáque inprimis ſorte, è quâ evaſit ad primas in aula dignitates, propè ad ipſum Imperii culmen. Secundus quippe fuit à Conſtantino tantum in illo potuit vel ingenium, vel blandientis fortunæ favor, à quo vulgo dictus eſt *fortunæ pila*: ſed veriùs *follis*, ut qui ambitionis vento plenus eſſet, atque diſtentus.

Quod ut advertit Conſtantinus, etſi hominem amaret, probarétque in multis: at vitia non amabat, nec probabat.

Ut ea retunderet, dum fortè in amœna campi planitie auram captat, Ablavio ſubiraſcens, arrepta in manum haſta, eâdem ſex ſeptémve terræ pedes ſignavit, tum ad Ablavium converſus, ait:

Ad quid ille ſudor, laborq; ? ab hoc & illo quid reliquum? nec mihi, nec tibi pluſquam ſex, ſeptémve pedes: adhuc neſcis Ablavi, an etiam hos tibi relinquent fata.

Hæc auguſtus Imperator, qui rebatur inſanam hominis ambitionem hac ratione reprimi poſſe, atque coërceri.

Et certè remitti debuiſſet, & ſubſidere totus ille ambitioſæ mentis tumor: ſed omninò ſecus accidit: nam fortuna ſua ebrius magis ac magis inflari cœpit, & eò quidem, ut in Imperii affectati ſuſpicionem venerit: hinc Conſtantius Conſtantini magni filius, hæres, & in Imperio ſucceſſor, eum è medio tolli juſſit: ſubmiſit enim ex aulicis ſuis facilè principes, qui eum ſpecie honoris adirent, ſalutarentque etiam demiſſu in terram poplite.

Quod ut vidit, amavitque Ablavius, ratus ſe in Cæſarem peti, exclamavit illicò: *Ubi eſt purpura?* cui aulici, eam dare non eſt noſtræ curæ, ſunt in primo domus veſtibulo, qui eam apportent.

Tum Ablavius: Admittantur, inquit, quàm citiſſimè. Admiſſi enimverò: at ſatellites illi, & ſicarii, qui pro purpura purpuream illi per immania vulnera attulêre mortem.

Et hic fuit miſerabilis exitus Ablavii, qui ſi Conſtantinum benè monentem audiſſet, ſi extremas imminentis fati leges, ſi ſepulchri anguſtias, profundámque noctem in oculis habuiſſet, & ambitioni ſuæ modum poſuiſſet, & mitiore ſanè fato, in terram, ceu communem matrem, recidiſſet. Uti profectò recidunt ii omnes, quibus de inevitabili neceſſitate, id eſt morte, cogitantibus *Vileſcunt omnia*: imò & ipſi ſibi etiam vileſcunt. Ut enim Divus Epiſt. 109.
Hieronymus: *FaciIè contemnit omnia, faciIè & ſeipſum deſpicit, qui ſe ſemper cogitat moriturum.*

Et quia hunc rerum omnium contemptum, & hanc etiam ſui ipſius deſpicientiam amabant grandes animæ, Coronis, Infulis, Tiaræque natæ: hinc illis nihil acceptius fuit, quàm objecta mortis imago, cinis, & pulvis. E multis paucos in medium adducam, ut ab illis ſapere, Mi Lector, diſcas, teque ipſe nihili pendere.

Vidimus quid ſenſerit, quid dixerit Conſtantinus: attendamus quid alii etiam Orientis Imperatores. Solebant illi in regio paludamento, ſiniſtra in manu textile ferre aureum, ſimile codici, quod appellabant ἀκακίαν, innocentiam, ſeu criminũ vacuitatem.

Curopalates p. 101. In eo erat inclusus, aggeſtúsve pulvis, ſymbolum funeris, hieroglyphicum mortalitatis, cujos ſe moneri gaudebant, ut in illo Cæſareæ Majeſtatis faſtigio, non altos, ſed humiles ferrent animos, & hoc objectu cineris, in quem aliquando eſſent ipſi reſolvendi.

Eodem ſpectavit ille ritus obſervari ſolitus in ſolemni eorundem Imperatorum inauguratione, cui *Leontius in vit. Patrum.* ſcenam aperiebat ampliſſima juxta ac nobiliſſima Civitas Conſtantinopolitana, in qua medios inter plauſus, & theatra, admittebantur fabri murarii, qui marmor inferrent varii generis, ac coloris, ut ex eorum aliquo ſibi jam inde ſepulchrum moliretur novus Imperator, & in ipſo gloriæ & Imperii limine, ipſam ſepulchri molem circumferret animo: hoc uno fortunatus, ac felix, ſi ejus memoriam nunquam deponeret, hoc uno etiam ſibi vilis & parvus, qui aliis pretioſus, & longè maximus.

Eò etiam collimavit uſurpata illa apud Abyſſinos ceremonia, ſecundùm quàm ipſi Imperii ſui principia ducebant ab oportuna & ſalubri noviſſimorum memoria.

Ubi enim in ſolium ſublimis aſcenderat Imperator, vulgò *Presbyter Ioannes*, ſtipatus ipſe nobili Principum corona, Patriarcha ei benè precaturus admittebatur. Huic comites, ex antiquo gentis inſtituto legeque, quatuor omninò Reges adjungebantor.

Enſem primus geſtabat diſtrictum. Alter demortui hominis caput exeſum nudumque oſtentabat.

Tertius vas terra plenum exhibebat.

Quartus denique foculum cum igne fovebat, *Nicolaus Godignus de rebus Abyſſin. l. 1, c. 8.* nutriebatque. Et hæc fuêre noviſſimorum ſymbola, quæ ſingula manu prenſans explicabat Patriarcha, & quidem,

In enſe nudato judicii ſupremi, & cœleſtis juſtitiæ rigorem.

In hominis calvaria, impendentis fati leges, & inevitabilem neceſſitatem, quæ ſortitur inſignes & imos, & æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres.

In vaſe terra pleno mœſtos cineres, ferale buſtum, juſtique funeris reliquias, telluris onus, & putidum ac cineroſum cadaver.

Denique in foculo & igne, inferorum flammas atque incendia.

Ecce ut à cinere, & ſepulchri nocte ſibi humiles animos parabant Abyſſini Imperatores. & meritò: nihil enim adeò dejicit Coronata Capita, atque cinis & pulvis eis impoſitus: hoc purpura tegitur, hoc velantur coronæ, hoc faſtus omnis infringitur.

Sed à Sceptris, & Coronis, ad Infulas veniamus, & Tiaras.

In Infulis occurrent, hinc D. Joannes, ab Eleëmoſynis dictus Eleemoſynarius: inde D. Baſilius, Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, qui ſibi etiam vivis ac valentibus ſepulchra extrui voluerunt, ut in ea deſcenderent etiam viventes, ibique faſtum omnem deponerent.

In Tiara erit Innocentius Pont. hujus nominis IX. qui in ſecretiore conclavi, ſibi effingi curârat ſimulacrum mortis, ad quod Tiaram poneret, & velut ad tribunal ſeipſe ſiſteret, & omnia animi ſenſa, cogitationes, conſilia, decreta revocaret, in iis ſic acturus, quaſi jam jam moriturus eſſet.

Ecce ut à morte, ut à cinere ſibi humiles animos faciebant ſumma in terris Capita, ut & ab ipſis tibi facere diſcas, Amice Lector. Sed ab illis abeamus, & à mortali corpore tranſeamus ad immortalem animum: nam etiam ab hoc petenda ſeges uberrima Chriſtianæ humilitatis, pro qua ſit

Origo ſexta Humilitatis

À deordinatione ſenſuum tam externorum, quàm internorum, uti & potentiarum animæ.

In prima naſcentis mundi infantia, cùm eſſet homo in nativo illo innocentiæ flore, & natura noſtra ſine nævo, & ſenſus externi & interni erant innoxii, & appetitus omnis rationi ſubjacebat; & ratio Deo, ceu primæ & ſummæ rationi. Et inde homini alta pax, & ſumma tranquillitas: at ubi peccato ſeſe inclinavit primævus generis noſtri parens, ubi Deo, ceu authori ſuo, rebellis eſſe cœpit, viciſſim & appetitus rationi, & ipſa humana ratio, qualis qualis erat, ipſi Deo rebellis eſſe cœpit, & inde ſummum malum, & nimium fœcunda ſeges humilitatis, ut qui jam Cœlo Deoque vilis erat homo, ſibi etiam ipſi vilis eſſet.

Apud Antiquos in urbibus duæ erant portæ, quæ nefaſtæ & abominandæ vulgò habebantur.

Una erat; ea, per quam educebantur, qui à carnifice necandi erant, aut ad piacula inducendi.

Altera erat, quæ ſtercorêa dicebatur, eo quod per illam plauſtra obſcœna, ſtercoribus & ſordibus lutulentæ civitatis onuſta emitterentur.

Si homo civitas eſt, in ea ſenſus externi ſunt veluti portæ, per quas ad animum intrant atque invehuntur alia omnia: Utinam non eſſent etiam illæ nefaſtæ: atque abominandæ: ſed proh malum! eo quo vivimus ævo, nimium nefaſtæ ſunt, atque abominandæ: Ecquid enim (ut in duobus tantùm ſiſtat oratio) an non aures, oculi portæ illæ ſunt?

Ariſtoteles, purioris Philoſophiæ ocellus, aiebat aures eſſe partes in humano corpore pulcherrimas, ut quæ nobis rei pulcherrimæ (hoc eſt Philoſophiæ) adipiſcendæ inſervirent.

Plutarchus cenſebat eas eſſe veluti opportunas ad virtutem capiendam anſas.

Xenocrates auditum, & viſum, principes eſſe ſenſus, & qui vel maximè facerent ad ciendos animi motus: ſed pios illos, ac verecundos.

Sed proh dolor, pudorque! aures ſunt veluti ſtercoreæ illæ portæ, per quas animum ſubeunt, & linguæ impudoratæ, ſcurrilia verba, & molles cantilenæ, ceu ſirenum, id eſt voluptatum, illecebræ, & alienæ famæ adverſa colloquia, quæ maligna, perditaque ſordium colluvione, & loquentium & audientium animos inficiunt.

Sunt portæ nefaſtæ, per quas à ſtygio carnifice veluti ad ſupplicium educitur infœlix animus, ubi priùs ad flagitium inductus eſt. Ecce, quæ deordinatio, & quæ inde homini lues, ab illo aurium ſenſu, qui tamen ei datus erat à natura, ut ad Cœli ſonitum intentus eſſet, & Dei loquentis oracula cupidiſſimè exciperet.

Quod de auribus: hoc & de oculis dictum velim. Eos natura loco commodo, & eminentiori corporis parte, velut arce, & ſpecula erexerat, ut eſſent fideles internuntii, & quaſi ſpeculatores, qui hoſtem adventantem etiam de longè proſpicerent, monerentque ut tum eſſet animus, quod in ſua ſtatione miles.

At ſecus omninò accidit: illi ipſi oculi, aberrantis, non dico naturæ; ſed culpæ vitio facti ſunt veluti prædones, & proditores, primique hoſtem admiſerunt, quem tamen excludere, & propulſare debuiſſent.

Si neſcis, oculi ſunt in amore duces, irritamenta ſunt, ducéſque ſcelerum: maximè verò libidinis, & inceſti amoris, ut indubitatum ſit illud Virgilii.

Vt vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

Vidiſſe certè, multis eſt periiſſe. Ne recentioribus chartam onerem, ex antiquioribus exemplo erit Dina, filia Liæ.

Gen. c. 34. v. 1. Hæc puellari ducta curioſitate, *egreſſa eſt, ut videret mulieres regionis illius.*

Vidit, & periit, capta enim eſt, & ſtuprum paſſa. Adeò verum illud Tertulliani: *Publicatio virginis, ſtupri paſſio eſt.*

Exemplo erit & David, aliàs vir ſecundùm cor Dei, & Regum optimus. *De longè vidit illam, in qua captus eſt. Mulier longè, libido propè: Alibi erat quod videret; in illo unde caderet*, ut pulchrè D. Ambroſius. (In tit. Pſal. 50.)

Ecce quæ ab oculis mala importantur in animum. Debebant illi (ut inquiebat Pythagoras) eſſe veluti *porta ſolis*, quæ non admitterent niſi lucem, ſolemque divini amoris: at ſecus omninò accidit, & faces, & ignes ingeſſerunt impudoratæ veneris, ac libidinis. (Laërtius lib. 8.)

Quid facies? hæc eſt illius ſenſus in malum inclinatio, ſub qua etiam gemuit atque humiliantur Heroëa magni.

Threu. c. 3. v. 51. Hinc illæ Vatis querelæ & antiquæ, & juſtæ: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.*

Hinc illæ Jobi, cæteroquin patientis: *Si ſecutum eſt oculos meos cor meum*; vel ut Septuaginta: *Si oculo obſecutum eſt cor meum*; vel ut Hebræi: *Si abiit cor meum poſt oculos.* (C. 31. v. 7.)

Sequitur ergo, obſequitur, & abit cor poſt oculos, & hinc grande malum, vel in eo, quòd cor, princeps in homine membrum, oculos ſequitur, & poſt illos abit; abit, inquam, à ſe, à gratia, à cœlo, Deoque. Et inde habet homo, quo ſeſe abjiciat, ac dejiciat ante oculos Dei, ab illo ſenſuum ſuorum vitio: ſed ex aliarum quoque potentiarum errore, quem ut in luce ponat D. Thomas: Primùm id ſtatuit à peccato primi parentis inflicta naturæ humanæ gravia vulnera, deinde ea reducit ad quatuor potiſſimum capita, è quibus & alia pullulant.

1. 2. q. 85. art. 3. Ea verò ſunt, *infirmitas, ignorantia, malitia, concupiſcentia.*

Ignorantia reſidet in intellectu, & illum malè afficit.

Malitia eſt in voluntate, & illam evertit, ac peſſundat.

Infirmitas apparet in appetitu iraſcibili, qui ab ea marceſcit, ac deficit totus.

Concupiſcentia ſedem habet in appetitu concupiſcibili, eumque ab æquitatis lege detorquet.

Et hæc eſt D. Thomæ concluſio: quam ut probet fuſiùs & clariùs, oſtendit quantum interſit inter ſtatum juſtitiæ originalis, in quo fuimus olim; & peccati, ſub quo in præſentia gemimus, & propè fatiſcimus.

In illo potentiæ omnes inferiores ſuberant rationi, & ratio ipſi Deo.

In hoc autem, nec rationi obediunt illæ, nec ratio Deo, & hinc evertitur omnis ordo ab innoxia natura Deoque conſtitutus.

Is porrò hic erat, ut potentiæ (quæ virtutum ſedes ſunt) rationi ſervirent, ratio virtuti, virtus ipſi Deo. Hæc cedere juſſa ubi ſingulis animæ potentiis à peccato impreſſa vulnera.

Intellectui quidem ſuum inditum vulnus *ignorantiæ*, ubi ſuo ordine ad verum, ad quod natura duce ferebatur, eſt deſtitutus. Et inde labefactata *prudentia* rerum agendarum magiſtra, & moderatrix.

Voluntati autem altè impreſſa plaga *malitiæ*, ubi averſa eſt à bono, ad quod ſuapte natura, & inſita quadam inclinatione propendebat.

Et hinc æqui rectique tenax *Juſtitia*, qua totus regitur orbis, extincta propè, atque everſa.

Appetitui iraſcibili ſua quoque labes, & macula, ſuum & vulnus *infirmitatis*, ubi revocatus eſt ab objecto arduo ac difficili, ad quod ſummo conatu impetuque enitebatur. Et inde *fortitudo*, quæ omnem adverſæ fortunæ molem, caſuſque omnes ſuſtinet, depreſſa omninò atque proſtrata.

Denique & *appetitui concupiſcibili* ſua paſſio, ſuus & nævus; cùm ita à ſeipſo, & à recta ratione deflexerit, ut à bono moderatè delectabili diſcedat, & immoderatione quadam in concupiſcentias ſuas, & inanes voluptatum illecebras, trahi ſe rapique patiatur. Et hinc etiam deficit *temperantia*, quæ cuique modum ſuum ponebat, atque finem.

Ex his porrò omnibus ampliſſima homini datur humilitatis materia; quia ſimul in illum effunditur immenſa quaſi malorum omnium eluvies.

Ubi enim debilitatæ, & tantùm non fractæ virtutes illæ, quas Cardinales dicimus (quòd in iis vertatur velut cardo vitæ ac fœlicitatis) ubi, inquam, & *prudentia*, & *juſtitia*, & *fortitudo*, & *temperantia* victæ fuerunt atque oppreſſæ; neceſſum eſt & vinci & opprimi virtutes omnes, & aſſurgere, attolli, atque regnare vitia omnia, ſublato rationis, virtutis, Deique in animam humanam imperio.

Quod ibi inſpicit homo, ubi ſeipſe ad veritatis trutinam expendit, neceſſarium eſt (ſi modò homo eſt, ſi adhuc alicujus rationis eſt compos) neceſſarium, inquam, eſt, ut ſeſe abjiciat, ſe deſpiciat, qui jam Angelis, & Deo abjectus atque deſpectus eſt: Et hoc quis ad vitia abjectus: quæ ſumma eſt abjectio, pro qua fuſiùs explicanda; ſit

Origo ſeptima Humilitatis

A peccato, ceu ſummo malo.

Qui *peccatum* dixit *ſummum eſſe malum*, omnia dixit: quia in ſummo malo, mala ſunt omnia, quod hic paucis oſtendere eſt animus, eo conſilio, ut qui in illud aliquando incurrit, ſe ſummè abjiciat in oculis Dei ſui, ceu ſummi boni.

Eſſe autem ſummum malum ex tribus capitibus evincitur.

Primò, quia ſummè adverſum naturæ, & rationi. Naturæ quidem, quæ inclinat in bonum; rationi, quæ in honeſtum. Et hinc Philoſophi antiquiores etiam fidei luce deſtituti, ſolo naturæ ductu, impulſuque cenſuerunt fugiendum eſſe peccatum: etſi nec eſſet prohibitum, nec offenſa Dei, nec ſtatuta illi ulla pœna: Ex hoc tantùm, quòd eſſentia ſua, & natura malum eſſet, malum utique naturæ, malum & rationi.

Secundò, quia ſumma Dei injuria eſt.

Eſt Deus primum & ſummum Ens, à quo uno entia cætera. Eſt Deus Ens à ſe, omnia ab eo, Deus Ens Entium. Creatura verò ex ſe non ens: at per peccatum impetitur illud Ens Deus, & hoc quidem à non ente, quæ ſumma eſt Dei injuria.

Eſt Deus ſumma bonitas, peccatum autem ſumma malitia, illa odio habetur, & hæc amatur: & hinc ſumma Dei injuria.

Eſt Deus ſumma pulchritudo, peccatum verò turpitudo ſumma: & hæc quæritur, illa deſpicitur, & hinc etiam ſumma Dei injuria.

Eſt Deus ſumma juſtitia: peccatum injuſtitia ſumma: illam nollet eſſe qui peccat, nè reus ſceleris aliquando puniretur: & hoc ſummæ eſt injuſtitiæ, ſummæ & Deo injuriæ.

Eſt Deus ſumma miſericordia, peccatum autem ſumma miſeria; hominem enim privat gratia, privat & ſummo bono, id eſt Deo. Quid miſerius? & tamen illa cõtemnitur, hæc amatur, quod eſt ſumma Dei injuria.

Eſt Deus ſumma ſapientia, peccatum verò inſipientia ſumma. Quid enim inſipientius quàm relicto virtutis bono, culpæ malum ſequi? ſpreto Creatore, creaturam venari:

Et tamen hanc venatur, hanc ſequitur, qui peccat: quod eſt ſummæ inſipientiæ, adeoque, & ſummæ Deo injuriæ.

Deinde peccator in Deum arietat, & omnia ejus attributa, quà poteſt impetit, ſternit, & quantum in ſe eſt, etiam annihilat.

Prima

Primò ſapientiam tollit, & omniſcientiam, oculumque Dei ſemper apertum, ſemper & vigilem; aut clauſum, aut ſopitum fingit. Ait enim: *Non videt Dominus.* *Eccl. c. 8. v. 12.*

Secundò & juſtitiam illius labefactat; ait enim: *Dereliquit Dominus terram.* Quod ſi eſſet, eſſet ſanè injuſtitiæ. Eſt enim Divinæ juſtitiæ omnibus adeſſe, omnibus jura legesque dare.

Tertiò illius potentiam ſuis quaſi impugnat armis, ea quippe abutitur, abutitur & ejus concurſu, influxuque ad peccatum, etiam quantumvis enorme; & paratum in bonum, detorquet in malum, quod ſummæ eſt malitiæ, ſummæ Deo injuriæ.

Quartò illius immenſitatem reſtringit, nube involvit, Cœli cancellis claudit; ait enim *nubes latibulum ejus, circa cardines Cœli perambulat*, quaſi extra illos non abiret, nec terras involveret ea ipſa Dei immenſitas. *Job c. 22. v. 14.*

Denique peccator, quà poteſt Deum tollit, Deum annihilat, optatque non eſſe, adeòque quod & notavit D. Bernardus.

In ipſum (horribile dictu!) deſævit auctorem; nam quantum in ipſa eſt, ipſum Deum perimit voluntas propria. *Serm. 3. de Reſur.* Ecce ſumma, quæ eſſe poteſt in Deum injuria. Deum perimere, Deum tollere inſolenti ſanè auſu, nefando Deicidio. Et hoc tamen molitur quiſquis Deum lætaliter offendit.

Tertium caput unde probatur peccatum eſſe ſummum hominis malum, eſt quod ipſum ſit mors animæ; quæ ſummum illi malum eſt. *Anima enim quæ peccaverit, ipſa morietur.* *Ezech. c. 18. v. 4.* At qua inquies morte, cùm ipſa ſit immortalis? *mors* homini, una *natura*, quæ ſummum illi malum. Altera *gratia*, quæ & ſummum in eo ordine malum: ut enim D. Auguſtinus.

Sicut anima eſt vita corporis: ſic anima vita eſt Dei. Sicut expirat corpus cùm animam amittit: ita expirat anima cùm Deum amittit. *Serm. de verb. Dom.* At per peccatum lætale amittit, adeòque per hoc expirat, & moritur.

B. Catharinæ Genuenſi in exceſſu mentis aliquando ſpeciem peccati atque imaginem objecit Deus: ea illi adeò infamis & horrenda viſa eſt, ut vel ſola ipſius umbra, ea eſſe videretur, quæ animam è corpore extorqueret, niſi eam retinuiſſet ea ipſa Dei manus. *In ejus vita c. 4.*

Quod ſi peccati ſpecies etiam tantùm vel leviter imaginationi impreſſa, etiam & illius dumtaxat umbra, adeò terribilis; quid amabo te, Mi Lector, peccatum ipſum?

Quod ſi autem ejuſmodi eſt, uti ex vero eſt, quæ mens, quæ cogitatio, quis ſenſus eſſe poteſt puſillo homuncioni, qui illius aliquando ſe reum novit? ut ille ſe abjiciat, ut ſe deprimat eſt neceſſe in oculis Dei ſui, ut deſcendat in nihilum ſui, ut in abyſſum vel ipſius inferni.

Et hæc ſanè prima ac potiſſima ratio humilitatis judicii, de qua in præſens egimus. Supereſt ut paucis etiam de Humilitate voluntatis ceu affectus ex more noſtro tractemus.

DE HUMILITATE
Voluntatis, ſeu affectus.

Hujus definitionem paragrapho quarto attulimus ex D. Bernardo, aliisque primæ notæ Theologis. Ea eſt, *qua quis etiam ab aliis talem ſe haberi vult, qualem ſe Deo teſte, ac judice cognoſcit.* hoc eſt imprimis vilem atque abjectum.

Quod ſi alium ſe haberi vellet, næ ille ſtultus eſſet, atque in paucis amens. Ecquid enim, ut in aliis teipſe videas, Amice Lector, teipſe judices, ac damnes: ſi ſimia, ad riſum & ſeriales jocos natum animal, vel ex eo domicella, aut principiſſa haberi vellet, quod aliquam illius veſtem per ludum induiſſet; vel aſinus, ex hoc, quod Leonina veſte tectus, Leonem eſſe ſe crederet, aut etiam æſtimari vellet, ne ſtupidum eum, & ex vero aſinum diceres, crederesque.

Et cum te dicas, te rideas eſt neceſſe, ſi in aliorum oculis, ac verbis, alius eſſe velis, quàm re etiam ipſa ſis. Ne porrò velis unquam, tres tibi gradus erigam, aut potiùs eriget D. Bernardus, quibus ad ſublime Humilitatis faſtigium aſcendas. *De grad. Humil.*

Primus erit *cordis*, ſecundus *oris*, tertius *operis*.

PRIMUS GRADUS HUMILITATIS, eſt Cordis.

Cordis humilitas in eo poſita, ut homo de ſeipſo abjectè ſentiat, nulli ſe præponat, poſtponat autem omnibus.

Lumen intelligentiæ humilitas aperit, ſuperbia abſcondit, inquiebat D. Gregorius Pont. Max. *23. Moral.* Quamdiu hoc corpore mortali, ceu obſcuro quodam ergaſtulo, clauditur animus, vix ſeipſe videt, vix ea, quæ in intimis cordis receſſibus latent, conſiderat; niſi adſit intelligentiæ lumen, quod aperit humilitas, & cujus beneficio cùm ſeipſe cognoſcit homo, ſeipſe deſpicit, & de ſe ſentit quàm abjectiſſimè.

Nec mirum, quia ut ſcitè ille ipſe S. Gregorius, *In Paſtorali.* qui *humilis eſt in oculis ſuis, ſe perfectè reſpicit:* & hinc etiam deſpicit, nulli ſe præponit, poſtponit autem omnibus.

Ita ſe aſpexit aliquando è Ciſtercienſi familia converſus aliquis, qui intimo animi ſenſu, dolore, obortisque lacrymis ſic olim ad D. Bernardum Præſulem ſuum: *Væ miſera mihi peccatori, omni bono vacuo, qui hac nocte in iſto fratre triginta Virtutes numeravi, quarum ne minimam in me mendica reperire poſſum.* *Henriquez in Faſc. SS. Ord. L. 2. Diſt. 4. c. 33.*

Ita aſpexit B. Joannes Euſtachius, primus Abbas Jardineti in provincia Namurcenſi. Hic aliquãdo ex ſui contemptu, ſtudioque demiſſionis, præ monaſterii foribus ſpinas, & tribulos evellebat, cùm ecce adfuit nuntius ad eum negotiorum causâ cum litteris miſſus, qui eum contuitus in abjecto illo, & laborioſo opere, quaſi ſtupore attonitus, ac perculſus, ſic ad illum:

Fierine poteſt, ut ſis Abbas? cui ille modeſtè. *Nomen majoris fero: ſed fratrum meorum ſervus ſum, & miniſter.* *Diſt. 18. c. 2.*

Ecce ut primus hic humilitatis gradus in tres veluti partitus. Primus his notatur verbis. *Nomen Majoris fero:* quaſi nomen tantùm, non perſonam. Ecce humilis de ſeipſo ſenſus. Secundus, & tertius his inſignitur voculis; *ſervus ſum fratrum meorum, & miniſter.* Ecce ut omnibus ſe poſtponit, præponit nulli, & hoc quia ſe aſpicit intelligentiæ lumine, quod hauſit ab humilitate, quo etiam ſe aſpexit S. Patritius, qui cùm eſſet ævi ſui velut alter Thaumaturgus, probeque noſſet datam ſibi miraculorum gratiam, qualem & Apoſtolis, hæc nihilominus de ſeipſo & ſcribere & dicere ſolitus fuit.

Nullus tamen credat me ob iſta parifaciendum Apoſtolis, aut aliquibus perfectis viris: cum exiguus ſim, & peccator, & contemptibilis. *Diſt 33. c. 12.*

Ecce nec Apoſtolis, imò nec viris perfectis parem eſſe ſe credit, aut credi vult, & hoc quia *exiguus* eſt ſibi, imò & minimus; qui in aliorum oculis longè maximus: quia peccator, cùm tamen cœlo teſte juſtus eſſet, quia *contemptibilis*, ſibi ſcilicet uni; cæteris autem in gratia, in honore, in æſtimatione vel maximè: ita nimirum de ſe ſentiunt grandes animæ.

Et ita etiam ſenſit S. Heduingis, Duciſſa Poloniæ: dein marito vita functo Ordinis Ciſtercienſis religioſa. *Lilia Ciſtercienſia.*

Hæc ex inſigni demiſſione, ſuique deſpicientia fragmenta panum è menſa monachorum, & monialium collecta, & data pauperibus, pretio redimebat, & priuſquam ea ederet, oſculabatur ſæpiùs, quaſi panem Angelorum, & Sanctorum reliquias; imò & micas è menſa deciduas colligebat. *Henriquez tom. 1. Diſt. 5. c. 4.*

Chananæa pro filiæ incolumitate ſupplicanti ſic olim Chriſtus:

Matth. c. 15. v. 25. 27. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus* Cui illa: *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum*: quaſi diceret interprete D. Chryſoſtomo:

Hom. 7. in Matth. *Non reſpuo opprobrium, tantùm accipiam vel eſcam panis. Tu fac quod debetur cani, quia canem me vocas, da mihi micas, ô Domine; factus es advocatus meæ poſtulationis, abnegando promittis.*

Et verò non promiſit ſolùm; ſed & re etiam ipſa dedit, & fidem laudavit, & demiſſionem amavit, & filiam ejus à malo hoſpite, id eſt, Dæmone, liberavit. Ait enim: *Fiat tibi, ſicut vis.*

Chananeæ huic non abſimilis S. Heduingis rara animi corporiſque demiſſione, & fragmenta panis colligebat, emebatque etiam grandi pretio, & micas quaſi margaritas colligebat, non ut illa, è menſa domini; ſed è menſa ſervorum Domini: quod certè majoris fuit humilitatis: unde & illud, quod ſubjicio.

Cùm adhuc eſſet *Ducissa Poloniæ*, ex eo throno gloriæ ac majeſtatis ſe ita demittebat, ut de genu oſcularetur loca, in quibus ſtantes, aut precantes viderat religioſos, & ſuſcepto jam Ordinis habitu ac ſolemniter profeſſa, monialium in choro ſedes adibat, & ſingulis figebat oſcula; imò & gradibus ipſis, quibus aſcendebant ad dormitorium, & ſcabellis, quibus ad lectulos, quippe quæ ſanctum putaret quidquid eæ etiam vel pede tantùm attigiſſent: adeò earum reverens fuit, adeò & contemptrix ſui, rarò ſanè in eo honoris culmine, demiſſionis exemplo, quod utinam (uti legunt) ſic & imitentur poſteri omnes.

Vidiſti, Amice Lector, etiam in aulæ faſtu demiſſum animum, & hoc imo cordis affectu; ſpecta & in ſummo religioſi ordinis gradu: in hoc conſiſtebat Reverendiſſimus Pater Condren, Oratorii ſecundus Generalis in Gallia. Hic ex humili de ſe ſenſu, demittebat ſeſe non tantùm infra Judæ proditoris pedes, & ipſius Antichriſti; ſed etiam in profundo inferni infra ipſos cacodæmones, quo nihil eſt demiſſius.

Huic ſuppar erit ea animi demiſſio, quæ enituit olim in *Andrea Oviedo*, qui primò Societatis JESU in eam à S. Ignatio cooptatus, dein ab eodem primus Gandienſis Collegii Rector, tum etiam Neapolitani, deniquè à Summo Pontifice creatus Epiſcopus, & Patriarcha Æthyopiæ, quo in munere ſanctè obiit, miraculis & vivus, & mortuus longè clariſſimus.

Hic antequam ad Societatem accederet, Deo voverat, ut ſi repulſam ferret, ſaltem ad obſequia ultima Coadjutorum Temporalium admitti poſtularet; quod in tanto Theologo miræ humilitatis fuit: votum autem formula hæc fuit.

Ego Andreas Oviedus, non cum dolo, aut fraude; ſed ſponte, ac liberè voveo, & promitto Omnipotenti Deo, glorioſæq; Virgini Mariæ, & omni Curiæ Cæleſti, me perpetuò ſecuturum, & obſervaturum Ordinem Societatis IESV: quod ſi verò aliquid obſtet, ratione cujus meritò in eorum Societatem recipi non debeam, ipſiq; Presbyteri conſueverint recipere aliquos, ſub eorum tamen obedientia, pro miniſterio domus, coquinæ, portæ, expenſæ, aut pro ſervitio Patrum, & Societatis prædictæ; promitto, & voveo Deo Omnipotenti me futurum unum ex his perpetuum, aut temporalem ad prædictorum Patrum voluntatem. Ita eſt manu propria. Andreas Oviedus.

SECVNDVS GRADVS HVMILITATIS, eſt oris, & linguæ.

ET hæc alios atque alios habet gradus, quibus aſcendit ad ardua virtutis hujus. Ex his

Primus eſt, aut nihil loqui, aut certè parum. Et hoc eſt, quod de Humilitate & ſenſit, & dixit S. Ægidius D. Franciſci Aſſiſii ſocius. *Humilitas*, inquiebat, *neſcit loqui.* Hic quippe humilitatis eſt genius, ſilentio ſe involvit, alios libentiùs audit, quàm ſe: aut omninò tacet, aut ſi quando neceſſe ſit loqui, id facit omninò quàm parciſſimè: mavult ignorans videri ſilendo, quàm verboſus eſſe loquendo. I. Tacere.

In hoc quoque gradu reponi poteſt & iſtud, quod ne ſe quidem nominari patiatur, quiſquis ex vero eſt humilis.

S. Paulinus Nolanus in epiſtola, quam dedit ad Ævandum, rogat quidem ut pro ſe Deum oret, exoretque: ſed nomen ſuum pronuntiari ſeverè prohibet, additque illud:

Indigni ſumus, quorum nomina Domini auribus ingerantur; ne fortè & labia tua immunda fiant, cùm nos nominaveris, & neceſſe ſit os tuum igneo carbone perſtringi.

Ecce cur ſe taceri vetat, quòd indignum ſe credat, cujus nomen etiam in cœlo audiatur, appellatque ad Dei aures; quodque eo pollui putet etiam dicentis labia, quod denique & eodem polluta mundanda exiſtimet etiam igne. Ecce quæ oris, quæ & linguæ humilitas: & hic primus eſt illius gradus.

Secundus eſt, ut ſi fortè quis carpat, & illud admittas cum ſilentio, nec excuſatum te velis, in eo malè loquax. II. Nunquam ſe excuſare.

Ita feciſſe viſus eſt è Carmelitarum Inſtituto frater Franciſcus ab Infante JESU dictus, qui nunquam auditus ſe excuſare: & aſperiores reprehenſiones, & onera graviora excipiebat ſummo ſilentio, appellabátque ſe *aſinum Ordinis*, cui meritò imponerentur onera, quantumvis gravia.

Tertius eſt, ut injurioſis verbis appetitus ipſe, ſileas tamen, nec verbulo nocentem redarguas. Et hæc oris humilitas fuit in D. Joanne Eleëmoſynario, qui à paupere, & mendiculo procacibus verbis laceſſitus, ne verbulum repoſuit; ſed ei benè grandem eleëmoſynam dari juſſit: adeò & ſilentii tenax, & injuriæ oblivioſus, & charitatis memor fuit. III. De nullo queri.

Quartus, de teipſo efferas nihil, quod ad laudem faciat, & alicujus nominis etiam vel umbram. S. Salvius Epiſcopus Albenſis, in exceſſu mentis, raptuſque in Empireum uſque, vidit beatas illas Divorum ſedes auro gemmiſque nitentes; vidit, inquam, ad tres omninò dies, quos tenuit ea ectaſis, à quibus ſibi redditus, ingenuè à ſe in Cœlis viſa retulit. Vix ea protulerat, cùm ſui quaſi rurſum memor, memor & humilitatis, quæ ſua latere gaudet, exclamavit illicò: *Væ miſero, qui occulta illa myſteria revelavi.* At non ſine aliquo nævo, non ſine graviore etiam pœna, quam ſtatim perſenſit: Nam & odor ille ſuaviſſimus, quem è Cœli regia extulerat, & dulcis in palato guſtus, ac relicta ſuavitas in amarorem verſa, & ulcera, ac tumorem impotentis linguæ: adeò Superis; Deoque ingrata extitit occultæ gratiæ, divinique favoris revelatio. IV. Nec ſe jactare unquam, nec lingua. Gregor. Turon. l. 7. c. 1.

Dixit, & altum ingemuit pius Præſul, & in uberes lacrymas exceſſit, teſtes utique doloris, teſtes & pœnitentis animi, cui grande nefas vel aliquid extuliſſe, quod ad laudem faceret, & aliquam apud alios ſanctitatis opinionem ingenerare poſſet. Adeò hac in parte ſobrii, & abſtinentes Sancti, adeò ſecreti retinens *oris* Humilitas. Et meritò: non rarò enim evenit, ut dum Cœli favores lingua liberiore in aliorum aures effundunt, iis illicò priventur.

E Ciſtercienſi familiâ *converſus* aliquis Angelum alteri è fratribus aſtantem ſæpè viderat, ſeu ille ad negotia domus foras itaret, ſeu ad opera domeſtica ſedulus properaret; aderat illi cœleſtis genius, ceu comes, ceu etiam Tutelaris. aſtantem, ut dixi, viderat alius, & B. Hermanno Abbati retulerat, à quo mox audiit illud: *Quia viſionem retuliſti, nunquam Angelum de cætero videbis.* Et ita factum eſt, & factum benè, Cœlo judice, & quaſi vindice; nec enim facilè patitur ea revelari, quæ in mortales

benigniùs

benigniùs effuderit: ſed potiùs amat ſilentio ſupprimi, atque occultari. Cujus alia atque alia ratio afferri poteſt.

Serm. 9.

Una, quam effert D. Chryſologus, quia *Humilitas* (uti & virtus omnis) *à Deo genita Cœlum ſpectat, in oculis agit divinis, & à Deo ſolo ut glorificetur, expectat: adeoq; ſpectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit.*

Qui enim requireret, cùm ſibi ſufficiat ipſa, contenta ſui? quod vel natura duce agnovit Seneca, cujus hoc effatum:

Sacra virtus omnis, nihil ex ſe petens, niſi uſum ſui.

L. de velan. Virgin.

Quod ſi virtus omnis nihil ex ſe petit niſi uſum ſui; certè vel maximè humilitas: quæ ut abſcondi amat; ſic & detegi erubeſcit: nec mirum, quia ut ſcitè Tertullianus: *Ipſum bonum erubeſcendum eſt:* At bonum longè maximum Humilitas, ideoque *laudabilis* ejus *verecundia*, ut doctè Rupertus ait.

In cap. 4. Cant.

D. Thomas in illud Ezechielis vaticinium: *Nigreſcere faciam ſtellas Cœli.* juſtos omnes, qui in Eccleſiæ quaſi firmamento ſunt, componit cum ſtellis: quòd in eo ſint, quod in Cœli ſtellæ, videlicet *ardentes ſpiritu charitatis, lucentes verbo veritatis, nigreſcentes virtute humilitatis.*

Et hæ ſunt potiſſimæ rationes cur Humilitas *oris*, & ſe & ſua nolit objici oculis hominum, & eſſe in mundi quaſi luce: ſed potiùs in abſcondito, & obſcura veluti nocte, quia cōtenta ſui, quia verecūda.

V.
De ſe abjectè loqui.

Quintus gradus ejuſdem Humilitatis, eſt de ſe abjectè loqui.

Ita locutus Corianus ille Alexandrinus, probatæ apud Superos humilitatis, de quo illud cœlitus cognovit S. Antonius, ſe necdum ad illius ſanctitatem perveniſſe: quod cùm audiſſet, ad eum illicò perrexit, quæſivitque ſtudioſiùs *Ecquænam bona patraret?* cui ille.

Nil me memini unquam boni egiſſe, niſi quod ſummo mane ſurgens, antequam operi manum admoveam, hæc mihi dico.

In vitis Patrum.

Omnes in iſta Civitate à parvo uſque ad maximum ob ſua benefacta paradiſum adipiſcentur: ego verò ſolus ob mea peccata addicar cruciatibus inferni.

Dionyſius Carthuſia. in c. 17. Eccleſ.

Hæc ille de ſe ex humili ſenſu, cui non multum abſimilia, quæ S. Hugo Carthuſienſis, Antiſtes Lincolnienſis, qui hæc frequentiùs in ore habuit: *Mala mea purè mala ſunt, & mea ſunt: bona autem mea, nec pura ſunt, nec mea ſunt.*

Hæc ille de ſeipſo, in quem certè cadere potuit illud, quod deinde D. Bernardus:

Magna, & rara virtus profectò eſt, ut magna licet operantem, magnum te neſcias: & manifeſtam omnibus tuam, te ſolum latere ſanctitatem, mirabilem te apparere, & contemptibilem te reputare. Hoc ego ipſis virtutibus mirabilius judico. Fidelis revera famulus es, ſi de multa gloria Domini tui, etſi non exeunte ex te; tamen tranſeunte per te, nihil tuis manibus adhærere contingat.

Et ita contigit S. Hugoni, cui nihil unquam adhæſit eorum, quæ per illum operatus eſt Deus: quia ea non reputabat ſua.

In ejus vita.

Uti nec reputavit unquam B. Joanna de JESU. Hæc etſi omnium virtutum ferax eſſet: nihilominus ſeſe vocitabat inutile terræ pondus, quod non ferret niſi ſpinas, & tribulos, niſi orbis ſcandala, adeòque graviter ſe dolere aiebat, quòd in ipſo aditæ religionis limine, non aſſumpſiſſet ſubnomen Ioannæ à miſeria. Ex verò enim nihil in ſe agnoſcebat, nihil loquebatur, nihil jactabat præter *miſeriam*, magnam utique à corpuſculo miſeriam; ſed majorem ab animo.

Hæc illa de ſe ex humili ſenſu, ex ipſa Humilitate; quæ *oris* dicitur; cujus etiam amans P. Bernardus Colnago è Societate JESU, vir notæ apud nos ſanctitatis, hoc ſibi vivus Epitaphium conſcripſit.

Sum nihilum, nihilumque fui, nihilumque manebo.

Aſcendo ad ſextum, & ultimum gradum Humilitatis illius, quæ D. Bernardo dicitur *oris*.

VI.
De ſe abjectè loquentes libenter audire.

Is eſt, ut de te abjectè loquentes, te irridentes, & ſubſannantes, non ſolum inſigni patientia excipias: ſed & cum ingenti gaudio. quo in genere illuſtre eſt illud, quod religioſis ſuis in exemplum proponere ſolitus Ioannes Abbas, Præſul eximiæ ſanctitatis.

In vitis PP. l. 2. c. 80.

Adoleſcens unus aliquis in Philoſophiâ diſcipulus, cùm neſcio quid peccaſſet contra magiſtri ſui placita, primùm acriter increpitus: dein & iſtud ex illo audiit. *Non dimittetur tibi hæc noxa, niſi prius per tres annos, & verba acriora, & injurias, & contumelias æquo animo tuleris inſigni tui demiſſione, atque deſpicientia.*

Admiſit diſcipulus hæc magiſtri ſui imperia; audiit, tulitque omnia: dein exacto jam triennio rediit, veniamque ſupplex petiit.

Diſcipuli animum, invictamque patientiam amavit laudavitque Philoſophus, tum & adjecit illud: *Si tibi ex integro velis remitti hanc culpam, adde & tres alios annos in illa patientiæ ac demiſſionis palæſtra, & iis omnibus, qui te verbis pungentibus, injuriis, opprobriis malè affecerint, da mercedem pro re quaſi benè geſta.*

Paruit adoleſcens, & in hac exercitatione, ceu ſtudio virtutis, annis tribus iterum decurrit; dein & ad Philoſophum regreſſus, illi ſeſe ut diſcipulum ſtitit. Suſpexit ille, amavit, extulitque diſcipuli conſtantiam, eùmque amplexibus, & oſculo dignatus, & culpam omnem remiſit, & dignum cenſuit, qui Athenas (nobilem, id temporis, Academiam) pergeret. Perrexit porrò, & ecce in primo limine occurrit Philoſophus, eò loci nominatiſſimus, qui viſo adoleſcente, eum & dicteriis, & injuriis, & calumniis quàm peſſimè excepit: ſic enim futuros aliquando diſcipulos probare ſolitus, & experiri quo animo eſſent ad injurias & probra: an demiſſo, an elatiore ſupercilio?

Quid hic adoleſcens? connivere cœpit; imò & ſubridere, & alacri vultu, blandis oculis, pacatáque mente excipere omnia: ſtupere Philoſophus, & conſtantiam amare, tum ex eo quærere: *Ecquid rideret?* cui ille: *tres anni ſunt, ex quo injurias, probra, contumelias à quocumque illatas grandi pretio emo, ac remunerar: jam hominem inveni (& quidem magni inter ſuos nominis) qui eas gratis mihi donat. Quidni ergo rideam? an non & riſus, & gaudii ſeges ampliſſima?*

Hæſit attonito ſimilis Philoſophus, & novum hunc diſcipulum illicò ſuis adſcribi voluit; & ſic ad illum:

Gymnaſium ingredere: is enim es, qui & ſis Philoſophus, & melioris ſapientiæ candidatus.

Hæc ſuis alumnis referre ſolitus Joannes Abbas, & inde conficere patientiam, ac humilitatem, ceu geminas ſorores, portam aperire ad altiorem, id eſt Chriſtianam ſapientiam, & verò jam inde à naſcente Eccleſia aperuerunt, aperientque in ævum omne.

TERTIVS GRADVS HVMILITATIS, eſt operis.

NOn ducam te, Amice Lector, in aviam aliquam incultámque ſolitudinem, nec in Ægypti deſertum aliquod, ut in eo Paulos, Antonios, Arſenios videas, ac contempleris: neque etiam deflectam ad numeroſa, ſacraque Deo, ac divinis cultibus Monaſteria, ut in illis Benedictos, Bernardos, & alios probatæ ſanctitatis viros demireris: neque ſubibo Virginum Aſceteria, ut in his etiam ſuſpicias, & ames grandes animas, & Cœlis ipſis à virtute, à modeſtia, à demiſſione ſui altiores. Ab his, & illis fortaſſis & pedem, & animum averteres: crederesque, non poſſe te pari paſſu, æquoque pede in virtutis ſtadio cum illis decurrere: quia tam hi, quàm illi aut ſunt cæleſtes homines, aut certè terreſtres Angeli a

nec abnuo, ideóque ab illis longiùs abeo, & abire te patior, benevole Lector, teque duco in ſuperbas Principum ædes, & Regum; & Cæſarum aulas, ut etiam in illis conſideres, quid rerum tandem agatur; & an etiam in altiores illas domos, & repleta fumoſis imaginibus atria, invehatur ea, quam hîc quærimus, animi demiſſio, & humilitas.

Primùm itaque ſubi Regum Chriſtianiſſimorum aurata tecta, & in illis attende, ſuſpice, venerare ſub Coronatis Capitibus & Regios ſimul, & humiles animos, atque ubi aſpexeris, imitari ſtude.

E ſerie Regum, qui primus occurrit ab animi demiſſione ſpectabilis, eſt Robertus Francorum Rex. Hic in Concilio Epiſcoporum, cùm adverriſſet Lamberto Lingonenſi Epiſcopo, viro in paucis docto, & probo, ex eo quòd altiùs ſederet, pedes dependere, motus erga eum pietate ac reverentia; ſurrexit è ſolio Regio; & pro innata Chriſtianiſſimis Regibus comitate, ſuppedaneum ipſemet ſedulus perquiſivit, quod procul inventum manibus ſuis attulit, & Epiſcopi pedibus ſupponere, non eſt dedignatus. *Helgaldus in ejus vita sub initium.*

Invaſit hîc ſtupor, & propè pudor omnes, qui aderant, ad eam tanti Regis, non dicam urbanitatem, ſed & demiſſionem; ut qui regias manus, ſceptro aſſuetas, & armis, pedibus unius è ſuis ſubmiſiſſet; ad quem ſpectare potuit illud Plinii in Panegyrico ad Traianum:

Cui nihil ad augendum faſtigium ſupereſt, hic uno modo creſcere poteſt, ſi ſeipſe ſubmittat, ſecurus magnitudinis ſuæ.

Et ita, non dico Cœli calculo tantùm, ſed & hominum probatorum judicio, tum creviſſe viſus eſt Robertus, Rex Chriſtianiſſimus, quia ſeipſe ſubmiſit, ſecurus magnitudinis ſuæ, ſecurus & majeſtatis; nihil enim huic, nihil & illi decedit umquam ab humilitate. Verum quippe & illud Plinii:

Neque enim ab ullo periculo fortuna Principum longiùs abeſt, quàm ab humilitate. *supra.*

Alter, qui in eodem Chriſtianiſſimorum Regum ordine viſitur ab humilitate planè ſingularis, eſt S. Ludovicus, qui in ſerie Regum fuit, quod in annulo gemma eſt.

Ut eximia illius in Deum pietas; ſic & in pauperes charitas enituit. Vidiſſes illum poſito diademate, imò quaſi depoſita Regis perſona, ſingulis diebus Sabbathi, flexo genu trium pauperum lavare pedes, abſtergere, oſculari: tum aquam affundere lavandis eorum manibus, quas & oſculabatur, tum etiam accumbentibus menſæ miniſtrare: denique liberali eleëmoſynis donatos à ſe dimittere, illuſtri ſanè in tanto Rege, & corporis, & animi demiſſione, quam probavit etiam erga eos, qui ei erant à confeſſionibus, ſi quando enim coram eis conſediſſet, advertiſſetque vel oſtium, vel feneſtram apertam, illicò è loco confeſſionis ſurgere, & hanc, & illud claudere, ut in eo demiſſionis officio Confeſſarium præveniret: cumque moneretur, non eſſe Regis illud: modeſtè, & candidè reſpondebat: *Chariſſime, vos eſtis Pater: & ego filius, & ideò hoc facere debeo.* *Guillielmus de Nangis l. de rebus ab eo geſtis*

Regiæ profectò voces, & dignæ Chriſtianiſſimo Rege, ut qui in Vicario Chriſti Chriſtum ipſum agnoſceret, ac veneraretur; regia profectò fide, regia & humilitate, quam etiam ſuſpicere, & amare licebit in Auguſto Cæſare, Ferdinando II. glorioſæ memoriæ.

Hic cum bona, & cum mala fortuna compoſitus, & utriuſque ſemper victor, præclara poſteris Auſtriacæ fidei documenta, exemplaque reliquit: inter quæ non infimum erit, quod ſubjicio, & accepi à R. P. Roſmaire, natione Belga, patria Mechlinienſi.

Erat ille tum temporis Sereniſſimo Duci Neoburgico à Confeſſionibus, & ab eodem Viennam ad Cæſarem miſſus. fortè tum æger, & cubiculo, & lectulo affixus jacebat R. P. Lamormaïnius, Imperatoris Confeſſarius, cùm ſuffectus ad tempus ſacerdos ille noſter, qui & Sacrum in aula de more faceret, & Cæſari aures daret, cùm eas exegiſſet.

Igitur die quâdam è ſacello evocatus ad conclave Cæſaris, ab eodem benignè exceptus, & juſſus excipiendæ confeſſioni ad oratorium conſidere. Sed ô malum! vel potiùs, ô commoda magni boni, exempli & rarioris occaſio! deerat enim illic ſedile: quod ut advertit Imperator, alterum, quod ex adverſo erat, quærit, manu prenſat, attollit: prenſat, & attollit ſacerdos. Hîc orta lis, & pia quædam contentio, quis è duobus ſedile tolleret, & in opportunum locum deferret. Dum id officii ſuo quaſi jure depoſcit ſacerdos ille noſter, & ex adverſo, illud humili, & verè Chriſtiana, hoc eſt Auſtriaca pietate, ſibi uni ſervatum vult Cæſar, qui tandem evicit, adjecitque illud dignum cedro:

Sede mi Pater, & caput obtege. Ita enim factum oportuit: quia in hoc tribunali, tu judex, & ego reus.

O plenas fidei voces! ô religionis avitæ teſtes! ô dignas tanto Cæſare! ô tranſmittendas in Poſteros omnes, & longè futuras ætates, quæ ab illo diſcent, quid de ſacro illo tribunali, & ſentire, & loqui debeant; quid etiam addiſcere ex tanto Cæſare, quid, inquam, & fidei ſimul, & humilitatis. dixit aliquando Seneca:

Et hæc ſummæ magnitudinis ſervitus eſt, non poſſe fieri majorem. *Lib. 1 de Clementia. c. 8.*

Invenerunt Reges Chriſtianiſſimi, invenerunt & Auguſti Cæſares in ſumma illa ſui magnitudine, quî fieri poſſent minores, videlicet abjiciendo ſeipſos ad ea, ad quæ via etiam famuli, & de communi luto homines. Ab illis diſce, Mi Lector, quid te moliri oporteat: Nempe humilitatem amare, colere, & omni animi contentione quærere; & quidem primò eam, quæ eſt *cordis*, in humili abjectoque de te ſenſu. Deinde eam, quæ eſt *oris*, & *linguæ*, ſemper abjectè de te loquendo; & ut alii etiam loquantur, amando. Denique & illam, quæ eſt *operis*, demittendo teipſum ad viliſſima quæque vel exemplo Regum, & Cæſarum; vel quod longè maximum eſt, exemplo Chriſti, in cujus femore ſcriptum, *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Et tamen ut is eſſet, ad diſcipulorum pedes, imò & Judæ proditoris, ſeſe demiſit. Et hoc in vivis ab illo Humilitatis exemplum, nec abſimile etiam ab eodem jam Cœlis addito cernitur.

Mirabile enim illud: ſed verum tamen, quod Henriquez Ciſtercienſis Ordinis Hiſtoriographus, Chriſtum è Cœli regia delapſum, B. Godefrido, ſacriſtæ, & monacho Villarienſi laviſſe pedes, nec dedignatum id officii, etiam ex ſinu (ut ita dicam) beatitatis, ut & tu eadem non dedigneris obire in valle miſeriæ, & infelicitatis. *Lilia Ciſtercienſia. Diſt. 1. c. 8.*

CONCLUSIO.

Humilitas via ad ſublimitatem.

BEatæ Eliſabethæ, Schonaugienſis Cœnobii quondam Abbatiſſæ, in finibus Trevirenſis Diœceſis, in exceſſu mentis objecta hæc ſpecies: *Lilia Ciſtercienſia. Tom. 1. Diſt. 1. c. 1.*

Mons erat excelſus, & planè arduus, cœleſti tamen luce conſpicuus, à cujus imo ad ſummum aperiebantur quaſi tres viæ.

A dextris viridis erat; à ſiniſtris purpurea; media coloris hiacynthini, qualis eſſe ſolet Cœli ſerenioris.

In vertice montis ad ſummum viæ mediæ, ſtabat vir auguſta ſpecie, & majeſtate verendus, cujus facies nitebat, & radiabat velut æmula ſolis, oculi micabant ſtellarum inſtar, tunica hiacynthina defluebat ad imos pedes, in ore erat gladius utrâque parte acutus, in dextrâ clavis, in ſiniſtrâ ſceptrum. *Tres in Cœlos viæ.*

Et hæc

Et hæc ipſo die Pentecoſtes; die ſacro, die benè ominato, propoſita eſt imago.

Hanc dum uſurpat oculis, & mente recolit B. Eliſabetha, ecce illi ſeſe viſendum objicit Angelus, unq; futurus interpres oblatæ viſionis; hæc enim illi:

Mons iſte præcelſus eſt Beatitudo, ad quam facti, natique mortales omnes.

Lux illa aurea, quæ montem ambit, ac veſtit, eſt ipſa claritas, & ſplendor Immenſi gloriæ.

Viæ illæ tres, quæ in montem illum ducunt aſcenſu planè arduo, ſunt tres Electorum viæ, è quibus.

Prima, quæ eſt coloris viridis, & ad aſpectum
I. Humilitatis amœniſſimi, eſt *Via activa*, qualis in religioſo ſtatu eſſe ferè ſolet Laicarum ſororum, quæ in officiis *Marthæ*, id eſt humilibus, atque abjectis exercentur: & hæc illis via, qua pergunt in ſublime.

II. Orationis. Altera, quæ eſt media, & coloris hiacynthini, id eſt cœleſtis, eſt *via contemplativa* rerum divinarum, qualis ferè in religione eſt eorum, & earum, quæ choro, & cœleſtibus laudibus decantandis vacant, atque diſtinentur. Et his in ſublime fit via pennis altiſſimæ contemplationis.

III. Martyrii. Poſtrema, quæ eſt purpurei, & ſanguinei coloris, eſt *via Paſſionis*, qua gradiuntur Martyres, grandes animæ, fortia pectora, heroës inclyti, qui ſanguine, Dei aut Religionis gratiâ effuſo, ſibi viam moliuntur in Cœlorum ardua.

Et hæ ſunt electorum viæ omninò tres: Vir autem ille, cujus facies luce, ſplendore, radiis, ſolem vincit, eſt Chriſtus, candor lucis æternæ, imago Patris, & ipſe ſplendor divinæ claritatis, id eſt, æterni Patris.

Oculi micantes, eſt ejuſdem aſpectus in electos, quos dum contuetur, ſimul & cœleſti luce, & benignioribus divinæ gratiæ influentiis perfundit.

Gladius in ore, eſt Chriſti, Judicis ſententia, quæ aliquando in reprobos, ceu gladius diſtringetur.

Tunica Hiacynthina, eſt ipſa Chriſti Humanitas, caróque Virginea, è Virgine ſumpta, ſine virili congreſſu, altiore videlicet afflatu Divini Spiritus, adeoque quodammodo cæleſtis tota.

Clavis, quæ in dexterâ eminet, eſt poteſtas aperiendi beata Divorum atria, cœleſteſque portas.

Denique *Sceptrum*, eſt Regia, quæ in Chriſto erat, poteſtas.

Et hæc objectæ tum viſionis interpretatio, ex qua ad rem meam illud tantùm deduco, quod mihi pro Coronide propoſui, Humilitatem eſſe primam viam, quæ ducit in ſublime.

Ut pugnem tecum authoritate, Amice Lector, teſtem adduco D. Auguſtinum, cui humilitas eſt
Lib. 16. de Civit. Dei. c. 4. via in Cœlum; ſic enim ille aliquando: *Tutam, verámque in Cœlum viam molitur Humilitas.*

Teſtem & D. Bernardum, qui hæc olim ad ſuos è pulpito, hæc modò è Cœlis ad nos: *Deſcende, ut*
Serm. 2. de Aſcenſ. *aſcendas; humiliare, ut exalteris. Hæc enim ad ſublimitatem via, & non eſt alia præter ipſam: qui aliter vadit, cadit potiùs, quàm aſcendit.*

Teſtem & Chryſoſtomum, oratorem aureum,
Hom. 40. in Epiſt. 1. ad Cor. cui humilitas *currus* eſt. Sic enim aliquando ad ſuos, *Sedebis in curru humilitatis, qui te in Cœlum ſuſtollit, qui equos habet alatos.*

Teſtem denique & D. Umbertum, cui humilitas
Cap. 37 de Humilit. eſt *ſcala*, per quam facilis in Cœlos eſt aſcenſus; ſic enim de illa: *Scala eſt ad cæleſtia nos ſublimans.*

Sed authoritate pugnatum ſatis; certemus & exemplis: his indubiè manus dabis, & diſces tam in hac vita mortali, quàm deinde in immortali, humilitatem viam eſſe in ſublime.

A Liberio Pont. Max. ad Concilium evocatus S. Hilarius, Pictavienſis Epiſcopus, id unum ſpectavit, quæſivitque impenſiùs, ut in ſacratiore illo conceſſu cederet omnibus, eſſetque in poſtremis, & quidem (quod inſignis reverentiæ fuit, ac demiſſionis) ſtaret ipſe, conſidentibus aliis: & certè ex voto ſic ſtetit. At Divina providentia diu ſtare non eſt paſſa; mox enim, quæ vicinior erat terra viſa paulatim intumeſcere, attollique, ac formari in modum ſcabelli, in quo, ceu curru quodam Humilitatis, conſideret S. Præſul, quem eo miraculo Deus ab imis ad ſumma duxit, ut omnibus in eo Concilio & honori, & amori eſſet, & ſtupori, ſimulque poſteris omnibus documento, humilitatem viam eſſe ad ſumma, ad honores, ad famam, ac nominis exiſtimationem, ad ſacros denique plauſus etiam in hac aurâ mortali. Demus aliud, quod etiam in altâ immortali.

Dabitur illud in D. Franciſco Aſſiſio. Necdum hic terris vivere deſierat, cùm ecce viro in paucis religioſo, & ſancto, viſum eſt aperiri Cœlum, & patere Divorum atria, atque in his thronus ſublimis ſitus medius inter Seraphinos, ſunt illi altiſſimæ Cœlorum Intelligentiæ, & Beatos inter Spiritus, & amore in Deum eminent, & gloriâ ſimul, ac beatitate.

Hæc dum mentis oculis contemplatur, ac ſuſpicit; D. Bonaventura in ejus vita.
audit & illud è Cœli regia: *Hæc ſedes parata humili Franciſco.*

Erant in terris Coronata Capita, erant & Infulata; & horum nulli, quod ſciamus, parata in Cœli vertice ſedes media Seraphinos inter; ea nimirum uni Franciſco ſervata, & quidem *humili*. Superbis illis, aliiſque ſpiritus hominibus omninò nulla, ne in infimo quidem Cœlorum ordine.

His relictæ coronæ, ſolia, throni; ſed in terris: in Cœlis autem ne angulus quidem, ne ſcabellum ad pedes abjectum.

I modò quiſquis es, altos indue jactáque ſpiritus: ab his certè non ibis in ſublime, non tolleris in Cœlorum atria: ſed potiùs prono ac præcipiti lapſu ad ima demergêris: Ne porrò ſic mergaris, age, Wadingus in Annal.
abjice te ad infima. Ita ſe abjecerat Franciſcus ex Mino. 1226.
vero *humilis*, qui etiam à ſociis viſus in curru igneo miri ſplendoris in ſublime tolli.

Crediditſes Eliam alterum, & certè à Charitatis ardore Elias erat: ſed quantò ab hac altior, tantò ab Humilitate abjectior.

Altitudinem porrò, ac ſublimitatem oſtendit etiam illud, quod in fœlici illius è vivis exceſſu ſpectavit frater Jacobus à Laude (qui & ipſe Aſſiſii obiit miraculis deinde clarus) ſpectavit, inquam, D.
Franciſci animam ſub ſpecie fulgidæ ſtellæ, à candida Tom. 1 ſup. Anno 19.
ſubvectam nubecula in Cœlos inferri eo ipſo momento, quo è corpore exceſſerat.

At cur, inquies, in ſtellæ formâ, cur & ſubvectæ à nubeculâ?

Eſt nubecula humilitatis ſymbolum, & hæc D. Franciſco, ceu ſtellæ novæ, pro curru fuit, quo in Cœlos veheretur, adeò verum illud, quod initio mihi propoſui, humilitatem viam eſſe in ſublime. Addo etiam & ſtatum vitæ humilem, qui ſcilicet longius abeſt ab omni honoris faſtu ſeu profano, ſeu etiam ſacro.

Hubertus Morinenſium Epiſcopus, dum poſt horas matutinas orationi vacat impenſiùs, petiitque ut ſi fortè Deo diſpliceret, quòd eſſet Epiſcopus, dignaretur illi aperire. hanc de Superis vocem excepit à bono Genio: *Librum vitæ legi, & relegi, & Hubertum Epiſcopum non inveni.*

Audit Hubertus, nec mora ab Infula, Pedoque longiùs abiit, atque in D. Bertini, abjectionem monachi habitum induit; ratus omninò, quod erat, in religioſo, id eſt humili vitæ ſtatu, Libro Vitæ faciliùs & certiùs inſcribi, quàm in eminentiore dignitatis gradu.

Quod ipſum à felici obitu indicatum voluit Religioſus alius notæ ſanctitatis, qui cùm in Epiſcopum

electus eſſet, omninò detrectavit, ac deinde uni è familiaribus apparens dixit: *Si de numero Epiſcoporum fuiſſem, de numero damnatorum jam eſſem.*

Maneat ergò indubitatum illud, Humilitatem viam eſſe ad ſublimitatem, & quidem in Cœlis ſummam.

B. Vrigman, Dominicanæ familiæ ſidus illuſtre, cùm nuſquam ſibi congruum locum, quàm in profundiſſimo inferni, ſub ipſo Lucifero reperire poſſet, eóque ſe ex humilitatis ſenſu aliquando demiſiſſet, accepit hanc vocem è cœlo lapſam: *Vrigman citò huc aſcende ad thronum altiſſimum in Cor Dei Patris.*

Quid eo aſcenſu amantius? quid altius? quid divinius? Certè nihil amantius, quia in Cor ipſum Dei Patris. Nihil altius, quia ad thronum altiſſimum. Nihil denique divinius, quia in Cor Dei, hoc eſt in ardentiſſimos ejus amores.

Et hæc ab humilitate eſt merces, hic & aſcenſus, cui non multum abſimilis eſt ille, quem adiit S. Gertrudis. Hæc cùm aliquando pronuntiaſſet indignam ſe eſſe, quam terra ſuſtineret, etiam, ut aiebat, miraculo, à Deo hoc illi dictum: *Ipſos cœlos anhelare ad felicem illam horam, qua ejus pedibus ſe poſſent ſubſternere.* Lib. 1. vitæ c. 12.

Amant nimirum cœleſtes orbitæ, amant & ipſa ſidera, ceu cœli gemmæ, amat ipſe Sol, & Luna, iſtorum orbium, ceu vaſti corporis, oculi; amant, inquam, atque geſtiunt, humilium pedibus ſubſterni, & quodammodo ſubjacere.

TRACTATUS
DE ARDENTIORE
ANIMARUM ZELO.

NE me damnes, Amice Lector, ſi calamum ducam in argumento ſatis trito, & obvio. facio quod in legendo melle ſolent apes; involant hæ in amœna prata, in fœcundas floribus areolas, & modò his, modò illis inſident, & ſuccum exugunt, quem deinde in mel convertunt ſuaviſſimum, opplentque alvearia; quæ non ideò damnabia, quia defotis aliqua petuntur, quibus replentur. Sic nec me argues aut dammabis, ſi pauca ex aliis delibem, ac deinde de meo etiam addam plura: erit illud laboris non exigui: hoc induſtriæ noſtræ, pro qua moveatur

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Tabeſcere me fecit zelus meus.* Pſalm. 118. verſ. 139.

§. 1.

Quis ille zelus?

Quid illud tabeſecit? PRinſquam delabar ad propoſitas mibi quæſtiones, verbulo notari velim, quid innuat ea vocula *tabeſecit.* In hac pius hæret Interpretum labor; dein in alias atque alias abit explicationes

S. Hieronymus vertit: *Conſumpſit me zelus meus*, hoc eſt vires omnes & corporis, & animi abſumpſit; tanta in eo vis, tantus & ardor.

Alii exponunt, *Diſſipavit*, id eſt, in alias, atque alias curas diſtraxit, nec ſuum voluit eſſe animum, nec in ſe, nec ſibi vivere, & ſpirare; ſed aliorum commodis, & bono ſpiritali: adeò ſui prodigus eſt zelus ille divini honoris, & cultus.

Nonnulli, *Succidit*; ut falce ſucciditur planta, vel herba vireſcens; & ſic ſuccifa exareſcit: ſic & animus zelo Dei plenus quaſi ſucciditur, & exareſcit totus.

Alii, *Contriſtavit*; hoc eſt, gravi mœrore affecit; nec enim gaudere poteſt mens diviniore zelo occupata, cùm alienos videt à Dei nutu, ac voluntate.

Alii, *Oppreſſit*, ceu incumbente quadam mole.

Alii denique, *Enecavit*: hoc eſt, dum alios ad immortalem vitam allicit, parat, urgetque: nec aſſequitur quod operosè molitur, vitam hanc mortalem propè amiſit. Tanta vis eſt zeli in mortem, vel in vitam; ſi *fortis ut mors dilectio*; fortis & zelus.

Et hæ verſiones ex alia, atque alia hebrææ vocis notione manârunt, adeò dives, & fœcunda eſt hebræa vocula etiam vel unica.

Ea eſt *Tſamath*, quæ omnes illas interpretationes parit, aliaſque iis affines, quibus addo illam, quæ eſt à voce græca, ἐξέτηξε, ideſt *liquefecit*: ut enim cera ſolet à facie ignis: ſic totus liquefiebat David à zelo illo ardentiore, & hoc, ut ait, *quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Pſal. 118. v. 139.

Deſcendo ad eam, quam mihi propoſui quæſtionem. Ecquis ille zelus? Quid ſit zelus?

E Sanctis Patribus, & Scripturæ Interpretibus vix invenio, qui Zelum preſſiùs definiat ex arctioris Philoſophiæ legibus: deſcribunt propè omnes ea pia quadam oratoriæ artis licentia, ex illis, & ipſe in præſentia deſcribam.

S. Dionyſius Areopagita Summi Numinis zelum appellabat *amatorium quendam impetum. Amatorium* quidem, quia ex amore naſcitur, veluti nobilis, & primus illius partus; *impetum* autem, quia non lenè, non ſegniter fertur, ſed ſummâ vi, ſummâ celeritate, ſummo & impetu. De divin. nom c. 4. I. Amatorius impetus.

D. Ambroſio. Zelus *eſt Charitas*; non quidem in ſeipſo; ſed in fonte, ſed in origine: zelus enim profluit à charitate in Deum; ſi Deum aſpicit, ſi illius gloriam, illius cultum ſpectet: ſin autem proximi bonum, ac ſalutem, procedit à charitate in proximum, velut à ſuâ origine: hinc illud ejuſdem S. Doctoris: *Qui non zelat, non amat.* II. Charitas. In Pſal. 118.

Aliis zelus in Deum, & proximum, dicitur quaſi *Charitatis apex*, quia nobiliſſimus actus eſt, qui ab ea dimanat.

Divo Thomæ, Angelico Doctori, Zelus *eſt ardor, & intenſio charitatis contrarium repellentis*, perſonæ videlicet amatæ injuriam: nec enim ferre poteſt, quiſquis eam amat; ut repellat, ut longè propulſet, eſt neceſſe. 1. 2. q. 28. art. 4. III. Ardor.

D. Bernardo, Zelus *eſt intima quadam ſtimulatio Charitatis, piè nos ſollicitantis æmulari decorem domus Domini, fraternam ſalutem, incrementa lucrorum ejus, incrementa frugum juſtitiæ ejus, laudem & gloriam nominis ejus.* IV. Intima ſtimulatio.

Hugoni de S. Victore, Zelus *eſt fervor animi ad compaſſionem naturæ, & ultionem culpæ, & devotionem gratiæ promi. Zelus itaque utiliter flagellat ſervum, ſalubriter corrigit filium, ſollicitè, atque feliciter ſervat conjugium: ſervum ultione, filium compaſſione, conjugium devotione.* V. Fervor animi.

D. Augu-.

VI. Comeſtio. D. Auguſtino, Zelus eſt veluti quædam comeſtio, & violenta quaſi devoratio illius, quem invaſerit: ſic enim de illo ad Chriſtianos olim, modò etiam ad nos:

Tract. 10. in Ioan: *Vnumquemque Chriſtianum zelus Dei comedat, ut quantum in eo eſt nihil perverſi patiatur. Vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contriſtare: ſi zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere, & inebriari velle, & hoc velle in locis ſanctis, quod nuſquam debet: prohibe quos potes, quibus non potes, blandire: noli quieſcere: tamen, ſi amicus eſt, admoneatur leniter; uxor eſt, ſeveriſſimè refrenetur; ancilla eſt, etiam verberibus compeſcatur.*

VII. Sacrificium & mors. D Paulo, Gentium Apoſtolo, Zelus eſt veluti quoddam *ſacrificium*, & ſpontanea immolatio, qua zelo animarum mens occupata, quotidie ſe Deo immolat, & quaſi ad aras cadit nobilis zeli victima.

Et ita cecidit D. Paulus, qui hæc ingenuè de ſeipſo ad Philippenſes: C. 2 v. 17. *Immolor ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ*; & ſic ad Corinthios: *Quotidie morior per veſtram gloriam fratres.* 1. Cor. c. 15. v. 29.

Fuit illud in Apoſtolo profuſæ in proximos charitatis, quorum bono, & ſaluti ſeſe quotidie Deo devovebat ad aras ſacratiores, & ad illas accidebat, veluti grata Superis victima: cui vulupe erat ſic cadere, ſic emori, ut ſuo caſu ſurgerent alii, & ſua veluti morte viverent; viverent, inquam, Religioni, ac Deo.

VIII. Vita Dei. D. Ambroſio, ad quem redeo, & in quo has Zeli deſcriptiones finio. *Zelus Dei vita eſt.* Quid amplius? quid excelſius? quid divinius dici poteſt? In Pſ. 118. Serm. 10. Certè, qui *Zelum Dei vitam* eſſe dixit, omnia dixit. Dixit enim Deum eſſe, quia Dei vita, Deus eſt.

Quòd ſi Deus eſt, neceſſum profectò eſt, ut qui Dei zelum induit, & Dei quoque vitam induat, & veluti Deus ſit, non quidem eſſentia, & natura (quod adynaton) ſed aliqua cum illo vitæ communione, & participatione. Et hoc bonæ menti ſtimulo eſſe debet, ut eo divinæ gloriæ zelo totus inardeſcat.

§. 2.

Quotuplex ille Zelus?

APud Authores probatos, & ſacræ Scripturæ Interpretes triplex eſt.

Zelus divini honoris. Primus eſt ſtudium vehemens, & ardor quidam igneus, promovendi divini Numinis gloriam; cognitionem, amorem, & cultum.

Is fuit in S. Ignatio, minimæ Societatis noſtræ Fundatore, cujus hoc ſolemne lemma fuit, *Ad majorem Dei gloriam*, Hoc illi in corde, hoc in opere fuit. Dei ſui gloria, veneratio, cultus.

Hinc in conſtitutionibus ad ſingula quæque capita repetitæ illæ, & ſimiles voces, *Majorem Dei gloriam, majus Dei obſequium ſemper ſpectando.* Hoc ſcilicet unum illi erat in oculis, hoc in amoribus, primisque curis.

Ab hoc porrò zelo, ceu entheo quodam ardore, facies illi lucere non ſemel, atque ardere viſa, etiam à S Philippo Nerio, qui ſe tantæ lucis, tanti & ardoris oculatum teſtem prædicare non deſiſtebat.

Maffæus in ejus vita. Ab hoc zelo dum publicè immortali Deo ſacrificium offerret, globo ignis in caput incidente, ardere viſus eſt; flammâ ſurſum redeunte, atque ut ita dicam, victimam referente ad ipſum Numinis ſolium, cui ſcilicet immolabatur.

Is quoque fuit in S. Tereſia, quæ majorem Dei gloriam in omnibus quæſivit, atque ſolemni voto ad hoc ſe obſtrinxit; quod ante illam, nullus quod ſciam Sanctorum feciſſe, eſt auditus.

Hoc porrò votum, dum in Tereſia, ceu ſponſa amat cœleſtis Sponſus, è Superum regiâ Angelûm emiſit, vultu mirè decoro, qui jaculo ignito ejus cor trajiceret. Et porrò ſic trajecit, ut æſtuaret, ut colliqueſceret tota: maximè verò, cùm ex illo etiam excepit voces illas amabiles, ſuaves, divinas, quibuſcum dexteram ei porrigens: ſic ad illam:

Aſpice clavum hunc, qui te ſponſam meam ex nunc fore ſignificat. Honorem deinceps meum quæres, non modo ut Creatoris, Regis, ac Dei tui, ſed ut vera ſponſa. Iam meus honor, tuus eſt; tuusq;, meus eſt.

Hæc illi Chriſtus, ceu Sponſus Cœleſtis, qui etiam ei hanc mentem injecit, ſemper agendi quod Deo gratius foret atque acceptius, ad quod etiam ſe voto obligavit: ut hunc animi ſui ardorem, & divini cultus zelum, in ſe accenderet magis; atque in aliis deinde promoveret.

Ad hunc porrò divini nominis zelum ſpectant duo, quæ etiam illum produnt. Ejus indicia duo.

Primum eſt, illatis Deo injuriis, & convitiis magis lædi, quàm ſuis; imò ſuis non tangi; ſed dumtaxat Dei: quo in genere mirè excelluit S. Ignatius.

Subierat aliquando cogitatio, quis ſibi ſenſus foret, ſi Deus pro ſupremo dominio, quod habet in omnes creaturas, ſe inferni carceribus atque ignibus æternùm addiceret, etiam ſine culpa. Quis tunc ſibi ſenſus? & quod in eo ſtatu grandius malum?

An anguſtiæ inferni carceris? an horror æternæ noctis, ac tenebrarum, an edaces flammæ, & ignes æterni? an pœna damni? an verò jactæ in Deum (amores unque ſuos) injuriæ, convitia, blaſphemæque voces?

Ubi hæc apud ſe tacitus reputare S. Ignatius; tum illud reſolvere, & certum habere, prima illa pro nihilo ducere præ ultimis, & hoc ideò, quia illa, ut mala ſint; at Ignatio ſoli mala ſunt; hæc autem mala, etiam Deo ſuo, amori ſuo. De malo autem ſuo non dolere fixum erat: at de malo Dei, quàm maximè. Ecce quis illi zelus divinæ gloriæ, & boni (ut ita loquar) divini.

Juvat hic exſcribere, quæ in membrana ipſemet aliquando annotavit.

Duabus, inquit, *rebus, defixus hærebam: altera quæ ibi ſupplicia mihi forent luenda. altera quibus ibidem, quantove Dei nomen convitiis peteretur. Ac priori quidem nihil adeò moveri me, neque terreri ſentiebam: Cæterùm audire illas diviniſſimi Numinis injurias, id demum me magnoperè ſauciabat.*

Hic ſiſte, Mi Lector; hîc oculum fige. *Sauciari* ſe dicit Ignatius, & quidem magnoperè, Dei ſui injuriis: at inferni ſuppliciis *nihil moveri*; imò *nec terreri.* An non ille Amoris, an non Zeli divinioris eſt exceſſus?

Huic affine aliquando legi in vitâ, geſtisque B. Angelæ de Fulginio. Hæc aliquando de ſeipſa candidè audita eſt dicere: Bollandus in ejus vita 4. Ian.

Quod ſi certiſſimè ſcirem me damnandam, nulla ratione poſſem dolere, nec nimis laborarem, nec nimis ſtuderem orare, & honorare Deum, nec in ejus amore intepeſcerem.

En zelus divini cultus, labor, orationis ſtudium, Dei honor; imò & amor, quem redderet in terris, & in hac vita modo tali, ſi fortè non poſſet in inferis, & in tota quanta eſt æternitate.

Alterum indicium divini cultus, ac zeli, eſt, eos, qui in illum aliquando peccant, & verbis perſtringere, & pœnis etiam acrioribus mulctare; &, hoc illuſtri ſanè zelo, quem in domeſticis, atque adminiſtris Eugenii, Pont. Max. requirebat S. Bernardus, qui ſic aliquando ad illum: monet enim ut eos aſciſcat ſibi in domeſticos, qui zelo bono ferveant, & ſic ait:

Sint illi qui Regibus Ioannem exhibeant, Ægyptiis Moyſen, fornicantibus Phinees, Eliam Idololatris, Eliſæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus Chriſtum. Qui vulgus non ſpernant, ſed doceant; divites non palpent, ſed terreant: pauperes non gravent, ſed foveant: minas Principum non paveant, ſed contemnant. Lib. 4 de Conſiderat. ſub medium.

Producit in medium S. Præſul eos propè omnes, qui vel in antiqua lege, vel in ipſa Evangelii luce, zelum prodiderunt in eos, qui auſi planè temerario, Supremi Numinis honorem violârunt, aut aliquo inſigni ſcelere ſe contaminaverunt: in quos facto impete incurrerunt, quaſi vindices violati divini Nominis. Quod ſanè zeli fuit illuſtrioris.

II. Zelus ſalutis Animarum. Venio ad alterum Zeli genus: eſt illud ardens deſiderium, & conatus arduus ad procurandam omni ratione ſalutem Animarum.

Digna fuit, quæ iret in Poſteros omnes laus illa, quam B. Fulgentius Thraſimundo impertit, quod ſcilicet *magis deſideraret Animæ ſpatia dilatare, quàm Regni*. Nimirum hoc regii fuit animi, orbem omnem amore, & ſtudio circumferre, & aurea velut catena ſecum in Cœlum velle attollere, quod zeli altioris, & regio faſtigio altioris.

Quæ Thraſimundo data laus, data gloria: Eadem & D. Ludovico, Francorum Regi longè ſanctiſſimo dari ex merito potuit.

Urbs *Tunetum*, eſt Africæ facilè princeps: ejus Rex in fidem Chriſtianam ſatis propenſus, legatos miſerat ad Divum Ludovicum; dies erat S. Dionyſio ſacer, in quo unum magni inter ſuos nominis Judæum levabat de ſacro fonte: & hoc in æde S. Dionyſii, Galliarum Apoſtoli, ubi peracta baptiſmatis ſolênitas, ſic ad Legatos Rex Chriſtianiſſimus:

Dicite ex me veſtro Regi, ac Domino, quod ego illius ſalutem iis votis, eoq; amoris æſtu & optem, & ardeam: ut omninò vellem reliqua mihi vita detineri in carcere Saracenorum, & ibidem privari omni luce hujus, ac ſolis uſura: ut & ipſe Rex veſter, & natio omnis illi ſubjecta, Chriſtianæ Religionis ac fidei lucem aſpiceret.

Ita Guilielmus de Nangis, illius ævi ſcriptor accuratus. O Regias! ô Chriſtianas! ô Apoſtolicas voces! ô vota digna Rege Chriſtianiſſimo! digna Ludovico, id eſt imprimis Sancto: optabat ille Animæ ſpatia dilatare, & è Gallia, Regno florentiſſimo, & cogitatione, & amore, & piis votis excurrebat in Africam, vaſtiſſimas illas, incultaſque regiones, non ut dilataret ſpatia Regni; ſed Animæ, ſed Fidei, ſed Religionis, ſed Chriſti.

Utque aſſequeretur illud, etiam cœlo propitio, faventique Numine, cùm ſuus eſſet, ac liber, & in oculis, ac luce clariſſimi opulentiſſimique Regni, optabat etiam in reliquam vitam intra carceris unius anguſtias latere, orbarique communi etiam omnibus luce, ac ſole; vel eo tantùm, ut fidei lumen videret Africa. An non illud Regii eſt animi; an non etiam zeli Apoſtolici? eſt enimverò, & quidem ejuſmodi quod tota quanta, quanta eſt, commendabit & mirabitur æternitas.

Eccleſia primùm enaſcens amavit latum illud, atque effuſum cor Apoſtoli, quòd cœleſtem quandam habuit expanſionem, & ampliſſimo ſinu caritatis orbem propè univerſum complecti potuit, atque coërcere, cujus teſtes fuerunt eæ olim ad Corinthios voces: *Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthii. Cor noſtrum dilatatum eſt.* Nimirum illud eſt

2. Corint. c. 6. Apoſtolici muneris, & animi, cor ad omnes omninò dilatare, ut omnes Cœlo lucreris, & Chriſto. *Eſt & magni, ac ſingularis meriti* (ut rectè Salvianus) *non ſolùm ipſum labe non pollui; ſed providere etiam, ne unquam*

Lib. 7. de Gubernat. *alii polluantur. Procurator enim eſt quodammodo ſalutis humanæ, qui non tantùm id agit ut ipſe bonus ſit: ſed efficere hoc nititur, ut alii mali eſſe deſiſtant.*

Et ita effecit aliquando Eugenius, Antiochiæ Syriæ Antiſtes. Is abibat aliquando Antiochia in

Chronicon Alexandr. Olymp. 282. proximum oppidulum cum duobus religioſiſſimis viris; & ecce quidam natione Judæus ſeſe comitem illis adjungit: Eugenius pro eo, quo fervebat animarum zelo, perfidi hominis impietatem quà monitis, quà diſputatione graviſſimâ pervellere cœpit. Verùm Judæus, cùm partim omni mente conniteretur, & inſultaret, partim etiam hominis doctiſſimi oratione urgeretur, improbo ſanè poſtulato, & audaci, campum aperuit ſanctiſſimo Præſuli, in quo zeli ſui magnitudinem explicaret.

Cùm enim fortè incidiſſet in ſerpentem in media via mortuum, fœda, & horribili ſpecie, Judæus ut veritatis vim, propè jam in victoria triumphantis, eluderet. *Agite*, inquit, *ſi anguem hunc mortuum comederitis, nec moriamini, Chriſtianus fiam.*

Quid hîc Eugenius? agitari ſe ſenſit, & in varia diſtrahi, dum unâ ex parte horret animus, & refugit teterrimum, obſcœnumque pabulum: & alterâ ferit mentem emortuæ animæ vita, & hominis ſalus, cui pro zelo ſuo conſultum cupiebat.

Quid igitur? inter nauſeantis ſtomachi luctam, & zeli divinioris impetum eſt pugna, & quidem acerrima, in quâ tamen vicit pietas, vicit amor, & lucrum etiam unius tantùm animulæ.

Continuò enim cultrum rapit Eugenius, dividit anguem in tres partes, dat duobus ſociis duas, ſibi tertiam aſſervat. Edunt pariter excellenti & invicta caritate, nihilque ſuperfuit, niſi obſtupefacti eo facinore Judæi, primò ingens admiratio, tum ad Catholicam Religionem converſio.

Quæ tibi mens? quæ cogitatio, Amice Lector? vides animæ perituræ zelum, vides amorem omni Theriaca potentiorem, victoremque veneni, & mortis. Vides homini Dei venenum ſuper mel dulce, potabili auro ſalubrius, & Cleopatræ ſtillantibus gemmis pretioſius. Vides erecta zeli & animarum trophæa. Vides, inquam, & laudas, & miraris: ſed ne intra laudem, & admirationem cogitatio amorque ſiſtat: ad imitationem deſcende, & zelum illi ſupparem indue, nec veneno vinci te patere, nec vulnere; imò nec ipſa morte.

Certè neque hac, neque illis vinci ſe patiebatur S. Arnulphus Cornibout, Aſceta Villarienſis, qui tantâ pietate peccantium erratis condolebat, ut diceret ſe membratim velle diſcindi, tantùm ut peccatores, vel ignorantiæ, vel infidelitatis tenebris involuti, ad veram lucem (qui Chriſtus eſt) aliquando converterentur.

Et hic fuit zelus excelſæ mentis, hic ardor alienæ ſalutis, hæc divinæ gloriæ *dilectio, fortis ut mors*; imò & ipſa morte fortior.

Quidni enim morte fortiorem appellem, quæ etiam in ipſa propè morte vires facit, ut alteri gratiam donet, ceu meliorem animæ vitam.

Quo in genere, hoc, quo vivimus ævo eminere viſus fortiſſimus Athleta Chriſti, ex Ordine D. Auguſtini, & Eccleſiæ Japonicæ lumen auguſtum. Nomen Authori excidit: at non cœlo, & Deo.

Hic, cùm ad palum pro fide cremandus ſtaret, Litteræ Japonicæ ad
jamque uſtularetur, inaudiit, neſcio quem è rogo R. Adm P.
vicino confeſſionis copiam implorantem, nimirum, Mutium
ut puriorem hoſtiam Deo in ſacrificium offerret. Vitelleſchum
Quid hic expectas, Benevole Lector? quid feciſſe An. 1237.
opinaris? palumne ſuum deſeruiſſe, ut adeſſet confitenti? at hoc erat defectionis calumniam ultrò quærere: hoc paganorum ſibilis anſam dare. Denique, ut illa neglexiſſet præ deſiderio opis ferendæ, tamen quomodò pedem extuliſſet? quomodò ſe ad alium contuliſſet ipſe ſemitoſtus? verùm quid non poteſt, quid non audet incenſa caritas & ardens animarum zelus? & ſemiuſtus pedem firmavit, & ad alienum rogum ſe contulit, & aures confitenti dedit, flammas interea ore pleno combibens; demumque redit ad palum ſuum, ubi ſe in trophæum amori divino ſtatuit, unaque flammis immoriens, earum luce, & Ordinem ſuum, & ætatem hanc noſtram illuſtravit, & ſimul incendit inſolito quodam ardore juvandi animas, maximè in extrema illa cum morte lucta, in qua agitur de parandâ in æternitatem victoriâ.

Deſcendo

Zelus propriæ ſalutis & perfectionis. Deſcendo ad poſtremam zeli altioris ſpeciem: ea erit ſollicita cura, ingensque ſtudium, & propriæ ſalutis, & proprii in ſpiritu profectus.

Porrò naſcetur illud ex pia quadam & ſancta æmulatione earum virtutum, quas in aliis videris, & amaris.

1. Cor. 12. v. 31. Dixit olim Apoſtolus ad Corinthios: *Æmulamini charismata meliora.* Gloriabantur hi de prophetiæ dono, de dono linguarum, & aliis gratiis gratis datis, quæ *chariſmata* vocat. Ab illis abire jubet, & viam excellentiorem demonſtrat, quæ erat charitatis, & gratiæ gratum facientis, & hanc eos vult inire & ſequi. Et ego cum Apoſtolo in præſens velim: & volunt imprimis bonæ mentes, quas invaſit, atque occupavit zelus propriæ ſalutis, atque perfectionis. Æmulantur hæ *Chariſmata meliora*, hoc eſt virtutes, quas in aliis mirantur, in ſeipſis exprimere contendunt.

Hæc ergò ſit prima tibi cura, potiſſimusque labor propriæ ſalutis: alienæ ſtude; ſed priùs tuæ. Hoc monet, hoc urget Sapiens, cujus hoc arcanum

Proverb. c. 5. v. 16. Proverbium: *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.*

Fontes dico, hoc eſt purioris ſapientiæ fluenta, & virtutum aquas foras deriva, atque in plateas, hoc eſt in proximos effunde: ſed tamen inſtar fontium, qui tantum aquæ emittunt, quantum recipiunt; tantum enim aquæ ex iis effluit, quantum affluit. Sic ex te, & in te tantum affluat, quantum effluit: ſic nunquam teipſum exinanies, ſic nunquam exareſces tibi.

verſ. 15. Audies enim, & apprimè ſervabis illud ejuſdem Sapientis: *Bibe aquam de vaſis tuis, & de puteorum tuorum fontibus.*

Ita nimirum fiet: qui ſalutis aquas aliis propinas, ex iis prior ipſe bibas; ita procurator eris alienæ ſalutis, ut tamen priùs tuæ.

Et hoc eſt quod Eugenio Pont. Max. ſuo quondam diſcipulo, modeſtè inſinuatum voluit D. Bernardus dum ſic ad illum:

Lib. 1. de Conſ. c. 5. *Omnes pariter participant te, omnes de fonte publico bibunt, pectore tuo, & ſeorſum ſitiens ſtabis? ſi maledictus, qui partem ſuam facit deteriorem, quid ille qui ſe penitus reddit expertem? ſanè deriventur aquæ tuæ in plateas, homines, & jumenta, & pecora bibant ex eis; ſed inter cæteros bibe tu de fonte putei tui, alienus, inquit, non bibat ex eo. Nunquid tu alienus? cui non alienus ſi tibi es. Denique qui ſibi nequam, cui bonus? Memento proinde, non dico ſemper, non dico ſæpe: ſed vel interdum reddere teipſum tibi.*

Hæc pius Præſul Eugenio, ceu filio parens, ceu diſcipulo magiſter, neque profectò abs re: æquum enim erat, ut qui in illo negotiorum æſtu, in illa populorum undis, ſe propè totum aliis daret, redderet ſe ſubinde ſibi: & qui omnium conſulebat ſaluti; priùs conſuleret ſuæ: neque zeli ſui amorisque fontes ſic aliis aperiret, ut ſibi uni clauderet.

c. de ſervi. l. 6. Certè *tenere aquæ uſu, quæ ex fonte juris tui profluat, eámque ad vicinorum agros irrigandos propagare, civilia jura prohibent: idque durum, & crudelitati proximum, leges vocant.* Et meritò.

Eſt enim rationi adverſum, & naturæ quodammodò jus proterit, ut qui aliis vacat, ſe deſtituat; qui alios ſervat, ſeipſe perdat. Et qui id facit naturam exuit, durus & crudelis ſibi. Quippe tritum illud Canoniſtarum proloquium: *Caritas incipit à ſeipſo.*

Ubi porrò ſic incœperit, ſic ſaluti proſpexerit ſuæ, proſpiciat & perfectioni: & hoc eſt ſecundum zeli illius (de quo agimus) caput.

Modus autem ita proſpiciendi, hic eſto, ut virtutes, quas in aliis amaris, ames in teipſo: hoc enim exigit zelus ille, & pia quædam æmulatio.

Ad hanc Lucilium, diſcipulum ſuum, incitabat Seneca; ſic enim ad illum: *Ad meliores tranſi, cum Catonibus vive, cum Lælio, cum Tuberone. Quod ſi convivere etiam Græcis juvat, cum Socrate, cum Zenone verſare. Vive cum Chryſippo, cum Poſidonio. Hi tradent divinorum humanorumque notitiam.* Epiſt 104.

Non habuit vir ille graviſſimus majores atque illuſtriores in omni antiquitate, ad quorum imitationem Lucilium excitaret. Nobis ſunt *Apoſtoli*, grandes animæ, in quibus zelum divinæ gloriæ & animarum legamus: ſunt *Martyres*, fortia pectora, in quibus conſtantiam, & invictum animi robur demiremur. Sunt *Confeſſores*, patientiæ typi, atque exemplaria, quæ aſpiciamus. Sunt *Virgines*, candida agmina, in quibus amemus, & colligamus albentia virgineæ Caſtitatis lilia. Sunt *Viduæ*, & in iis provida familiæ cura, laborque, quem & ſuſcipiamus ipſi; ſunt denique vel in ipſa Cœli regia *Sancti*, vel etiam in terris, in clauſtris, in cœnobiis innocentes animæ, & à virtutum omnium ſplendore conſpicuæ, quas & ſequamur æmulatione ſancta earumdem actionum, quas ipſæ in dies ſingulos exercent, exhibentque, velut quandam *vivendi normam*; ut ſit D. Ambroſius, veluti *magiſterii expreſſa probitatis*: velut *virtutu communem tabulam*; ut ſcitè de D. Baſilio S. Gregorius Nazianzenus. velut *leges animatas*, ut rectè Philo, libro de Abraham. Sunt, inquam, illi omnes, quos & ſuſpiciamus, & quà licet, etiam imitemur. L. de Ioſeph. c. 1. L. 2. de Virg. Orat. 20.

Et hoc ipſum eſt, quod omni ævo fecêre illuſtres Animæ, eæ maximè quibus datum eſt aliis convivere.

Sic (ut in uno mea ſiſtat oratio) feciſſe viſus eſt magnus ille Antonius, quem præcelſo nomine *Deicolam* appellavêre illius in Domino fratres.

Hic, ut mihi author eſt D. Hieronymus, *proprias ſingulorum gratias hauriebat; hujus continentiam, jucunditatem illius ſectabatur, iſtius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi imitabatur induſtriam: iſtum jejunantem, illum humi quieſcentem mirabatur: alterius patientiam, alterius manſuetudinem prædicabat. Omnium quoque vicariam erga ſe retinens charitatem, atq; univerſis virtutum partibus irrigatus, ad ſedem propriam regrediebatur.* In vit. PP.

Hæc D. Hieronymus de illo, & ſancta ejus aliorum æmulatione. Sanctam appello, quia à Deo eſt, ceu fonte omnis ſanctitatis: ut enim D. Auguſtinus: *Æmulationem Dei ſuo ſpiritu inſpirat fidelibus Deus; amoris enim eſt, non livoris.* Amoris dico, primùm Dei, tum proximi, tum etiam boni noſtri ſpiritalis. In Pſ. 118.

§. 3.

Quæ ſint Zeli ſancti affectiones, vel quaſi affectiones?

AMorem dixêre Veteres *dulce & amarum*, quod ſua illi ineſſet dulcedo, & ſuavitas: ſua quoque amarities; vel certè quod illo imbutus animus, modò ſentiretur quaſi melle illitus, modò felle 1.
tinctus. Melle quidem, ſi benè eſſet amato; felle Triſtitia.
autem, ſi eidem malè.

Quod Amori: hoc & Zelo, qui vel ipſe amor eſt, vel amoris fœtus nobiliſſimus: modò enim hic triſtem facit, quem invaſerit, modò lætum, pro alia atque alia proximi affectione, bonâ, vel malâ. Et hanc & illam affectionem animi, zelique potentioris ſenſerunt ii omnes, quos de proximi ſalute zelus occupavit, & quidem primò triſtitiam ac mœrorem.

Teſtis erit Propheta Regius, qui hæc ingenuè de ſeipſo: *Tabeſcere me fecit zelus meus*: hoc eſt contriſtavit, & eò quidem affecit mœrore, ut omnem propè corporis & animi ſuccum exhauſerit, adeoque tabeſcere me fecerit: ita violentus fuit ille mœror, & parta à zelo triſtitia.

Teſtis

Teſtis erit Ezechiel, qui juſſus aliquandointer ſe & Hieroſolymam, ſartaginem ponere, hoc eſt, Interprete Divo Gregorio, animum ſuum, mentem ſuam, ut hæc, conſpecta Ieroſolymæ everſione, per compaſſionis affectum, quaſi in ſartagine frigeretur: zelo ſcilicet ſuo, qui ex vero eſt veluti quædam frixura cordis. De qua ſic S. ille Pontifex:

Hom. 12. in Eze. b. *Omnis ſpiritalis zelus, Doctoris animam frigit, quia valdè cruciatur, dum infirmos quoſque æterna deſerere, & rebus temporalibus delectari conſpicit.*

Teſtis erit & Paulus, qui hæc aliquando de ſe-
Ad Rom. c. 9 ipſo: *Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.* At unde & hic, & illa? Ab Hebræis, quos videbat à Deo & ſalute alienos, & quorum vitam ſpiritalem amabat, ut filiorum ſolet bona mater.

Quod Hebræis dedit Apoſtolus: hoc & aliis omnibus, quos Cœlo, Deoque pariebat. Et hinc illæ univerſim voces, illæ querelæ aliis gemitibus
2. Cor. 11. v. 29. mixtæ. *Quis infirmatur, & ego non infirmor; quis ſcandalizatur, & ego non uror?*

Nimirum ut ſcitè D. Gregorius: *Ipſum ſuum cor, quod animarum zelo ſuccenderat, ſartaginem fecerat Paulus, in qua amore virtutum contra vitia ardebat.* Et ſic ardere nos vult Apoſtolus. Voluit & Chriſtus,
Luc. c. 12. v. 49. cùm de zelo extulit illud: *Ignem veni mittere in terras, & quid volo niſi ut accendatur?*

II. Compaſſio. Altera Zeli affectio, illi affinis, eſt Compaſſio quædam, & intimus animi ſenſus, qui igneum illum zeli ardorem ſic temperat, ut nec in iras abeat, nec in minas, nec in pœnas ultrices, & ſupplicia: nimirum in pacata illa zeli regione, nec audiuntur verborum tonitrua, nec videntur irarum fulmina, nec ſentiuntur ignita cœlo vindice jacula, globique: ſed mollia, & amantia ſunt omnia.

In cap. 27. Ioan Quæſivit aliquando D. Auguſtinus: *Quis comeditur zelo domus Dei?* Reſpondit *qui omnia, quæ ibi videt perverſa, ſatagit emendare, cupit corrigere, non quieſcit. Si emendare non poteſt, tolerat, gemit. Non excutit de area granum, ſuſtinet paleam, ut granum intret in horreum, cùm palea fuerit ſeparata.*

Hæc S. Præſul, ex quo hæc ſtylo notari velim. *Satagit emendare, cupit corrigere, nec quieſcit*, quod eſt zeli ardentioris. *Si emendare non poteſt, tolerat*, quod eſt patientiæ: *gemit*, quod eſt compaſſionis. *Non excutit de area granum*, & illud eſt lenitatis: ſed *ſuſtinet paleam*. & hoc eſt longanimitatis, quæ virtutes compaſſioni vel germanæ ſunt, vel ſociæ. & hinc mihi in manus ponitur alia Zeli ſanctioris affectio,
III. Longanimitas. quæ eſt longanimitas: ea delinquentem ſuſtinet, ac patitur inſigni, invictaque patientia, quam vel exemplo ſuo probè edoctum voluit Deus Virum in paucis ſanctum.

Is fuit P. *Baltaſar Alvarez* è Societate noſtra, qui
In ejus vita. & D. Tereſiæ fuit à confeſſionibus, & is de quo eadem Diva Cœlo revelante cognovit eſſe ejuſmodi virtutis, atque apud Deum gratiæ, cui parem eò temporis non haberet orbis.

Is ut in ſe nihil pateretur noxæ: ſic nec in aliis, maximè verò in ſubditis, quos tunc in Hiſpania regebat: hinc ſi quid in eis advertiſſet culpæ etiam levioris, gemere, ſuſpirare, atque apud Deum queri. Die autem quadam dum ita queritur, exceſſum mentis paſſus eſt, & in eo hanc ſibi ſpeciem objici vidit.

In orbe argenteo cor erat, anguſtum illud & parvum, quod quatuor quinqueve guttulis ſanguinis mergi videbatur, atque obrui: ita tremebat, ita palpitabat. Ea cordis imagine, tremore, palpitatione, ad commiſerationem moveri ſe ſenſit, dumque ſentit, & apud ſe quærit ecquidnam eſſet illud Cor? ſtatim Cœlo reſpondente audiit, eſſe cor ſuum, quod pauculis guttis ſanguinis, id eſt levioribus ſuorum noxis fatigatur, & fatiſcit, & tantùm non mergitur, non extinguitur.

Ubi peracta pars prima illius ſcenæ, tum ducitur ad ſecundam. Ea ipſi exhibet irata maria, tumultuantes ventos, procellas immanes, & moles aquarum ingentes, atque in his & illis Cor latum, & vaſtum, quod undis ſemper eminet, quod maris æſtus ſuſtinet, quod procellas ridet, quod & ventorum ſtridorem, ac rabiem patitur, & quidem ſemper innoxiè, ſemperque & his, & illis ſupereminens, & mergi neſcium.

Dum ſuſpirat, dum amat, dum laudat, ac mirè prædicat Cor illud ingens, ſimul etiam audit à bono genio Cor illud eſſe Cor Dei, ter Opt. ter Max. Enatat illud, atque eminet in oceano mundi hujus aſpectabilis, in media atque horrenda aquarum eluvie, eluvie dico peccatorum; quibus velut undis petitur, velut aquilonibus quatitur: tot enim undæ, tot venti, tot procellæ, quot hominum peccata; & tamen ut iis etiam ad ſæcula petatur, quatiaturque, ſuſtinet tamen, ac patitur, iiſque omnibus inſigni, id eſt Cœleſti, divinaque patientia, ac longanimitate ſemper eminet.

Hæc ubi ſpectavit Pater, non ſine ſenſu, & amoris, & gaudii, & ſtuporis, tum intellexit & iſtud benè monentis Dei. *Et tale fili debet eſſe cor tuum*, tale quoque omnium, quibus aliorum regendorum incumbit cura, *accedant* illi ad *Cor altum, & exaltabitur* *Pſalm. 63.*
Deus. Ad cor inquam altum, id eſt Dei, accedant imitatione, patientia, longanimitate, & exaltabitur in illis Deus: & hæc attigiſſe ſit ſatis: venio ad aliam zeli purioris affectionem.

Eſt illa lenitas, & manſuetudo in delinquentes, IV.
quos corrigere eſt zeli: negligere ſtuporis, atque Lenitas in
languoris. Si enim proximum à via virtutis aber- delinquentes.
rare videris, nec revocâris, *Non eſt iſta charitas, ſed languor* (inquit D. Auguſtinus) qui ut in aperto ponat illam, quam hic deſcribimus charitatis & zeli affectionem, eam ſimilem facit genio columbæ: & ſic ait:

Fel columba non habet, & tamen roſtro, & pennis pro nido pugnat, ſine amaritudine ſævit: Amor ſævit, Charitas ſævit, ſævit quodammodo ſinè felle, more columbino, non canino. *In 7. Epiſt. Ioan. Tract. 7.*

Eadem ratione Zelus pro bono proximi ſui pugnat: & ſubinde etiam ſævire videtur; ſed ſine amaritudine, quia ſine felle, ſine ira, & ſi ſævit, ſævit in eo & per eum Amor.

Quod ſi ea columbæ, id eſt Zeli lenitas, & manſuetudo, omnibus eſt neceſſaria, maximè verò in Rectoribus, & Prælatis, in quibus eam moderationem requirit D. Gregorius Pont. Max.

Cunctis Rectoribus (inquit) *utraque ſummoperè ſunt tenenda, ut nec in vigore diſciplinæ benignitatem manſuetudinis, nec rurſum in manſuetudine diſtrictionem deſerat diſciplinæ.* *Moral. l. 19. c. 12.*

Ut autem neque hanc neque illam deſerat; ita conficit:

Regat ergò diſciplinæ vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem: & ſic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta.

Vigor enim ſi plus æquo rigidus ſit, offendit, atque exaſperat: & contrà *Manſuetudo* ſi nimia ſit, laxat & diſſolvit omnia. Ne porrò in hoc, aut illo peccet ſuperior, docet quis debeat eſſe illius zeli amor, quis & rigor: & ſic inquit:

Sit amor; ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non pluſquàm expediat parcens. Sic *2. Part. Paſtor. cſſic. c. 6.*
vitabit extrema, eàque vitioſa, & medio tutiſſimus ibit.

Ut autem ſic eat, eum ducit argumentis petitis à ſimili.

Primum eſt à Samaritano, qui de via miſellum multis vulneribus ſaucium ut vidit, in ea infudit vinum, & oleum, ut *per vinum*, inquit, *mordeantur vulnera, per oleum foveantur.* *Luc. c. 10.*

Sic

Sic & pius Præſul, ceu medicus, ut animi vulnera curet, vinum infundat, quod pungat & mordicet: ſed & ſimul oleum, quod foveat, & leniat: hoc eſt ut clariùs eloquar, diſciplinæ aſperitatem, ceu vinum, ita oleo, hoc eſt manſuetudine temperet, ut illa exſtimulet, hæc interim foveat, & animet: quod etiam in alio ſimili oſtendit & probat. Petit autem illud ex *Arca Tabernaculi*, in qua religioſè aſſervabantur *Tabulæ Legis*, *Virga Aaronis*, & ſimul etiam *Manna*, ut vel ex hoc doceremur, quod in obſervantia Legis, *Si eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis.* Hoc alliciet; illa terrebit: Et ſic illa terreri amavit Propheta Regius, dum ſic ad Dominum. *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.*

Pſal. 22. v. 4.

Nec virga ſola conſolari potuit, nec etiam baculus ſolus; ſed tam hic, quàm illa, cujus rationem adjicit D. Gregorius, quia *virga percutimur, & baculo ſuſtentamur: ſi eſt ergo diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & conſolatio baculi, quæ ſuſtentet.*

Hoc eſt, ut ad propoſitam Zeli affectionem redeam, ſit amor rigori junctus, ſit lenitas aſperitati bellè ſociata.

Et hanc, & illam, vel exemplo ſuo connecti voluit Deus, de quo ſic Vates: *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

Pſal. 24.

Legem dico lenitatis, ac manſuetudinis in delinquentes, quæ ut impoſita ſit omnibus, iis tamen vel maximè qui in conſcientiæ foro, & ſacro tribunali pœnitentibus aures accommodant, & animos, quos etſi zelo præditos eſſe velit Deus, potiſſimum verò ſpiritu lenitatis, & in hoc illuſtris ævo noſtro fuit *S. Franciſcus Xaverius.* Argumento erit illud unum.

Goæ miles erat bellua nequior, ex omni propè flagitio concretus, decimum octavum annum impiatus, & abſque pœnitentiæ ſacramento, futurus infœlix orci victima.

Daniel. Bartolo de vita, & geſtis S. Xaverii l. 2. n. 44.

Adierat quidem ſemel Goanum Vicarium: non tam peccata poſiturus, quàm Turcæ nomen vitaturus, & inde etiam tanquam venia indignus rejectus fuerat. Hac porrò repulſa efferatior, apud ſe ſtatuit nunquam in poſterum eidem ſe probro objicere, etſi certus perire, atque damnari.

De profligatiſſima hujus vita monitus ab amicis Xaverius & illi de via occurrere, & intueri placidis oculis, & amico colloquio non ſemel morari, & ſemper ſalutare hilariter, tandemque cum illo navim conſcendere, non alio conſilio, quàm illius animulæ lucrandæ gratia; & ita factum eſt, & factum quàm optimè: occupato enim per amicitiam illius animo, paulatim de Deo interjicere aliqua, eſſe illum placatu facilem, nunquam non eſſe ſalutis tempus dum vivitur, ſtultum eſſe ſpes ejus projicere, poſſe brevi ſceleratiſſimos in Sanctos evadere. His & ſimilibus in præſentem uſum idoneis ad extremum adjecit, quæſivitque quàm pridem non eſſet peccata confeſſus, cui miles ſuſpirans, non ſine rubore, tamen ingenuè reſpondit, annos fluxiſſe octodecim, ſua haud quidem voluntate, aut culpa; ſed Vicarii Goani duritie, qui ſe adeuntem repuliſſet, inde ſibi fixum in animo manſiſſe, nunquam in poſterum confeſſione peccata expiare.

Hac reſponſione anſa *Xaverio* data Vicarii factum inſolitum mirandi, peccantibus ſcilicet benignitatis plurimum deberi; tum etiam & ipſe polliceri: ſic enim ad illum.

Ego te libenter audiam, ſi peccata atrocitate ac numero millies tantum majora eſſent iis, quibus te gravari autumas, nec mihi deerit ad audiendum patientia, nec poteſtas ad abſolvendum. De pœna verò ſollicitus ne ſis, amicè inter nos illam dividemus, & Deo ſimul faciemus ſatis.

Hæc, aliaque Xaverius, poſt quæ exſcenſione facta militem educit in obviam fortè ſylvam, tum ad truncum arboris conſidet, & militem ad genua ſua provolutum audit, excipitque confeſſionem benè prolixam, & pœnæ loco nihil imperat, niſi Pater & Ave ſemel recitandum; qua ia indulgentia nimium prodiga hæſitans, cauſam ejus non diu ignoravit, concedens enim in interiorem ſylvam comperit Virum Dei detracta veſte, catena ferrea in ſe crudeliter ſævientem, & ſanguinis rivos ex humeris ducentem, ad quod attonitus, flens, ac vociferans, *Mihi*, inquit, *Pater, non tibi, qui ſanctus es, mihi reo & miſero debetur hæc pœna*, & rapto ex ejus manibus flagello, eam in ſe acriter convertit. Et hæc rei tum geſtæ ſumma, ex qua diſcant Confeſſarii in pœnitentes etiam atrociſſimis ſceleribus infames, non tonare verbis acrioribus, non fulminare minis gravioribus, non obruere pœnis, ac pœnitentiis; ſed potius in aliquam eorum partem venire, in ſeque potius, quàm in reum ſævire.

Et hinc tranſeo ad aliam Zeli ſancti affectionem, ea erit pia quædam ſævities. Hanc etiam adhibent, qui in ſalutem proximi zelo feruntur ardentiore. Oſtendimus eſſe illud D. Gregorii longè veriſſimum effatum; quod *furor inſanorum ſæpè ad ſanitatem medico blandiente reducitur.* Videamus quomodò ſubindè etiam ſæviente, & hoc quandoque in delinquentem: ſed tamen piè: quandoque, & ſæpiùs in ſeipſum.

V. *Pia quædam ſævities.*

3. Part Paſtor. adm. 35. [sic: *ſſ. c. 3.*]

R. P. Gaſpar Barzæus, zelum, quem à Franciſco Xaverio hauſerat, ſic explicare ſolitus. Si quos Ormutii (ubi tum agebat) videret à fide alienos, ſi obſtinatos ſuis in erroribus, primùm lacrymis eorum culpas eluere conſueverat: tum ſeveriore corpuſculi afflictatione, flagellis, cilicino ſago: denique ſi hæc nihil proficerent, ſubinde illis à Deo morbum immitti poſtulabat, & impetrabat, ut per illam carnis ægritudinem, etiam eam ſanaret, quæ erat mentis.

In ejus vita l. 2. c. 9.

Quæ illi tum à zelo ferventiore conſilia: hæc & aliis, quos inter, ævo noſtro R. P. Georgius Colibrantius, cujus ſanctitas Duaci probè nota. Hic pro ſuorum pœnitentium peccatis, alternis diebus toto quadrante ſubjiciebat acerbam ſui verberationem, alternis cilicina veſte ſenile corpus aſperabat, atque atterebat: in alios lenis & miſericors, in ſe durus, immiſericors, & ſævus: quam tamen ſævitiam ludum puerilem appellare ſolitus erat.

Fiſen Flor. Eccl. Leod. 2. Decemb.

Spectavimus in maſculo ſexu maſculum ſanè zelum: ſpectemus & in fœmineo, & piam in hoc etiam ſævitiem.

S. Maria Ogniacenſis cœleſti quadam luce perfuſa dæmones vidit callidis machinationibus retia componentes, quibus aliquem ex ejus familiaribus involverent. Illa periculi gravitatem probè edocta, confugit ad preces, & lacrymas, præſidia ſibi conſueta, tum dierum quadraginta jejunium adjunxit. Ecce piam illius in ſe ſævitiem: vide quod deinde illi miſello bonum. Hoc certè fuit; miſertus ancillæ ſuæ Dominus, ſignificavit diſcuſſum eſſe periculum, aliàs graviſſimum.

Fiſen 23. Junii in ejus vita, n. 8.

Ita zelus illi ſaluti fuit; ſed uni tantùm: videamus qui etiam Orbi univerſo: erit ille à S. Lutgarde, de qua illud ejuſdem Mariæ Ogniacenſis teſtimonium.

Sub Cœlo non habet mundus Domina Lutgarde fideliorem, efficacioremque, tam pro animabus, quæ in locis purgatoriis ſunt, tum pro peccatoribus precatricem. Spiritualia miracula facit modò vivens, corporalia faciet poſt obitum. hæc illa.

Spiritualia porrò miracula vocat animarum converſionem, ſalutem & vitam ſpiritalem, quæ à S. Lutgarde obvenit Orbi propè univerſo.

Ad illam aliquando venit Clementiſſima Dei Parens, ſed obſcuro, triſtique vultu: cujus cauſam cùm illa quæreret. Ecce, reſpondet piiſſima Mater, ab Hæreticis, & pſeudochriſtianis iterum in crucem agitur filius meus, tantæque impietatis meritas à

toto

toto hominum genere pœnas parat. ut malum illud avertas toto ſeptennio tibi tu jejunium indicito. Admiſit læta hoc imperium Luigardis, inchoavitque alacris, & perfecit ſolo contenta pane, & cereviſiat. Ecce pia in ſeipſam ſævitia, cui mox acceſſit & altera. Deo quippe pietatis omnis origini parum hoc fuit, novum eidem jejunium in aliud ſeptennium commendavit pro peccatoribus omnibus ad ſaniora revocandis, quod & ipſa ſuſcepit lubens, ſolo pane & olere refecta.

Tilm a. Iannin ejus vita, c. 8

Ecce quàm ardua, quàm ardens, quàm propè crudelis ea zeli affectio; ea, inquam, in ſeipſum ſæviria, cui Deus plurimorum ſalutem donavit. Attendamus & aliam in delinquentes, piam tamen, bonam, & ſalubrem: Zelus enim ille, & ea zeli affectio ignis eſt: ſed *bonus ignis* (inquit D. Ambroſius) *qui calefacere novit, neſcit exurere, niſi ſola peccata:* & ſi molliter peccatores adlambit, & ſubinde corpus malè afficit, animum ſanat & perficit, aut certè bono communi proſpicit, unius quandoque malo.

Bollandus tom II. Feb. 12. Ita proſpexit Bogor Rex Bulgarorum, ſic adnitente S. Theodora Imperatrice, Chriſto additus, & Religioni, Cœli nutu, impulſuque Regnum exuit, & purpuram cum abjecto monachi habitu commutavit, relicto interim primogenito, qui ſceptrum teneret, & ſimul etiam ex parentis voto, atque imperio Chriſtianam Religionem.

Sed, ô grande malum, libera, effrænisque juventus! vix ea deſierat eſſe ſub parentis oculis, & cura, cùm in omnia propè vitiorum præcipitia abiit, vino, veneri, libidinique conceſſit tota; imò & fidei nuntium remiſit, utque ſubjectus populus remitteret, author fuit.

Quid interim parens? vix ad ejus aures appulerat ſiniſtra illa de filio fama, cùm ecce ardentiore ſuccenſus zelo, imbellem illam Monachi veſtem exuit, ſagum induit, & cingulum militare, cultuque regio & armis conſpicuus acies inſtruxit, duxitque in adverſum Cœlo caput, pugnavit, vicit, cepit, oculiſque illi effoſſis in obſcurum carcerem retruſit. Et meritò; orbari debuit oculis, & luce, qui fidei oculum & lucem ſibi extinxerat, & captivus teneri qui liber, qui ſuus, qui Chriſti eſſe noluerat. En piam parentis optimi in filium longè peſſimum ſævitiam! En zelum Patre dignum & Rege.

Ubi ex voto peracta illa tragœdia, convocatis Regni proceribus, ex ſuo & omnium voto calculoque; ſecundo genito Regnum commiſit; ipſe verò ſolitudini ſuæ, & Aſceterio ſuo redditus, raro ſanè exemplo, quod amabit, & mirabitur tota poſteritas.

VI. Zeli puritas.

Venio ad aliam Zeli ſancti affectionem; ea eſt zeli puritas, quæ in eo ſita eſt, quod quis Deum unum quærat, & Dei lucrum, hoc eſt animas. Has ſi Deo Chriſtoque lucraris, plus tibi ſit ſatis; ut enim D. Hieronymus: *Quod majus lucrum poteſt eſſe, aut quid pretioſius, quàm ſi humanam animam quis lucretur?*

Audeo dicere nec Deliacum inſtitorem, nec Batavum negotiatorem, nec Hiſpanum mercatorem, qui ab oris felicibus aromata, aut ab Indica piſcaria gemmas, aut à Peruanis montibus aurum, quod navibus coronaris vehunt, in portúmque ſuccedunt, gaudere vehementiùs, & juſtiùs, quàm is, qui vel unicam animam Deo Cœloque lucratus fuerit, duxeritque in portum beatæ æternitatis.

In poem. ad Reg. Ferrandius Diaconus ad ejuſmodi lucra & gaudebat totus, & ad ſanctam illam hilaritatem alios invitabat omnes, hoc carmine: *Gaude ad lucra Chriſti.*

Et tamen, proh dolor, pudorque! Plerique hoc ævo (quæ magna eſt illius macula) ſiniſtra planè intentione alia quæritant. Hi vani nominis auram, famamque aucupantur: illi quæſtum pecuniarum, ſordida ſanè, atque infelici negotiatione, quam & damnat, & deplorat D. Bernardus, dum ſic ad Eugenium Papam:

Veſtri, inquit, *qui terram Auſtri tam ſæpè viſitant. Ecce hi ſciunt, & poſſunt dicere tibi. Eunt & redeunt per medium illorum; ſed quid boni cum illis egerint necdum audivimus, & forſitan audiviſſemus, niſi præ auro Hiſpaniæ ſalus populi viluiſſet.* Non viluiſſet profectò, ſi Animæ pretium in oculis fuiſſet atque amoribus; ut fuit S. Maximo Taurinenſi Epiſcopo, qui ſic aliquando ad ſuos: *Lib. 5. de Conſid.*

Eſt quæſtus planè non modicus, ubi lucrum, non pecuniarum; ſed acquiritur animarum. Eſt magna negotiatio, ubi hominis conſtat redemptio. Cui ea conſtat, dicere poteſt, antiquum & nominatum illud: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* *Homil. ult. in Iſay.*

Devictis quinque Regibus, ac ſpoliatis Sodomis, Loth cum pleriſque aliis captivus ducebatur à quatuor Regibus victoribus, cùm ecce eos auſu ſanè regio perſecutus eſt Abraham, & captivos omnes, & ſpolia reduxit; cui obvius factus Rex Sodomorum, ſic ad illum: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* *Geneſ. c. 14. v. 21.*

Quod ille quondam Abrahæ; hoc & quiſquis eſt zelator animarum. Cætera omnia, aurum, gemmas, ſupellectilem, & ſi quid hac & illis ditius eſt, tolle tibi; imò & mundum omnem, & ſceptra, & coronas, & imperia ſi voles; tantùm *da mihi animas*: ab his plus ſatis: ab his, inquam, ſed nudis, & ſine phaleris, quas vel à natalibus, vel à blandiente fortuna, vel ab hominum gratia induerint.

Phaleras Animarum voco, primò corpus ſi voles, & innatam illi ſpeciem, ac decorem; qui ſubinde oculos allicit, & amorem conciliat: tum etiam & genus, & proavos, & fumoſas majorum imagines, quæ & replent atria, & neſcio quid apud Poſteros dant authoritatis: tum etiam partas opes, & honorum titulos, qui & nomen faciunt, & tantum ſæpè pondus afferunt apud puſillos mortales, quantum & ipſum eſt auri pondus: denique Magnatum, Principum, Regum gratiam, ac favorem.

Hæc omnia appello Animarum phaleras, quia ut hæ equum veſtiunt & ornant; ſic & illa homines ornare videntur: ſi propter illa hos amare, & quærere convinceris, non eſt tibi purus & defæcatus zelus Animarum, quia non tam animas venaris, quàm earum phaleras: & hoc contra eam, quam hîc explicamus Zeli ſancti affectionem; quæ nullam patitur perſonarum acceptionem. Sit Irus, ſit Crœſus, ſit nobilis, ſit ignobilis, vero zelo nihil intereſt, quia ab hoc ſpectantur duntaxat animæ: quod in re pio zelo uſu venit quod fidei, quod Religioni Chriſtianæ.

D. Jacobus pro eo, quo ardebat animarum zelo; eos omnes graviter perſtringit, qui divitem pauperi, nobilem ignobili præferrent; vel ex hoc ſolo nomine, quòd illi divitiæ, huic adſtipularetur avita nobilitas; ſic enim ad illos acutiore ſtylo, animoque.

Si introierit in conventum vir annulum aureum habens, in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede hic benè; pauperi autem dicatis Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum. Nonne judicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis judices cogitationum iniquarum? Syrus vertit *Separatores*, hoc eſt diſcretores pauperis, & divitis, & hinc *iniquarum cogitationum*; græcè *Ratiocinationum*, Judices ſanè iniqui, & præpoſteri ſeparatores, & diſcretores indiſcreti. *Ep. S. Iacob. c. 2. v. 2.*

Verè enim iniqua cogitatio, iniqua ratiocinatio, quæ pauperem præ divite ſpernit, quæ plus tribuit veſtium ſplendori, quàm virtutum luci, & gratiæ; plus illis phaleris, quàm Animæ. Quod appoſitè in alio atque alio ſimili oſtendit Seneca; ſic enim inquit:

Gladium

Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, Lib. 1. Ep. 37. *nec cui vagina gemmis diſtinguitur: ſed cui eſt ad ſecandum ſubtilis acies. Regula non quam formoſa, ſed quàm recta ſit, quæritur.* Ubi hæc ea tulit à ſimili penta; tum ſic ad rem noſtram conficit.

Ergo in homine nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fœneret, à quà u multis ſalutetur, quàm pretioſo incumbat lecto, ſed quam bonus ſit. Tum rationem hanc adjicit:

Nemo iſtorum, quos divitiæ, honoresq; in alto faſtigio ponunt, magnus eſt. Quare ergo magnus videtur, cum baſi ſua illum metiris? Parvus pumilio, licet in monte conſtiterit. Coloſſus magnitudinem ſuam ſervabit, etiamſi ſteterit in puteo. Ubi hæc produxit ducta ab exemplis Pumilionis, & Coloſſi; tum liquidò oſtendit, quis & quantus ſit mortalium error, & ſic de illis:

Hoc laboramus errore, quod neminem æſtimamus eo, quod eſt. ſed adjicimus illi, & ea quibus ornatus eſt. imò, & ex illis ipſum æſtimamus, & metimur.

Hactenus Seneca, quæ ego ad rem, qua de agimus, traduci velim, & ad noſtram hanc ætatem, quæ eo laborat vitio, quo & illa, quam vidit & arguit Seneca. Ne porrò ſic & arguere, & damnare ultrà poſſit, audiendus nobis erit D. Hieronymus: ſic ille aliquando ad Celannam, ſic & bodie ad nos.

Neſcit Religio noſtra perſonas accipere, nec conditiones hominum; ſed animos inſpicit ſingulorum. Servum & nobilem de moribus pronuntiat, ſola apud Deum libertas eſt, non ſervire peccatis. Summa apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus.

Hoc Sancti Doctoris pronuntiatum, dignum quod inſcriberetur melioribus ceris; imò & animis eorum maximè, qui ex ſua vivendi ratione alienæ ſaluti procurandæ vacant, ut ex illis diſcant Animas ſpectare: & aliud nihil: ſic enim in illis purus erit, & omninò defæcatus zelus.

VII. Gaudium. Deſcendo ad ultimam Zeli affectionem: ea erit ingens gaudium, & liberalis quædam exultantis animi lætitia, orta ex pretioſo illo, grandique animarum lucro.

Ne multis te morer, Amice Lector, vel unus ſit in oculis Apoſtolus: ut gaudet, & exultat, ut triumphat, dum ſic ad Philippenſes.

Gaudium meum, & corona mea: eos Chriſto Eccle- Cap. 4. v. 1. ſiæque genuerat, & hinc gaudium, hinc & corona: fatendum enim animas fidei additas, & Deo; eſſe Apoſtolo gaudium, eſſe & coronam: eſſe & aliis Præſulibus, virisque Apoſtolicis, quos fideles circumſtant, quaſi eorum corona.

Ita S. Cornelius Pontifex, & Martyr invictus, cùm à Præfecto Voluſiano rogaretur, cur contra Imperatorum juſſa, & contra Rempublicam litteras accepiſſet à D. Cypriano: ſcitè reſpondit. *Ego de corona Domini litteras accepi, non contra Rempublicam.*

Appellat *Coronam Domini*, animas quas Domino pepererat, & quæ illum de more cingere ſolitæ: ſi Prov. c. 17. v. 6. enim *corona ſenum, filii eorum*: ſic & corona illius erant ſpiritales in Chriſto filii; & quia corona, hinc etiam & gaudium, hinc & triumphus.

Certè Iſidorus Peluſiota, ſi quem à vita ſolutio- Lib. 3. Epiſt. 271. re, & lata ad arctiorem revocaſſet, tanta perfuſus erat lætitia, ut omnes invitaret ad feſtas epulas, & (ut ipſe loquebatur) ad *triumphale carmen*: Exemplo vel ipſius Salvatoris, qui D. Dionyſio teſte, in converſione peccatorum pro ſua immenſa bonitate, & feſtum diem agere ſolitus, & convocare amicos, id eſt bonos, ut eſſet quaſi communis omnium lætantium habitatio.

Et verò quidni eſſent ab illa ſpiritualium filiorum corona, quæ ut optimum parentem cinxit in vitâ; ſic & cinget in aditu beatæ æternitatis.

D. Aldegondis in exceſſu mentis, æſtúque oratio- In ejus vita c. 17. Epiſt. 8. nis, vidit S. Amandum, Præſulem ſuum, & in Chriſto patrem, è terris in Cœlos ſublimem efferri; ſed cinctum ingenti albatorum corona, cùmque ex Angelo (cui erat in paucis familiaris) quæſiviſſet: Ecquis ille? ecquæ & corona? audiit; hic eſt Amandus & nomine, & re etiam ipſa amandus. *Corona* verò *albatorum*, ſunt animæ quas ille Cœlo genuit, ac dedit, quà verbo prædicationis, quà exemplo vitæ ſanctioris. Habent illæ lucem albicantem pro veſte, & optimum parentem ſtipant in modum coronæ, quia ex vero illius ſunt *corona*, illius & perenne in Cœlo gaudium.

Maneat ergo fixum illud, atque indubitatum Zeli ſanctioris affectionem longè nobiliſſimam, eſſe effuſam quandam animi geſtientis lætitiam.

§. 4.

Quos maximè afficere debeat ille Zelus?

Huic quæſtioni fiet ſatis ex naturæ lege, & rectæ rationis placitis, ex fidei Chriſtianæ dictamine, ex SS. Patrum pronuntiatis, ipſoque primæ veritatis oraculo: quo conſtat mandatum unicuique de proximo ſuo: at quomodò, videamus.

Ex naturâ id primum aſtruo, omnes teneri in- I.
cumbere in aliorum bonum & ſalutem. Omnes.

Membra ſumus magni corporis, id eſt mundi; ſed intereſt cuique membro, ut alteri benè ſit, puta manui, ut pedi ſit benè, capiti, ut oculo etiam ſit quàm optimè; ſic cuique ut proximo, & ad hoc adlaborare debet.

Cives ſumus etiam unius quaſi Civitatis, id eſt mundi: eſt enim hic mundus, quantus, quantus eſt, veluti vaſta quædam Civitas: at boni civis eſt, etiam concivi ſuo conſulere, ne illi malè ſit. Igitur & hominis, ut homini ſit benè. *Nemo bonus ſi ſibi ſoli eſt bonus*, inquiebat è Petri ſede S. Leo. Unde non probatur illud Epicureorum dogma, qui cùm languidis liquefacti eſſent voluptatibus, & otioſiſſimè dediti inertiæ, jactabant in vulgus illud: *Nemo alius naſcitur moriturus ſibi.*

Non probatur, inquam, illud, quia cum natura, cum ratione, cum æquitate & juſtitia pugnat: ut In Pſal. 118.
enim D. Ambroſius. *Eſt quadam forma juſtitiæ, mundo magis, quàm ſibi naſci.*

Quod ſi omnium eſt aliorum ſalutem procurare: II.
certè magis Chriſtianorum: hi enim, ut rectè Ter- Chriſtianos
tullianus, *una quaſi de familia deputantur*: unus enim & Religioſos.
illis pater eſt Chriſtus, mater una eſt, id eſt Eccleſia, domus etiam una, id eſt Religio una: quod ſi huic, aut illi periculum ſit, eorum eſt omni conatu, viribus omnibus propulſare: Hoc enim à filio, aut filia familias, & natura, & ratio requirit.

Latebat in profundâ ſolitudine, inque ſua cellula Aphraates, & interim longè, latèque vagantes ſub Valente Imperatore furebant *Ariani*, & Dei domum, id eſt Religionem, erroribus ſuis, ſeu immiſſo igne incendebant.

Quid hic Aphraates? facit quod filium facere decuit. Abit à ſolitudine, Antiochiam venit; Valenti etiam occurrit, ſpecie & cultu horridus; ſed tamen monaſtico ſchemate venerandus:

Cui ſic Valens: *Heus tu bone vir: quid facis in turba? quid in nobili civitate pannoſus totus?* ſecede; & ſolitudini te redde, redde & cellulæ, & in hac, & illa delitelce.

Cui Aphraates: Id enimverò, id feci dum licuit, modò non licet: ecquid enim (inquiebat) ſit filia Principis aſſueta gynecæo, contenta ſecretiore thalamo, & cubiculo; videat interim illa in paternas ædes injectos ignes, atque ab illis longè latèque ſerpere flammas, & abſumenda communi incendio omnia. Quid illa? an manſura intus? an otioſè Theodor. l. 4. Hiſtor. Eccleſiaſt. c. 24.
ſpectatura incendium? enimverò minimè. Erumpet illa è conclavi, & ſuſque deque curſitabit, aquam feret, infundet, & omne incendium quâ

poterit

poterit extinguet: nec mirum; filia enim eſt, & filiæ prudentis, ac providæ partes omnes exequi debet. Et hoc ipſum in præſentia agimus, ô Imperator. Tu enim in Dei domum, & paternas ædes flammas immitis, & nos accurrimus, & quà licet aut propulſamus, aut extinguimus. Et hoc noſtrum eſt, ô Imperator: aſtupuit ille, & ſubticuit, & ſi minùs verbo, certè ſilentio probavit, & ſtupore.

Aphraates autem poſteros omnes benè doctos voluit, ut cùm neceſſitas feret, & communis boni ratio, excedamus à quiete, & ſpirituali otio, in campum, in pulverem, in ſudorem, & curas animarum cauſa, & lucro; quod & ſcitè notavit D. Bernardus dum ſic olim ad ſuos, ſic ad nos modò. *Docemur intermittenda plerumque dulcia oſcula: propter lactentia uberá.*

Serm. 41. in Cant.

Dulcia ſunt *oſcula*, oſcula ſunt & caſti amoris, quæ excipit anima in quiete, & pace religioſæ contemplationis: at illa ſubinde intermittenda propter *lactentia ubera*, quibus parvulos, & tenellos in fide, ceu infantes paſcas, quà verbo prædicationis, quà exemplo vitæ ſanctioris.

Et hoc, & illud dederunt grandes animæ in commune bonum; quæ ſubjicio, etiam uni animulæ periclitanti contulerunt etiam ipſi Eremicolæ.

Ex his fuit *Abramius*, genere nobilis, & virtute zeloque animarum nobilior. Hic ipſo nuptiarum die feſto, damnato thalamo, relictaque ſponſa, effugit in aviam ſolitudinem, in qua cum totos quinquaginta exegiſſet annos, fortè intellexit Neptem, Mariam nomine, quam à teneris unguiculis moribus optimis, & inſigni pietate imbuerat, & à ſe, & à Deo defeciſſe, volutanque in vitiorum ac turpitudinis cœno, ſic ut paſſim audiret veluti ſcopulus quidam caſtitatis, ad quem alliſi juvenes pudicitiæ naufragium facerent.

In vitis Patrum.

Quid igitur? ingenium exerit id ætatis ſenex, militem induit, urbem petit, & qui per annos quinquaginta vinum ne guſtarat quidem, convivium inſtruit, Neptem menſæ adhibet, & quæ ad hilaritatem facerent omnia facit pius auceps, tum captata occaſione quis ſit aperit, cur venerit exponit; tum verbis Deo plenis eam aggreditur. Quid hic illa? primò hærere, miranque, tum nutare, tum cedere, & manus dare, atque ex naufragio in ſalutis portum evadere. Quod ut impetravit, ſolitudini ſuæ cum illa redditus *Abramius*.

Non multum huic abſimile eſt illud, quod de *S. Vitalio* Abbate memorant Antiquiores.

Hic cum diu vixiſſet in ſolitudine, ſub arctiore Abbatis *Seridonis* diſciplina, animarum lucro piè incenſus Alexandriam venit, Urbe ut incolis nobili; ſic & vitiis famoſa; maximè verò meretriculis, quarum omnium catalogum ſibi dari voluit; & hoc primùm: deinde interdiu laborare ſedulò, ut quæſtum faceret; tum noctu modò has, modò illas adire, peterèque impenſiùs ut noctem illam uni ſibi cederent, & hoc quidem pacto lucello, dataque peçuniola: cumque annuiſſent illæ, ſtabat ipſe vigil in cubiculi angulo, orabat, pſallebat, genua flectebat ad auroram uſque, tum exibat ad opera diurna, rogabatque prius ne cuiquam dicerent.

Et hæc vitæ illius ratio multos annos tenuit ad uſque fata, beatamque mortem, qua demum orbi innotuit tanti Præſulis zelus, & ardor; qui ſi cadit in omnes; vel ex hoc quòd homines ſint; ſi etiam in Eremicolas, vel ex hoc, quòd Deo ſacri: multò magis in Paſtores, & Præſules; ut enim D. Gregorius Nazianzenus.

III. Præſules.

Hic eſt ſpiritalis omnis præfecturæ imperiiq́; finis, ubique privata utilitate neglecta, commodis aliorum conſulere.

Orat. 1.

Et hinc jam inde ab Apoſtolis appellati *Dei adjutores honorati.* A D. Dionyſio Areopagita *Dei cooperatores in reductione animarum ad ſuum Creatorem*, quem titulum & ſuſpexit ipſe, & cenſuit eſſe longè perfectiſſimum.

D. Auguſtino, *medici ſpiritales* dicuntur, & ſunt, quòd animis ſint, quod medici corporibus: hi morbos è corpore, velut uſurpato malè hoſpitio, depellunt; & illi ex animis vitia, quæ eorum morbi ſunt longè periculoſiſſimi.

Hom. 11. ex 50.

Jeremiæ vati ſunt *venatores*, & quidem *Domini*, qui, ut ait Divus Ambroſius, *inveſtigant eos, qui capiuntur ad vitam.*

Sic enim aliquando ille ſpiritu prophetico: *Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte.* Venatores, hoc eſt Præſules, & viros Apoſtolicos, quibus, ut ait Procopius, *varia ſunt retia.* retia ſunt verba ſacratiora, verba Evangelica; retia ſunt miracula, retia ſunt exempla vitæ ſanctioris, ac propè cæleſtis; his enim capiuntur homines, ut retibus feræ.

Cap. 16. v. 16.

In 1 Reg. c. 19.

D. Hieronymo, fælici & beata appellatione audiunt *mundi Salvatores*, de quibus & illud Abdiæ vatis: *Et aſcendent ſalvatores in montem Sion*: hoc eſt Apoſtoli, & viri Apoſtolici in Eccleſiam, quæ in monte poſita, hoc eſt in altiore gradu ſanctitatis.

Cap. 26.

Et hæc pauca ſtylo notaſſe ſit ſatis in re obvia, & aperta, pluribus ſuperſedendum duxi: unius tamen probè monitos volui, non meo calamo; ſed ore, ſed oraculo Magni Pontificis D. Gregorii, qui ſic ad omnes perfectionis Evangelicæ amatores:

In quantum vos profeciſſe putatis, etiam vobiſcum alios trahite, in via Domini ſocios habere deſiderate; & ſi ad Deum tenditis, curate ne ad eum ſoli veniatis.

Hom. 6. in Matth.

§. 5.

Quæ ſint invitamenta ad ſalutem Animarum procurandam?

E Multis pauca proponam, quæ ſtimulo eſſe poſſint ad eam, de quâ tractamus, Animarum ſalutem omni contentione, niſuque procurandam. Animus enim noſter, quamdiu hoc corpore, ceu ductili ſepulchro tegitur, facilè, niſi excitetur, indormiſcit. proponam autem ea, quæ & melioris notæ videbuntur, & ſimul etiam acriora ad extimulandos Religioſorum, Præſulum, & virorum Apoſtolicorum animos, ut in eam provinciam veniant, atque incumbant toti.

Primum Invitamentum.

Ex hominis naturâ ac præſtantiâ.

QUiſquis alicujus rei vel naturam, vel valorem, ac præſtantiam noſſe volet; neceſſum eſt, ut in eâ peritos conſulat, atque ex eorum judicio, calculòve illam æſtimet.

Ita qui picturæ alicujus excellentiam ſcire cupiet, ad *Appellem* veniet; qui debitas in ſtatua membrorum inter ſe proportiones intelligere, *Phidiam*, aut *Polycletum* adibit, præſtantes omninò ſtatuarios; qui adamantis valorem, nitorem, lucem, ac pretium diſcere, ad unum aliquem gemmarii auri propolam ſe conferet, ex eoque audiet, quis illi conſtitutus valor, neque eum vili pretio, & propè nihilò vendet: uti fecit aliquando Helvetius, qui à pugna de *Granſon*, groſſiorem adamantem *Caroli* Burgundiæ Ducis, cui parem nec viderat Europa, nec India tulerat, vendidit tamen uno floreno brabantico, hoc eſt aſſibus noſtratibus viginti; non ſic venditurus, ſi pretium noviſſet.

Sic in præſentia, ut percipias, quis ſit homo? quæ illius natura? quæve dignitas, & majeſtas? neceſſum eſt, ut te peritiores audias, atque ex eorum ſenſu, teipſe noſſe, atque æſtimare doceâris. Quod ut facias, Mi Lector, primò

Hic

Hic ſpectabimus hominem in natora pura, & quaſi nuda, ſine ollis aſcititiis ornamentis, & quis in ea ſit, & quantus, inquiremus, & quidem primò ex veterum ac profanorum ſapientium judicio, qui naturam ſolam viderunt, nec ultra progreſſi. Deinde ex SS. Patrum placitis, qui de illa, etiam ſic conſiderata judicium ſuum ad Poſteros tranſmiſerũt.

Platoni, viro in paucis oculato, & qui apud ſuos audit veluti quoddam altioris ſapientiæ prodigium,

Lib. 1. de Legibus. *Homo* dictus eſt *Divinum miraculum*. Credidiſſes illi non naturæ opus fuiſſe, nec artis, etiam divinæ, hominem: ſed quod & ſupra hanc, & ſupra illam eſſet miraculum; adeò illius tam rara & ſingulari perfectione hærebat quaſi obſtupefactus.

L. 6. Ethic. c. 7. *Ariſtoteli*, melioris Philoſophiæ ocello, *homo fuit rerum, quæ in mundo ſunt, una omnium præſtantiſſima.*

Triſmegiſto, homo eſt appellatus *Deiformis*, quaſi forma quædam animata Dei, & ſuo, id eſt ſummo omnium parenti ſimillima. Creaturæ aliæ ſeu quæ cœlo nitent, ſeu quæ in hoc inferiore mundo videntur, ſunt tantùm veluti quædam rudia Dei veſtigia: at homo, *Dei forma* eſt, & quaſi in terris Deus alter.

Protagoræ, ſuavioris eloquentiæ principi, *homo eſt omnium rerum menſura.*

Hiniæ ſeniori, *Homo eſt animal princeps cæteris imperaturum.*

Theophraſto, Idæa quædam, atque exemplar totius Univerſi.

Et hæc è multis præcipua videntur, quæ Authores illi profani de Hominis natura atque præſtantia ſparſerunt: ab illis abeamus, & tranſeamus ad ſacros.

Epiſt. 1. c. 18. D. Jacobo, dicitur homo *initium Creaturæ Dei*. In græco eſt *primitiæ*: ut enim primitiæ ſunt primi fructus quodammodo ſacri, jucundi quàm maximè, præcipuoque honore commendati: ſic & homo creaturas inter, & Deo imprimis ſacer eſt, eique devotus, atque in paucis gratus, atque jucundus.

Initium eſt *creaturæ*, hoc eſt, Oecumenio interprete, *primum, & honoratiſſimum*. Initium enim cujuſque rei nobile eſt, & maximè honoratum, ut aliàs notavit Ariſtoteles, & ſacræ paginæ initium appellant, quod in unaquaque re eſt præcipuum. Si ergo homo *initium* eſt *Creaturæ Dei*, utique eſt & nobiliſſimum, & perfectiſſimum.

Addit D. Chryſoſtomus, uti eſt *initium*: ſic & *finis*, ſit licet tenuis, & pannoſus.

Orat. in terræ motu. *Hominem*, inquit, *non contemno, licèt unus ſit, licèt ſervus ſit, contemnendus mihi non videtur. Non enim dignitatem quæro; ſed virtutem: non dominationem, aut ſervitutem; ſed animam. Licet unus ſit, homo eſt, propter quem Cœlum extenſum eſt, Sol lucet, Luna decurrit, aër effuſus eſt, fontes ſcaturiunt, expanſum eſt mare.*

Ecce ut Chryſoſtomo, vel ſola, vel nuda hominis natura eſt in pretio, utpote creaturarum omnium & *initium* & *finis*. Attende qui etiam D. Leoni Pont.

Serm. 4. de collect. Max. hæc illius verba ſunt aurea: *Non ſit vilis homini homo, nec in quoquam deſpiciatur illa natura, quam rerum conditor ſuam fecit.*

Suam dico, non eò tantùm quòd eam ſibi deinde copularit mirabili nexu; ſed & quòd jam inde à principio ſuam fecerit, id eſt, ut antè dixi, ſuam quaſi formam, atque imaginem.

D. Ambroſius in prima mundi hujus aſpectabilis molitione, Deum ut illius Architectum conſiderat; qui rebus omnibus, quas videmus è nihilo eductis & optimè compoſitis, ornatoque mundo, ut palatio quodam artificioſè extructo, & magnificentiſſimè decorato, inducit hominem, velut illius Dominum, ac Regem, omnibus dominaturum, omnibuſque venerandum; ſic enim ait: *Proceſſit poſtremum creaturarum omnium homo ſpecie gratus, mente ſublimis, ut omni*

In Genes. *eſſet creatura miraculo.*

Ecce ut Ambroſio, homo *omni creaturæ eſt pro miraculo*, quod & amet, & ſuſpiciat, & vereatur.

Tertulliano, dicitur homo, *magnum nomen*, quem ſcilicet vel ex ſolo titulo noveris, atque æſtimes, adeoque *hominem* dixiſſe, ſatis eſt dixiſſe. Addit deinde eundem eſſe *dominum omnium morientium, & reſurgentium.*

D. Gregorio Nazianzeno, homo non eſt *microcoſmus*, ut vulgus autumat; ſed *magnus mundus in parvo*. *Orat. 38.* Magnus dico, non mole, ſed virtute, ſed dignitate.

Proclo apud Epiphanium eſt *mundus mundi*: hoc eſt alter mundus: ſed illò longè præſtantior. *L. 2 cont. hæreſ.*

Mitto cætera; & redeo ad Tertullianum, & cum illo finio. Is intuens primi hominis, id eſt Adæ, creationem, ait Deum, *Animæ ſuæ umbram, ſpiritus ſui auram, oris ſui operam, carni inſeruiſſe atque immiſcuiſſe.*

Alludit ad modum, quem in hominis molitione Deus ſervatum voluit.

Primò enim potentiſſima Trinitas, quaſi vires omnes collegit ad pulcherrimum opus, id eſt hominem moliendum.

Deinde Spiritum cœleſtem in faciem ejus immiſit, & puriſſimam velut auram ex intimo ſinu bonitatis in os ejus inſufflavit. Et hinc meritò dictus *umbra Dei, ſpiritus ejus aura, & oris opera.*

Et hinc ejus dignitatem vel ex ſola natura colliges, & in pretio habere diſces; & eo teipſe excitabis, Amice Lector, ad eam, de qua agimus, hominum ſalutem, Cœlo auſpice procurandam.

Nec patieris, quantum in te erit, eos aut ſuo vitio perire, aut aliena malevolentia deſtrui eam, quam in illis agnoſcis ac revereris Dei formam atque imaginem;

Rex *Demetrius*, vulgo dictus *Expugnator*, cùm Rhodum obſidione cingeret, jamque parari malleolos juſſiſſet, ad nobilem illam Urbem flammis, atque incendio evertendam; derepente mutato conſilio, receptui cecinit, ne tabulam *Protogenis* cremaret ea parte muri collocatam.

Hîc lubet exclamare. O præpoſtera mortalium judicia! ô curas inanes! ô malè ſana conſilia! quæ pictæ unius imaginis ſic amore capiuntur, coloreſque brevi evaneſcentes, vel propter unius opificis nomen famamque tanti faciunt, tantique exiſtimant; ut illius incolumitatem victoriæ anteponant ſuæ: & hominis animam, in qua & vivi divinitatis colores exiſtunt, & artifice Dei manu picta effigies, immortalitatem conſecutura; contemnunt tamen, nec, cùm poſſunt, incendiis eripiunt ſempiternis, Deoque Authori ſuo conſervant. Conſervarent certè, ſi in oculis, & amoribus eſſet, uti profectò eſſe debuit.

Secundum Invitamentum.

Ex Animæ rationalis dignitate, ac pretio.

HActenus ferè generatim de homine locuti ſumus: nunc in adyta introeundum eſt, & in ſacro penetrali ſpectanda propiùs *Anima*: Hæc enim eſt, quæ dat motum artubus, ſenſum corpori, actionibus vitam, valorem, felicitatem.

Hæc *Anima* prophetæ regio eſt hominis *gloria*, *Pſal. 107.* quæ ſcilicet omnis petitur ab intus.

D. Paulo, *Theſaurus eſt in vaſis fictilibus*, hoc eſt in luteo corpore, in eamque rumpi facili, atque in terram lutumque reditura.

Ejus porrò ſeu gloriæ locem, ſeu theſauri vim, & pretium, attendemus ex iis, quæ in hoc mundo aſpectabili ſunt in pretio.

Ea ſunt, aurum, gemmæ, uniones, ſceptra, diademata, coronæ, libertas, denique vita.

Quæſivit aliquando Servator, & quidem optimè: *Quam commutationem dabit homo pro Anima ſua?* *Matth. c. 16. v. 26.* Et ego hic cum illo inquiro, & quidem primò; an

Auri commutatio? an ipſi montes aurei? an mundi moles, ſi tota eſſet aurea? an æqua foret illius cum *anima* commutatio? minimè. Appello Iſayæ fidem. Sic ille quondam grandiloquus cæleſtium veritatum buccinator: *Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obryzo*: Quod vatis oraculum ad animæ pretium refert D. Baſilius, aitque nullam fieri poſſe animæ & auri commutationem. *Cap. 13. v. 12.*

An igitur gemmarum, & unionum? neque horum cum Anima, juſta commutatio. Fidem faciet ille ipſe, quem attuli Iſayas; ſic enim aliquando in hebræa, id eſt primigenia lingua: *Glorioſus, & magis honoratus erit homo, quàm aurum puriſſimum, & quàm lapis, qui de Suphir.*

Suphir, vel ut alii *Sophir*, locus erat in India nominatus, in quo & magna erat auri excellentis, & gemmarum celebrium copia, cum qua tamen ne unius quidem animæ æqua foret commutatio.

Quæ igitur? an cum ſceptris & coronis? cum Regnis atque Imperiis? neque etiam cum his omnibus, etſi foret totius Univerſi.

Ad profanos te voco, mi Lector, hi apud pleroſque aliquam quoque fidem invenient, vel ex eo ſolùm quòd naturæ impulſu, & rationis ductu ferantur, nullo alio altiore lumine colluſtrati.

Michaël Curopalates, Nichephoro Imperatori ſucceſſerat; cùm ecce audiit Leonem Armenium vi Imperium occupaſſe. Authores erant plerique, ut vim vi repelleret, & arma armis opponeret. Et verò poterat, debebatque ex quadam Juſtitiæ lege: erat enim ex æquo debitum illi Imperium, in quo ſanè potentes ſunt illecebræ: verùm nec iis ceſſit; ſed ultrò Leoni tranſmiſit Diadema, purpuram, & calceos coccineos: (ſunt ea ſymbola Imperii) quibuſcum & imperium tranſmiſit, adjiciens illud dignum Cedro: *Non tantùm Imperio; ſed & vita privari malim: quàm vel unicam Chriſtiani ſanguinis guttam effundere*: adeò cara illi fuit vel unius è ſubditis vita, ſalus, incolumitas, etiàm illa, quæ corpori tantùm, & tempori ſervit: quanta fuiſſet ea, quæ & animæ, atque æternitati? *Cedrenus.*

Quæ illi mens fuit, eadem multis ante ſæculis Alexandro Magno. Apud hunc inſtabat aliquando mater, ut cuidam, licèt inſonti, vitam eriperet; utque extorqueret illud ad importunas preces, & materna propè imperia: addidit & iſtud, quod aliàs ſpem quidlibet impetrandi fecerat.

Meminiſſet ſe eum per novem menſes, in utero portaſſe prægnantem. Quid ad hæc Alexander? Illud certè, quod dignum Alexandro.

Aliam, parens optima, paſce mercedem: hominis enim ſalus nullo beneficio penſatur. Quid dicturus fuiſſet, ſi de æternâ ſalute, vitaque mentio incidiſſet. Profectò nullo beneficio penſari, nulla commutatione æquari potuiſſe cenſuiſſet. *Ammianus l. 14. hiſtor. in fine.*

Sed erit fortaſſe, qui proſtituta libertate, qui ſpontanea ſervitute Animam, & illius ſalutem æquari poſſe contendet: nec evincet illud. Anima enim potior eſt libertate, nec ulla quantumvis longa, quantumvis dura ſervitute compenſari poteſt. Emi quidem poteſt; ſed non ex æquo.

Ibit in ſæcula, ibit in æternitatem eximium illud, & planè ſingulare ſtudium alienæ ſalutis, quod aliquando in Serapione Sidonite enituit.

Hic ſe primò Gentilibus hiſtrionibus vendidit nummis dumtaxat viginti, quibus eo uſque ſerviit, donec Chriſtianos efficeret, à quibus deinde, redditis nummis, libertate donatus eſt, & meritò; æquum enim erat, ut qui ab illo acceperant eam libertatem, quæ erat filiorum Dei, redderent illam, quæ etiam eſt filiorum hujus ſæculi.

Sed quid deinde? ea adepta Serapion, mox ad Lacedæmonas tranſiit, & cuidam illorum, quem nôrat Manichæanâ hæreſi cum tota familia infectum, rurſum ſe vendidit, & quidem pretio vili, eo tantum conſilio, ut & ab hæreſi avocaret, & ad Catholicam fidem traduceret. Quod & perfecit feliciter, & quidem intra duos annos, à quibus denuo in libertatem aſſertus, aliò commigravit, ut vel ſimilem alibi operam collocaret animis Deo & Eccleſiæ lucrandis: adeò cara illi fuit earum ſalus, ut etiam duplici ſervitute emendam cenſuerit, & re etiam ipſa emerit: magno quidem pretio; ſed tamen, ut dixi, necdum æquo. Quid facias? ſi non occurrat aliud, æquum certè, & rationi conſonum judicabis; conſonum & Chriſtianæ charitati, ac zelo. *Palladius c. 83.* *Heribertus pag. 191.*

Et ita conſonum eſſe cenſuit mulier peruana.

Hæc ab Idolis ad verum Dei cultum, noſtrorum opera, ſe converterat, appropinquante morte, tanti beneficii memor, cùm ſibi nihil eſſe intelligeret, quo tantum munus remunerari poſſet (erat enim paupercula) maritum accerſiit, eique ſignificavit, hanc eſſe ſupremam ſuam voluntatem, ut eum in ſervitutem traderet Patribus, antequam decederet, allatiſque teſtamenti tabulis, fecit quod dixerat, viro non modò, non repugnante; verùm etiam lubente, qui cùm ſuum ſe non eſſe, perſpexit; ſed in noſtrorum tranſire jus, ad Rectorem alacer adiit, & quantum in ipſo fuit, ejus ſe nutui, voluntatique totum permiſit. Probata quidem voluntas; ſed non eſt admiſſa ſervitus. Intellexit nimirum mulier ſapiens, quantum eſſet beneficium Animæ ſalus, & quantum eſſet vitium ingratus de eo animus. *An. 1584.*

Verum ut ſic gratus ſit, ut ſpontaneam addicat ſervitutem, nec ſic tamen æquam exhibet commutationem. Quam igitur? An vitam hanc mortalem? neque hæc erit æqua.

D. Auguſtinus in illa Pſalmiſtæ verba: *Narrabo omnia mirabilia tua*, quærit ecquænam illa mirabilia, quæ enarrat Deo Superiſque gratus animus? reſpondet non ea eſſe, quæ in corporibus, & quaſi in aperto operatur Omnipotens; ſed ea, quæ in animabus, & in occulto: tum adjicit illud: *Mirabiliùs fuiſſe reſurrexiſſe in anima perſecutorem Paulum; quàm in corpore mortuum Lazarum.* Et tamen, inquit, hoc mirantur puſilli cæcique mortales, non illud. *Pſal. 9.*

Quid facias? errant, & falluntur improbè, dum ea, quæ patent oculis demirantur, ac non potiùs ea, quæ latent in animis.

Rationem adjiciet D. Gregorius Pont. Max. & cum D. Auguſtino conſpirabit: illum audiamus:

Conſtat, inquit, *majus eſſe miraculum prædicationis verbo, atque orationis ſolatio peccatorem convertere, quàm carne mortuum reſuſcitare. In iſto enim reſuſcitatur caro iterum moritura: in illo verò anima ſine fine victura.* *L. 3 Dialog. c. 17.*

Maneat ergo indubitatum illud, neque cum vita mortali æquam eſſe ſalutis animæ commutationem. Ecquænam ergo? non alia, quàm cum Dei vita. Et hoc eſt, quod nos probè edoctos voluit Apoſtolus, cùm extulit, commendavitque illud:

Empti eſtis pretio magno. Quod illud quæris? ne finge *Craſſi* opes, aut theſauros *Crœſi*, ne talenta *Midæ*, ne Perſicam opulentiam, ne montes aureos, ne oceani gemmas: hæc enim omnia corruptibilia ſunt, & corruptibilibus emi non poteſt incorruptibilis animus. Quibus ergò? Audi Petrum arcanæ Theologiæ verticem: ait ille, *pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti*: Ex hoc tuum eſt pretium ô Anima! Ex illo te æſtima, & ex illo animas omnes etiam æſtima, qui ad earum ſalutem à Deo vocatus es, & tibi dic ſæpiùs in aurem illud Tertulliani: *Nihil tam dignũ Deo, quàm ſalus hominis: quia nihil tam pretioſum.* *1. Cor. c. 6.* *1. Petri c. 1. v. 18.* *L. 2. adverſus Marcio. c. 27.*

Quid enim pretioſius ipſo Chriſti ſanguine? certè ſi nihil eo pretioſius; nihil pretioſius eſt anima, cujus ille ipſe ſanguis eſt pretium.

Petrus Gonzalez è Dominicana familia, probatæ vir ſanctitatis, ac doctrinæ, cùm fugientes à ſalute, Deòque animas quæreret, dum eas gratiæ, Cœló-

que

quæ redderet, videbatur ſibi ſparſas olim à Chriſto ſanguinis guttas colligere, & venis illius, corporique reſtituere; invento non minùs ingenioſo, quàm piu: Cùm enim ſanguineo illo rore pretioque emptæ ſint hominum animæ: certè, qui has bono zelo colligit, ut & ſanguinem colligat eſt neceſſe.

Et hoc animæ pretium, hic ſanguis eſt, qui viros Apoſtolicos in campum, in pulverem evocat, & per longos viarum anfractus, per ſæva maria, & timendos æſtus, importat in exteros orbes, & utramque ſolis domum: utque te etiam importet, Cœlo auſpice, voveo, optòque, Amice Lector: tibique ſub oculos pono.

Tertium Invitamentum.

Corona Beatorum, quos Cælo intuleris.

ROmanis alia erat, atque alia Corona. Una erat *Muralis*, ea donabatur ab Imperatore; is, qui omnium primus murum hoſtilem ſubiiſſet, inque oppidum per vim aſcendiſſet, idcircò quaſi muri pinnis erat decorata.

Altera erat *Caſtrenſis*: hæc ab Imperatore dabatur illi, qui primus in hoſtium caſtra pugnans irrupiſſet: ea corona inſigne valli habebat, unde & *vallaris* dicebatur.

Alia erat *Navalis*. Illa cedebat ei, qui primus in hoſtium navem vi armatus inſiluiſſet; ea quaſi navis roſtro erat inſignita, unde & *Roſtrata* etiam vocabatur.

Ioan. Roſinus Antiq. Rom. l. 10. c. 27.

Poſtremò erat *Querna*; ea decorabatur is, qui in prælio civem à morte vindicaſſet.

De hac magnificè Seneca: *Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius, pulchriusque eſt, quam illa corona, ob cives ſervatos.* In quem Senecæ locum Muretus ait, multa vidiſſe ſe vetera numiſmata, in quorum una parte facies erat Imperatoris, in altera corona Querna, cum hoc lemmate:

Lib. 1. de Clementia.

Ob cives ſervatos.

Ea pluris fiebat quàm aurea, quàm & cæteræ omnes; majus enim eſt vel unum civem à morte ſervaſſe, quàm vel hoſtiles muros, vel caſtra, vel naves occupaſſe.

Quod ſi victoribus Romanis ea mens fuit, quæ erit Chriſtianis? quæ erit & præcelſis illis animarum victoribus? quæ inquam mens? quæ & corona? non alia ſanè, quàm illi ipſi victi; erunt enim illi victori ſuo pro Corona. Fidem facient petitæ ex antiquioribus illius rei vel teſtimonia, vel exempla: his enim, & illis in præſentia, mihi certandum erit.

S. Odo, Cluniacenſis Abbas, qui multa, eaque ſecretiora Deo revelante didicit, atque ad Poſteros tranſmiſit: & hoc etiam inter alia, quòd unuſquiſque in extremo illo Judicii die, die decretorio à mortuis excitabitur, & ſurget cum illis, quos Deo cœloque lucratus fuerit, uſque probè vallatus & cinctus ſe Chriſto Judici præſentabit.

Serm. de S. Benedict.

S. Gregorius Pont. Max. & ipſe idem cenſuit, atque extulit è pulpito ad frequentem populum; ſic enim ad illum aliquando:

Ibi, inquit (hoc eſt in valle Joſaphat) *Petrus cum Iudæa converſa, quam poſt ſe traxit, apparebit. Ibi Paulus converſum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas poſt ſe Achaiam. Ibi Ioannes Aſiam, Thomas Indiam in conſpectum ſui Iudicis converſam ducet. Ibi omnes Dominici Gregis Arietes cum animarum lucris apparebunt, qui ſanctis ſuis prædicationibus Deo poſt ſe ſubditum gregem trahunt.*

Hom. 17. in Evang.

Hæc S. Pontifex de Apoſtolis, ex quo idem eſto judicium de viris Apoſtolicis. Ex his duos tantùm hic recenſebo, quia ſtudeo brevitati, & rerum compendia quæro.

Primus erit Dominicanæ familiæ ſidus illuſtre S. Vincentius Ferrarienſis, huic in cœlos eunti comes erit numeroſa Animarum turma, quam cœlo peperit, ac Deo. Et quidem Judæorum ad viginti quinque millia, totidem Saracenorum; Chriſtianorum antem, quos à via ſolutiore ad arctiorem traduxit, centum viginti millia: aliorum denique, quos ab infamia publicorum ſcelerum, ad meliorem famam, & vitam evocavit, ad quadraginta millia. Ecce quæ illi Beatorum corona, quàm nobilis, quàm numeroſa.

Corona.

Surius & Faſti Mariani 5. Aprilis.

Alter erit è minima JESU Societate S. Franciſcus Xaverius, Indiarum, & Japoniæ Apoſtolus: de quo meritò dici potuit, quod de Alexandro Magno, ex ſtudio adulationis dixêre Scytharum Legati.

Si Dii habitum corporis tui, aviditati animi tui parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet; altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres.

Certè & hunc & illum contigit Xaverius, quem primò vidit Gallia, tum etiam Roma, mundi caput; tum Venetæ, Bononia, Luſitania, in qua & ſibi, & ſuis deinde Apoſtolorum nomen obtinuit; laboribus utique Apoſtolicis, & inſigni Animarum lucro. Denique India, & Japonia, aliæque Aſiæ regiones, & Inſulæ, in quibus obeundis, qui viarum longitudines, locorumque diſtantias metiri volet, atque ad calculum revocare, inveniet illum decennio centies mille paſſuum millia decurriſſe, & decurriſſet etiam plura, in Sinarum Regno, aliiſque regionibus, niſi curſum illius æterna quies interrupiſſet. Quanta autem in longiſſimis illis peregrinationibus Animarum ad Deum acceſſio fuerit, quanta & meſſis, is ſolus novit, qui cœleſtibus horreis eam induxit. Certè, quanta, quanta illa fuit; fuit S. Xaverio, in Cœlos è terris abeunti, comes; fuit & *Corona*: ſed quia ea nobis eſt in occulto, nos arctari patiemur ad eam, quæ magis in aperto, & de quâ Authores fide digni: ex illa de aliis facilis erit conjectura.

Franciſcus Remondi Orat. 18. de S. Xaverio.

Turſellinus dum colligit Animarum ſpolia, quæ vel in una Travancoridis Inſula collegit; ait, illum una dumtaxat die, ſacris aquis luſtraſſe ad decem hominum millia.

In ejus vitâ l. 2. c. 11.

Quot annis decem, quibus in India, & Japonia illi muneri totus incubuit?

Imago primi ſæculi nobis proponit atque exhibet tum ex infantibus, tum ex adultis, quos ſalutaribus aquis tinxit, & in Chriſto regeneravit, ad decies centena millia: in quibus in Japonia tres Reges, præter populum ferè innumerabilem, & plurimos è primâ nobilitate viros ac matronas, & impiorum ſacrorũ Antiſtes, quos vulgus *Bonzios* appellat.

Lib. 7. c. 18.

Et hi omnes Xaverio, ceu ſuo poſt Chriſtum parenti, ac Salvatori, in Cœlis erunt pro *Corona*, uti fuerunt & aliis, quos viderunt, atque amarunt priora ſæcula: ex iis aliquot producamus.

Abbati in extrema vitæ periodo fortè adfuit S. Bonifacius, viditque dæmones facto veluti cuneo in ægrum irruere, moliri, tentareque adverſa omnia: imò & exclamare horrendum illud: *Noſter, noſter eſt, hic Abbas.*

Ad has voces, inconditoſque clamores, & ſpectra tartarea ſtupere, horrere, & fors etiam morienti malè metuere S. Bonifacius: ſed ecce & ſtuporem, & horrorem, & metum excuſſit Abbatis moribundi cuſtos, & Tutelaris Angelus: unàque cum eo è Cœlis delapſa beatarum mentium turba, eaque numeroſa. Iuſtum dixiſſes exercitum: & ſanè juſtus erat; cenſebat enim octo Animarum millia, quas pius Abbas, quà precibus, quà aliis officiis, zeloque ardentiore cœlis invexerat, beneficio prorſus ſingulari: cujus memores beatitate jam donatæ mentes, è cœli regiâ in Abbatis cellulam delapſæ, ut animam abiturientem exciperent: ducerentque in ſinum beatæ æternitatis: Hoc enim officii genus Abbati, ceu

Baronius anno 716.

ceu optimo in Chriſto parenti, ceu munificentiſſimo ſalvatori, debere ſe fatebantur.

Et verò etiam reddiderunt; ut enim è corpore, ceu ergaſtulo ſuo, exceſſit anima, & illam adinſtar *Coronæ* cinxit, ſtipavitque beata illa turma, & in Cœlos intulit ſolemni pompâ, & triumphantis in morem. Tanti refert Animas Deo Cœloque peperiſſe dum viveres & valeres.

S. Iure 2. Part. l 3. Quod illi datum; hoc & aliis. Ne multis chartam onerem; in oculis ſit B. Seraphio & nomine, & zeli ardore ſeraphicus totus.

In ejus felici morte, vir Sanctus, qui fortè aderat conſpexit aperiri, & patere cœlum; & ex eo deſcendere beatarum Animarum ad ſexaginta ſex millia, qui illius animam & exciperent, & in intima beatitatis adyta efferrent.

Quæ dum oculis; dum animo ſpectat; ſimul audit & hanc vocem: *Numquid æquum eſt, ut eum ducamus in paradiſum, qui nos eò duxit, qua concionibus, quà etiam curâ verè paternâ?*

Hæc beatæ Animæ inter feſtiva gaudia, cœleſteſque plauſus.

Sed hæc exempla deforis petita: demus alia, & quidem domeſtica.

Ex his erit, quæ noſtra vidit ætas, in P. *Edmundo Augerio*, viro ſanè Apoſtolico, & quem Gallia univerſa ut Apoſtolum ſuſpexit & amavit, & qui Carolo IX. Regi Chriſtianiſſimo & à concionibus fuit, & à confeſſionibus.

Hic cum in agonia diutiùs fuiſſet, & à ſe quaſi alienus, ſibi paululùm redditus, ſubridenti vultu, & amœna voce ad Patrem, qui illi fortè aderat: dixit:

Non intueris quæ me expectent Beatorum agmina? non audis cœleſtium geniorum muſicam? ut grata accidit auribus, & gratior animo.

Spectabat nimirum pius Pater delapſas è cœli regia beatarum mentium turmas, futuras ſibi comites; imò & Duces in ſinum uſque beatitatis. Et certè eas fuiſſe Cœleſtibus viſis didicit perſona probatæ ſanctitatis, & ſuo deinde confeſſario retulit. Ea ipſa nocte, qua ſanctam animam efflavit P. *Augerius*, conſpectos à ſe duos Angelos hinc & hinc ad lectuli caput. Eorum unus explicabat mappam miri candoris, alter veſtem prætendebat amabili colorum varietate nobilem. Et hic, & ille expectabat dum è corpore, ceu diuturniore domicilio exiret anima; ut eam hac & illa ornarent veſte.

P. Bridoul in Triumpho Christi 19. Ian. Hæc dum ſpectat, ſtupetque; ecce aliud dignum Superis ſpectaculum, numeroſæ ſcilicet beatorum ſpirituum turbæ, morientis cubiculum ſubingreſſæ, quæ deinde viſæ procedere miro ordine, & ſpectabili pompa, & hoc quidem latiſſima via floribus conſperſa, & ornata ad ſtuporem, & miraculum; ducebat illa in Cœlum tramite quàm rectiſſimo.

Dum ea videt non ſine ſtupore & amore, quærit ex eorum uno, Ecquid ſibi vellet ea ſupplicationis in morem directa turba; & ſtatim audit; Mox diſces: et verò didicit. Conſpexit enim P. *Augerium*, vultu ad hilaritatem & majeſtatem compoſito, nitentem candida illa ſtola, & veſte mirum quantum variegata: hac & illa ſplendebat mens beata; candidâ quidem in teſtimonium illius candoris, quo dum in terris eſſet, enituere viſa: variegata autem in ſignum illius caritatis, illius & amoris, quo in Deum, & proximum exarſerat.

Viſus deinde progredi totus ille ſupplicantium ordo, in quo primum agmen ducebat innocens infantium candidatorum turba, & Patris *Augerii* laudibus ſuaviſſimè accinebat, ſubinde etiam eum reſpectans; tum ſequebantur aliæ Beatorum turmæ, ad extremum apparebat ipſe P. *Augerius*, eo quo dixi habitu triumphantis in modum.

Ubi ad prima Cœli limina ventum eſt, viſa eſt aperiri ſcena nobilis, & mirè ſpectabilis, atque in ea è Societate JESU numeroſa agmina, beatitate jam donata, quæ illum exciperent, ducerentque ad Agni Thronum.

Hæc ubi ſpectavit perſona illa, cujus initio memini, ſibi reddita, vocem explicare voluit in Pſalmum *De profundis*, eique ad extremum adjicere *Requiem æternam*: ſed ut maximè conaretur, nunquam eam edere potuit; ſed illius vice coacta dicere *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

Si porrò quæſieris, ecquænam eſſet illa Infantium corona? excipies fuiſſe animas Infantium, quas ſacris undis eluerat in peſtilenti lue, ſtrageque populorum, quibus & ipſe inſervierat, vitæ ſuæ prodigus. Aliæ verò Beatorum turmæ, fuerunt illæ, quas & concionibus ſuis, & eximia caritate, & virtutibus Apoſtolicis Cœlo, Deoque pepererat: reddidere illæ vices ſuo quondam ſervatori, atque aſſertori. Ita nimirum habent Cœli leges, adſunt morientibus eæ ipſæ Sanctorum coronæ, quas Beatitati zelo tuo aſcripſeris: uti & aſcripſerat P. *Augerius*, qui vivere in terris deſiit Anno 1591. 19 Jan. ætatis ſuæ 66.

Hunc addo P. Ferdinandum Melchiorium, qui obiit Anno 1614. Hic à felici è vita exitu viſus ab uno è noſtris in veſte candida cum S. P. Ignatio, S. Xaverio, & multis aliis è Societate jam cœlo aſcriptis, quorum aliqui palmas manibus geſtabant quibus veluti deforis etiam acceſſerat glorioſa Beatorum cohors, compoſita ex iis, quos per ſuos labores P. Melchiorius adjuverat ad beatam æternitatem adeundam: adeò verum eſt advenire morientibus Cœlitum coronam, quæ viros illos Apoſtolicos deducat in ipſa Divorum atria, ſinumque beatitatis. Nadaſi in an. dier. memor. 21. Octob.

Quartum Invitamentum.

Chriſti Lucrum & Votum. addo & Virginis.

PRopoſui nonnulla, quæ tibi, Benevole Lector, ſtimulo eſſe poſſint ad eum, de quo agimus, Animarum zelum: ſed ea ferè tibi conjuncta, ferè conjuncta cum lucro tuo: velim altiùs aſcendas, nec lucrum ipſe tuum ſpectes; ſed Chriſti: ſic enim purior erit zelus tuus, quo longiùs à teipſe abiens, & ad Chriſtum propiùs acceſſeris: accedes autem ſi animas ſpectes, animas veneris, non tibi; ſed Chriſto, eáſque aſpexeris ut Chriſti lucrum, Chriſti & votum. Iſſe autem & hoc & illud paucis oſtendo, non verbis, ſed rebus, quibus certior datur fides, & promptior.

Catharinæ De Riſſi è D. Dominici familia religioſæ in paucis Chriſto gratæ, imò & familiari, hoc aliquando exhibitum prodigium non ſine amabili ſtupore.

Habebat in cellula ſua ſacrum Chriſti è cruce pendentis ſimulacrum, ad cujus pedes ſe proſternere, orationes fundere, & affectus omnes ſuos effundere ſolita. Ex P. Ioan. à S. Maria de Ord. S. Dominici.

Sed, ô novum! ô mirum prodigium! viſum illud è cellula elabi, & medium ferri per aëra & virgini tum fortè ad cellam redeunti, quaſi occurrere; imò & auditum adjicere illas voces; ſed amoris plenas; ſed plenas miſerationis.

Te rogo, ô dilecta mihi ſponſa & tuas ipſa, & filiarum tuarum preces impende ſedula, ut & me, & patrem meum, tot, ac tantis hominum ſceleribus irritatum, & jam ultioni imminentem, places. Quod ut facias, ter, unà cum ſacro Religioſarum cœtu, ſupplicationes indicito.

Hæc ut vidit, ut audiit Catharina, ipſi Chriſti ſimulacro obviam proceſſit, brachiis excepit, in cellam reportavit, ad illius pedes ſe abjecit, & odore cœleſti, quo cellula toto eo die imbui cœpta eſt, recreavit,

recreavit, ſupplicationesque ternas pro ſalute ſui generis inſtituit.

Habes, Amice Lector, & amoris divini miraculum, & ſimul etiam Chriſti votum, ac lucrum: ſubſedit enim Omnipotentis ira, & placatum precibus Numen, tot animabus jam jam perituris veniam indulſit.

Et certè quidni indulgeret, qui ægris à culpa animalibus, id eſt quod ægris à corpore medicus, imò qui & alios medicos ſic amat, & vocat; quo in genere illuſtre eſt, quod ego ſubjicio.

Annua provinciæ Mexicanæ. Anno 1592. pag. 32.

Antonius Sardus, medicinæ Doctor, hoc aliquando à Chriſto audiit: *Veni poſt me, faciam te fieri medicum Animarum.*

Venit porrò, & Chriſtum vocantem ſic audiit, ut & ſe, ſuáque omnia, & familiam univerſam adjunxerit. Uxorem enim primò, dein & filiam nubilem eò adduxit, ut Aſceterium virginum, quod ipſe ſuo ære extruxerat ingrederentur: tum ipſe raro ſanè exemplo Societatem JESU intravit, præmiſſis tamen priùs tribus filiis, adoleſcentibus eximiæ indolis, ingenti prorſus Animarum lucro, bonóque, facti & ipſi unà cum parente Animarum medici: quem etiam eſſe te velim, Benevole Lector, utque velis, aliam propono Dei ter Opt. ter Max. vocationem, ex quâ intelliges, quod initio mihi propoſitum volui pro argumento, & tibi pro ſtimulo. Nempe Animas eſſe Dei lucrum, Deique votum.

P. Morus hiſt. prov. Anglicanæ.

Thomas Dabisbier, natione Anglus, & genere nepos Etmundi Bonneri, Epiſcopi Londinenſis, poſt toleratos diu carceres, exutus etiam ampliſſimis poſſeſſionibus, inter deliberandum de vitæ ſtatu, cùm hæreret anceps, ſalutis ſuæ in tuto collocandæ avidus, & Carthuſianorum ſolitariam vivendi rationem verſaret animo, atque in eam velut fidam ſtationem inclinaret, adſtans derepentè, clauſis omninò foribus vir planè ignotus.

Et tu, inquit, *ſi Carthuſianus futurus es, ſaluti quidem tuæ conſules; at ubi futurus eſt proximus?*

Dixit, & videri ſimul, & loqui deſiit. At quis ille inquies? ne de trivio hominem, ne de aula nobilem, ne de pulpito Eccleſiaſten, ne de ſolitudine Eremicolam fuiſſe opinare.

Quiſquis ille fuit, non homo fuit: ſed è Cœlo bonus genius, qui ſic ad illum Dei vice, voceque: qua etiam diſcuſſa prior cogitatio, & animus in ancipiti poſitus, intellexit, non de Carthuſia (in quâ ſoli ſibi vacaret, cogitandum) ſed de alio vitæ genere, in quo ſtuderet etiam proximo: quod & fecit: adiit enim minimam Societatem IESU, in quâ ſuæ ſaluti ita conſuluit; ut ſimul etiam alienæ, quod & perfecit impenſiùs ad ultimam uſque brevis ævi metam.

Habes igitur, Amice Lector, ut ibi deſinam, unde & cœpi, immortales Animas eſſe Chriſti lucrum, eſſe & Dei votum, & huic, & illi ſtude ſi ſapis, & zelum in hoc & illo quærendo liberaliùs explica, & tibi erit benè, & æternùm quidem.

Ita Explicuit Seraphicus Doctor D. Bonaventura, cujus ſacra luce hæc ſcribo.

Profeſſus enim aliquando eſt, ſe, licet certiſſimus foret, nunquam Deo fruiturum, tamen libentiſſimè in ejus gratiam, honoremque pro qualibet anima peccatrice, ſemel mortem oppeturum, & ita quidem, ut toties mori appeteret, quot in mundo eſſent animæ peccatrices.

Part. 2. c. 12.

Hæc ille quondam in opuſculo, cui nomen fecit *ſtimulus amoris.* In quo & ſibi, & aliis ſtimulos addidit, ad audendum, ad patiendum quidlibet, etiam pro unius tantum animæ ſalute.

Si enim hæc & voluit, & amavit; etſi ſciviſſet ſe Deo nunquam potiturum: quid, amabo te, facturus fuiſſet, ſi cum Deo ſciviſſet ſe poſtmodò regnaturum?

Tract. 10. in Ioan.

Hic ſtylum è membrana ſubtraho, ſi tamen priùs illud D. Auguſtini: *Nolite quieſcere lucrari Chriſto, qui lucrati eſtis à Chriſto.*

Et hoc de Virginis voto, pro eodem animarum lucro: quod quantum eſſet, & quàm ardens, oſtendit aliquando P. Bernardo Colnago è Societate noſtra, cui impoſita manu pectori: hæc dixit.

Nadaſi in An. dier. memor. 22. April.

Labora naviter, & indefeſſus pro ſalute peccatorum, & adducas ad me animas: hoc enim obſequium præ reliquis omnibus eſt mihi longè cariſſimum.

Hæc D. Mater Clienti ſuo, Patri inquiam, *Bernardo*; cui *Inflammati Patris* nomen adhæſit, ab eo ſcilicet ardore, quo Deum ubique ſpirabat, & Virginis amores.

§. 6.

Nonnulla ad ſalutem Animarum adjumenta.

NOn eſt mei conſilii, neque hujus opuſculi proferre omnia adjumenta rerum benè gerendarum in negotio ſalutis Animarum; ſed pauca dumtaxat, eaque præcipua, & quidem more meo breviter, & conciſè: amo enim compendia & verborum, & rerum.

Serm. 2. de Reſurr.

D. Bernardus, cooperatores Dei in ſalute Animarum, primò veluti paſtores indigitat, tum modum rationemque eas paſcendi ſuggerit, & ſic ait: *Paſce mente, paſce ore, paſce opere:* denique edocet qui fiat illud: *Paſce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.*

Epiſt. 201.

Quod rurſum alio loco proponit, atque inculcat: *Paſce verbo, paſce exemplo, paſce ſanctarũ fructu orationum.*

S. Ignatius Societatis JESU Parens & Author, primò Deum nobis exhibet veluti ſupremum quendam artificem, qui omnipotentem adhibet manum operi ſuo, operi magno, id eſt ſaluti Animarum: tum homines ſibi fingit velut inſtrumenta quædam in manu Dei. Et ſic illi Deus eſt cauſa princeps, homo autem inſtrumentalis.

In conſtit. Societ.

Denique proponit media, & quidem primò ea, quæ *inſtrumentum cum Deo conjungunt, & benè diſponunt*; tum ea, quæ *illud diſponunt erga homines*: illa, inquit, efficaciora ſunt, hæc minùs efficacia. Quæ porrò ſint & hæc & illa ſic explicat:

Erga Deum ſunt. *Pura intentio divini ſervitii, zelus ſincerus Animarum, familiaritas cum Deo in ſpiritualibus devotionis exercitiis, virtutum ſolidarum, atque perfectarum, ſpiritualiumq; rerum ſtudium incenſum.*

Erga homines ſunt iſta. *Dona naturalia, vel per induſtriam acquiſita, doctrina exacta, & ſolida; modus eam in concionibus, & lectionibus proponendi, forma cum hominibus agendi, cum iiſdemq; tractandi.*

D. Gregorius Pont. Max, pro adjumento inſigni ad id opus, quod hic molimur, ponit animi mundiriem, & candorem, liberum ab omni peccati macula, nævoque; ſic enim ait:

Lib. 9. Moral. c. 24.

Mundus à vitiis eſſe debet; qui curat aliena corrigere, quia nequaquam purè maculam in membro conſiderat oculus, quem pulvis gravat, & ſuperinjectas ſordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet.

Quod ipſum alio loco confirmat opportuna ſimilitudine à medico petita.

In Paſtor.

Improbus, inquit, *& imperitus eſt medicus, qui alienum mederi appetit, & ipſe vulnus quod patitur, neſcit.*

Et hæc generatim verbulo indicaſſe ſit ſatis; de ſingulis paulò fuſiùs.

Primum Adjumentum.

Oratio, & per eam intima quædam cum Deo familiaritas, atque unio.

Lib. 4. de Doct. Chriſt. c. 15.

BEnè cenſuit, benè monuit D. Auguſtinus, dum ſic ad cœleſtis verbi præconem: *Priuſquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam ſitientem, ut eructet quod biberit, & quod impleverit fundat.*

At unde & biberit? unde & impleverit? non alio de fonte, quàm oratione: ex hac bibet, & animæ ſuum ardoremque extinguet, ex hac ſeipſe implebit, & quod hauſerit, deinde in alios effundet.

Et ita bibere, ita implere exemplo ſuo docuerunt, quotquot è Chriſti ſcholâ benè eruditi prodierunt oratores, ipſo imprimis Servatoris exemplo, de quo
Luc. c. 6 v. 12. ſic ſacer hiſtoricus: *Erat pernoctans in oratione Dei.* In quæ verba D. Gregorius Pont. Max.

Humani generis redemptor per diem miracula hominibus
Lib. 6 Moral. c. 17. *exhibebat, & ad orationis ſtudium in nocte pernoctabat, ut perfectis prædicatoribus innueret, quatenus nec activam vitam amore ſpeculationis deſerant, nec contemplationis gaudia operationis nimietate penitùs contemnant; ſed quietè contemplantes ſorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant.*

Qui ferè primus à Chriſto exiit orator, Paulus fuit, & in raptus in tertium cælum, & ſecretiora illius adyta, ut & ſecreta cæleſtia noſſet, & ut diſertè S. Maximinus, *Eccleſiarum futurus Doctor, inter Angelos diſceret quod inter homines prædicaret.*

Act. c 6. v. 4. Quod Paulo, hoc & aliis Apoſtolis, qui ſic olim ad diſcipulos: *Nos orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus*: orationi primùm, dein miniſterio verbi.

Et hoc eſt Apoſtolici muneris: imò & Cherubini,
Cap. 1. quos in exceſſu mentis vidit Ezechiel. *Ibant* illi ad homines, & *revertebantur* ad Deum *in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.*

Fulguris quidem; quia ea celeritate, quâ fulgur; *coruſcantis* autem, quia ea luce, eo & ardore, quem à Deo, ceu fonte luminis, ceu Amoris divini incendio, hauriebant.

Et ita ad homines ire debet quiſquis animarum eſt zelator; & ab illis ad Deum reverti, ut ab illo accipiat altioris ſapientiæ lumina, & cæleſtes ardores, quibus & illuſtret, & ſimul etiam accendat auditorum animos.

Et hoc eſt quod imprimis commendatum voluit D. Auguſtinus agens de officio ſacri oratoris, de quo ſic olim:

Lib. 4. de Doct. Chri. c. 15. *Munus ſuum ut præſtet, magis pietate orationum opus eſt, quàm oratoris facultate, ut orando pro ſe, & pro illis, quos eſt allocuturus, orator ſit antequam dictor.*

Orator quidem, ut fuſa ad Deum prece derivet
Joel. c. 2. v. 23. in ſe fluenta cæleſtia, pœnitentiæ lacrymas, *imbrem matutinum & ſerotinum*: *matutinum*, inquam, hoc eſt (Interprete D. Hieronymo) *gratias prævenientes*, quibus infelix anima ſceleribus ſuis, ſeu luto putri, profundè immerſa, emergat aliquando, & Deo reddatur, ac primæ gratiæ: tum etiam *ſerotinum*, id eſt *gratias ſubſequentes*, quibus eadem anima jam juſtitia donata, in eadem ſeſe promoveat majoribus, ac majoribus deinceps incrementis, uſque dum veniat ad altiorem perfectionis Chriſtianæ gradum, donumque perſeverantiæ aſſequatur, & ex illo deinde etiam gloriam ac beatitatem. Et hoc beneficio ſacri oratoris, qui tamen priùs *orator*, quàm *dictor*. Hoc eſt, qui priùs à Deo, ceu fonte omnis boni, hauſerit quod in alios effunderet.

Hauſerit, dico, ſed inſtar *conchæ*; non *canalis*. Multum enim inter concham, & canalem intereſt; concha enim aquam non infundit, niſi cùm plena eſt, & poſtquam effudit etiam quantum voles: manet tamen omninò plena; nec enim effundit niſi quod redundat. Canalis autem è contrario, aquam tranſmittit, & ſibi, aut parum, aut nihil retinet.
Serm. 18. in Cant. Ne ſit ſacer Eccleſiaſtes inſtar *canalis*; ſed potiùs inſtar *conchæ*.

Quæ ubi à Deo melioris ſapientiæ fluenta hauſerit, ita ſe primùm repleat, tum quod exundat in alios ſpargat, ſibi ſemper retinens unde & plenus ſit. Et hoc eſt, quod ritè monuit D. Bernardus, dum ſic ad illum: *Si ſapis concham te exhibebis, & non canalem.*

Tum rationem addit petitam ex utriuſque diſcrimine. *Hic ſiquidem penè ſimul & recipit, & refundit: illa verò donec impleatur expectat, & ſic, quod ſuperabundat, ſine ſuo damno communicat*: ſic & ſacer orator.

Sed ô grande malum, inquit ille ipſe S. Præſul: *Canales multos hodie habemus in Eccleſiâ: Conchas verò paucas.* Sunt enim *qui ante effundere quàm infundi velint, loqui quàm audire paratiores, & prompti docere quod non didicerūt, & aliis præeſſe geſtiētes, quā ſeipſos regere neſciunt.*

Hi omnes *canales* ſunt, non *conchæ*: & quia ii ſunt, animis Deo cœloque lucrandis parum idonei. Pluribus ſuperſedeo, quia res ea in aperto eſt, & clara luce.

Secundum Adjumentum.

A divino cæleſtis Verbi pabulo.

VT intelligat ſacer Eccleſiaſtes, quid ſui ſit muneris, intelligat & illud primùm quis, & quantus ſit ipſe, & hoc quidem non ex meo calculo; ſed Sanctorum Patrum oraculis: ex his porrò eſt

Dei Adminiſter, Dei Adjutor, Lingua & Os Dei, Organum Spiritus Sancti, Legatus Chriſti, Evangelii Tuba, Quis ſit Concionator.
Animarum medicus, Doctor ac Magiſter populi, divinorum Interpres Legum, beata ſator Æternitatis.

Et hi ferè ſunt ſacratiores tituli, quibus eos ornant Divi Patres, & quos ego in unum veluti cumulum congeſſi, ut vel unico oculi conjectu eos videas, ac ſuſpicias, atque ex eis teipſe metiaris, quiſquis Dei nutu ad id officii vocatus es. Id ubi videris, & quis ſis apprimè didiceris, tum diſces & illud, quid in ore tuo eſſe debeat, ut is ſis, qui eſſe debes divinioris Verbi præco.

Hæc in ore tuo volunt, & amant SS. Patres, Quæ in ejus ore?
vult, & amat ipſum è Cœlo Numen. Nempe in eo ſit

Ignis, Sagitta, Myrrha, Lilia.

Sit primùm *Ignis*, hoc eſt cœleſtis quidam, & I. Ignis.
velut Entheus ardor, qui Auditorum corda animoſque puriore divinioris ſpiritus igne ſuccendat.

Is olim fuit in Elia Propheta; de quo illud Ec- Cap 48. v. 1.
cleſiaſtici: *Surrexit Elias Propheta quaſi Ignis, & verbum quaſi facula ardebat.* Credidiſſes non hominem è communi luto terrâve fictum formatumque: ſed ex puro putóque igne, qui illi jam inde ex utero matris, pro veſte, pro cibo fuiſſe viſus. De hoc certè ita Dorotheus in Synopſi:

Cùm naſciturus eſſet Elias, pater ejus Sabacha vidit illum ab angelis Albicantibus ſalutari, & igne tanquam faſciis involvi, & flamma ignis velut cibo ali. Flamma os ejus, & corpus ſic adlambente, ut eo veſtiri & ali videretur.

Portentum fuit illud, & futuri præſagium; è quo didicit parens, didicit & tota poſteritas, quod Elias is eſſet, qui conceptos ignes divini Amoris, divini & honoris, ac cultus, aliquando per os, veluti faculas quaſdam emitteret.

Et ita emiſit in Baalitas, in Achabum, in Ieſabelem: aliaque rebellia Cœlo capita, quæ vel incendit; vel perdidit. Incendit, & quidem igne meliore, id eſt cœleſti, ſi meliora admiſiſſent conſilia, & verbis illius obaudiſſent: perdidit autem, ſi reſpuiſſent: nec mirum, quia & *Dei fortitudo* erat, & *Dei ignis*.

Fortitudo quidem conſona illius nomini. *Elias* enim, vel ut Hebræi *Eliachu*, idem eſt quod *El. Ia*, id eſt *fortis Deus*, vel *Eli* id eſt *fortitudo Dei*. Hinc *verbo Do-* Verſ. 3.
mini continuit cælum, clauſitque, ne vel guttam aquæ effunderet, *Et dejecit de Cælo ignem ter*; quia à zelo divini honoris, divini & Amoris, totus ignis erat, & quidem Dei.

Et is quoque fuit Ieremias vates, in cujus ore poſuit Deus *verba ſua in Ignem*. C. 5. v. 14.

Ii deinde Apoſtoli, primi naſcentis Eccleſiæ divini verbi præcones, in quos illapſus Spiritus Sanctus; ſed in linguis igneis.

Is deinde poſt longa ſæcula D. Dominicus, alter ævi ſui Elias, quem dum utero geſtat mater, viſa eſt & catulum geſtare, præferentem ore facem accenſam; qua & luceret, & arderet orbis. Et verò deinde ab illo luxit, & arſit.

Is denique noſtro ſæculo S. Ignatius de Loiola; cujus facies à S. Philippo Nerio, & lucere, & ardere viſa; in cujus etiam caput illapſus Spiritus Sanctus in linguis igneis, denique & globus igneus è Cœlis illabi primò in illius verticem: tum repetito quaſi curſu in eoſdem reverti viſus eſt eo tempore, quo Deo litabat ad Aras ſacratiores: nimirum ab his, & lucem, & ardorem haurire, quem deinde in ſuos filios effunderet: ſic enim ad illos, cùm in varias orbis oras emitteret: *Ite, incendite orbem, non ardore; ſed amore*: utique cœleſti, ac divino. Quo ut ardere aliquando voluit Origenes; ſic & alios à ſe etiam accendi: hoc enim illius votum:

Homil. 1. in Pſal. 38. *Vnde mihi hoc ut lingua Ignis veniat in cor meum; & de lingua ignea ego quoque proferam ſermonem, ut ex me velox ſermonibus meis accendatur ignis in cordibus Auditorum.*

Quod Origeni votum aliquando fuit; hoc & concionatori dum è pulpito dicit: ſit igneus ille totus: ſit & ignis, ut ab illo Auditores & ignei ſint, & ſi voles etiam ignes. Erit autem ſi in illius ore ſit ignis.

II. Sagittæ. Sint & *ſagittæ*, quæ audientium corda, ſeu ſcopum petant, & ad ſalutem feriant, ac vulnerent. Et ita ferire, ita vulnerare nos docuit

Primò Christus, Servator Optimus, qui *ſagitta* fuit æterni Patris, de quo Iſayas: *Poſuit me ſicut* Cap. 49. v. 2. *ſagittam electam.* Apoſtoli, Viriq́ue Apoſtolici *ſagittæ* etiam fuerunt, & ſagittas ex ore velut ex arcu emiſerunt, & in audientium corda immiſerunt; altèque infixerunt, atque vulnerârunt.

Exhortat. ad Virgines. *Quàm beatum*, inquiebat D. Ambroſius, *hac ſagitta vulnerari.* Beatum enimverò, quia ad ſalutem, ad vitam, ad beatitatem. Et ita vulnerare debet Eccleſiaſtes, à cujus ore emitti debent tot ſagittæ, quot verba: ſed amoris ſagittæ, & ab iis amoris vulnera.

III. Myrrha. Sed & *Myrrha* emitti debet, atque effluere ex ejuſdem ore.

Eſt *Myrrha* ſymbolum mortificationis, ac pœnitentiæ, quam & indicat innata ſibi amaritie: eſt & medica, & ad corporis morbos curandos quàm aptiſſima.

Quod illa corpori, hoc & animo Dei verbum, quod dum ſpargit Eccleſiaſtes: & *myrrham* effundit; hoc eſt pœnitentis animæ gemitus, & lacrymas elicit; & eas eliciendo, etiam morbos animi curat, ac vulnera.

Et ita animas curari voluit D. Hieronymus, Epiſt. 2. dum ſic ad Nepotianum: *Docente te in Eccleſia, non clamor populi; ſed gemitus ſuſcitetur, Lacrymæ Auditorum laudes tuæ ſint.*

IV. Lilia. Erunt autem, ſi myrrha tibi ſit in ore; ſed etiam ſint & *Lilia.* De his Sapiens in ſacratiore cœleſtis Sponſi Epithalamio: *Labia ejus Lilia diſtillantia myr-* Cant. c. 5. *rham primam.*

Eſt *Lilium* Hieroglyficum puræ, & candidæ veritatis, cujus amans, ac retinens debet eſſe ſacer Eccleſiaſtes; & ita quidem ut ab ea, nec cujuſquam gratia abeat, nec ullo etiam periculo, ne vitæ quidem avelli ſe patiatur.

Liberum fuit illud & audax Philonis pronun- Lib. de Ioſeph. tiatum. *Non me terrebit ullum intentatum Periculum, ne mori quidem: malo mori, quam ſimulare.*

Hæc ubi pro ſeipſo ſpopondit, tum producit ſimilitudinem inſtituto ſuo, & noſtro peraccommodam, ea ducitur à medico & coquo.

Quid inter medicos & coquos interſit, quis non videt, inquit. *Illi quidquid ad ſanitatem conducit, etiamſi ægroto ingratum videatur, magno apparant ſtudio. Hi contra ſuavia curant, utilia negligunt.*

Hæc ubi dixit pro diſcrimine, quod eſt medicum inter & coquum: tum proſequitur in eâ, quam extulit medici ſimilitudine.

Ille, inquit, *in ægroto nullam ſplendidioris fortunæ rationem habens, nec quod claro genere natus, aut opulentus, denique Rex, aut Tyrannus ſit: unum hoc ſpectat, quomodo ſervare queat hominem, & ſi fortè ſectione, uſtioneve opus videt, ſecat urit́q; Principem ſuum, ac Dominum, ſervus ipſe, ac ſubditus.*

Hæc ubi pro medico dixit, tum ad hujus inſtar facere ſe liberè profitetur. & ait:

Ego qui non unum virum curandum ſuſcepi; ſed integram Civitatem laborantem morbis gravioribus, contractis ex innatis concupiſcentiis, quid agere debeo? Num prodita utilitate publica, illius, aut illius aures mulcere adulatione illiberali, & ne ſervo quidem decora?

Hæc ubi ſibiipſe propoſuit, tum ſtatuit illud, quod eſt ſapientis, & boni publici amantioris. *Emori præſtat, quàm loqui ad gratiam, diſſimulata veritate, & utilitate neglecta.*

Hæc ſibi Philo è Judaica ſtirpe, & in alta illa ignorantiæ nocte: hæc, inquam, & dixit, & forſan etiam fecit. Quid in clara fidei luce, & dicet, & faciet ſacer Orator? Certè quod ille: *Malo mori, quàm ſimulare*, prodita etiam utilitate publica, quia diſſimulata veritate.

Tertium Adjumentum.

Ab Exemplo vitæ ſanctioris quæ cum doctrina conſentiat.

DIvus Bernardus tria in oratore Chriſtiano requirebat, *Verbum*, *Exemplum*, *& Orationem.* Epiſt. 201.
De hac, & illo, jam egimus: ſupereſt ut pauca de Exemplo: hoc enim vel maximè juvat ad aliorum ſalutem procurandam, atque perſuadendum ea, quæ de pulpito protuleris: quod ut pateat magis, primùm id demonſtrabo ex docente, tum ex ipſis auditoribus: denique ex ipſa doctrina.

Initium ducamus ab eo, qui dicit è Cathedra, I.
& quis ille ſit, & quis porrò eſſe debeat, videamus. A docente.

D. Chryſoſtomus nervoſa ut aſſolet, atque aurea eloquentia, ſic olim ad ſe; ſic etiamnum ad diviniora Verbi præcones: *Idcircò nos elegit Deus ut ſimus quaſi luminaria, ut magiſtri cæterorum efficiamur, ut velut An-* Homil. 10. 1. ad Timoth. *geli cum hominibus verſemur, ut tanquam viri cum pueris, ut tanquam ſpirituales cum animalibus.*

Quid amabo te, Mi Lector, facient *luminaria*, ſi extincta, ſi nulla luce conſpicua, nullóve ardore præfervida? At ſine exemplis virtutum nulla illa lux, nullus omninò eſt ardor.

Quid promovebunt in Chriſti ſchola *magiſtri*, ſi in ea vix ſint diſcipuli?

Quid *Angeli*, ſi nomine tenus ſint Angeli; re autem ipſa homines, & qui nihil ſapiant niſi humana, niſi terrena?

Quid *viri*, ſi annis, atque ætate duntaxat ſint tales; re verò ipſa pueri; hoc eſt, qui adhuc crepundiis puerilibus capiantur, atque oblectentur?

Quid *ſpirituales*, ſi & ipſi animales? qui nihil cogitant, nihil amant, nihil ſequuntur niſi quod animale, hoc eſt, quod anima immerſa carni, quod ſus in volutabro luti.

Hi certè apud Auditores nihil promovebunt, nihil impetrabunt: ut enim S. Proſper.

Non poteſt dicere ſacerdos contemptoribus admonitionis Lib. 1. de vita contemp. c. 21. *ſuæ, futurum cogitato judicium; quod ipſe fortè non cogitat: amatoribus ſæculi, nolite diligere mundum; ſi eum mundi amor delectat. Ambitioſis ambitioni finem imponere, ſi eum ambitio ruinoſa præcipitat. Et quidquid boni non facit, aut mali committit, nec jubebit fieri, nec vetabit.* In promptu eſt ratio, quam ſubjicit:

Quia neceſſariam docendi authoritatem, contrarietate ſua actionis, amittit, aut minuit.

Quod ipſum pro ea, qua valet ſacratioris eloquentiæ vi, nervoque oſtendit D. Hieronymus, cujus etiam hoc effatum: *Perdit authoritatem docendi cujus ſermo opere deſtruitur.* Et hinc apud eundem ſapiens illud, ac pulcherrimum monitum; quod velim altè in animos immitti. *(Epiſt. 84.)*

Non confundant opera tua ſermonem tuum; delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de jejuniis diſputat. Accuſare avaritiam & latro poteſt. Ideóque ſacerdotis Chriſti os, mens, manúſve concordent. *(Epiſt. 2. ad Nepot.)*

Concordabunt autem, ſi quod ore docet ipſe, priùs opere expleverit.

Ita concordare audita eſt oratio, magni illius Præſulis, & Oratoris D. Baſilii, de quo extat magnificum illud D. Gregorii Nazianzeni: *Tonitruum erat oratio, quia vita fulgur.* *(Orat. de Laud. Baſilii.)*

Nimirum tonabat ore, quia opere fulminabat, & priùs lucebat à vitâ, quàm tonaret à linguâ: & inde miros faciebat animorum motus, & hoc, quia quod voce ſuadebat, priùs perſuadebat & opere.

II. Ab auditoribus. Et hinc mihi datur in manus altera ratio, quæ petitur ab Auditoribus. Hi ducuntur exemplis, non verbis. Quid facias? homines ſunt, & humano ſenſu ducuntur; atque ut rectè Seneca: *Ampliùs oculis, quàm auribus credunt.*

Et ſanè jure meritiſſimo; oculis enim tutior eſt fides, quàm auribus, quia ad has appellunt ſubinde vera; ſubinde etiam & falſa, quandoque velut è Tripode veritates affluunt, quandoque de trivio narrantur & fabulæ: & has inter, & illas diſcernere nequeunt aures.

Non ſic oculi; hi enim res ſibi objectas per proprias ſpecies; atque imagines tranſmittunt in animum, adeóque fideliùs, & certiùs, quia de ſuo, deque proprio eas habent; non hauriunt ab alieno.

Et hinc fit, ut iis, quæ ab oculis deferuntur ad animum, certior habeatur fides, quàm illis, quæ per aures immittuntur; quæ autem per has ſunt dicta, quæ per illos ſunt facta; factis autem magis creditur, quàm dictis.

III. A doctrina. Et hinc deſcendo ad tertium, quod mihi initio propoſui, videlicet *de Doctrina.* De hac aureè D. Chryſologus: *Doctrina in dictis ſcientia eſt, in factis virtus.* Et hæc quæritur, non illa, quia hæc ad ſalutem facit, illa non item. *(Serm. 107.)*

Certè ſi de ſua illa philoſophia pronuntiavit illud Seneca, *quod facere doceat non dicere.* Multò magis de Philoſophia Chriſtiana, de ſacratiore doctrina, quæ jactatur è pulpitis. docet hæc ex vero facere, non dicere; adeoque in factis eſt, non in dictis; virtus eſt, non ſcientia.

Audiamus quid Seneca de Philoſophia, & ad transferamus, quæ ille de ſua; ſic enim inquit:

Non eſt philoſophia populare artificium, nec oſtentationi paratum. Non in verbis, ſed in rebus eſt. Nec in hoc adhibetur, ut aliqua oblectatione conſumatur dies, ut dematur otio nauſea. Animum format, & fabricat vitam, diſponit actiones, regit agenda, & omittenda demonſtrat, ſedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuum dirigit curſum. *(Epiſt. 16.)*

Hæc ille de ſua philoſophia, quæ ego ad Chriſtianæ doctrinæ præcepta traduci velim. Hæc non in verbis; ſed in rebus eſt.

Animum format, & fabricat, non terris; ſed Cœlis: vitam diſponit ad virtutum ardua; & actiones regit, ut Deo dignæ videantur, & ſint. Erunt autem ſi ex virtute ſint, & in benefactis conſiſtant, non in verbis: hæc enim non conducunt ad animarum lucra.

Ratio eſt, quam affert S. Iſidorus, cui *doctrina, operum umbra.* Umbra ſimulacrum eſt inane corporis, privatio lucis, merum, purumque nihil, quod ſolum ſi dederis, nihil dediſti; at ſi corpus obtuleris, aliquid ſolidi obtuliſti. *(L. 5. Ep. 119.)*

Sic omninò ſe res habet in doctrina; ſi ea à bono opere vacua fuerit, umbra eſt, adeoque velut inane boni ſimulacrum, ex vero autem nihil: àt ſi operi juncta ſit, ſi ad pium opus collimet, ſi & illud tibi donet, tum aliquid ſolidi donat, quod ipſam ſetat æternitatem, quod Cœlo emendo valeat.

Dicit ille ipſe S. Iſidorus, *vivam eruditionem ad mortuam addi oportere.* At quænam & hæc & illa? audi ex eodem.

Mortua eſt copioſa oratio, multis & gravibus ſententiis elaborata: at *viva eruditio,* ſunt ipſa rerum honeſtarum exempla: hæc ſi adſint ſua illi vita, ſua vis, & ſpiritus altior, ſua quoque authoritas; ſin autem hæc abſint, erit illa quaſi mortua, & ſenſus omnis ac vitæ ſpiritalis expers.

Quod cùm ita ſit, ſacris oratoribus crebriùs inculcandum, & re etiam ipſa ſervandum illud Beati Petri Damiani ſolemne monitum.

Verbi vita populis, non ſolùm vocibus; ſed etiam moribus nuntiemus. *(L. 2. Ep. 1.)*

Ita nuntiavit Franciſcus Strada, meritò numerandus inter prima Societatis columina, ob eximium in eo donum ſacræ prædicationis, quâ Juvenis primùm in Belgio, Adoleſcens in Italia, matura ætate per omnem Hiſpaniam eſt auditus, miro ubique animorum motu, fructuque; cujus cauſam rogatus aliquando à Patre Ribadeneira, ingenuè reſpondit: ſibi inter dicendum radium quemdam, & impulſum illabi cœlitùs, quo totis præcordiis intimis commoveretur: & inde fieri ut audientes motu eodem afficeret, ex quo deinde eæ ſequi ſolerent morum in melius commutationes. *(Hiſtor. Soc. part. 5. l. 4. n. 124.)*

Et ſanè ad recipiendam divinam vim ſe ille impigrè comparabat: multis enim annis ter in die flagella repetiit; ſemel pro animabus, quæ detinentur in flammis expiatoriis: Iterum pro converſione jacentium in lethali noxa. Poſtremo pro Eccleſia univerſa.

Ad quæ cruciamenta corporis, addebat ſingulare orationis ſtudium, ſeceſſum ſpiritalem, & rerum omnium humanarum contemptum. Et hinc in eo mira illa vis ſacræ orationis.

TRACTATUS DE HORA ORATIONIS SEDVLO IMPENDENDA.

DE Oratione multi, multa: ego paucis, & quantum ferè capient unius, alteriùsve concionis anguſtiæ. Tum etiam pauca de Venerabili Euchariſtia, & SS. Miſſæ ſacrificio, in quo Orationia veluti compendium.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Particula bonæ diei non te prætereat.* Eccl. c. 14. verſ. 14.

VUlgata verſio habet, *boni doni*; alia, quæ multorum eſt, *bona diei.* Ego in præſentia hanc amplectar, quia facit ad meum inſtitutum, & formandis ritè motibus magis eſt accommoda. Igitur ut iis ſerviam, ſit

§. 1.

Quæ ſit ea bonæ diei particula?

HIc Interpretes, in alias, atque alias dividuntur ſententias, quia genuina hujus loci, utpote obſcurioris, ſignificatio, adhuc eſt in occulto: ego eorum interpretationes hîc luci dabo, & eas ſequar, quæ argumento, quod in manibus eſt, magis convenire videbuntur. Sic igitur Sapiens olim ad ſuos, ſic etiam hodie ad nos:

Ne defrauderis à die bono: hoc eſt felici, læto, jucundo. Erant enim Antiquis dies boni, erant & mali, dies fortunati, dies & malè fortunati.

Dies boni notabantur calculo albo, mali autem nigro: tum in extrema brevioris ævi mèta & hi & illi ad calculos revocabantur. Et ſi plures albi recenſiti fuiſſent, qui è vivis exceſſerat, renuntiabatur felix, ac propè beatus; ſin autem plures nigri, credebatur infelix, ac miſer. Et hocquidem mortalium calculo; at ſæpiùs aliter immortalium, Deiq́ue judicio. Illi enim felicitatem ferè petebant ex fortuna ſecunda; infelicitatem ex adverſa: at hic ex virtute felicem, ex vitio infelicem pronuntiat: & nos cum illo pronuntiemus eſt neceſſe.

His ita ex Antiquitatis ſenſu, & veritatis calculo poſitis, Quæſtio incidit, ecquæ ſit *bona* illius *diei Particula?*

I. Sententia. Prima ſententia credit eſſe *occaſionem, bonæ alicujus actionis, & virtutis exercendæ*, quam elabi non ſinet quiſquis Deo Cœloq́ue ſapiens eſſe volet: ea quippe eſt pars diei bona, auſpicata, felix.

Occaſionem finxêre Veteres, fronte capillatam, poſt autem calvam. Hinc verſiculus ille

Fronte capillata, poſt eſt occaſio calva.

Romani Deam putavêre; Græci Deum.

Porrò illius ſimulacrum ita ab his & illis fingebatur, ut pennatis pedibus volubili rotæ inſiſteret, vertigine quadam velociſſima ſe in orbem circumagens, priore capitis parte capillata, poſteriore glabra.

Commentum fuit; ſed ingenioſum, quo occaſionis brevitatem, volubilitatem, atque inconſtantiam ſignificârunt, quæ ſcilicet niſi cùm primùm ſeſe offerat, arripiatur, ſtatim elabitur è manibus, nihilq́ue nobis remanet præter ſerum pœnitere.

Hinc occaſionis comes individua pingitur *pœnitentia.* Ne tibi etiam maneat tuo malo, *Particula bonæ diei non te prætereat*, hoc eſt, occaſio rei benè gerendæ non te prætereat.

II. Sententia. Secunda ſententia probat particulam illam bonæ diei eſſe penes munificentiam, ac liberalitatem, quam aliquis exercet, vel ſua donando, vel beneficiis alios cumulando, vel denique egenis ac miſellis ſtipem elargiendo: eſt enim ea munificentia, & eleèmoſyna, piè exercita, *Particula diei bona*, quam non ſinit præteriri quiſquis ſapit.

Et hanc Baſilius Imperator filio ſuo Leoni commendatam imprimis voluit: ſic enim ad illum extremis verbis, ac monitis.

Tom. 5. Biblioth. PP. *Largire miſericordia ſtipem egentibus, ut ipſe tibi miſericordiam allicias à Rege univerſorum Deo: nam in eo præcipuè verſatur pietas, ſi tua non habentibus benignè impertiaris. Eum ergo diem tibi periiſſe exiſtimato, in quo nemini benefeceris, pro beneficiis, quæ à Deo illo die acceperis.*

Qui illi animus fuit, quæ ad benè de aliis merendum propenſio; eadem priùs Tito Imperatori, qui ſi fortè diem aliquem ſine inſigni in quempiam beneficio exegiſſet, veſpere ſuſpirans dicebat mœſtum iſtud: *Amici, diem perdidi.* Rebatur enim diem illum perditum, in quo nemini feciſſet benè: quod utinam & hoc ævo dicerent in purpura Auguſti Cæſares in Tiara & Infula Pontifices, in Religioſo pulvere Aſcetæ omnes: ſed ne longiùs.

III. Sententia. Tertia ſententia, quæ eſt Lyrani, cenſet particulam diei bonæ eſſe èa pietatis officia, & orationes, quæ die feſto, id eſt bono, à fidelibus obiri ſolent.

Dies alii, quos feriatos vulgò dicimus, dantur huic tempori, dantur & corpori, commercia ultrò citròque exercendis, aliiſque id genus opificiis: at dies feſtus conceditur æternitati, animo ritè excolendo, Cœlo ipſi, Cœleſtibus, ac Deo per alias atque alias pias mentis exercitationes, quales in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, orationibus, divinis officiis, concionibus, & aliis ejuſmodi obiri ſolent. De quibus fuſiùs in Evangelia feſtorum Quæſtione Prooemiali, ideoque hîc parciùs.

IV. Sententia. Quarta ſententia eſt R. P. Balthaſaris Alvarez, viri notæ probatæque ſanctitatis.

Hic *diei bonæ Particulam*, vult eſſe pro Laïcis Sanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptionem; pro Sacerdotibus autem oblatum Immortali Deo incruentum Miſſæ ſacrificium. Et his duabus poſtremis opinionibus inhærebo, quia conducunt ad argumentum, quod in manibus eſt, pro quo ſit

§. 2.

Hora Orationis, particula eſt diei bona.

Lib. 1. de Benef. c. 3. VEteres, Seneca teſte, cenſebant *Gratias*, quas & Charites vocabant, & *Horas*, eſſe ſorores iiſdem parentibus prognatas, *Iove* ſcilicet Deorum Principe, & *Eurynome* Dea, alias inter nominatiſſima. Et quidem *Horas* natu majores: *Gratias* ſubſequi *Horas*, illiſque ſubeſſe, ut in familia rectè conſtituta fieri ſolet, in qua *Iuniores* ſenioribus ſubſunt, & parent.

Fabula eſt, doctumq́ue commentum, è quo tamen erui hæc veritas poteſt.

Si *Hora*, & *Gratia* germanæ ſint ſorores, & quidem illæ *ſeniores*, hæ verò *juniores*, is inter illas eſt nexus, ut *gratia* pendeant ab *horis*; ut *juniores* à *ſenioribus*.

Quod ſi verum eſt, nemo non videt quàm pretioſa ſit *Hora*, à quâ dependet *Gratia*. Ut autem in aperto ponatur illud, videndum erit quàm apud mortales, immortaleſque pretioſa ſit *Gratia*: ex hoc enim pronum erit intelligere, atque conficere, quàm pretioſa ſit *Hora*; hora, dico, Orationis.

De *Gratia* pretio pronuntiavit illud D. Thomas & verè, & doctè: *Bonum unius gratia majus eſt bono natura totius Univerſi*.

Sume igitur bona totius Univerſi, quæ hominum calculo bona ſunt, adeoque in pretio, primis curis, atque amoribus.

Sume, inquam, primò Aurum omne, Argentum omne, quod in Principum, Regum, Cæſarum gazis reconditum, & quod in imis terræ viſceribus abditum, nec illud omne æquum eſt etiam minimæ *gratia*.

Sume deinde uniones, qui oceano merguntur, & latent: ſume Gemmas, Adamantes, Smaragdos, & quodvis aliud Gemmarum genus, nec illud æquum eſt minimæ *gratia*.

Sume denique Sceptra, Coronas, Diademata, Purpuras, Regna, Imperia etiam totius Univerſi, ſub quibus gemit omnis terræ moles, neque hæc omnia æqua ſunt vel minimæ *gratia*.

Ratio eſt in clara luce, quia hæc omnia ut bona ſint; ſunt tamen *Natura* bona, & aliud nihil: at alia, de quibus in præſens eſt quæſtio, ſunt bona *Gratia*, quæ ſunt altioris ordinis, & ſupra naturam. Bona autem inferioris ordinis, atque ſubſellii, qualia ſunt *Bona natura*, nunquam poſſunt æquare ea, quæ ſunt ordinis ſuperioris, qualia ſunt ea, quæ ſunt *Gratia*.

Res ea patebit in ſimili. Sit *homo*, ſic & *brutum*. *Homo* rationalis eſt, *brutum* autem irrationale, & quia tale nunquam hominem æquabit pretio, ac dignitate: quia ut creſcat, ut perficiatur Brutum, ſemper & creſcit, & perficitur intra cancellos, & limites ſui generis, hoc eſt irrationalis, adeoque nunquam aſſurget ad pretium ac dignitatem *hominis*, qui eſt rationalis, quia hic eſt in ordine ſuperiore, illud autem in inferiore. Rationale enim ſuperius eſt, irrationale verò inferius.

Vidimus *Gratia* bonum compoſitum cum *Natura*, Bonis, ſpectemus & illud cum aliis, quæ tamen & ipſa ſupra naturæ limites ſunt, & Cœli indulgentis dona, qualia ſunt è Theologicis virtutibus, *Fides* & *Spes*. Ac deinde virtutes aliæ, ſeu eæ, quas *Cardinales* dicimus, puta *Iuſtitia*, *Fortitudo*, *Temperantia*, *Prudentia*, ſeu etiam aliæ quas *morales* appellamus. Et hæ, & illæ cedunt vel uni *Gratia*, imò ea deficiente, vel deficiunt ipſæ; vel ſi maneant, manent ut loquuntur Theologi, informes. Si à peccato letali decedat *Charitas*, & *Gratia*: manent tamen *Fides*, & *Spes*, ſed ut dixi *informes*, quia earum forma eſt *Charitas*, & *Gratia*, ſine quâ nec Cœlo merendo valent.

Virtutes autem *morales*, quæ ſunt veluti pediſſequæ *Charitatis*, & *Gratia*: ſublata hac, & illa, ut tollantur & ipſæ eſt neceſſe, quia ubi non eſt virtutum Domina, ac Regina; nec ibi eſſe poſſunt illius pediſſequæ.

Quod ſi ab his tranſire velimus ad *Gratias gratis datas*, quales in primis ſunt Gratia miraculorum, prophetiæ donum, & linguarum, Gratia ſanitatum, aliæque ejuſmodi, ceu gratuita Cœli dona, quæ apud mortales tanto ſunt in pretio. Ea tamen vel minimæ *Gratia* palmam concedunt; & præ illa apud Superos nullo ſunt in pretio.

His ita ex naturæ principiis, ex rationis placitis, ex ipſa fidei luce conſtitutis, ſatis ſuperque liquet, quo in pretio eſſe debeat vel unica *Orationis Hora*, à quâ pendet & *Gratia*, quæ tanto eſt in pretio. *Gratia* dico primùm *habitualis*, quæ illi debetur, utpote operi bono, actuique Religionis; deinde & *actualis*, quæ ad illam ſequitur, illique quodammodo connectitur.

Eſt autem hæc *Gratia actualis*, quæ etiam *Orationis horam* ſequitur, ſeu bona quædam inſpiratio, ſeu cæleſte lumen animæ affuſum, ſeu pius aliquis motus, & ardor entheus, qui etiam menti immittitur; & voluntatem incendit æſtu quodam divini amoris, & hic, & illa omnia pendent ab una *Orationis matutina hora*. Quo igitur illa in pretio? Eo certè, quo & *Gratia*, ſeu *habitualis*, ſeu etiam *actualis*, adeòque quo ſummum in hac vita mortali bonum. Quidni enim ſummum bonum in viâ, quæ ſummum bonum comparat in patriâ; hoc eſt, *lumen gloria*, *lumen beatificum*, cujus & ipſa ſemen eſt.

§. 3.

Quanti Horam Orationis, hoc eſt Particulam bona diei, æſtimaverint Chriſtiani Heroes? & quàm ſedulò, & conſtanter obſerven?

PRiuſquam delabar ad Chriſtianos Heroas, unum producam è cœcâ gentilitate, vel ut nobis ſit exemplo, vel rubori, ac pudori, ut qui particulam illam diei bonæ, ideſt Orationis, tam facilè ſinamus elabi.

Is erit Rex Tangeor, in Orientali India inter potentiores. Hic Deorum ſuorum cultui miré addictus, Decembri menſe, duabus horis ante Solis ortum è lecto ſurgere ſolitus, utque primùm veſte indutus, conclave ſecretum ingredi, & quinque continenter horas coram Idolo ſuo principe verſari, genuflectere, flores in illius verticem effundere, qui ne deſint, toto conquiruntur regno.

Interea verò dum Rex in eo ſuperſtitionis ſuæ officio totus diſtinetur, aulici extrinſecus feſtivos ignes excitant, ipſeque populus per compita, per plateas longè, latèque ſparſus Orationi inſiſtit, & eidem Idolo principali ſupplex accidit, ut regiis votis annuere dignetur. *In Relatione ultima in Regno de Madurâ c. 17.*

Neque hic ſiſtit ea Regis ſuperſtitio, elabitur longiùs, & Idolo ſuo propriis manibus cibum apparat, orizam ſcilicet, & legumina, quibus (ut credit) veſcitur, quæ omnia vaſculis argenteis, aureiſque probè condita, offeruntur; ipſaque Regina manus accommodat, ducitque ſibi honori.

Ecce quâ curâ, quo ſumptu ea Orationis hora tranſigitur apud Coronata illa capita, quod certè ruborem nobis injicere deberet, ac pudorem, ut qui in ea adeò ſegnes, & tardi ſimus.

Sed hæc pauca ſtylo indicaſſe ſit ſatis, deſcendamus ad Chriſtianos Heroas: qui primus in hoc argumento occurrit eſt Carolus hujus nominis V. Imperator Auguſtus, de quo vix credi poſſet quod dicam, niſi graviſſimum dicti authorem haberem, B. Franciſcum Borgiam, qui olim Caroloi intimus, & meliorum arcanorum diu conſcius fuit. *Rho hiſtor. vert l. 5. c. 8. n. 2.*

Affirmabat ille Carolo nullam diem abiiſſe, in quâ ſolidam horam Deo atque Orationi non dediſſet; & hoc etiam in medio negotiorum æſtu, in martio pulvere, inter tympanorum ſtrepitus, tubarum clangores, tormentorum bellicorum tonitrua, inter arma & ferrum, ipſamque, quæ in oculis ſæpiùs erat, mortis imaginem; conſtabat tamen ſibi, & Deo Carolus, & ſolitum Orationis penſum perſolvebat.

Vidimus in aulâ hanc diei particolam probè obſervantem Imperatorem; videamus alios in religioſâ cellâ, è multis paucos producam è Societate noſtrâ.

Primus erit Leo Henricus. Hic in Oratione decem ſolidas horas ſæpè de genu tranſigebat, ea

robuſtæ

robuſtæ mentis conſtantia etiam annoſiſſimus, ut non hominem dixiſſes, ſed ſignum aliquod, vel è marmore inciſum, vel ære fuſum; ita eodem corporis habitu immotus perſeverabat.

Alter erit Sebaſtianus Barradius, ex eadem Societate, qui ætatem omnem quà concionibus ad populum habendis, quà etiam immortalis eruditionis voluminibus ad poſteros emittendis inſumpſit, & prægravante jam ſenio, cùm nec his, nec illis amplius par eſſet, ita Orationi ſe totum addixit, ut in dies ſingulos horas omninò duodecim illi ſepoſitas haberet, & ſervaret quàm exactiſſimè.

Ita brevi, ut rebatur, mortalitatem exuturus, dimidia jam temporis parte vivebat immortalis.

Poſtremus erit Franciſcus Suarius. Hic à duobus magnis orandi magiſtris, Martino Guttierio, & Balthaſare Alvares, quam diſciplinam hauſerat, in omni vita retinuit: & ita quidem ut affirmatè diceret. Si, aut matutina Orationis hora, aut parta tot annis, ac ſudoribus ſapientia carendum eſſet, malle ſe hac, quàm illa carere. Tanti nimirum illam, partumque ſibi ex ea bonum æſtimabat.

Quod judicium maximi profectò faciet, qui Suarium vel de nomine, vel de ſcriptis, vel de vita noverit.

Qui de nomine, primæ inter ſuos nobilitatis eſſe ſciet, qui de ſcriptis, viginti quatuor ingentia volumina numerabit, quæ ad poſteros tranſmiſit, ea doctrinæ fama, ea rerum varietate, ut meritò in Academiis celeberrimis *Communis omnium magiſter* ſit appellatus, à nonnullis, *ætatis ſuæ prodigium, atque oraculum*: ab aliis Philoſophiæ ac Theologiæ *lumen clariſſimum*, & *Theologorum Coryphæus*. Qui denique de vita etiam ſanctè acta, is ex vero pronuntiabit, dubium ſanè videri, doctiórne, an ſanctior fuerit Suarius? Certè ut omittam alia, quæ fusè proſequitur Philippus Allegambe noſter: illud tamen præterire nullo modo poſſum, quod & eximiæ ſanctitatis indicium fuit, & argumentum divinæ in eum indulgentiæ, atque amoris.

Allegambe in Bibliot. ſcriptorum Societatis.

Viſus non ſemel cùm duos ab humo cubitos ſublimis, ſplendidiſſimos lucis radios, à Chriſti è cruce pendentis effigie in ſe vibratos, toto vultu ac pectore exciperet. Ab hoc nimirum & altiores Cæleſtis ſapientiæ radios hauriebat, ab hoc & amoris divini flammas, quibus æſtuabat, ardebatque totus.

Ardorem porrò illum æſtumque colliges ex ultimis illius verbis. In morbo, qui ei extremus fuit, cùm & eodem ægrotare univerſa ferè Conimbrica Civitas videretur; ægrotare & propè noſtri omnes, unus ipſe hilaris, atque animi alacer ingeminabat ſæpiùs illud:

Exſpectans exſpectavi Dominum. Quàm dilecta tabernacula tua Domine, inter quas voces collabente animo, cùm defeciſſet mortuo ſimilis, ſibi deinde redditus, ac cæleſti gaudio delibutus, adjecit: *Non putabam tam ſuave eſſe, tam dulce mori.* Nimirum & ſuavis, & dulcis illi mors eſt, cui in divinis colloquiis, & Orationum deliciis vita ſuavis fuit, ac dulcis.

An. 1617. 25. Sept.

Et quia ea fuit Suario vita inter mortales, ſic & deſiit victurus cum immortalibus.

§. 4.

Vnde fiat ut particulam illam bonæ diei, id eſt horam Orationis, multi elabi ſinant?

E Duobus quaſi fontibus hoc quantum, quantum eſt vitium emanare ſolet, & quidem

Primò ex aliqua Superiorum incuria, qui non invigilant, non attendunt, an ſibi ſubditi & à Deo ſuæ curæ concrediti, horam illam Orationis impendant, non emittunt, qui ſtatis horis viſitet, luſtretque an omnes meditationi & Orationi ex Regulæ præſcripto vacent.

I. Origo hujus mali.

Hinc fit ut nonnulli, qui oculis hominum ſerviunt, ſubinde vel particulam horulæ ſubtrahant, vel totam in pejus prodigant, atque ad alia traducant.

Et hoc quidem depravatæ naturæ vitium eſt, vitium eſt abjectæ in terras animæ: non ſic præcellſæ mentes, quibus ſatis eſt vel unus Dei oculus, vel conſcientia teſtis.

Mirè laudatus olim à Seneca Artifex unus aliquis, qui cum rogaretur, cur eo niſu, ea animi contentione ac diligentia inſudaret in opera ſuæ artis, ad paucos perventura; ſcitè reſpondit: *Satis ſunt mihi pauci, ſatis eſt unus, ſatis eſt nullus.*

Quod unum uſurparent etiamnum viri Religioſi, maximè in ea, qua de agimus, Orationis hora.

Satis ſunt mihi pauci ſatis Angeli vigiles, *ſatis eſt unus*, nempe Deus: Imò *ſatis & nullus*: plus enim ſatis conſcientia ſibi teſtis, judex, & carnifex, quæ tibi aurem vellicat & animum, & quod agis aut damnat, aut probat.

Et hæc de primâ ſcaturigine unde manat id vitii.

Secunda ducitur à ſubditis, eorumque hac in parte negligentia, eaque petitur ex aliis atque aliis capitibus. II. Origo.

Subinde enim fit, ex eo quòd proximis curandis plus æquo vacent, & ſeſe eorum negotiis implicent, dentque ſeipſos totos, quod cum natura, & ratione pugnat: cum natura quidem, *qui enim ſibi nequam, cui bonus?* Certè Natura docet ſui imprimis curam eſſe habendam, deinde proximi: quod & ſuadet Ratio, quæ nos negotiis, & rebus agendis commodare vult, & non tradere.

Ita Sapiens Romanus de ſeipſo hoc ingenuè dicere ſolitus: *Ego quidem ubi cumque ſum, meus ſum: rebus enim meis non me trado; ſed commodo.* Epiſt. 105.

Quod ſi rebus etiam ſuis non ſe tradebat; ſed dumtaxat commodabat: multò minùs id feciſſet alienis; quod ſi nec feciſſet, nec faciat etiam religioſus.

Aliàs id vitii oritur ex nimio quodam ardore ſtudiorum, & impatienti ſcientiarum appetentia, cui cùm ſe committit, & abripi ſinit Religioſus aliquis, Orationi detrahit, quod ſtudiis ſtultè & perperam impendat. III. Origo.

Et ita factum aliquando, cum Iacobo Tirio, natione Scoto. Hic Societati noſtræ additus ex voto ſuo, Romæ primò religioſæ vitæ tyrocinium poſuerat, tum etiam Philoſophicis & Theologicis ſtudiis vacare juſſus, iis ita ſeſe addixit totum, ut & ſtatam meditationi horam, & deſignata conſcientiæ examini tempora, & alias religioſæ mentis exercitationes omitteret, ut totum illud ſpatium ſtudiis impenderet, ratus ſe eâ ratione & proximo, & Societati meliorem operam præſtiturum.

Interea temporis dum vitam agit aridus & exſuccus totus, & in ſpiritu languidus, cœpit vehementiori tentatione concuti, & eò quidem ut periculum jam eſſet, ne & à ſeipſo, & à Societate deficeret; nec enim erat reſiſtendo.

Daniel Bartoli in vit. S. Ignatii l. 1. p. 640.

Et certè qui eſſet cùm à ſpiritali pabulo, id eſt ab oratione vacuus eſſet totus; diceréque ex vero poſſet illud Prophetæ: *Exaruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Panem* dico ſpiritus, qui eſt Oratio, & piæ illius exercitationes.

Hæc dum aguntur, ad Deum ſupplex recurrit, & manus in Cœlum tollit, ut inde opis aliquid adeſſet, ac ſubſidii. Et verò adfuit; ſeſe enim illi viſendum obtulit S. Ignatius, ſed vultu ſevero, & gravi, & oculorum conjectu ad ſeveritatem compoſito, & hæc illi: *Minus litterarum, & plus ſpiritus.* Dixit, & loqui ac videri deſiit; ſed aculeum infixum illi reliquit; & ſimul etiam omnem ex animo moleſtiam ac tentationem deterſit.

Valuit

Valuit oblata viſio, valuit & illud Sancti Patris monitum; inde enim & de illo ſcientiæ ardore plurimum remiſit, & multum addidit ea colendo, ac perficiendo per orationam ſpiritu, & eò quidem, ut alius à ſeipſo totus evaſerit, & in virum magnum abierit, quod probârunt inita in Societate variis in locis miniſteria, & præſertim Romæ cùm in Germaniæ aſſiſtentem electus eſt, ubi deinde piè ſanctèque obiit. Anno 1597.

§. 5.

Qua & qualis Oratio cenſenda ſit eſſe particula bona diei?

FAtendum eſt illud, quod extra litem eſt, alios atque alios ad Deum venire Oratores, & inde etiam aliam atque aliam eſſe apud mortales Orationem, quam aliquando bellè diſtinxeruut cæleſtes Genii, quorum meminiſſe erit è re noſtrâ.

D. Bernardus dum unà cum ſuis ſacrationi vacat pſalmodiæ, vidit ſingulis monachis aſtare ſingulos Angelos, eorum utique Tutelares, qui accuratè notabant, quid quiſque pſalleret: ſed alio atque alio modo, alio atque alio charactere, atque colore.

Henriquez in Faſc. SS. ord. Ciſter. l. 1. diſt. 4. c. 12. Quidam enim ſuorum clientium preces ſcribebant *Auro*. Alii *Argento*. Nonnulli *Atramento*. Aliqui etiam *Aqua*. Quidam denique penitus *nihil*.

Et hæc eò loci, ac temporis fuit ſcripturæ diverſitas, cujus ratio etiam S. Præſuli, Cœlo interprete, reddita, eaque eſt ejuſmodi:

Qui *Auro* ſcribebant, indicabant in illis aureum eſſe, hoc eſt, ardentiſſimum orandi ſtudium, & puram animi & cordis intentionem.

Qui autem *Argento*, minorem quidem fervorem; ſed puram tamen pſallentium mentem, gratumque Innocentiæ candorem.

Qui verò *Atramento*, continuum quidem bonæ voluntatis uſum in pſalmodia; licet non magno pietatis ſenſu guſtúque.

Qui autem *Aqua* ſcribebant, exprimebant eos, qui vel ſomnolentia preſſi, vel è pigritia tardi, vel vanis cogitationibus, & vagæ mentis errore, & à ſe, & à Deo abducti.

Qui denique *nihil* notabant, vel ex hoc arguebant deplorandam eorum ſortem, qui duro & ſaxeo corde, qui timore Dei penitùs vacui, qui ſuæ profeſſionis immemores, prona voluntate, aut ſe ſomno immergebant, aut certè ſi vigilarent, noxiis cogitationibus, atque à Deo & ſuo inſtituto alienis occupabant: in Cœli conſpectu omninò à bonis vacui, & quod longè peſſimum, malis oppleti quàm peſſimè.

Ecce qui ad Deum veniant oratores, & quàm varii, atque inter ſe diſſimiles; & quàm varia ſit Oratio, ideòque quàm vario charactere inſcribatur, referaturque in cæleſtes tabulas.

Vide, Amice Lector, ut ex iis ſis, quorum Oratio *auro* ſcribitur, aut certè ut minùs *argento*.

Hactenus vidimus quomodò orantibus adſint boni Genii: attendamus quî etiam mali dæmones; nam & hi quoque cenſures noſtri ſunt, & noſtra notant, reponuntque in tartareo codice, fuſco illo & nigro, ut aliquando producant in extremo illo & decretorio Judicii die.

S. Roberto, Abbati Ciſtercienſi, viſus aliquando dæmon aſſumpta ad eam ſcenam ruſtici ſpecie. Circuibat ille pſallentium chorum, omneſque explorabat, quâ quiſque modeſtiâ ac reverentiâ Deo accineret; & cùm inde nihil ſperaret lucri, abibat indignabundus ad chorum fratrum converſorum, & cùm in eo nonnullos adverteret ſomno graves, & inerti deſidia, totus abibat in cachinnos: nimirum malo genio inertia in oratione, ſeges eſt gaudii; imò & anſa tripudii: Cùm enim alios notaſſet noxiis cogitationibus occupatos, applaudere viſus eſt, & tripudiare; inde etiam abire ad Novitios, ſi fortè inter illos quis intorpeſceret in precibus.

Hos inter juvenem reperit, qui fugam meditabatur, & à ſua vocatione defectionem, & hunc fuſcinula apprehenſum, viſus eſt abjicere in ſportam quam geſtabat à tergo, & ſic effugere.

Objectæ viſioni reſpondit eventus, die quippe proximè ſequenti, effugit novitius ille, qui deinde ex decucullato monacho factus eſt inſignis prædo, & denique captus, capitéque minutus. Tanti refert, quînam, aut qualis ad Deum venias orator, & quam cœlo teſte ac judice fundas orationem; ab hac enim & omnis boni fons, & ſimul etiam omnis mali, prout bona, aut mala fuerit oratio. Ut ergo bona ſit.

Primò ne vaga ſit, ne abeat à ſeipſa inutili per creaturas peregrinatione, & cogitationum quaſi tumultu, atque inter ſe pugna. *Sæpè bona cùm eſt in ſe, non eſt ſecum*, inquiebat D. Chryſoſtomus: *Serm. 1.* & ita ſecum non ſunt mali illi oratores, ad alia diſtracti, atque abducti.

Secundò, *ne ſis duplex in oratione tuâ*, ut præcipit *L. 7. c. 11.* Apoſtolica conſtitutio apud Clementem. Eris autem duplex, ſi una pars cogitationum Deo detur, altera rebus aliis ab eo alienis.

Tertiò, ne ſit *nutabunda*, & *quodammodò ebria*, ut monet Caſſianus. Ebrius ab affuſo vino, & nimia ſpirituum in cerebro exundantia nutat, ceſpitat, & in tranſverſum agitur, nec ullo fixus hæret veſtigio: ſic & *ebria* oratio, quæ ita nutat, nec ulli affixa hæret.

Quartò, ſit *accenſa*, & *ardens* à Dei amore, ſit cordialis tota. Ea fuit Davidis oratio, cùm ſic de ſeipſo: *Invenit ſervus tuus tunc cor ſuum, ut oraret te oratione hac.* *2. Reg. 7. v. 27.* Invenit, inquit D. Auguſtinus, quaſi ſoleret aliàs *ab illo fugere, & ille ſequi fugitivum.*

Et ſic ſequaris oportet, & ſiſtas affectu pio, atque ardente. Et ita ſtitit Religioſus ille è D. Bernardi familia, è cujus ore dum præcineret Ambroſianum illud: *Te Deum laudamus*, viſa eſt erumpere flamma miri ſplendoris, quæ & recto tramite in Cœlos aſcenderet. *Henriquez ſupra lib. diſt. 4. c. 12.* Et ea quoque ſit oratio tua, ſit è cœleſti ardore flamma; ſit etiam ex ardore lux aurea, lux ſplendida, ſit ea quæ in cœlos aſcendat, nec in terras unquam deſcendat, inutili & noxia per creaturas evagatione.

Quintò, ſit *ſimplex & humilis*; nec grandiore verborum elata ſono, nec affectatæ orationis fuco illita, nec animi tumore erecta: ſed demiſſa, & candida.

Ea fuit Converſi alicujus ex familiâ Carthuſienſi, cui vix tantillum fuit memoriæ, ut præter *Pater*, & *Ave Maria*, vix addiſcere, vix retinere potuerit illud Pſalmi quinquageſimi: *Miſerere mei Deus*; dicebat enim *Miſerere tui Deus.* *A brevit. Carthuſ. l. 5. c. 11.*

Et hæc orantis ſimplicitas, hic candor animi, ita Deo placuit, ut ejus cellula repleretur tam ſuavi, tam fœcundo odore, ut & vicina loca, & tranſeuntes imbueret, mireque recrearet.

Prior demiratus cœleſtis illius odoris fragrantiam, ex eo cauſam quæſivit, & audiit, neſcire ſe aliam, niſi quod ſæpè ſæpiùs repeteret illud: *Miſerere tui Deus.* Priore autem monente ut diceret, *Miſerere mei Deus*, eoque in hoc illi obtemperante, illicò evanuit ille odor: quod ut perſenſit Prior, juſſit enim de more ingeminare illud: *Miſerere tui Deus.*

Paruit bonus frater, & orantis ſimplicitati redditus è cœlo odor, adeò grata ad Superum aures appellebat ea orationis ſimplicitas. Cui affinis & illa, quam effert ejuſdem Ordinis chronicon. *Cap 12.*

Fuit è fratribus Converſis alius & ipſe miræ ſimplicitatis, qui cùm præter ſolitum ſentiret in oratione magnam ariditatem, ſic ingenuè ad Chriſtum Virginis filium:

Tu,

Tu, ô bone IESV, abſtuliſti mihi hanc gratiam, niſi reſtitueris, ibo ſtatim, & conquerar de te apud matrem tuam.

Mirum dictu, verum tamen; mox, ac ſi querelas illas veritus fuiſſet Chriſtus, conſolationem ſolitam, & in orantis ore, animoque ſuavitatem reddidit etiam cum ingenti fœnore: Viſus enim deinceps in oratione, præ dulcedine, & cœleſtium ſapore, totus colliqueſcere. Adeò grata, acceptaque Deo ea orantis vel humilitas, vel etiam ſimplicitas.

§. 6.

Particula bonæ diei Laicis eſt SS. Euchariſtiæ perceptio.

HOc ſuprà inſinuavimus ex opinione P. Balthaſaris Alvarez, probandum hoc paragrapho ſuſcipiemus, & quidem more noſtro perpaucis. Eſſe autem *particulam diei bonæ*; imò quàm optimæ, liquet ex tribus capitibus.

Primò, ex eo quòd in eâ actione, quæ vulgò *Communio* dicitur, & *Miſſa*, percipiatur ipſe Chriſtus, hoc eſt mundi Salvator, & ſalus.

Secundò, Deus ipſe ter Opt. ter Max. & inde

Tertiò, fons omnis boni; imò & bonum omne.

D. Thomas tria eſſe cenſet, quibus meliùs, & excellentiùs, ne Deus ipſe, ne Omnipotens quidem facere poſſit. Ea ſunt ſacroſancta Chriſti Humanitas unita Verbo Divino. Dei maternitas, quæ eſt in Virgine. & lumen gloriæ, quod eſt in Beatis, & quo divina eſſentia attingitur, & quodammodo penetratur. At Chriſti humanitas, & ore primùm, dein & pectore, & illius intimis penetralibus, in Euchariſtiâ excipitur: qua quid ſanctius? quid excellentius?

Excipitur, inquam, Chriſti corpus, quod in ea eſt vi verborum, quæ ad aras profert ſacratior myſtes. Corpus, inquam, quod eſt veluti *theca* magnæ mentis, & *domicilium* beatæ illius Animæ, ac *diverſorium*, quod illa dignum metatur Deus.

Corpus dico, cujus Architectus, nec homo eſt, nec natura omnium fœcunda parens: ſed ipſe Spiritus Sanctus, qui in divinis Amor eſt, & qui corpus illud è Virgine, & in Virgine finxit veluti princeps Amoris opus. Et hoc ab homine ſumitur in illa bonæ diei particula, quæ *Communio* dicitur.

Sumitur & grandis *Anima*, quæ corpori comes eſt, & illa quidem ab omnibus gratiæ ornamentis illuſtris, & à lumine gloriæ jam beata; adeoque ea, cui nec par in terris, nec in cœlis; ea dignitate, ea majeſtate, eo decore conſpicua, quæ vel ſolo aſpectu propè beare poteſt.

Sumitur & *Verbum Divinum*, & Corpori & Animæ Chriſti hypoſtaticè unitum; adeòque eſſentia divina, imò & tota quanta quanta eſt Sanctiſſima *Trinitas* per quandam concomitantiam, & arctiſſimam veluti unionem, adeoque ſumitur omne bonum.

Quod ipſum aliquando cæleſti voce audiit B.
In ejus vita Angela De Fulginio; Cùm enim ad ſacram Synaxim accederet, hæc ipſa à Servatore quàm optimo verba excepit:

O dilecta mihi filia, veniſti jam acceptura bonum omne imaginabile. Dixit, & in ipſa ſacratiore Ara ſeipſe viſendum exhibuit, eo decore, eâ pulchritudine, cui nulla par in terris, nulla & in cœlis; tum adjecit felix & fortunatum illud: *O mihi in paucis dilecta! ſic mecum eris in paradiſo, ſic & in totâ æternitate.*

Dixit, & apparere & loqui deſiit, non deſiit tamen in B. Angela, & guſtus illius cœleſtis epuli ſuaviſſimus, & mira amoris ſuavitas, & gaudii illius perennitas, quo eâ loci, ac temporis perfuſa, & deinceps etiam in omni vita; maximè verò quoties ad ſacratiorem illam menſam accederet, eo quippe Amoris æſtu, eo exceſſu gaudii æſtuabat, & geſtiebat tota, ut non jam in terris, ſed in cælis eſſe videretur, adeòque in ipſo ſinu beatitatis. Tanti refert qui ad eam Chriſti menſam acceſſeris, qui particulam illam bonæ diei impenderis.

Fuit è Societate noſtra Ioannes Brionius, coadjutor temporalis, ut dicimus, hic in omni vita optimam illam diei bonæ particulam ſedulò ſervare ſolitus; at vel maximè in ultima illius periodo: cùm enim illi jam ad mortem properanti ſacrum viaticum detuliſſet Collegii Rector, & ſolita illa ſacraque verba protuliſſet: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata* *Hiſtor. Societ. p. 4. l. 8. n. 206.*
mundi. Derepentè omni ſenſu deſtitutus, & extaſim paſſus eſt, & eâ quidem ut ad aſtantes iſta Rector.

Fidelis hic Dei ſervus ſpiritali communione abundè refectus eſt, cum Deo ſuo, cui unitus, in quo & abſorptus quàm maximè, eum relinquamus, & diviniorem hoſtiam in Sacrarium referamus. Dixit, & retulit.

Verum cùm ſibi ab illa extaſi (quæ ferè diem tenuerat) redditus eſſet pius frater, Rectorem ſuum urgere cœpit, & inſtantiùs rogare, ut *Deum ſuum, amores ſuos, delitias ſuas* (ſic enim eum appellabat) illicò ad ſe referret.

Ivit porrò, retulit, dedit, & paulò poſt eidem Domino felicem, atque mirè æſtuantem animam reddidit, æternis cum illo in Cœli Regia delitiis fruituram.

Hæ nimirùm ex quodam cœleſtis gratiæ debito conceſſæ illi, qui eam diei bonæ particulam ritè ſemper expenderat.

Particulam appello, tum eam, quæ eſt in ipſa (ut loquimur) *Communione*; tum etiam illam, quæ datur & fluit ab ipſa *Communione*; potiſſimùm autem illam, quæ Chriſtum tamdiu retinet, quamdiu durant ſpecies in ſtomachum jam demiſſæ.

Fatendum enim eam *particulam diei* & horulæ eſſe quàm optimam; quia (ut opinantur Theologi non infimi ſubſellii) quamdiu durant ipſæ ſpecies, durat & Sacramentum, quod etiam gratiam operatur *ex opere operato* (ut loquuntur Scholaſtici) & hinc optima, & ſacratiſſima illa temporis particula debet omni diligentia, omnique animi contentione impendi, & quidem

Primùm ea, quæ adhibetur in ipſa *Communione*, ad quam multum conducet ardens illius deſiderium, ac veluti appetentia, famesque cibi illius ſacratioris; qualis ferè eſſe ſolet in famelicis.

Ea fuit in D. Bonaventura, Doctore Seraphico, qui in extremâ, quæ illum tenuit ægritudine, cùm *Wadingus in Annal. Min. Anno 1274.*
non poſſet propter exſilientis ſtomachi nauſeam cœleſti eo pabulo refici, id ſaltem ſummis votis expetiit, atque impetravit, ut ſacrum Ciborium pectori admoveretur, atque apprimeretur, quàm arctiſſimè, ut ſic cordi propior ei eſſet in Euchariſtia Salvator optimus; & verò propior fuit: erumpens enim è ſacro vaſe hoſtia, Amoris miraculo, Amoris & prodigio, cor illud amantis, & mirum quantum amantis, pervaſit illicò ac penetravit, nullo tamen ſui relicto veſtigio.

Quod illi: hoc & B. Iulianæ, Virgini Florentinæ. Hæc in ultima ægritudine cùm non poſſet ſacro *Annales Servitarum.*
Viatico refici, quod tamen optabat quàm maximè, petiit primò, ut ciborium inferretur in ſuam cellulam. Deinde ut ſibi pectus, qua parte cor obtegit, elueretur probè, quod & factum à religioſis ſororibus, tum etiam ut linteo mundiore obtegetur, atque etiam corporali. Denique ut in hoc etiam ſacra deponeretur hoſtia: quæ omnia cùm eſſent data ardenti illius in ſacratiorem Euchariſtiam deſiderio; mirum dictu, viſuque! facies illius viſa primùm Angelica quaſi ſpecie, ſedebat nimirum in vultu pietas, ſedebat & divinus amor, quo tandem victa illius anima exceſſit è corpore: at ubi ſacratior hoſtia?

ſtia? nullibi deinde viſa, reperta nullibi. Credibile eſt miraculo Virginis pectus, Virginis & cor petvaſiſſe.

Hoc nimirum conceſſum eſt illius amori, illius & deſiderio: quod ſubjicio religioni ac pietati Scholaſticorum & Coadjutorum Societatis JESU, quos S. Tereſia dum ſacro illi epulo aſſiſtere videt, vidit & illud, beatos è Cœlo genios, ſuper eorum capita conopæum auro, & gemmis illuſtre obtendentes, ut & Domini, quem exciperent honori velificari viderentur, & ſimul etiam religioſæ eorum in Venerabile Sacramentum obſervantiæ, ac devotioni, quacum particulam illam bonæ diei inſumebant.

Quod & ſedulò feciſſe viſus B. Aloyſius Gonzaga, qui hebdomadam omnem ita ſibi in hanc pietatem deſcripſerat, ut tres proximos à Dominico dies (quos dies *Gratiæ* appellabat) daret agendis Deo gratiis, pro tanto beneficio: tres deinde alios conſequentes, animo novis illis epulis præparando: ita illi hebdomada abibat tota, ut & rectè abiret particula illa diei bonæ: ut & tibi ſic abeat, Amice Lector, age, ad ſacram Synaxim accede viva fide, ſpe ardua, charitate ardenti, ſubmiſſione humili, ut qui Regem Regum in animæ tuæ diverſorio, veriùs tuguriolo excepturus ſis. Digna Poſtens, digna & Auſtriaca fide illa Ferdinandi II. Bohemiæ Regis pietas.

Rho Hiſt. virt. Hic dum avia in ſylva venatur, nolam audit, indicem utique diviniſſimæ hoſtiæ, quæ ad ædes ruſtici moribundi à ſacerdote deferebatur. Nec mora, per obſtantia quæque, per ſpinas, & dumeta equum adigens, ſacerdotem libero tandem campo aſſequitur, & mox equo deſiliens comitari pergit, ut vel inde Auſtriacum eſſe diceres. Venitur ad decumbentis mapale, omnia ritè peraguntur. Tum Sacerdos, ut ægro animos adderet,

Macte, inquit, *meliori ſpe, duos hodie Reges domo excepiſti. Regum omnium Regem, Chriſtum Dominum; & hunc Ferdinandum Bohemiæ Regem.* Hic, ut integrâ eſſet Auſtriaca religio, id eſt regia, aurum ruſtico liberaliter largitus eſt.

Habes in hoc, Benevole Lector, quem in ſacratiore Synaxi excipias, & Cœlorum Regem, & Regum Regem: excipe animo Chriſtiano, id eſt regio, fide regia, charitate regia, & eris, re etiam ipſa, qui es nomine, Chriſtianus.

§. 7.

Particula bonæ diei, Sacerdotibus eſt SS. Miſſæ Sacrificium.

IN hoc Sacrificio, cui nihil in terris, nihil in Cœlis par eſt, aliqua ſunt velut illius præambula, cujuſmodi ſunt ea, quæ in primo illius quaſi limine dicimus, & *Introitum* appellamus, tum etiam *Epiſtola*, è ſacris Scriptoribus deſumpta: tum *Evangelium*. Ab hoc, & illis aſcenditur ad victimæ, id eſt *panis*, & *vini oblationem*, quæ fit Immortali Deo, tum ad hujus, & illius *conſecrationem*, quæ fit pauculis verbis; ſed *practicis*, hoc eſt, quæ operentur id omne, quod ſignificant. Deoique ad *conſumptionem* victimæ, hoc eſt *Corporis*, *& Sanguinis Chriſti ſumptionem*, quæ fit ſub ſpeciebus panis, & vini.

In quo porrò horum trium poſitum ſit Miſſæ Sacrificium, hic non diſputo; ſunt qui velint in tribus illis, ſunt qui in una *Conſecratione*, cui opinioni in præſentia adhærebo; facit enim vel maximè ad illud, quod mihi propoſui, hoc eſt, ad *particulam illam diei bonæ*.

Verè enim particula illa temporis, particula horulæ, quæ fluit dum pronuntiantur ſacratiora illa verba, particula eſt diei quàm optimæ, particula pretioſa, auguſta, cœleſtis, divina, cui parem nec habet orbis hic ſublunaris, nec Sol videt, nec ipſa Cœli regia parit, nec ipſæ ferunt Cœlorum Intelligentiæ; nec ulla vis, aut poteſtas creata, ſi ſacerdotem exceperis.

Cede mihi Principes, Reges, Cæſares, & quæ habet hic mundus aſpectabilis Coronata Capita, ſub quibus & terra tremit, gemitque. Nemo vestrum omnium poteſt quod ſacerdos vel unicus in illa bonæ diei particula.

Cede & Beatos omnes in cæleſti Regia principes, cede & Angelos, puros illos ſpiritus & ſupernis Orbis Virtutes, Dominationes, ac Poteſtates, neque ex his vel unus aliquis id emolietur, quod vel unus ſacerdos in illa bonæ diei particula.

Nemo, inquam, aut Chriſti corpus ſub panis ſpecie, aut ejuſdem ſanguinem ſub ipſa etiam vini ſpecie ſiſtet, nemo, præcelſam Chriſti animam, nemo illius Divinitatem ſiſtet; verbo uno Deum nemo ſiſtet, quod tamen paucis voculis facit Sacerdos, & quidem quot diebus, quoties ſcilicet ſacris Aris ſacrificaturus aſſiſtit.

Die Natalis Domini ter in Miſſis Deum ſiſtit ex Eccleſiæ bonæ matris indulgentia, quæ ter incruentum illud ſacrificium Deo offerri patitur. Quod & olim factitatum in die magno Joannis Baptiſtæ Natali.

Quod & ſæpiùs à Leone hujus nominis III. qui quoties Eccleſiæ ſibi commiſſæ tempeſtas ingruebat, ſepties in die, ſubinde & novies placando Numini Sacrificium illud offerebat. & rectè; nulla enim Cœlo gratior hoſtia, nulla terris utilior; valet enim & placando irato Numini, valet & pellendis è corpore morbis, ex animo vitiis, valet & domandis inferis.

Laudavit Antiquitas, & ſtupuit à S. Anſelmo ad Aras Deo litante, à morbo graviore, ac diuturno liberatum Angliæ principem.

A S. Launomaro Abbate erectum eſſe claudum.

A S. Petro Tarentino fœminam maleficiis exemptam.

Ab aliis pulſos ex humanis corporibus, velut ex hoſpitiis malè uſurpatis, dæmones, erebi principes.

Hæc, inquam, aliaque his affinia & laudavit & ſtupuit Antiquitas, & laudaret & ſtuperet ætas hæc noſtra. At quænam illa ſi componantur cum eo, quod in ſacratiore Miſſa Sacerdos? qui, ut dixi, Deum ſiſtit cùm lubet, & immenſum Numen cœlis ipſis contineri neſcium, intra modicum hoſtiæ circulum quodammodò coarctat ac ſtringit; & hoc pauculis voculis, dumtaxat quinque, in illa bonæ diei, id eſt Sacrificii particula. An non igitur illa pretioſa, cæleſtis, divina? Enimverò & pretioſa, & cæleſtis, & divina, atque ejuſmodi, quâ majorem ne Deus ipſe, ne Omnipotens vel homini vel Angelo conferre poſſit: imò quâ nec ipſe auguſtiorem facere, aut moliri; cùm enim infinita ſit, & Omnipotentiam, quæ & ipſa infinita eſt, exæquat, & quodammodò exhaurit.

An non igitur jure meritiſſimo *bonæ diei Particula*? Enimverò *Particula*, quæ annos & ſæcula vincat, quæ & ipſam ſuperet æternitatem, & à qua ſacro myſtæ ea accedit poteſtas, ea dignitas, ea majeſtas, quæ purpuras & diademata vincit, & quæ ſuperas omnes virtutes, ac poteſtates longis poſt ſe relinquit intervallis, ut mirum non ſit eos illi terrâ teſte, cœloque judice, delatos olim honores.

Certè ſi Angelum è Superum curiâ lapſum vidiſſet Franciſcus Aſſiſius, & ſi in eodem veſtigio Sacerdotem; veniſſet priùs ad oſcula manuum Sacerdotis, quàm Angeli. Hunc nimirum vincit ille, ſi minùs natura; at certè officio, dignitate, poteſtate. At unde vincit? utique à *Particula illa diei bonæ*. Quâ, qui ſe privant, næ illi & in ſeipſos, & in mundum univerſum, & in cœlos ipſos injurii ſunt.

B. Alano De Rupe, Ordinis S. Dominici, ex reverentia & ſcrupulis aliquamdiu ab hoc ſacrificio abſtinenti, hæc Chriſtus:

Celebrantes, bona optima, & infinita Orbi univerſo diſtribuentes adminiſtrant: & abſtinentes diſpendium faciunt toti Eccleſiæ, operatione divinorum illi ſubtracta.

In Pſalterio Chriſti & Mariæ, c. 26.

Tum rationem adjicit: *Quia ad aram Sacerdotes per me operantur, & ego ſum qui operor in eis.*

Denique addit quibus & quantis bonis & terram, & cœlos privent. Sic enim ad illum:

Privant Deum gloria, me potentia, ac voto: Matrem meam materna dignitate: Angelos honore, Sanctos lætitia, auxilio militantes, defunctos redemptione, infirmos medicinâ, ignorantes ſcientiâ, alimoniâ eſurientes, pauperes diviniis, ſuo mundum Rege, & univerſa ſuo privant Servatore. Hæc illi Chriſtus: ut animos faceret ad audendum, & ad aras ſacratiores, ad quas etiam ipſa Dei mater ſervum olim ſuum invitaſſe viſa.

B. Eliſabethæ De Schovangia oranti pro quodam Diacono, qui præ metu ſacratiore, ac reverentiâ, non audebat gradum facere ad ſacerdotium, dixit ipſa Dei mater:

Lib. Revel. 2. cap. 35.

Dic ſervo meo, fac quod facturus es, & redde rationem de ſervitio, quod mihi facere debueras, hec feciſti.

Duo hîc urget, exigitque Deipara. Primùm, ut quàm citiſſimè faciat, quod aliquando facturus eſt.

Dein rationem expoſcit, & quidem ſeveram, quod hactenus non fecerit, quod ſibi non reddiderit id obſequii, quod particulam illam bonæ diei toties elabi, toties præteriri ſit paſſus.

Ex quo conficies, Amice Lector, quanti eam fecerit, & etiamnum faciat Diva Mater, quantum & Chriſtus ipſe; ut & tu tantum facere diſcas.

§. 8.

Particulam illam bonæ diei, id eſt Sacram Communionem quanti fecerint gratæ Superis Animæ? Quanti Angeli? Quanti & Chriſtus ipſe?

PRimum in aperto erit ex ſpecioſis honoris titulis, quibus eam veluti totidem coloribus depinxerunt DD. Patres, & ipſa Vatum oracula.

Pſalm. 77. v. 25.

David, ore calamoque prophetico, quo futura poſt ſeros ſoles, & longa ſæcula prævidebat, Poſterisque nuntiabat, *Panem* eſſe dixit *Angelorum*; ſic enim aliquando: *Panem Angelorum manducavit homo.*

D. Hieronymus ex Hebræo vertit: *Panem fortium comedit vir*; ex vero enim panis eſt fortium, quia fortes, & viros efficit, & qui ad hanc menſam veluti parvi pueri acceſſerint, qui delicata molline effæminati, ex ea redeunt viri, & quidem viri virtutis qui etiam carnis cœno merſi, & veluti ſues in volutabro luti, ex ea revertuntur Angeli, hoc eſt; quaſi corporis, & carneæ molis, ac contagionis expertes, & puri ſpiritus, ex quadam imitatione virtutis.

De Eccleſ. Hierarch. c. 1.

D. Dionyſius Ab Areopago, Communionem *epulum* appellabat, & *Convivium*, quod mentem aleret, & Deum efficeret, non natura (quod eſt adynaton) ſed quadam veluti Divinitatis communione, ac participatione, de quâ ſic altiore ſtylo Tertullianus: *Caro, corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur, ut anima Deo ſaginetur.*

De Reſurr. c. 8.

D. Ignatius, invictus Chriſti pugil, Euchariſtiam vocabat *Pharmacum immortalitatis, purgationem, amuletum.*

Quo ſpectavit & illud Tertulliani, qui eandem Euchariſtiam, *medicam* appellavit, quod malorum omnium medicinam in ea Deus conſtituiſſe videatur.

D. Hieronymus, aliique Patres ex ſolemni Zachariæ vaticinio, Euchariſtiam dicebant eſſe *Frumentum electorum*, quòd eo veſcerentur ad cœli gaudia, cœli delitias, à Deo electi.

Quod & divinè advertit, ac pronuntiavit D. Hilarius, cujus & hoc effatum: *Per illum cibum, & in præſens ſalvamur, & ad Dei conſortium præparamur.* *In Pſal. 64.*

Quod ipſum (pro ea qua erat divinorum ſecretorum intelligentia, ad ea ſcilicet à Deo ſæpiùs admiſſus) pronuntiavit D. Chryſoſtomus, qui eos, qui pura conſcientia ad Euchariſtiam acceſſiſſent, ajebat, cùm ab hac vitæ ſtatione excederent, ab Angelis *ſatellitum more ſtipantibus*, rectà abduci in Cœlum, & divinâ quadam pompâ honorari. *L. 2. de Sacerd. c. 4.*

Et certè quidni ſic abducantur in Cœli regiam; quidni & gloria coronentur; qui jam etiam in terris, & Euchariſtia quaſi ſcuto fuêre tecti, & eâdem quaſi diademate coronati?

Ne mireris, Amice Lector, quod & hoſtiam diviniorem, *Scutum* appellem, appellem & *Coronam.* Profectò, & in hac vitæ mortalis militia, *ſcutum* eſt, quo hoſtium tela excipias, eludas, fallas: & ſimul etiam *corona*, quâ jam victor, coroneris: ſic enim eam appellandam cenſuit Arnobius, etiam ex illo Vatis Regii: *Scuto circumdabit te.* *In Pſal. 90.*

Scuto, inquit, *Corporis Chriſti*, quo & defendimur, & coronamur, antiquo ſcilicet more, rituque, quo victores eodem, quo ſe texerant ſcuto, coronabantur. Quo enim potiùs?

D. Bernardo, Claravallenſi Abbati, monachus fuit, qui mali dæmonis invidia, doloque eò adductus eſt, ut nec ſacro Chriſti corpore refici vellet; imò nec quod fidei erat crederet. Quid hic pius Præſul? pro filii ſalute, & pro illius animulâ mirè ſollicitus, exclamat amantis illud, & dolentis: *Quid? Monachus meus in infernum deſcenderet? abſit.* Tum illi, *Si tu fidem non habes, per virtutem obedientiæ, præcipio tibi, vade, communica, fide mea.* *Henriquez in Faſc. SS. Ordin. Ciſt. l. 1. diſt. 40 c. 8.*

Paret monachus, vadit, & communicat, & ecce illi à ſacra Communione, & amœna fidei lux affulget, & ardor quidam entheus, & gratiæ datur palma, & inde etiam gloriæ corona. Adeò verum eſt Euchariſtiam eſſe pro *ſcuto*

Addo ego, & pro aſylo, ac refugio in rebus deſperatis. Exemplo erit *Maximilianus I.* Imperator. Hic cùm eſſet Oeniponti, exceſſit in ardua montium Lincium, Damarum, & Sylveſtrium caprarum venationem, cui dum inſiſtit ardentiùs, atque incautiùs, linx elabitur, & ſeſe præcipitem agit è vertice rupis.

Hic Princeps primò dolere è manibus ereptam eſſe prædam: dein & ſtupere magis, atque horrere, evaſiſſe ſe in altiſſimæ rupis apicem; è quo non daretur referre gradum ſine evidenti lapſus, vitæque periculo. Hæſit in eo rupis apice ad dies noctesque duas non ſine ſtupore, horrore, dolore, penitus inops conſilii, uti & auxilii; dum interim & aula univerſa, & populus frequens ad ima rupium, ſuum ſpectat principem, nec, ut velit, eripere periculo poteſt, & ſubducere ab imminenti præcipitio. Quid igitur in illa deſperatione conſilii? Quid & remedii. Cœlum ſuſpicit, Cœlum invocat pius Princeps, & dum ſubjectam turbam deſpicit, Eleëmoſynarium ſuum evocat, jubetque, ut Venerabile deferri curet, unicum ſibi & Auſtriacæ domus aſylum, atque in rebus depoſitis perfugium; quod ſaltem oculis percipere poſſit, ſi minus re etiam ipſa. *Stephanus Pychius in Hercule.*

Paret Eleëmoſynarius, Clerum convocat, affertur Venerabile, atque ad ima rupis ſiſtitur: quod ubi in conſpectum venit, ſupplex accidit *Maximilianus*, atque in genua provolutus Chriſtum adorat. Mirum dictu, viſuque! ſupplicem Cœlum audit: dum enim ſuis extremum valedicit Princeps, ecce derepente ſtrepitum audit, hominem videt veſte ruſtica, atque agreſti, qui ſumma rupium com-

planas,

planat, manum præbet, viam facit per abruptos colles, perque dumeta, ac tandem edurit in planitiem; ſecurumque ſibi ac ſuis reddit, & mox videri deſinit, illius utique (ut piè creditur) bonus genius, & cuſtos Angelus, qui illud beneficii dedit optimo Principi pro ſua in Euchariſtiâ veneratione.

Ut tanti beneficii memoria iret ad poſteros, Imperator *Maximilianus*, in eodem rupis cacumine grande Crucifici ſimulacrum erigi curavit, dicitur illud altum ad pedes omninò quadraginta, quod tamen ex imo montis deſpicientibus, vix apparet cubitale: utque ad illud pateret via, & pia quædam peregrinatio, ingenti molimine, rupium cacumina exſcindi juſſit, atque complanari.

Bid. ul in Triumpho Chriſt. 12. Ian

Hæc hiſtoria, qualis qualis demum eſt, ſcripta dicitur ab ipſomet Imperatore, & relata in tabulas diurnas, ut major eſſet fides, quæ ſanè ſi detur, dabitur & factum illud, ſubmiſſa ſcilicet Auſtriaca, ac verè Catholica erga Euchariſtiam fides, pietas, atque veneratio.

Vidimus, quo apud SS. Patres & Heroes in pretio fuerit ſacra Communio: ſpectemus, quo etiam apud Sanctos jam Cœlis additos, quo apud Angelos, beatos illos ſpiritus, quo denique apud ipſummet Chriſtum, generis noſtri Servatorem. Spectabimus autem, & vel ex eo metiemur, quod ipſimet eam miniſtrarint: adeò Superis gratum illud miniſterium, adeò grata & Communio.

Bollandus 23. Ian in ejus vita c. 34.

B. Ivettæ Recluſæ, ſacram Synaxim negârat Sacerdos, & malè. Quid illa? Cœlum ſupplex fatigat, Superos inclamat. Quid deinde? ex lacrymis, & dolore jam conſopitæ apparet S. Joannes Evangeliſta, à ſomno excitat, ducit in Eccleſiam, ad quam illi è cellula dabatur aditus, & ſacrâ communione reficit: adeò etiam Beatis in veneratione eſt illa.

2. Januar. in vita S. Macarii c. 2.

S. Macarius, Alexandrinus Abbas, vir notæ ſanctitatis, ſacram Communionem cæteris fratribus diſtribuere ſolitus; at S. Marco Eremitæ, qui & ipſe adeſſe ſolitus, non dabat Macarius: ſed ei ex ipſa ara deferebat Angelus, ſpectante, & ſtupente ſolo Macario. Datum nimirum illud & Marci ſanctitati, & Angelorum ergà SS Euchariſtiam venerationi.

S. Brigida Virgo, quæ audiit ævi ſui Taumaturga, ipſo die Paſchæ, die ſolemni, die benè ominato, optabat quàm maximè ſacrum Chriſti Corpus excipere de manu S. Brandani, viri tum probatæ ſanctitatis, imò ex quodam æſtu, ſeu deſiderii, ſeu etiam pietatis illud ipſum voverat. Voto Cœlum annuit, & S. Brandanus cœli monitu, atque è ſuo ſacrificio ſacratiorem hoſtiam per Angelum ei tranſmiſit. Ita & Sanctæ illius voto obſecundare viſus Angelus, & ſimul S. Bradani abſentia, ac longè diſſiti, vires ſupplere: adeò & ſacri Ordinis obſervantes Angeli, & Euchariſtiæ miniſtrandæ peramentes.

1. Febr. in ejus vita §. 12.

27. Januar. in ejus vita c. 12.

Quæ S. Brigidæ gratia à bono Angelo, eadem & ſæpiùs B. Veronicæ de Binaſco, Virgini longè ſanctiſſimæ. Pro eo, quo erat in SS. Euchariſtiam affectu, mirè deſiderabat eam ſæpiùs excipere, ac præſertim feriis Infra octavas Corporis Chriſti, abſtinebat tamen, ne etiam in eo ſingularis eſſe videretur, & præter ordinem, moremque ſui inſtituti facere.

Grata Deo & Angelis ea ſtatutæ legis obſervantia: at gratius Euchariſtiæ percipiendæ votum, cui dum indulget, hanc ſenſit ad aures allabi vocem: *Surge, filia, accipe diviniſſimum Sacramentum, quo te donavit Deus*: tum cæleſti luce circumfuſum Angelum dextra Chriſti corpus tenêtem vidit, & ab eo reverenter accepit, tum diſceſſit à ſêſibus, & animo tota in ſidereas ſedes evolavit, ut ſe Chriſto Amori ſuo ſiſteret.

Qui illis ab Angelis favor, idem & B. Staniſlao à Koska, è Societate JESU. Jacebat hic affixus lectulo, & à periculosâ ægritudine propè ad extrema deductus, atque à medicis jam depoſitus, veritus ne ſine ſacro viatico decederet (erat enim ipſius hoſpes hæreticus) ad S. Barbaræ præſidium confugit, ſolitum in ſimili malo perfugium: nec illa clienti ſuo defuit; mox enim nocte cubiculum ſubingreſſa, comitantibus duobus Angelis, à quibus SS. Euchariſtiam accepit.

Aderat fortè ipſius pædagogus, quē etiam monuit Staniſlaus, ut Chriſtu advētanti honorem exhiberet. *In ejus vita.*

Et hæc prima illi ab Angelis gratia, cui deinde acceſſit & altera illi affinis: cùm enim Viennâ Auguſtam tenderet, & quidem pedes mutato habitu, à Fratre ſcilicet (à quo malè habebatur) profugus; fortè deflexit in templum, quod catholicum credidit, ubi porrò vidit eſſe profanum hæreticorum fanum, indoluit enimverò vel maximè, Deumque ſupplex rogavit, ne ſe de via jam laſſum, fractumque privari ſineret cæleſti viatico.

Supplicem audit Deus, & rurſum è Cœli regia Angelum demiſit, qui eum divino illo pabulo refecit, recreavitque; adeò expediti cæleſtes illi Genii, cùm de miniſtranda clientibus ſuis ſacra Synaxi occaſio inciderit; adeò etiam illius reverentes, atque officioſi. Eorum porrò & reverentiam & officium ex eo etiam colliges, quòd ſacrâ Synaxi reficiendis adſint ipſi, eaque ſubminiſtrent, quæ ad illam excipiendam vel neceſſitati ſerviunt, vel etiam cultui, & honori. Duobus id exemplis probatum volo: unum dedit Antiquitas, alterum vidit Ætas noſtra.

Bollandus 15. Januar. in eorum vita c. 2.

Sub Adriano Imperatore, veriùs Tyranno, detinebantur in arcto carcere SS. Fauſtinus, & Jovita, Heroës inclyti, qui ex illo, Angelo duce, adducti ſunt ad S. Appollonium Epiſcopum, ab eoque ſacris initiati; Fauſtinus quidem Presbyter ordinatus, Jovita verò Diaconus: tum etiam eò loci, ac temporis, ſacratiore Baptiſmi fonte eluti è populo Brixienſi, & locis adjacentibus, ad duodecim millia, tum etiam iidem ſacrâ Communione refecti, ſed cùm in illâ ſolitudine, apertoque campo deeſſent ad id officii omnia; mirum dictu, viſuque, ad S. Appollonii, & SS. Fauſtini ac Jovitæ orationem, & altare extructum illicò, & delata ſyndon nivei candoris, & accenſa quatuor ingentia luminaria, quæ ſacrificio prælucerent, & noctis fugarent tenebras, & cæleſti epulo ſatiandos juvarent, & hoc omne Angelorum miniſterio: adeò officioſi ſunt illi, atque expediti ad diviniorem illam menſam accedere geſtientibus.

Hactenus vidimus Angelos vel Euchariſtiam Clientibus ſuis miniſtrantes, vel eorum in eo genere pietati velificantes, quod eſt argumentum illius, quo in eam feruntur vel amoris, vel etiam venerationis: ſpectemus quid ipſe Chriſtus, qui in partem divinioris illius miniſterii etiam venire non eſt dedignatus.

In exceſſu mentis, tacitaque nocte hæc ab Angelo B. Veronica: *Surge filia, Eccleſiam ingredere, & eo quo ſoles pietatis ſenſu ſacrum Chriſti Corpus excipe.*

Supra 27. Januar. in ejus vita c. 8.

Paret Angelo benè monenti, ſurgit, Eccleſiam ingreditur, & ecce videt primò cereos duos cæleſti flamma manuque accenſos, deinde nebulam miri ſplendoris tota templi area circumfuſam: tum hoſtiam ſacratiorem in calicis patena reponi: tum etiam Angelos alternis choris accinentes, mira vocum harmonia & ſuavitate, tum ipſa Chriſto advenienti fit obvia, & hanc è nube lucida vocem ab illo excipit, & quidem idiomate latino: *Accipe corpus meum, ô filia.* Prolabitur in genua, & ſacrum corpus de manu illius accipit: denique audit & iſtud, ſed maternâ linguâ: *Ego ille ſum, in quem credidiſti.*

Dixit,

Dixit, & videri audirique deſiit. Veronicæ autem eo perfuſa gaudio, cui ſuſtinendo impar erat anima, impar & vita, quam & illicò effudiſſet, niſi eam etiam miraculo divina manus ſuſtinuiſſet.

In eius vita 16 Ian. c. 36. Quod B. Veronicæ ſemel datum eſt admirabili cœli indulgentia: hoc B. Ivettæ viduæ ſecundò concesſum. Degebat illa Hui, Leodienſis ditionis oppido nobili, magna apud mortales opinione ſanctitatis, majore apud Superos gratia, à qua & divinis luminibus, & multis vaticiniis illoſtris, & inſuper cœlitum colloquiis ſæpè recreata, imprimiſque B. Mariæ Magdalenæ, à qua duci ſe ſenſit ad oſcula pedum Chriſti, à quo & audiit quod olim illa: *Dimiſſa ſunt tibi peccata tua, quoniam dilexiſti multum.* Cap. 45.

Hic paragraphum finio, & tibi ſub menuis ocolos pono, quis pietatis ſenſus, quæ animi demiſſio, quæ reverentia, quis æſtus amoris eſſe debeat in illa diei particula. Is certè, qui Beatis, qui Angelis, qui ad hoc ſacræ communionis miniſterium elabuntur è Cœli regia.

§. 9.

Particulam illam bonæ diei, id eſt Sacroſancti Corporis Chriſti conſecrationem, quanti fecerint vel in terris Sancti, vel etiam è Cœli curia BB. Spiritus, vel etiam Deus ipſe?

Rationes. Nuntiatum aliquando M. Avilæ, viro nnæ eruditionis, ac ſanctitatis, Sacerdotem recens ſacris initiatum diem obiiſſe; & quidem caſu ſatis inopinato, ac repentino. Quæſivit an ſacrificaſſet, & quoties? cúmque audiſſet ſemel dumtaxat, addidit illud, quod indubiè multis mirandum accidet: *Multum defert ad Iudicem.*

Sed eccur, inquies, multum? quia vel ſemel ſacris operatus, tanti apud viros probatos; imò tanti apud Superos, Judicémque Deum æſtimatur vel unicum Miſſæ ſacrificium, ut qui illud ad Cœli tribunal deferr, multum ſanè deferre cenſendus ſit.

Quæ cauſa? ex à SS. Patribus aliæ atque aliæ recenſentur, quarum

I. A perſona ſacrificantis. Prima ducitur à perſona, quam ſuſtinent in ea bonæ diei particula, hoc eſt in SS. illo, & incruento Miſſæ ſacrificio. In eo quippè quiſquis ſacris operatur Chriſti perſonam ſuſtinet, adeóque & ſanctimoniæ dignitatem, & majeſtatem ipſius Divinitatis: nec enim ad hoc opus homines quærimus, nec terreſtres Divos, ac cæleſtes Genios, nec aliquid his & illis majus & magnificentius; ſed alterum inter homines Chriſtum; imò & Chriſtum ipſum, adeóque Legatum Univerſitatis, & alterum Animarum ſoterem.

Quid ergò mirum ſi multum ad Judicem deferat? defert enim quod Legati totius Univerſi, quod Animarum Salvatores, quod uncti Domini, id eſt Chriſti; adeóque quod multum, imò quod ſummum eſt, ſi ſecus ac oportebat, obierit.

II. A ſacrificio. Altera ratio petitur ab ipſomet Sacrificio, quod omnium ſacrificiorum vim, ac dignitatem magnitudine ſua, & præſtabili dignitate obruit. Hic enim & holocauſtum, & pacifica hoſtia, & propitiatorium ſacrificium continetur eminenti quâdam ratione, & quæ rationem omnem ſuperet, & infinitis paraſangis tranſcendat. Eſt enim, ut cum Divo Chryſoſtomo loquar, veluti *dos* Eccleſiæ, Chriſti ſponſæ. Eſt, ut cum Gregorio Nazianzeno altiùs aſſurgam, *Sacrum Deificationis munus*, quo quid præſtantius? quid divinius? Certè ſi nihil etiam Cœlo judice, quid mirum ſi qui illud obit, *multum deferſ ad Iudicem.* In Pſ. 44. Orat. 23.

III. A victima. Tertia ratio haurietur ab ipſamet *Victima*, quæ eadem eſt cum ea, quam olim in Cruce, vitæ noſtræ, ſaluſtiſque author Deus obtulit, cum eo tantùm diſcrimine, quod illa tunc cruore ſuo, ut corollis redimita hoſtia fuerit, quod ad ſpeciem horribilius: at verò hæc, & incruenta, & glorioſa offertur, quod ad ſtuporem amabilius.

Idem tamen eſt holocauſtum, eadem victimæ gratis, potentia, amplitudo. Quæ cùm ea ſit, quid mirum, ſi qui illam Æterno Patri defert, *multum defert ad Iudicem.* Profectò tantùm, quantum eſt ipſa victima.

Ne porrò deferat ad Judicium ſuum, id eſt condemnationem, oportet eum, ut monet Apoſtolus, *dijudicare Corpus Domini*: hoc eſt) ut explicat Orator aureus) apud ſe reputare magnitudinem, majeſtatem, ſanctitatem eorum, quæ in hoc Sacrificio proponuntur, & quantum ponderis, ac momenti ſit illud donum: de quo ſanè exigenda à Cœleſti Judice ſevera ratio. 1. Cor. 6. 9.

Moyſes divino plenus ardore, hoc olim denuntiavit Dei ter Opt. ter Max. nutu, voceque: *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum ſanctificentur, ne percutiam eos.* Exod. c. 19. v. 22.

Quod ſanè dictum etiam vel unicum ſufficere tum debuit, & modò potiori jure debet ad noſtrorum Myſtarum animos commovendos, ne percutiantur illi manu Dei; manu, inquam, quæ orbem quatit, & neſandas è corporibus animas evellit, atque etiam reluctantes æterno erebi coërcet incendio. Sed ne longiùs, redeo ad ea, quæ mihi initio propoſui.

Vidimus quanti particulam illam bonæ diei fecerint Sancti Patres, particulam dico, quam D. Chryſoſtomus non ſine admirabili ſtupore, atque horrore appellavit *Horam terribilem*. Attendamus modò quanti etiam Angeli, & ſupremæ illæ Cœlorum Intelligentiæ.

Fuit ille communis SS. ſenſus ad formidabilem illam conſecrationis horam, cœleſtium Spirituum choros è Cœlo delabi, & divinum ſacrarium complere. Certè, ut alios taceremi, ſatis eſſet vel unus D. Chryſoſtomus, qui ſic aliquando,

Per id tempus & Angeli Sacerdoti aſſident, & caleſtium poteſtatum univerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt.

IV. Ab Angelorum miniſterio. Ac ne ſola verbis eſſet fides, proponit viſum mirabile unius ſenis, clariſſimis Dei donis ac luminibus ornati, qui aiebat eo tempore ſe vidiſſe multitudinem Angelorum, qui nivcia amicti veſtibus, & miro fulgentes decore capita ſua venerabundi inclinabant, ut ad Ducis ſui, Imperatoriſque conſpectum milites ſolent.

Quod ubi extulit aureus Pater, tum converſa ad Sacerdotem oratione, ſic ad illum:

Unà cum Seraphim canis, unà cum Seraphim ſta; cum illis alas extende, cum illis regium thronum circumda. Sed eo ſtupore, horrore, reverentia, amore, quo ipſi: id ni feceris, excedens è vitæ ſtatione *multum* ſanè *deferes ad Iudicem.*

Ne porrò deferas, attende qui ſacris miniſtrent Angeli, beati illi Spiritus: & inde conſicies, quo apud eos in pretio, quo loco diviniora illa myſteria.

B. Bonifacio ad aras operanti viſi ſunt miniſtrare duo Angeli, à dextris unus, à ſiniſtris alter; inſuper & urceolos præbere ſacrificanti, & ad omnia reſpondere, aliáque munia obire quàm promptiſſimè: quamquam quid ad Angelos appello, ad Deum ipſum, Divinúmque Spiritum aſcendere debui; nam & hic in ſacrificantes illabi non ſemel eſt viſus, ea, qua olim in Apoſtolos vel ignis, vel columbæ, vel nubis ſpecie: Hæc enim ferè fuerunt illius clabentis aut ſymbola, aut etiam ſigna. Henriquez in Faſc. SS. Ord Ciſter. l. 1. diſt. 32. c. 7. V. A Spiritus S. illapſu.

Romam aliquando venerunt Legati Armeni ad Eugenium III. Pont. Max. eo conſilio, ut Romanas cæremonias eo aris operante viderent. Viderunt porrò, & illas, & inſuper ſigna quædam deſcenden-

deſcendentis in eum divini Pneumatis, viderunt, inquam, ſupra caput celebrantis, veluti *ſolarem radium*, quo nitebat, & coruſcabat totus, ac deinde *duas columbas* ſuper eum primò deſcendentes, tum etiam ubi ei aliquamdiu inſederant, in Cœlum aſcendentes. Erant & columbæ, & ſolaris ille radius, ſymbola quædam divini Spiritus, quæ etiam in aliis notæ ſanctitatis Præſulibus viſa.

Henriquez ſuprà diſt. 5. c. 5.

S. Kentigerno, Epiſcopo Glaſcuenſi in Scotiâ, dum ſacra divina tractaret, conſpecta ſæpiùs *columba* ejus vertici inſidens, erat illa nivei coloris, & roſtro quaſi aureo, ſignis utique candoris, atque innocentiæ; & amoris, atque charitatis, quibus à divino illo ſpiritu & nitebat & ardebat S. Præſul.

Bollandus 13 Jan. in ejus vita. c. 5.

Conſpecta etiam *columba ignea*, cujus ſulgore etiam retunderentur ſpectantium oculi.

Denique & viſa illum ambire *nubes* quædam & pellucida, & ſimul odorifera, quæ totam Eccleſiam mira odoris ſuavitate perſunderet; imò & ægris ipſis, ſi qui fortè aderant, ſanitatem afferret.

Quod illi: hoc & S. Ignatio Societatis noſtræ Fundatori eveniſſe teſtati ſunt oculati teſtes, & Maffæus in ejus vita refert, dum ſcilicet Immortali Deo ſacrificium offerret, globo ignis, in capite ardere viſus eſt, flamma rurſum redeunte, atque (ut ita dicam) victimam referente ad ipſum ſolium ſupremi Numinis, cui ipſa immolabatur.

VI. Ab illapſu Chriſti.

Spectavimus in ea bonæ diei particula, hoc eſt incruento ſacrificio, Spiritus Sancti cœleſtem illapſum; ſpectemus & ipſius Chriſti, etiam aſpectabilis oculo corporis.

Henriquez ſuprà diſt. 22. c. 1.

Dum ad aram facit B. Hermannus, monachus Hemenrodenſis, è fratribus Converſis unus aliquis, raræ ſimplicitatis, & ſanctitatis, vidit ad oram calicis columbam miri candoris, ſymbolum Divini Spiritus, tum ad illius ſumptionem puellulum pulchritudine ad ſtuporem, & miraculum, qui ex manibus illius videbatur aſcendere, & illicò deſcendere ſub ſpecie panis & vini, atque ita ſumi, in ſignum illabentis Chriſti Domini ad paucula ſacratioris myſtæ verba.

VII. A Chriſti benedictione.

Vidimus prodigioſum hunc illapſum, expectemus qui deinde ab illo, ceu ſole cæleſtium donorum affulgeant radii, quæ etiam appellant gratiarum fluenta ab eodem, ceu earum fonte copioſiſſimo: certè expectavit, & verò etiam ſenſit S. Honoratus, Epiſcopus Ambianenſis. Hic enim pronunciata diviniore illa Conſecrationis formula, etiam oculo corporis vidit Chriſti manum in cœlis, cujus Corpus conſecrârat in terris.

Bollandus 16. Januar. in vita S. Salvii Ep. Ambianenſis

Quis tum illi ſenſus, quæ mens, & cogitatio, quis amoris æſtus, quæ bonorum affluentia, facilè conjiciet is, qui intellexerit, quæ & quanta vis dexteræ Omnipotentis.

Hîc finio, ſi tamen priùs te monuero, Amice Lector, ut in Chriſtiana Logica probè doctus, ex his omnibus conficias, quo tibi in pretio eſſe debeat hæc bonæ diei particula, quibus in curis, atque amoribus; & quàm ſedulus eam impendere in quotidiano Miſſæ ſacrificio, ad quod te invitat ipſa ſacerdotalis dignitas, ac poteſtas; imò & cœlum, ac Deus ipſe

Diſce illud ex hoc, quod aliquando B. Alano de Rupe indicatum voluit indulgens Numen.

Hic extimulante, ut opinabatur, conſcientiâ, veriùs anxiæ mentis ſcrupulis, abſtinebat frequentiùs ab incruento illo Sacrificio, non ſine aliqua & mortalium & immortalium injuria, in quam ne diutiùs iret, hæc illi exhibita in Cœlo ſcena.

In æſtu orationis à ſe diſceſſit B. Alanus, atque in cœli regiam exceſſit. Dies erat D. Joanni Baptiſtæ ſacer, cùm hæc illi propoſita ſpecies, & ſcenæ ſacratioris imago. Viſus eſt Chriſtus, Pontifex ter Opt. ter Max. ad aram procedere Pontificalibus amictus indumentis, aſtantibus hinc, & inde miniſtris, & innumera propè Cœlitum corona. Ubi ad aram ventum eſt, datum initium ſolemni illi Sacrificio ad uſque Synaxim, & ſacram de more Communionem. Tum audita cœlo ea præconis vox: *Sancta Sanctis. Præparate viam Domino, nominatim illi peregrino per raptum huc introducto. Paret ille ſe ad Synaxim.*

In Pſalter. Chriſti, & Mariæ, c. 26.

Quid hic Alanus in eo mentis exceſſu? ſtupet, horret, exclamat: *Necdum exomologeſi animum purgavi.* Cui D. Joannes, Chriſti præcurſor: *Age*, inquit, *illicò, & viam Domino para.* Cui rurſus ille: *Exomologeſi priùs expianda mihi eſt conſcientia.* Tum ei: *En tibi Petrum Apoſtolorum Principem, ejus utere benedictione, & animum expia.* Quod ſibi viſus feciſſe Alanus, mira animi ſui pace, mira ac cœleſti luce, miro ac divino ardore, quo dum totus ardet atque æſtuat, accedit propius ad aram ſupplex, ut de ſacrificantis, id eſt Chriſti, manibus ſacratiorem excipiat hoſtiam. Cui ille vultu ad ſeveritatem compoſito, & gravi voce: *O ſerve tarde, ſerus ades, piger, & remiſſe, ſerus ades.*

Quid hic Alanus? tremit, palleſcit, ingemiſcit, & ſuam illam tarditatem incuſat, & damnat: tum à Chriſto refici viſus diviniore illo epulo, in quo illi & miranda ſuavitas, & lux affulſit cœleſtis, & ſimul ea vox ad animum appulit, quâ ſeriò monebatur, ne deinceps abſtineret à quotidiano Miſſæ ſacrificio: ne terras, ne cœlum ipſum, ne mortales, immortaleſque omnes privaret tanto, & tam ingenti bono, quod ab illo ad omnes dimanat atque effluit.

Ecquid enim, inquiebat Alano ipſe Chriſtus, Ecquid agunt Sacerdotes, dum ſacris operari ſua culpa, ac ſocordia deſinunt? *Privant Deum gloria; me potentia, ac vota: Matrem meam materna dignitate, Angelos honore, Sanctos lætitia, auxilia militantes, defunctos redemptione, infirmos medicina, ignorantes ſcientia, alimonia eſurientes, pauperes divitiis, ſuo mundum Rege, & univerſa ſuo privant Servatore.*

Dixit Chriſtus, & Alanum ſibi reddidit, ac terris: ſed alium ab eo qui fuerat, alium à ſeipſo. Exinde enim quotidiano Miſſæ ſacrificio totum ſe impendit ex cœli nutu, atque imperio, & ſuo etiam, atque aliorum fructu; quod & facies, ſi ſapis, quiſquis hanc pagellam Sacerdos oculo decurres, & animo ſeriò expendes.

TRCTACTUS DE SS. EUCHARISTIA.

NOn eſt mei conſilii, neque etiam hujus opuſculi, ea fuſiùs explicare, quæ de Sacro-ſancta Euchariſtiâ dici poſſent: ea quippe volumen integrum exigerent, quale etiam ante paucos annos edidit Hautinus noſter, magno ſtyli nitore, atque elegantia, & majore rerum varietate: eum ſi voles, conſules, Amice Lector. Ego ea ferè tantum attingam, quæ ſpectant ad mores ritè formandos, & magnarum virtutum exempla, quæ in epulo Euchariſtico delibare poteris, & in Animæ ſinum altius demittere: hoc enim & mihi in conſiliis eſt: & tibi, uti ſpero, erit in amoribus, primiſque curis. Sit itaque

QUÆ-

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus.* Pſalm. 110. verſ. 4.

Ecquodnam illud mirabile, cujus memoria debeat eſſe perennis?

Prima ſententia.

SAncti Patres in tres diſcedunt ſententias, è quibus prima eſt *Græcorum*, qui mirabilia illa explicant atque effundunt in omnia propè ſæcula, in quibus Omnipotens Dei manus mundo dedit quæ ſuſpicere poſſet, ac demirari, qualia fuêre quæ fudit in diluvio, in Ægypto, Hebræorumque exitu, terrâ promiſſionis, in Babylone, & aliis, in quibus enituit Dei ter Opt. ter Max. potentia, & huic Univerſo mirabilia oſtendit, & quorum memoriam voluit eſſe perennem, uti & perennem acceptorum inde beneficiorum gratitudinem.

Secunda ſententia.

Secunda eſt ferè *Latinorum*, qui hunc Pſalmiſtæ verſiculum exponunt de Sacroſancto Euchariſtiæ epulo, in quo Chriſtus *Memoriam fecit mirabilium ſuorum*, vel ut alii volunt, *Compendium mirabilium ſuorum*, vel denique, ut hebræa lectio habet; *Opus exquiſitum*, rarum, & hactenus Orbi inviſum.

Tertia ſententia.

Tertia eſt aliorum, qui voculas illas *memoriam mirabilium* intelligunt de manna, quod cœlo depluit, & quo Deus, ceu parens, ceu nutritius, Iſraëlem pavit in deſerto, cujus memoria ut iret in Poſteros, ſic olim ad Moyſen Deus:

Exod. c. 16 v. 32.

Imple Gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retrò generationes, ut noverint panem, quo alui vos in ſolitudine.

Hic porrò panis, & hoc manna incluſum urnæ aureæ, & in Arca Teſtamenti repoſitum, abiit in multas retrò generationes, certè in omnium ſæculorum memoriam, ſtuporem, amabilitatem; nec mirum, cùm à Cœlo datum ſit etiam miraculo. Et hæ ſunt opiniones ſparſæ in piis Doctorum, atque Interpretum lucubrationibus, è quibus ſecunda meo inſtituto magis accommoda: ex qua

Primùm illud pronuntio: *Memoriam mirabilium, quæ fecit miſericors, & miſerator Dominus*, eſſe arcanum Venerabilis Euchariſtiæ myſterium.

Secundò, in eo latere illuſtriora quædam miracula, ſive ea ſpectentur in ordine naturæ; ſive in genere moris. Illa deduxi fuſiùs Tomo II. meorum Quæſtionum in Evangelia, Dominica infra Octavam Corporis Chriſti, Quæſtione II. Hæc in præſentia inquiram, & tractabo liberali calamo, quia faciunt ad mores ritè formandos, quod ferè unum mihi propoſitum eſt in hiſce meis tractatibus Aſceticis. Sint itaque

SACROSANCTÆ EUCHARISTIÆ MIRACULA IN GENERE MORIS.

PRIMUM MIRACULUM Amoris Miraculum.

HOc in tribus potiſſimum eminere viſum eſt.

I. Quod Deus homo.

Primùm in eo, quod ſe Deus hominem fecerit; in quo Æterni Patris immenſum, interminum, infinitum amorem explicuit.

Cap. 10.

De hoc ita Joannes, qui Chriſto fuit ab intimis ſecretis, atque amoribus. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum Unigenitum daret.*

Sic, particula eſt admirantis, cùm & mentem, & vocem & calamum ſic illigat ſtupor, ut exprimere non poſſit, quæ, quantáve ſit illa dilectio.

Verùm ut ejuſmodi fuerit illud divini in nos amoris miraculum. At ſemel tantùm Orbi aliàs perituro datum eſt, & quidem uni Virgini longè puriſſimæ, longéque ſanctiſſimæ: cujus uterus Deo homini pro thalamo fuit; & quidem etiam uno in loco, in domo ſcilicet Nazaræa, quæ & Angelorum erat diverſorium, & cœlum in terris alterum, Virginis, & Joſephi ſedes.

II. Quod homini redimendo pretium.

Alterum *Dei* jam, & *Hominis*, amoris miraculum, fuit in eo, quod ſe mundo redimendo dederit in pretium, & illuſtrem cœlo victimam. At illud etiam dumtaxat ſemel, & quidem uno loco, Calvariæ vertice, una etiam altiore Crucis Ara, in qua & ſanguinem fudit & vitam per extrema ſupplicia, doloris miraculo, amoris & miraculo; cui deinde acceſſit & tertium, quòd ſcilicet ſe etiam aptârit in cibum, in epulo Euchariſtico.

III. Quod in ejuſdem cibum.

Joan. c. 13.

De hoc ſic etiam D. Joannes, Chriſti ſcriba: *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Toletus vertit *uſque in finem*, ceu terminum Amoris: ultra quem is progredi non poſſit, & cui proinde inſcribi poſſit regium illud, & auguſtum: *Non plus ultra.*

Antiquis convivium fuit, quod voce græca dicebatur τέλος φιλίας, hoc eſt, *finis amicitiæ*; ultra quem ſcilicet elabi non poſſit amicitia.

In eo hoſpes ſibi è vena ſanguinem elicere, calice excipere, bibereque ex eo primus ipſe; tum etiam aliis bibendum tradere. & hoc inter mortales creditum fuit velùti finis amoris, finis amicitiæ, ultra quem ea abire non poſſit: quò enim eat ultra, quàm ubi ſanguinem (in quo eſt vita) bibendum, hauriendumque amico præbuerit, & hoc quidem ſua manu?

Et illud fuit Amoris miraculum, quod in cœna (quæ Chriſto fuit ultima) viderunt, amâruntque Diſcipuli, & quod deinde etiam alii per annos, & ſæcula: & hoc quidem non uno tantùm in loco, non una die, & horula: ſed orbe toto, omnique ſub ſole, dieque; omnique homini, qui ſe illi epulo obtulerit; ſit ille caſtus, ſit inceſtus, ſit ſanctus, ſit ſceleratus, amoris miraculo nihil videtur intereſſe.

Certè illud, Dei-hominis corpus, & ſanguinem, non in ara tantùm: ſed & quandoque etiam in hara deponit, atque abjicit efferata malevolorum inſania, quandoque & in ſtomachum putrem, & graveolentem, & quod infandum magis, dolendumque, etiam in cloacam vitiorum, qualis & illa omnis eſt, quæ homini eſt à peccato letali; & tamen hunc nec adire refugit Deus homo, nec declinare in epulo Euchariſtico. An non illud Amoris miraculum? eſt enimverò, & quidem ſummum, quo non datur ultra.

Ut proinde meritò è Petri ſede manârit illud Urbani hujus nominis IV. oraculum, quo ſacroſancta Euchariſtia dicitur *præcipuum atque inſigne memoriale Amoris Chriſti*; & hoc D. Bernardi, quo dicitur *Amor Amorum*, & illud D. Chryſoſtomi, quo appellatur *Myſteriorum miraculum*; ſed amoris, ſed charitatis miraculum, quo ſcilicet *unum corpus efficimur cum Chriſto*, & *non tantùm per charitatem; verùm etiam ipſa re in illam miſcemur carnem*, utque ſic miſceremur *propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperavit, ut unum quid ſimus, tanquam corpus capiti coaptatum*: & hoc, inquit, *ardenter eſt amantium.*

Serm. de Cœna Domini.

Hom. 6. ad popul. Antiochenum.

Cap. 31.

Cùm eſſet Jobus in ampliſſima, ridenteque per omnia fortuna, ut quo in eum ferrentur amore teſtatum facerent & ſervi ejus, & amici, & contubernales, dixerunt: *Quis det nobis de carnibus ejus ut ſaturemur?*

Optaſſent ſcilicet ejus carnibus veſci, veſcendoque & eum quodammodo in ſe mutare, & ſe in illum: quod eſt vehementer amantium.

Quod illi voto tantùm, & inani verborum ſono; hoc Chriſtus re etiam ipſa, dum in cœna magna, cœna Euchariſtica, & carnem ſuam in cibum dedit

dedit, & ſanguinem in potum. Et hoc primò Diſcipulis, dein etiam ſubinde & aliis manu ſua, ceu arrham divini in eos amoris.

Et ſic dedit Beatæ Ivettæ etiam ſecundò.

Sic & B. Veronicæ de Binaſco. Hæc poſt Octavam Venerabilis Sacramenti anni milleſimi quadringenteſimi nonageſimi tertii, primùm audiit concentus Angelicos, dein è nube lucida hanc à Chriſto vocem: *Accipe corpus meum, ô filia mea.*

13. Iannar.

Dixit, & propriâ manu dedit, quod & amantis fuit, & ardenter amantis. Cui affine eſt & iſtud, quod aliquãdo B. Angelæ de Fulginio. Accedebat illa ad ſacram Synaxim, cùm hæc illi Chriſtus, *O dilecta mihi filia, veniſti jam acceptura bonum omne imaginabile.*

Bollandus in ejus vita.

Hic oculos, hic animum ſiſte, mi Lector, & ſuſpice in Euchariſtia amoris divini compendium.

Eſt porrò illud, quod in ea accipias *bonum omne imaginabile.*

Accipis enim primò ſacrum illud corpus, compactum olim è puriore Virginis ſanguine, non alio niſu, non alio molimine, quàm Divini Spiritus, qui illud omne in Parentis utero effinxit, formavitque, & cui ab homine nihil, à natura etiam nihil; illud enim omne ſibi ſervatum voluit Omnipotens Dei manus, & quanta quanta fuit corporis Chriſti fabrica, tota fuit à Spiritu Sancto, à virtute divinâ, ab humana nihil, ſi Virginem exceperis, quæ ſanguinem dedit puriſſimum, ceu illius materiam: & hoc eſt primum in eo *bonum*, cui accedit & alterum ab *Anima* Chriſti, quæ ex eo, quòd corpori comes ſit; imò & illius quaſi hoſpes, unà cum eo in Euchariſtica menſa ſumitur, per *concomitantiam* (ut loquuntur Theologi.)

Neque illa tantùm: ſed & Patris Æterni Verbum, & hoc quidem quia & corpori, & Animæ Chriſti hypoſtaticè eſt unitum; & inde etiam & aliud: quia & Patris Verbum; & Dei Filius, Deus eſt, accipitur & divina eſſentia quanta quanta eſt; & quia hæc, una in perſonis, una etiam cum perſonis, cumque ipſa Sanctiſſima Triade; & hæc quoque ut accipiatur eſt neceſſe, adeóque Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & inde *omne bonum*, amoris prodigio, ad quod ſequitur & aliud, ſcilicet ea ferè, quæ in cœlis erit homini beatitas. Hæc quippe erit ab eſſentia divina, & à Perſonis divinis, quas cùm lingua excipiat, & pectore geſtet, qui ad ſacram Synaxim accedit, excipit ac geſtat *omne bonum*, adeóque & ipſam beatitatem; & ſic ab Euchariſtia eſt quodammodo in terris, quod erit in cœlis, quod in tota quanta quanta eſt æternitate, id eſt quodammodo beatus, ut qui in ſe habeat, in ſe claudat fontem beatitatis.

An non hoc Amoris miraculum? Enimverò miraculum: uti & iſta, quæ ſubjicio.

Caietæ, urbe nobili, duo fratres è D. Franciſci familia emiſſi à Guardiano mendicatum, & quidem ipſo die *Cœnæ Domini.* Dum in illud charitatis & humilitatis officium incumbunt ſeduli, ad domum ſeriùs redeunt, peracto jam ſolemni Sacro, reliquiſque fratribus menſæ jam aſſidentibus.

Et hinc dolor, mœrorque, & piæ apud Deum, Superóſque querelæ, vel inde tantùm, quod ea luce, Euchariſtico epulo ſacra, eo minimè cum aliis eſſent refecti. Dum in has ſeſe effundunt viri Religioſi, cœnæque illius amantiores, ecce mirum dictu, viſúque! è ſacratiore arcula, in qua aſſervari ſolent conſecratæ hoſtiæ, vident exire juvenem pulcherrimum, qui & ſe Chriſtum aſſereret, & panem Angelicum porrigeret, quo ſanè nunquam lautiùs, nunquam liberaliùs, nunquam amantiùs ſatiati, ferculo ſcilicet amoris, amoris & miraculo: cui affine & illud, quod huic pagellæ aſcribo.

B. Wielmo Abbati ſacrificanti miniſtrabat monachus, ætate quidem juvenis, ſed moribus maturus, & SS. Euchariſtiæ amantior. Optabat impensè de ipſius manu refici Angelico pane; cui Abbas: Dies Dominicus illi refectioni addictus ex Ordinis conſuetudine, meliùs eſt tibi abſtinere, quàm receptæ conſuetudini contraire.

Henriquez in Faſc. SS. Ord. Ciſter. l. 1. diſt. 19. c. 5.

Acquievit juvenis, obediens in paucis, & ut cederet obedientiæ, amori ſuo votiſque ceſſit. Sed & amores, & vota Cœlum vidit, atque amavit; Ecce enim, ut dum ſacram hoſtiam de more, receptóque ritu in Eccleſiâ, in duas partes dividit Abbas, earum altera è ſacrificantis manibus elabitur, atque in os miniſtrantis illabitur, miraculo ſcilicet Euchariſtico, hoc eſt amoris miraculo: quod & ſenſit ipſemet S. Præſul, cùm enim aris operanti aranea in calicem incidiſſet, ille nihil veritus eam unà cum ſanguine abſorpſit, & quidem innoxiè.

Imò, quod & divini amoris in eo fuit miraculum; anno jam elapſo perſenſit in digito enaſci veluti puſtulam non ſine aliquo pruritu, quam dum frangit, ecce, non ſine ſtupore, & amore, videt araneam penitùs integram, ac velut intactam, & vivam egredi ſine ullo corruptionis vitio, ſine ulla ſanie. Datum nimirum illud eſt & reverentiæ, & fiduciæ in Deum, & ſimul amori, ac beneficentiæ, qua Chriſtus in Euchariſtia & nos amat, & nobis vult eſſe quàm optimè.

Argumento erunt etiam ea, quæ hic adjiciam. De B. Conrardo primùm Abbate Villarienſi, tum etiam Clarevallenſi, & Ciſtercienſi, denique Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopo Cardinali Portuenſi, teſtatur Gulielmus Abbas Villarienſis: quod digiti manuum ejus, quos ad conſecrationem corporis Chriſti extenderat, ſic & lucerent, ſic & arderent, ut ad ſtudium, & librorum lectionem nocte intempeſta, denſiſque in tenebris relucerent adinſtar candelarum. Quod ſi ſic ardebant, ſic & lucebant ab Euchariſtia digiti, quî ab illa & ardebat, & lucebat animus? Certè huic ab eadem lux major, major & ardor fuit caſti in Deum amoris.

Henriquez. l. 1. diſt. 26. c. 2.

Vidiſti quomodò ab amoris miraculo luxerint B. Conrardo digiti; vide quomodò B. Theophili ab eodem luxerit & facies: Huic certè inter ſacra Miſſarum ſolemnia, ſumpta jam Euchariſtia, ipſa facies ſplendere viſa, radioſque quaquaverſum emittere adinſtar Solis, non ſine ſpectãtium ſtupore, & amore.

Bollandus 4. Feb.

Ut & hic, & ille in te etiam ſit, Amice Lector, neceſſum eſt; primò ut in teipſo excites atque accendas ingens deſiderium accedendi propiùs ad incruentum illud ſacrificium, & amoris miraculum.

Et ita in ſeipſa excitavit, accenditque B. Oringa: cùm enim ægra jaceret, & tantùm non affixa lectulo, quotidie ſub elevationem divinioris hoſtiæ, curabat ſe in templum deportari; cumque ingraveſcente jam morbo, id officii detrectarent ſorores, ipſe Chriſtus ſub illud tempus corporea ſpecie eo ipſo loco, in quo decumbebat ſeſe ſpectandum dabat inuſitato divini amoris prodigio: quod ſi amas, & illud ama; priuſquam accedas ad Euchariſtiam; ceu fontem divinæ lucis, ceu ſacri ardoris fornacem, & lumen affer fidei vivæ, & ſimul ignitos amores: tantum enim & lucebis, & ardebis ab Euchariſtia jam ſumpta; quantum priùs in teipſo & luxeris à fide, & arſeris ab amore.

Bollandus 10. Ian.

Quod D. Catharinam Senenſem edocuit ipſe Chriſtus ſimilitudine familiari. Sint, inquiebat, longè plurimi, qui candelas apportent ut accendantur. Hic unius unciæ præferat, alter duarum, ille ſex; alius etiam unius libræ, ac ponderis: ab accenſis candelis, ſua cuique lux erit, ſuus calor, ſuus ignis; at illis minor, his autem major. Sacroſancta Euchariſtia, ut priùs inſinuavi, fons eſt luminis, fons & ardoris; ſed cœleſtis ac divini. Candela eſt fides, & charitas: ſi & hæc, & illa ſit unius duntaxat unciæ, id eſt exigui ponderis, ecquid mirum ſi & puſilla

lux

lux tibi adveniat, ſi leviuſculus ardor, & amor Chriſti toi, Dei tui. Sin autem & hæc & illa ſit unius libræ, hoc eſt ingentis omninò molis, ac ponderis, certè hauſta à Chriſto flamma erit luculentior, & æſtus major, & ignis divini amoris ardentior.

Et is fuit in S. Philippo Nerio: huic & ardens deſiderium fuit, & fides ardua, atque animata, & ardor quidam in Euchariſtiam entheus.

Teſtes appelio, teſtes amo propè ultimas illius voces. Cùm à fluxu ſanguinis eò veniſſet, ut nec micare arteria, nec ſpes reliqua vitæ jam eſſe videretur, Cæſar Baronius, Oratorio tum Præpoſitus, extrema-unctione illum muniendum putavit, tum etiam, cùm ſibi paululum redditus eſſet, etiam ſacro viatico. Ubi porrò illud in cellulam illatum eſt, collecto ſpiritu, voceque exclamavit Philippus amantis illud, & mirum quantum amantis.

Ecce amores meos, ecce bonum meum unicum. Date quàm citiſſimè, date amores meos.

Dixit, & amores ſuos, & bonum ſuum unicum, hoc eſt Euchariſtiam, accepit, & terris vivere deſiit, ac cœlo cœpit. Utinam ita & deſinas, & ita incipias, Benevole Lector, ſimulque mihi condones ſi fortè in hoc argumento paulò ſuſius id feci, quia è Cenſoribus meis unus, reprehendendum eſſe cenſuerat illud quod de miraculo Amoris parciùs ſcripſiſſem.

SECVNDVM MIRACVLVM.

Obedientiæ Miraculum.

SAncti Patres in ſuis Aſceticis; in Obedientia, ut perfecta ſit, & ſuis omnibus numeris abſoluta, tria requirunt.

Obedientia prompta. Primùm ut *prompta* ſit; alterum ut *cæca*; Poſtremum ut *fortis*. Et hæc omnia videre, imò & propè tangere, eſt in Cœnâ Euchariſticâ.

Primò enim in ea elucet obedientia Chriſti quàm promptiſſima. Via quippè Sacerdos expreſſit ultimam ſyllabam illius formæ ſacratioris (quæ Theologis ideò dicitur practica) cùm ecce ſub panis ſpecie ſe ſiſtit Chriſti corpus, adeóque per quandam veluti concomitantiam, etiam anima, & Divinitas. Et ſic deinde ſub ſpecie vini, ſanguis, unàque & corpus, & anima, & Divinitas, quaſi hujus & illius comes individua. An non illud Obedientiæ miraculum? Eſt enimverò miraculum.

In prima hujus aſpectabilis Univerſi molitione, è nihilo primùm emergens natura aſtupuit & terræ molem, & liquida maria, & expanſum aërem, & ignia ſphæram: imò & cœlos ipſos, ſparſaque illis ſidera, geminoſque Orbis oculos, Solem ac Lunam, ipſamque, quam videmus, lucem, ceu amœnam Univerſi veſtem, evocatam ex abyſſo nihili, unica dumtaxat vocula, *Fiat*. Dixit enim Deus *fiat lux, & facta eſt*. Ita dicere, fuit & feciſſe.

Sed quid adeò mirum? dicere quippè Dei fuit; adeoque & facere: *dixit* enim & *facta ſunt*.

At hîc dicere, hic proferre formam illam ſacratiorem, *Hoc eſt Corpus meum*: non Dei eſt dicere, ſed hominis; & tamen ut hominis ſit dixiſſe, eſt feciſſe. An non illud obedientiæ miraculum?

Aſtupuit aliquando Sol ipſe, Lunaque, ſocium illi ſidus, cùm ſe ad unius hominis vocem ſiſti ſenſit, etiam in medio curſu.

Juvat illius meminiſſe diei, cui parem Orbis non viderat. In campum junctis armis & animis venerant Reges omninò quinque; & Gabaon munitam civitatem oppugnabant: Joſue Dux Iſraelis fortiſſimus, qui dum Amorrhæum inſequitur, timetque ne occidente ſole, etiam ſimul occidat victoria; ſic

Joſue c. 10. v. 12. ad illum: *Sol contra Gabaon ne movearis; & Luna contra vallem Aialon.*

Mirum dictu, viſuque! *Steterunt Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe de inimicis ſuis.* verſ. 13.

Stetit, inquam, *Sol in medio Cæli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei: Non fuit antea, nec* verſ. 14. *poſtea tam longa dies obediente Domino voci hominis.*

An cum orbibus Solis, & Lunæ, ſteterint quoque orbes aliorum ſiderum errantium? An curſum ii tenuerint ſuum; non eſt facilè definire. Certum ſaltem, atque indubitatum illud, biduum in horizonte ibi Solem ſplenduiſſe, adeóque geminatum eò loci ac temporis diem, & quidem longiore tractu, quàm in hyeme, vere, autumno: quia commiſſum fuit hoc prælium in ſolſtitio æſtivo.

Ex hoc autem admirabili Solis obſequio, & relata de hoſte victoria, & hoc promeritus Joſue, ut tumulus ei icone Solis inſigniretur, quaſi Sol cum illo commori debuiſſet, qui aliquando ejus imperio ſteterat.

Et hoc miraculum eſt, quod, ut dixi, vidit, & Majolus in vit. PP. colloq. 1. ſtupuit Antiquitas: alia his affinia Poſteritas quoque recenſuit, & quidem,

Primò in Mutio Eremita in Thebaidis deſerto. Ibat hic peregrè, ut ægrum unum è monachis inviſeret Sole jam in occaſum properante. Unde veritus ne deficiente die, deficeret & ea, quæ moribondo debebatur charitas; Soli & ipſe injunxit, ut tamdio moraretur, donec illuc perveniret; paruitque Sol viri ſancti obſequens charitati.

Quod illi: hoc & Bezarioni Abbati, & S. Patritio, quem ferunt ſtitiſſe Solem dum ad ſuos concionem haberet; ne occidente ſole occideret & concio: quæ ſi vera ſint; datum illud & charitati in proximos, & inſigni animarum zelo, Domino pariter obediente voci hominis, & Solem ſiſtente.

Hic te etiam ſiſti volo, mi Lector; quamquam quid illud volo? vix & ipſe, & te ſiſtis vel rei novitate, vel miraculo prorſus attonitum. At quæ ſtuporis ratio? petitur illa à gemino ſidere, à Sole, Lunaque. Petitur à Domino, quem obedire voci hominis, obedientiæ eſt miraculum: novum illud quidem, & certè magnum; at audeo dicere, majus illud eſt, de quo in præſens agimus: ad unius hominis vocem, ſiſti Solis Authorem & Dominum.

Ecquid enim? iſtic ſtetêre Sol, & Luna; at hic JESUS ſiſti ſe patitur. JESUS, inquam, Aſtrorum parens, & architectus Solis, ac Lunæ, imò & totius Univerſi. Quid JESUM ſiſti dico? Deum ipſum ſiſti dicere volui, & debui, & quidem in momento. En obedientiæ promptiſſimæ miraculum. Sed à quo, inquies? An à Joſue, Duce invictiſſimo, & quaſi JESU cognomini? minimè gentium. A quo igitur? An à Mutio, Bezarione, Patritio, aut alio, quopiam notæ ſanctitatis, & Superis caro? Minimè verò. A quonam igitur? à Sacerdote, quiſquis demum ille ſit.

Et hinc aperitur Obedientiæ abſolutiſſimæ pars altera, videlicet *cæca*.

Cæcam appellamus obedientiam, quæ non videt, non expendit cui obediat: nec attendit, qua de ſorte, qua de ſtirpe ſit ille, Senatorius, an Plebeius? Obedientia cæca. quo animo, qua virtute clarus; aut quo vitio abjectus, atque infamis? ſed hoc unum dumtaxat quòd Sacerdos, quòd in hoc ſacrificio Præſul, & Præſes, cui parere & ſubdi certum eſt.

Sit ille de volgo, ordineque plebeio, ſit de primis ſubſelliis, regioque ſanguine, ſit in purpura, ſit in ſacco & cinere, ſit rudis & bardus, ſit propè ſtipes, ſit alter Plato, aut Ariſtoteles, ſit denique (quod mirere magis atque exhorreſcas) etiam à propudioſa & ſcelerata vita apud omnes quàm peſſimè nominatus, obedienti Chriſto nihil intereſt: obedire tantùm intereſt. O cæcam! ô mirabilem! ô terris ſuperiorem obedientiam! ô reſervatam uni Chriſto, uni etiam Deo!

Fuit aliquando Sacerdos aliquis, cui dum alea inter ludendum infeliciter jacitur, infeliciter etiam atque impiè in Deum blaſphemiis jacitur: neque hæc tantùm: ſed & immane in pientiſſimum Numen odium, & quidem (ut loquuntur Theologi) formale, in quo annos omninò viginti exegit: adeoque illo exarſit, ut quidquid mens inſana, quidquid domeſticæ furiæ, quidquid infernus ipſe ſuggerere poterat, illud omne in Deum effunderet. Hinc ſpurcitiæ, & libidinis genus omne, perjuria, blaſphemiæ, ejurationes divini nominis, ſacrilegia, odium ſummi Numinis, ſummi boni: imò & ipſum Chriſticidium, ac Deicidium illi in votis erat.

Petrus d'Outreman in Amore Increato. l. 4. c. 5. ſect. 4.

Quid fœdius, quid horribilius, quid immanius hoc monſtro hominis? & tamen ut is eſſet, illi obedire, illi ſe ſiſtere Chriſtus inter ſacra Miſſarum ſolemnia, quæ frequens obibat, & eo quidem animo, ut Chriſto & Deo faceret quàm peſſimè.

Quid hac obedientia illuſtrius, quid mirabilius, dici aut excogitari poteſt? imò quid ſecundùm illam dignius infinita Chriſti miſericordia, quæ veniam illi dedit, & in æde Lauretana Sacramento confeſſionis ritè expiato, etiam omnem Cœlo miſerente indulgentiam.

Et hæc paucis pro obedientia *cæca*, demus aliqua quæ etiam *fortem* probent, atque conſtantem: & hanc in Chriſto reperiri evincunt multa.

Obedientia fortis.

Primò, quod jam inde ab Eccleſia condita, ad hanc noſtram ætatem per mille ſexcentos, et ǫue ampliùs annos perdurârit, & perduratura ſit ad ultimam uſque mundi periodum. Puſillos inter mortales magni penditur illud, ſi quis in obedientia vixerit, ad quinquaginta, ſexaginta annos: at quid ea ad tot ſæcula, quæ jam tulit Servator Optimus, & quæ feret in ævum omne? certè perexiguum, & propè nihil.

Accedit quòd ea ſubmiſſio, quam exhibet in Euchariſtia, fit omni tempore; imò omni hora, ac propè momento. Omni quippe hora, imò & inſtanti alicubi terrarum Deo litatur ſacroſancta hoſtia, adeoǫue paret Sacerdoti Chriſtus, ſiǫue ei ſiſtit quàm promptiſſimè. Si enim verum eſt quod in minimâ Societate noſtrâ ſol nunquam occidat ſuper Miſſæ ſacrificio, quod à ſociis offertur ubique locorum, uti monſtravit quidam Mathematicus.

Quid ſi omnes religioſos Ordines, quid ſi Sacerdotes omnes toto orbe ſparſos complecti velimus? certè indubiè inveniemus omni momento temporis Miſſæ ſacrificium exhiberi, adeoque obedire Chriſtum, quod obedientiæ eſt ritè conſtantis.

Adde, quod etiam omni loco, in Oriente, in Occidente, in Septentrione, in Meridie exerceatur ea Chriſti obedientia, ſit locus ille cultus, ſit incultus, nihil refert, ſit ara, ſit hara, obedienti Chriſto nihil intereſt. Siſtit ſe ubique locorum. An non illud fortis atque conſtantis obedientiæ miraculum? Eſt enimverò: ſed & aliud quoque à patientia virtutis eſt prodigium.

TERTIVM MIRACVLVM

Patientiæ Miraculum.

TErtullianus, altiore, ut aliàs, ſtylo Deum producit veluti principem ac primum *Patientiæ* exemplum, & hoc quidem maximè ex triplici capite.

Lib. de Patient. c. 2.

Primum eſt, quod *florem lucis hujus ſuper juſtos, & injuſtos æqualiter ſpargat, quod temporum officia, elementorum ſervitia, & totius genituræ tributa dignis ſimul & indignis patiatur occurrere.*

Alterum, quod *ſuſtineat ingratiſſimas nationes, ludibria artium, & opera manuum ſuarum, adorantes.* Inſuper, *luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidiè inſoleſcentem.*

Poſtremum, quod *ſua patientia ſibi detrahat: plures enim idcircò Domino non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.*

Quæ Dei in cœlis patientia; eadem & Chriſti in terris in Cœna Euchariſtica: imò (ſit venia verbo) & major.

Ecquid enim? Dei patientia in hoc elucet, quod florem lucis hujus, id eſt, ſolem hunc aſpectabilem, & ſurgere, & lucere, & ardere æqualiter patiatur ſuper juſtos & injuſtos. At quantum illud? quantum & ſol, hoc eſt fons luminis, diei parens, & cæteroquin creatura, concreta ex materia, & forma & quidem inanima.

At ſol ille noſter, & flos lucis hujus, eſt ipſe Chriſtus, hoc eſt ſplendor lucis æternæ, lucis divinæ, lucis increatæ; hoc eſt Dei Patris imago, Dei filius, Deus homo: & flos, & fons omnis lucis, etiam beatæ.

Eſt Chriſtus, hoc eſt Sacroſancta Chriſti Humanitas, virgineum corpus, & grandis anima, donata etiam lumine gloriæ, luce beatifica: donata & hypoſtatica cum *Verbo* unione, adeoǫue quodammodo deificata; & tamen illa cedit æqualiter juſtis & injuſtis. An non illud patientiæ miraculum? eſt enimverò miraculum, & quidem ejuſmodi, quod vidit tulitǫue etiam prima Cœna Euchariſtica.

Lubet meminiſſe illius temporis. In ea Cœna, quæ Chriſto cum Diſcipulis fuit ultima, erant Apoſtoli omninò duodecim, quos inter & infamis proditor Judas, cui tamen & ſuis ipſe manibus Corpus dedit, & Sanguinem propinavit: imò illi, ut & cæteris conficiendi Corporis ac Sanguinis ſui fecit poteſtatem, ut annotavit D. Ambroſius *Serm. 50.* & tamen ex eo momento temporis, & coquebat ac volvebat animo ſcelera, quæ deinde evolvit emiſitǫue in invitas ac reluctantes auras, ut more ſuo aureè explicat Divus Chryſoſtomus.

Edebat, inquit, *Iudas cum pane cædem, & ſorbebat cum ſanguine potionem.* Hæc ubi dixit, tum in id facinoris invehitur, maſculâ, ut ſolet, eloquentiâ.

O crudele proditoris convivium: rogo quibus oculis aſpiciebat, quem ſub dente premebat parricida & conviva? vendidit argento Dominum, fecit de magiſtro ferale commercium; accepit aurum & Deum tradidit. Ipſe Iudas inter epulas carnifex, inter nectareos cibos amarus, vipeream cruentat animam, & cæcum alit ſub pectore vulnus.

Non ita tamen alit, quin illud pervideat, & damnet Chriſtus: & nihilominus (quæ ejus patientia eſt) & corpus in cibum, & ſanguinem dat in potum, & poteſtatem facit in corpus ſuum, & ſanguinem. An non illud patientiæ miraculum? Dei, ceu Parentis optimi, patientia, in hoc etiam eminere viſa: quòd *totius genituræ tributa dignis ſimul & indignis paſſa ſit occurrere.* At quantum illud? quantum & totius genituræ tributum.

At quodnam illud? quantum illud eſt, continetur intra anguſtos naturæ terminos, intra genus vegetabile: puta plantas, arbores, & alios terræ partus, & animantia bruta, ſeu ea ferat tellus, ſeu claudant maria, ſeu aër contineat, illa ſunt genituræ tributa, quæ naturæ parens Deus homini pendit. At rurſus quantum illa? quantum & ipſa natura, quæ ea gignit: quantum & ipſa, quæ gignuntur: at illa omnia naturæ partus ſunt. At quæ in Euchariſtia eſt Chriſti humanitas, ea Cœli fœtus eſt, ea Virginis partus: & divini Spiritus, qui eam obumbravit, fœcundam reddidit, & ex Virgine matrem fecit. Et hoc cœleſtis genituræ tributum eſt, quod amabilis Chriſti bonitas paſſa eſt dignis ſimul & indignis occurrere.

An non illud patientiæ miraculum?

Longæva Dei patientia in hoc proditur, quòd *ſuſtineat ingratiſſimas nationes, ludibria artium ſuarum adorantes*, & Chriſti patientia in eo ſeſe oſtendit, quòd etiam in iis, qui Chriſtiano nomine & inſigniri

volunt

volunt, & gaudere, tot ſint ingratiſſimæ nationes, tot hæreſum ſectæ, ſeu unius hydræ capita, quæ alia ex aliis pullulant, & facto agmine, denſiſque cuneis Chriſtum impetunt in Euchariſtia: adorantes *ludibria*, non dico artium ſuarum; ſed delirantis phantaſiæ, quibus & ſibi, & aliis illudunt improbè.

Quæ autem ſint illa, & quàm varia, vel ex eo conjice: quod in hæc paucula verba, *Hoc eſt corpus meum*, pluſquam ducentæ ſeu opiniones, ſeu hæreſes emanàrint, veluti totidem ludibria aberrantis phantaſiæ, & tamen ut ea ſint, inſigni patientia ſuſtinet Chriſtus, & patientiæ ſcuto excipit, veluti totidem contorta in ſe jacula. An non illud patientiæ miraculum?

Dei patientia in his ſeſe explicat, quod *luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem* ſuſtineat, nec perdat cùm poſſit ſcelerata capita.

Et Chriſti patientia in iiſdem aperitur, & patet: quot enim ſunt, qui vel è luxuriæ cœno, ac ſordibus avaritiæ, vel ex alia quapiam vitiorum cloaca emergentes, ad Euchariſtiam inſolenti auſu, animoque contaminato accedunt; imò & ad ipſum Miſſæ ſacrificium infames iis vitiis myſtæ: & tamen eos patitur Chriſtus, & in eorum manibus ſe ſiſtit: ſic certè illum aliquando vidit D. Thereſia.

Intererat hæc ſacrificio cujuſdam Sacerdotis lætalis culpæ rei. Intererant & dæmones horrida ſpecie, qui illius fauces, & ora cornibus circumſtringere videbantur. Et tamen Redemptor quàm optimus, in manibus ſacrificantis, adeòque etiam medius inter dæmones, eſſe ſuſtinebat, & ſe ibi ſpectabilem, multáque luce coruſcum oſtendebat Thereſiæ, ſicque etiam ad illam.

Hoc ſpectaculum videre te volui, ut ſimul bonitatis meæ, ſimul & patientiæ magnitudinem pervideas, qua fit ut meipſum inimici mei arbitrio permittam, manibusque impuris, tuo videlicet bono, cæterorumque omnium, qui me volunt potiri.

De Chriſti patientia hæc olim Tertullianus: *Contumelioſus ſibi eſt, & à ſervo tingitur, & tentatoris congreſſus ſolis verbis repellit.*

Audax ſanè & liberum pronuntiatum, verum tamen, ſi ex rationis humanæ placitis ea res foret æſtimanda. Dominum quippe à ſervo tingi, videtur aliqua tanto nomini contumelia: & pariter tentatoris, hoc eſt, diaboli congreſſus, non reipſa; ſed verbis tantùm repuliſſe: & contumelia videtur, & injuria Summo Numini.

Quod ſi Tertulliano Cenſore, ac Judice, ea eſt contumelia, ea eſt injuria; quanta erit & hæc, & illa: quòd idem ipſe Dominus & permittatur inimici arbitrio, & impuris tractetur, & quodammodo polluatur, manibus.

Ecquid enim? ſi aquis à ſervo intingitur, is eſt Joannes Baptiſta, quem dum dico, Prophetam dico; imò & Angelum: at hic ab inimico tractatur, & jurato ſui nominis hoſte, ab infami, inquam, & ſacrilego ſacerdote, quo cum eſt tentator, hoc eſt diabolus, cujus quodammodo manibus & arbitrio permittitur, dum ſacrilegi Sacerdotis arbitrio permittitur; & non erit in eo Chriſtus *ſibi* quodammodo *contumelioſus*, ſibi injurius? Erit protectò, ſi res ea humano judicio penſetur, & non ex cœleſti, divinaque Salvatoris patientia; cui nihil contumelioſum, nihil injurium videri poteſt, quod ſibi patientia præfixerit.

Venio ad ultimum, & ſummum illius Patientiæ caput: eſt autem illud ipſum, quod in Deo poſtremum, & ſummum eſſe voluit Tertullianus. Nempe *quod ſua ſibi patientia detrahat. plures enim idcircò Domino non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.* Lib. de Patient. c. 2.

Quod ſi de Deo pronuntiatum id voluit, volet & de Chriſto in Venerabili Sacramento.

Ecquid enim? nunquid id eo ſua ſibi patientia detrahit, nunquid plures idcircò Chriſto non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt? Idcircò ſanè, nec incongruè humano pede omnia metienti.

Tria potiſſimum ſunt hominum genera, quæ invictam illam Chriſti in Euchariſtià patientiam mirè exercent.

Primum eſt Hæreticorum: Alterum Strigum & Magorum: Poſtremum denique Judæorum. De hæreticis pauca jam attigi; uti & de ſacrilegè aut communicantibus, aut etiam ſacrificantibus: reſtat ut de duobus poſtremis etiam paulò fuſiùs dicamus.

Anno 1614. Mathias Minetus & Dominica ſortilegii conſors, è Clarenſi ditione apud Helvetios, in tormentis faſſi ſunt, ſe divinas hoſtias ſuper ſacratiore menſa, ritu Chriſtiano acceptas, per ſpeciem purgandarum narium, aut oris, excepiſſe in ſudariolis, indeque conſervatas, dum appeteret nox indicta choreis, malo dæmoni, velut eximium munus obtuliſſe.

Et hoc primum nefas, cui mox acceſſit & alterum; illius imperio proculcatæ hoſtiæ, tum ab ipſis, tum ab infami turba cæterarum Strigum; denique cumulatæ execrandis ludibriis.

Quid ad tantum nefas cæleſte Numen? quid Chriſtus ipſe latitans ſub eo pane angelico? an fulmina de Cœlo contorqueat in ſceleſta capita? an Angelorum legiones in campum emittat? an terras, an inferos immani hiatu aperiat, ut eo abſorbeatur inviſa Deo Superiſque turba? nihil certè horum eò loci ac temporis conſpectum eſt. Nimirum ea ſapiunt iratum Numen quod nec voluit, nec tulit illuſtris illa, invictaque Chriſti patientia. unum illud, quod in eadem confeſſione addidere: dum hæc fierent, ſacroſanctum Chriſti Corpus, & magnam ſanguinis copiam, & cæleſte quoddam lumen emiſiſſe, idemque lumini medium ſe humo ſuſtuliſſe, atque eorum oculis ſubtraxiſſe.

Id verò non ſemel dumtaxat; ſed ſæpiùs à ſe viſum, eùm aliàs ſacra hoſtia cacodæmoni pariter conceſſa, atque in eundem modum protrita fuiſſet.

Et hæc in publicas tabulas relata, atque ad Poſteros tranſmiſſa: ut in illis legerent cœleſtem illam ac divinam Chriſti in Euchariſta patientiam, ad quam te evoco Amice Lector, ut videas quàm verum, quàm & mirabile illud, quod Chriſtus ſua ſibi patientia detrahat; plures enim idcircò illi non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt. Quid facias? ita probat, ita cenſet Incarnati Verbi ſapientia, ita vult, ita ſtatuit illi juncta Numinis Omnipotentia.

Perduelli proditur ipſe JESUS, & patitur. fœdè conculcatur, ac teritur ab hominum fæce, & dæmonum mancipiis, & ſuſtinet: intolerandis opprobriis oneratur, & ſilet, quod eſt patientis: ſanguinem tamen effundit, & lucem ſpargit cœleſtem, quod eſt miſerentis, & ad ſe quodammodo evocantis infandos illos malæ ſtygis tenebriones: qui tamen, ut lucem illam oculis uſurpent, non uſurpant animis: & hoc ipſum longa ac mirabili patientia fert Chriſtus, nec manus expedit ad ultionem; ſi quæ in reorum capita venire debet, ab hominibus ut veniat eſt propè neceſſe. Crederes Chriſto ligatas manus: & verò eas ligavit, arctèque ſtrinxit invicta malis patientia; quæ ad Judæos, infame hominum genus etiam tranſit: Lubet eorum hic meminiſſe.

Qui primus in ſacrum Euchariſtiæ myſterium injurius fuit, è Judæis; fuit Judas proditor; & quidem primò ſacrilega illius uſurpatione: deinde in eo, quod hauſto Chriſti ſanguine aſſervàrit partem aliquam ſpeciei panis, eáque Pontificibus oſtenſa, expoſtulatus ſit de ſacrilega illà Chriſti (ut aiebat) nugacitate, atque fraudibus, quibùs id ſuum eſſe corpus comminiſcebatur. Balſamon. & alii apud Theophil.

Hanc

Hanc Judæ proditoris infidelitatem, rabiemq́ue in ſacrum illud Euchariſtiæ myſterium, ſecuti deinde Judæi lapſis retrò ſæculis: ex his aliquos hoc loco producemus.

Ad Chronicon Naucleri. Anno 1510.

In Germania Judæus quidam, emptam novem cruciferis germanicis hoſtiam, pugione ſæpiùs confodere niſus eſt: ſed fruſtrà, ictibus ipſis hoſtia divinitùs reſiſtente: quod ægerrimè ferens, & rabie ad illam converſus: *Si tu es*, inquit, *Chriſtianorum Deus, euge, per mille cacodæmones, Deum te oſtende.*

Quid hîc à Dei hominis Juſtitia: imò quid potiùs à patientia expectes, Mi Lector? ab illa certè nihil: ab hac iſtud. Tres ſciſſa in partes mox apparuit hoſtia, atque in orbem rubuit: quod ſanè fuit miſerentis; & tantæ perfidiæ quaſi compatientis: crederes illi eluendæ à Chriſto ſanguinem fundi etiam miraculo, quo territus homo nefarius, particulas diviſas menſe integro apud ſe retinuit, inde duas, ad ſodales, tum *Brandeburgi*, tum *Stendelii* degenies, tranſmiſit, ternâ ſibi reſervatâ, in quam deinde deſæviret, & ſanè deſævüt.

Flammis in Sacram. Amorii l. 1. ar. 4. diſt. 1.

Primùm enim menſæ impoſitam pugione iterum, iterumq́ue verberavit; & en ſubitò ſanguinis guttæ ex ea defluentes horrorem illi ac metum incuſſêre: Quare veritus ne proderetur, eam deglutire conatus eſt: ſed fruſtrà; obluctatus eſt enim panis Angelorum, ne à cane iſto voraretur. Quid deinde? in aquas eandem immiſit; at etiam fruſtrà, recuſarunt aquæ recipere tantum ſcelus: in flammas poſtea injecit: at id quoque fruſtrà; authorem enim ſuum veritus ignis. Quid igitur? ſub Paſchalis diei feſtum azymis crudis eam immiſcuit, & unà cum illa maſſa calenti furno immitit, ſed in vanum; ſubitò quippe divinâ luce furnus, alioquin obſcurus, refulſit, & ex illo maſſula illa, velut impatiens atque indignabunda, in illius vultum inſilit, ut vel ſic ſacrilegium agnoſceret ac deteſtaretur, quod erat Chriſti miſerentis.

At nec ſui miſertus eſt mortalium infeliciſſimus, qui deinde captus atque habitâ quæſtione, ad flammas damnatus eſt, terra vindice, Cœlo autem Chriſtoque aliàs indulgente.

Simile huic facinus vidit aliquando, ſtupuitq́ue Gallia, cujus etiamnum juverit meminiſſe, ut etiam ex eo Chriſti in Sacramento patientia magis eluceſcat.

Mulier Pariſienſis pecuniam à Judæo fœnori acceperat, relictâ etiam in pignus veſte; quam appetente Paſchatis feſto, cùm recipere cuperet, ſaltem cōmodato: homo vafer opportunam occaſionem nactus, tum ex mulierculæ inopia, tum ex fervido recipiendæ veſtis deſiderio, ſpopondit & togam conceſſurum ſe, & ſortem fœnerato traditam, ejusq́ue fœnus condonaturum, ſi modò ſacram hoſtiam, quam luce Paſchali ſumptura erat, donaret.

30. aſſibus empta SS. Hoſtia.

Acquievit miſera, & triginta aſſium pretio (nec enim ampliùs fœneratori debitum erat) Chriſtum vendidit; & adlucente Paſchatis die in paræchiali æde D. Medenco ſacra, divinam hoſtiam de more excepit: ac dein ſtrophiolo involutam Judæo detulit, & viciſſim togam recepit.

Hîc geſtire, hîc triumphare homo impius, & ita ſecum loqui: *Nunc demum periculum faciam ejus Divinitatis, quam in pane iſto venditant Chriſtiani.* Utq́ue periculum faceret, alia atque alia meditatur, moliturq́ue facinora.

Icta cultello.

Primò Sacroſanctam hoſtiam repetitis cultelli ictibus menſæ affigit, & ſanguinem exprimit, uxorem liberoſq́ue advocat, ut eo ſpectaculo fruantur & ipſi: commovetur illa, commoventur & hi, trepidantq́ue: ille verò nihil omninò commotus clavo mallei ictibus adacto hoſtiam transfodit; & denuò ſanguinem excutit. Potuit eo ſanguine tingi manus impia, & ſimul animus emolliri: at horum nihil.

Clavo tranſfoſſa ſanguinem fundit.

Virgis cæditur.

Ergo arreptam jam tertiùm hoſtiam poſti affigit, & majorum exemplo virgis acriter cædit; at quod mirere, neque ſic eam comminuit, neque diſtraxit.

Uxor tot prodigiis victa, & viri pertinaciam arguit, & vindices cœlo judice pœnas intentat: at fruſtrà, accendit magis, atque ad furorem extimulat. Eo impulſus ſacram hoſtiam in ignem conjicit; at illa per flammas illæſa volitans, & virtutem oſtendit ſuam, & ſimul impii carnificis immanitatem damnat: ſed etiam incaſſum; ereptam enim è flammis hoſtiam, grandi & culinario cultro, diſſecare in partes, & diſſectam perdere nititur; ſed etiam irrito niſu, nullum illa vel ſic ſui patitur detrimentum: at pantur Judæus, qui vel ex hoc efferatur magis, & cœleſtem hoſtiam ſuſpenſam è ligno, ea domus parte, quam pudor nominare vetat, lancea petit, & rurſum ſanguinem copioſum elicit.

In ignem conjicitur.

Secari non poteſt.

Suſpenſa petitur lancea.

Videri poterat tot ſuppliciis jam inflictis ſatiata crudelitas; at nec illis ſanata, alia exigit, quæ nec majores exegerant.

Extabat in foco grandior lebes aqua bulliente plenus, in eum immittit panem Angelicum, atque immergit: & ecce, mirum dictu, viſuq́ue, vim illius divinam ſenſerunt aquæ, colorem mutavêre ſuum, & ſanguinem induêre: at nec hîc animum mutat Judæus, nec tot prodigiis percuſſus, victusque ad ſe redit. Ultima igitur adhibita fuit machina. Ipſe quippe Chriſtus, panis relicta ſpecie, eam aſſumpſit, quæ olim fuerat è cruce pendentis: quod ſanè miſerentis fuit, & mirè patientis.

In lebete bulliente ſpecies Crucifixi apparet.

Hoc demum ſpectaculo territus ille aufugit, & latebras quæſivit; ſed incaſſum, latere diu non potuit tantum ſcelus, nec terra tegere: detexit illud unius è prolibus puerilis ſimplicitas: cùm enim ſub idem tempus ad Miſſam concurrerent fideles; ſic ipſe obvios compellans, atque irridens:

Fruſtrà, inquit, *in templo Deum veſtrum inventuros ſperatis; parens enim meus eum crudeliter cæſum, & dira alias malè exceptum modo, jamjam peremit.*

Audit hunc nuntium Chriſtiana mulier è vicinia, & per ſpeciem quærendi ignis, domum Judæi introgreſſa, vidit illud paſſionis inſtauratæ prodigium, pio horrore perculſa, ſeſe proſtravit, & ſigno Crucis frontem munivit.

Interea Chriſtus depoſitâ quam aſſumpſerat ad tempus eâ Crucifixi ſpecie, ad priorem panis ſpeciem redit, ſub eaq́ue majeſtatem occultavit ſuam. Viſaq́ue deinceps integra hoſtia, quæ etiam in vaſculum, quod geſtabat mulier, ſe recepit, & ab ea data Curioni S. Joannis in Greve, ubi hodie viſitur, & religiosè colitur. Judæus autem Epiſcopo Pariſienſi ſiſtere ſe juſſus eſt, & hic ab eo criminis admiſſi confeſſionem elicuit, non tamen pœnitudinem. Ergo de Judicum ſententia vivus igni adjudicatus, atque exuſtus. Uxor autem, & liberi ſaniore conſilio ad Chriſti fidem traducti, & baptiſmo probè eluti. Exinde Chriſticidæ iſtius domus de mandato Philippi Pulchri, tunc in Gallia regnantis in ſacrum Numini templum converſa, ceſſit in uſum Religioſorum familiæ Carmelitanæ, quorum iſtic Cœnobium à venerabili Sacramento nomen ſortitum eſt, ac venerationem.

Redit ad priorem ſpeciem.

Pariſiis ſervatur.

Spectaſti, Benevole Lector, in hoc Judæo monſtrum hominis, ſpectaſti datam ab illo in hoc aſpectabilis orbis Theatro tragœdiam, cui ſimilem nec terra tulit, nec Cœlum aſpexit, nec ipſi viderunt inferi ſine horrore. Spectaſti quod hic omnibus mirabilius, malis iſtis omnibus ſuperiorem Chriſti in Euchariſtiâ patientiam, majorem certè quàm fuit illa, quam aliàs exhibuiſſe viſus in crudeli illa, atque immani paſſionis ſuæ tragœdia.

In hac ut *pecus ad victimam ductus eſt*; in hac *non magis aperuit os ſuum quàm Agnus ſub tondentis poteſtate.* Patientia, & ſilentio tormenta involvit omnia

ipſamq́ue

ipſamque per immania vulnera mortem: at eò loci ac temporis adhuc paſſibilis erat, ac mortalis, & terræ hujus incola: ſed in ea, quæ deinde in Euchariſtia illi parata eſt, & impaſſibilis erat, & immortalis, & jam Cœlis redditus, ac beatitati: & tamen patitur, venditur pretio, quo nec jumentum, cultello transfigitur, clavis transfoditur, virgis cæditur, in ignem conjicitur, ſecatur, ſuſpenditur, lancea vulneratur, in ollam bullientem immergitur, verbo uno inſtaurantur, renovantur tormenta omnia præteritæ paſſionis; & ſilet, nec vocem explicat in minas, nec manus in ultionem, nec fulmina cœlo demittit, nec ipſos inferos in vindictam evocat, cùm poſſit.

Unum illud ſpectandum exhibet, quod facit ad commiſerationem, ſanguinem videlicet copioſum, quem ex hoſtia fundit; quod etiam patientis erat, & mirè patientis.

Ipſa elementa, inanima licèt, eum reverita ſunt, nec auſa lædere, at nec reveretur homuncio, nec tot prodigiis monitus ceſſat à tormentis; ab his in alia, atque alia vertitur: & ſic efferatum verti patitur Chriſtus, nec impedit, cùm vel ſolo nutu poſſit.

An non illud patientiæ miraculum? Eſt enimverò miraculum, quod nec inferi ſine horrore, nec mortales ſine metu, nec immortales genii ſine ſtupore videre potuerunt. Unus videt, & ſimul patitur Chriſtus, nec metuit, nec horret, nec ſtupet, nec iraſcitur, nec ulciſcitur: crederes etiamnum verum eſſe, quod de illo olim patiente pronuntiavit Ter-

Lib. de Patient. c. 3. tullianus: *Saginari voluptate patientia diſceſſurus volebat*; & ita certè hîc voluit.

QUARTUM MIRACULUM.

Miraculum Humilitatis.

Singulare ſtudium demiſſionis, quo Verbum divinum in ſui Incarnatione inclaruit, ex aliis, atque aliis capitibus oſtendit Tertullianus.

Primùm ex eo quòd *naſci ſe Deus in utero patitur Matris, & exſpectat* ad menſes ſcilicet omninò novem quibus utero materno, ſeu virgineo carcere, clauditur.

Chriſti humilitas in Euchariſtia. Deinde ex hoc, quòd *adultus non geſtit agnoſci*: ſed potiùs ambit neſciri.

Tum etiam ex illo, quòd *nullum volentem ſibi adhærere non ſuſcepit, nullius menſam tectùmve deſpexit; non publicanos, non peccatores aſpernatus eſt.*

Denique ex eo, quòd *qui in hominis figura propoſuerat latere; propoſuit etiam in eadem indigniſſima quaque pati. Deſpuitur enim, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur.*

I. In ea non ſemel, ſed ſæpè naſcitur. Quæ Tertullianus agnoſcit ac prædicat in verbo divino ſub carne latitante: hæc ego in Euchariſtiâ ſub ſpeciebus, ſeu velo quodam illi obducto, & agnoſcere & prædicare non verebor.

Primùm enim in ea ſe *naſci* quodammodo patitur, nec ut aliàs ſemel dumtaxat; ſed quàm ſæpiſſimè, videlicet toties, quoties reproduci, hoc eſt propè infinities: nec una tantùm luce, ſed annis, ſed ſæculis ad uſque ultimum perituri mundi terminum: & quidem, non ut olim in utero Virginis longè ſanctiſſimæ: non in thalamo virginali; ſed in ſacrificantis manibus, in ore & ſtomacho ſumentis, & ibi expectat dum abſumptæ penitùs ſint Sacramenti ſpecies.

II. Loco vili. Deinde *naſci ſe patitur*, & quidem in ſtabulo, vili tuguriolo, abjectóque loco, quo vix etiam viliora jumenta.

Et hoc pariter in Euchariſtia, in qua non in baſilicis modò, non in Principum, & Regum ſacellis, auro gemmiſque nitentibus: ſed ſæpiùs in anguſto, vili, malè materiato, & ſemiruto tempello, in quo omnia ſitu & ſquallore horrida, etiam ſubindè ipſa arcula, in qua reconditur ſacra pixis, eáque quandoque è ſtanno, vel ære, in quo vix panem, vix cibum reponeres, quem etiam vulgari tuæ menſæ appoſitum velles, certè nauſearet ad illa ſtomachus faſtidioſus.

Taceo calicum immunditiem, veſtium ſacerdotalium vilitatem, & ſordes aræ ipſius, quæ ſubindè veriùs hara dici poſſet, quàm ara.

Movit aliquando ejus rei indignitas regium pectus Margaritæ Auſtriacæ, Hiſpaniarum Reginæ; cùm enim oſtenſa quondam illi eſſent ornamenta cujuſdam altaris lacera & pannoſa, obortis lacrymis in regias illas voces erupit.

Hei mihi, quàm humilem oportet eſſe Deum, qui tali ara ſua culta non indignetur? Dignæ cedro voces, dignæ Auſtriaca mente; nec boni vacuæ. Ut enim ad palatium rediit, novum altaris illius ornatum curavit; nec illius tantùm, ſed & aliorum, in quibus ejuſmodi ſordes agnoviſſet: nihil enim regiæ illi Heroïnæ carius in vita fuit, quàm ut ſuis templis eſſet nitor, eſſet & cultus atque elegantia: maximè verò ſacris arculis ac pyxidibus, in quibus ſervari ſolet Euchariſtia, quas ipſa regia liberalitate donavit, maximè pauperculis templis.

Bellarminus notus à calamo, notior à purpura; notiſſimus à virtute, hunc templorum ſquallorem, & altarium ſordes recenſere ſolebat inter graviſſimas Eccleſiæ calamitates, ſub quibus gemebat ipſe, & Epiſcopos gemere optabat, & quà liceret etiam mederi: ſic enim ait:

Ego cùm ex itinere apud Epiſcopum nobilem & prædivitem hoſpitarer, vidi aulam vaſis argenteis ſplendidam, & menſam omni genere præſtantium ciborum refertam, mappas quoque, & reliqua omnia nitida, & odorem ſuavem ſpirantia: ſed cùm die ſequente ſummo manè ad Eccleſiam palatio con- *De gemitu columbæ l. 2. c. 3.* tiguam deſcendiſſem, ut ſacris operarer, inveni omnia contraria; id eſt, vilia, & ſordida, ut vix auderem in tali loco, & cum tali apparatu divina myſteria celebrare.

Hæc pius Præſul, non ſine gemitu, & mœrore, vel ex eo quòd nitere videret ſæculares menſas, auro & argento etiam graves: & ſordeſcere templa, araſque ſacratiores. Quid facias? immane vitium eſt, & macula quædam hujus ævi, quæ ſubinde Præſulibus ipſis adhæreſcit: utinam aliquando penitùs eluatur, & ſuus ſacris ædibus nitor reſtituatur. Sed ne longiùs.

Chriſti in Euchariſtia demiſſionem vidimus, & *III. Latere.* ſuſpeximus, etiam in eo, quòd vel in vilibus, ſordidiſque locis naſci ſe, id eſt reproduci ſe patiatur: attendamus etiam in hoc, quod ſic natus, ſic reproductus, non ſtatim geſtiat agnoſci.

Nos puſilli mortales ſi quid in nobis grande ſit, aut etiam videatur, optamus *digito monſtrari, & dicier hic eſt*: non ſic Chriſtus: amat hic latere, & neſciri. Vidiſti ante verba ſacratiora hoſtiam aliquam, vidiſti deinde poſt illa: nihil tibi objicit oculus, quod priùs non objecit: nihil in ea cœleſte, divinum nihil videtur: & quia nihil videtur, ſic fallente ſenſu; ideò in ea deſpicitur, & conculcatur ipſe Chriſtus.

Cameraci urbe nobili, mulier Catholicis orta pa- *IV. Contemni & conculcari.* rentibus, cùm ſe hæreticorum obſequio addixiſſet, & eorum mores pravaque dogmata induit, & fidem ejuravit. Et hoc primum illi malum; cui mox acceſſit & alterum longè maximum.

Diſſimulata enim avita fide frequens ad ſacram *Annua Soc. colleg. Cameracen. Anno 1617.* Synaxim adibat, & ſacrilego ore acceptam domum referebat incentoribus domeſticis, & deinde per ſummum nefas, modò proterebat pedibus, modò forficibus diſcindebat, modò cultro petebat, aliiſque id genus contumeliis afficiebat. Diu tenuit id ſcelus, dum interim Servator Optimus nullo ſe indicio prodit. Tandem dare aliquod ſtatuit, non ad vin-

ad vindictam (quam tamen exigebat tam grande, ac diuturnum nefas) ſed ad ſacrilegii horrorem, correctionemque ſacrilegæ (quod cœleſtis indulgentiæ fuit.) Fuit autem illud ejuſmodi:

Aderat ſacrilega de more Euchariſtiam exceptura: quando derepentè ad illius crepidinem ſeſe illi objicit canis, aſpectu horrido, forma terribili, & identidem variante. Hîc illa ſtupere primùm, tum etiam tota cohorreſcere: & malè ſibi metuere; ſed pravi præjudicii vis, & peccandi conſuetudo metum excuſſit, & oſtenti illius vanitatem facilè perſuaſit: imò & ad nova flagitia impulit.

Igitur hoſtiam ſumit, expuit in ſtrophiolum, & abit è templo. Vix prima domus ſuæ limina ſubierat: cùm ecce ſpectrum illud, & quidem longè immanius fit illi obvium. Tum demum tota contremiſcere, nec auſa uſpiam ſola conſiſtere: crederes jam evictam fractamque ſacrilegæ mentis audaciam: at nec ſic victa, fracta've.

Aderat ipſe dies Pentecoſtes Anni 1616. cùm iterum ſeſe Euchariſtici panis ſumptioni petulans ac temeraria inſinuat; eòque accepto, domumque relato, etiam audet impiis illis vocibus laceſſere: *Ecce qualem Deum Catholicorum! ut ſilet, ut obmuteſcit! certe ſi quod ineſſet illic Numen, an ſe ſerret conculcari?* Enimverò non ferret. Dixit, & ad audendum ſibi animos fecit: nam & hoſtiam in duas partes laceravit, & unam ſoleis affricuit, alteram ferro transfodit auſu ſanè impio. Hic tandem crimen ſenſiſſe viſus eſt Chriſtus; ſanguinem enim prodigioſum ex hoſtia tranſfoſſa emiſit, eòque tot impiæ mulierculæ ſacrilegia lavit: quod clementiæ miraculum fuit. Mox enim eo velut prodigio exanimata, ac deinde trimeſtri morbo afflicta, & ad ſe, & ad Deum rediit, & apud unum è noſtris omnia anteactæ vitæ peccata depoſuit, & catholicè deinceps vixit.

V. Omnibus promiſcuè ſe dare manducandum.

Tranſeo ad aliud in Euchariſtia humilitatis miraculum, quod in eo poſitum eſt, quòd Chriſtus ab hac ſua menſa nullum omninò rejicit, nullum reſpuit, ſit pauperculus, ſit mortalium abjectiſſimus: ſit peccator, ad omnem omninò libidinem proſtitutus, illius tectum, illius pectus non deſpicit; ſed ultrò etiam ſubit.

Poterat eò loci, ac temporis, quo Sacramentum illud inſtituit, ſic ſtatuere in ævum omne, ut nemo ad menſam Euchariſticam admitteretur, niſi à vitæ innocentia ac ſanctitate ſingularis & conſpicuus; niſi à divino amore totus entheus, qualis Auguſtinus, Dominicus, Franciſcus, Ignatius, Agnes, Catharina, Tereſia, aliique, quos omni propè ſæculo Sanctos Romana tulit Eccleſia. At non ſic in illo Dei conſilio decretum: omnes omninò accedere permiſit, etiam nocentes, licèt ex voto ſuo innocentes optaret, velletque quàm maximè: alios tamen non reſpuit, ſibi in eo (cum venia dictum ſit) quaſi injurius & contumelioſus. Dum enim omnibus veluti promiſcuè ſeipſe concedit, & deridetur, & deſpuitur, & fœdè etiam conculcatur, omnibus injuriis atque contumeliis afficitur, ut jam vel unius exemplo oſtendimus, & oſtendemus etiam aliis, quæ his coram ſubjicere viſum eſt: vel ad commendationem divinæ patientiæ ac demiſſionis, vel ad odium ac deteſtationem infandi ſacrilegii, quod Cœlum vidit, & tamen, ô miraculum amoris! diſſimulavit.

Sacram. Amoris l. 2. diſſ. 8.

Hautinus noſter ex manuſcriptis R. P. Balinghemii hoc luci dedit, quod & ego ex illo reddam.

Methimnæ, in Caſtella Hiſpaniæ, oppidum eſt non ignobile, cui nomen *Delrio ſecco*. Hic puella prænobilis, non tam ſua voluntate, quàm parentis impulſu religioſam vitam inierat, in hac dum annum probationis exigit, ſinitur cum adoleſcente nobili (cujus amore capta clauſtrum abhorruerat) ſinitur, inquam, familiariùs agere. Ea ſcilicet fuit ſuperiorum incauta nimis conniventia; rebantur enim ejuſmodi amicitias, non ſtatim, & violenta quaſi manu reſcindi oportere; ſed lenta potius diſſui, ſecus omninò ac oportebat.

Abit interim annus, quo exacto ritè religionem profeſſa; nec ita multò poſt adoleſcens è vivis elatus.

Quid hîc monialis puella? tota in lacrymas effundi, tota in gemitus abire, & lamenta; imò quod terra ſtupuit, & cœlum exhorruit, in Deum quaſi mortis illius authorem inſurgere, & ſic auſa vindictam illi denuntiare.

Quandoquidem tu me uno iſto ſolatio, quod ſupererat ſpoliaſti; ego viciſſim quacumque in te potero, tibi adverſabor, & quacumque occaſione data te offendam.

Hæc ubi dixit furioſa; hæc & fecit: quidquid enim ſceleris effingere potuit mens impia; hæc & manus effecit; & hoc, quod mirere, per annos quamplurimos. Taceo cætera, & unicum prodo, in quo vel maximè ſe prodidit immanis illius nequitia: cui quaſi pro ſcopo fuit Sacroſancta Euchariſtia.

Hanc conſueto aliarum ritu ſumere ſolita: dein ſtrophiolo exceptam ſervare ſibi & ſuis furiis. Primùm enim illam impetere contumeliis, execrari, deteſtari, odiſſe, tartaro addicere, & malo dæmoni mancipare. Tum, ne quid ad dira illa verba deeſſet, ſub pede lecticæ collocare, eàque mox ſublata, mox depreſſa comminuere.

Quid hic Superi? quid inferi? indignantur indubiè illi, & ſtupent tot flagitiis, & tam immanibus necdum aperiri fulmina: hi verò malè geſtiunt, & triumphant, cùm de Omnipotentis patientia ac demiſſione triumphare videntur.

Quid facias? id patitur, id diſſimulat Deus in hoc divini Amoris Sacramento. Quid, inquam, facias? Amoris eſt miraculum: quod & ſe deinde prodidit. Dum enim inſueto impotentis animi œſtro percita, hæc & dicit, hæc & agit puella: ecce illi derepentè adſtat formoſiſſimus puellulus, corpuſculo decorè nudo, humero & pectoris parte læva vulneribus, & vibicibus hiente, qui in eam oculos benignè conjiciens, latuſque commonſtrans cruentum, hæc illi lacrymabili, & tenellula voce:

Quid ego tibi unquam nocui, ut ita in me ſævias? Ad aures appulit ea vox, & ſimul ad animam cœleſtia gratia, quæ adeò eam commovit, ut tota in pœnitudinis lacrymas ſolvi cœperit, ac propè diſſolvi; moxque evocato Confeſſario, & crimen aperuit ſuum, & ſibi Deoque reddita ab illis, quibus tot jam annis agitata erat, furiis.

Quis hic non ſuſpiciat, non amet, non prædicet invictam illam Chriſti in Euchariſtia patientiam, ſimul ac demiſſionem; dum à puella, à religioſa Deo dicata, tam fœdè & verbis, & injuriis, & contumeliis tractari viderit, atque conculcari. Ea certè patientia, ea demiſſio eſt; quæ non in alium, quàm in Deum cadere poſſit.

Hîc ſtylum è membrana ſubducere parabam, & ab argumento tam ferali abire, cùm ecce in aliud evocor, in quo ea ipſa Chriſti demiſſio viſa certare magis cum hominum, imò & dæmonum rabie, ac furiis; certare inquam, & patiendo etiam vincere.

Vidit aliquando Maſſilia *Ludovicum Goffredi* Sacerdotem, ac deinde Magorum principem; hominis monſtrum, & dæmonis mancipium. Hic concepta dudum in Salvatorem optimum odia, in duobus potiſſimum explicuit. *Franciſcus de Roſſet in hiſtor. Tragica, ab anno 1620. ad 1637.*

Primùm in eo, quòd optaſſet vel eſſe parens Antichriſti; vel cùm non daretur illud, ſaltem ad illius uſque tempora vivere, ut rabiem in Chriſtum, nequitiamque illi commodaret ſuam.

Alterum in eo, quòd viſus ſit Corpus, & Sanguinem Salvatoris noſtri conficere, & inceſtis illis ſagarum conventibus, & horrendis illis ſabbatinis, in quibus auſu ſacrilego, auſu impio etiam conculcare,

etiam

etiam canibus illis objicere: imò, quod cogitare horret animos, quod vix audet calamus exprimere; quod membrana capere erubeſcit; ſanguinem ipſum Filii Dei effundere in teterrima veneficorum, veneficarumque capita, his interim unâ voce conclamantibus illud ipſum quod olim inſana natio Iudæorum:

Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.

Quid hic Angeli, ſupremæque Cœlorum Intelligentiæ? an non totis effunduntur Cœli portis? an non ignes & fulmina in funeſta illa capita expediunt? an non dehiſcit terra, ipſique aperiuntur inferi? certè hæc, & majora Deo vindice exigebant tam diuturna, tam immania, tam horrenda ſcelera, quæ nec dæmones ipſi effingere, nedum patrare poterant: & tamen ut ea ſint; cœli ſilent, terra patitur, Chriſtus ipſe in Euchariſtia diſſimulat, inaudito à ſæculis patientiæ ac demiſſionis miraculo.

Et nos abjectæ in terras animæ, & cœleſtium inanes, vix verbulo acriore offendi nos patimur, vix injuria, aut contumelia vel leviter lædi, nedum eſſe ſub aliorum pedibus, nedum calcari, atque conculcari. Id certè & ſtuporia eſt noſtri, & faſtus inſolentiaris, quod accuſat, quod damnat illa ipſa Chriſti in Euchariſtia patientia, & humilitas. quam te ſpectare velim, amare, atque imitari, Benevole Lector.

Hanc certè ſpectaſſe videtur Venceſlaus Bohemiæ Rex, qui ut ſeſe demitteret vel ex eo Chriſti in Euchariſtia exemplo, ex Rege factus eſt arator, molitor, piſtor; dum non dubitavit regias manus, ſceptris atque armis aſſuetas, aratro admovere, molæ, ac piſtrino, dum agrum colere, ſerere, frumentum metere, ac molere, farinamque ſubigere, ac panem coquere, ut quod ex regia cultura proveniſſet frumentum, quique coctus eſſet panis, Euchariſtiæ conficiendæ, regio planè munere, atque obſequio offerretur, raro ſanè Chriſtianæ humilitatis exemplo, raro etiam religionis ac fidei in Chriſtum ibi latentem teſtimonio; quod utinam redderent coronata in terris capita, ſi non eo demiſſionis officio; at certè alio, atque alio, quod & tempus dabit, & ſuggeret oblata ſubinde occaſio. *Rh. in hiſt. vers. l. 3. c. 1.*

TRCTACTUS

DE SALUBRI DEI TIMORE.

PARTE prima pauca protulimus de Dei *amore*, hîc adjiciemus nonnulla, de ejuſdem DEI ter Opt. ter Max. *Timore*: ſunt enim *Amor*, & *Timor* veluti duo poli in quibus vertitur Orbis, & *parvus* hic *mundus*, id eſt *homo*.

Sunt veluti *duæ alæ*, quibus ad Deum aſſurgimus: *Duo brachia*, quibus eum nobis aſtringimus, atque complectimur.

Amor tendit in bonum: *Timor* malum ſpectat, & ab eo quantum licet avertitur, atque ab illo ſibi cavet.

Ut porrò ſic avertatur, & caveat, de illo nobis erit diſceptatio inſtituenda, eaque ad mores ritè formandos, pro quibus ſit

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Initium ſapientiæ timor Domini.* Eccleſ. c. 1. v. 16.

§. 1.

Quid ſit Timor, *& quid* Domini timor?

Timoris definitio. TImor ſi preſſiùs definiatur ex Natura, & Philoſophiæ legibus, ac placitis, eſt *paſſio Appetitus ſenſitivi*, omni animanti inſita ab ipſamet natura, ceu optima parente, & hoc ad vitanda ſibi contraria, & hinc eſt quoddam naturæ donum, atque ornamentum.

Lib. Eth. cap. 4. L. Tuſcal. Quæſt. Ariſtoteli dicitur, *Timor expectatio mali.*

Romano Oratori, *Timor eſt metus mali impendentis.*

Oritur autem is ex imaginatione futuri mali corruptivi, ac dolorem inferentis, & hinc eſt quædam animi perturbatio, quæ plerumq; non eſt ſine nævo.

De hoc timore non erit mihi in præſens diſceptatio, quia ſi is intra naturæ limites ſe contineat, nec bonus eſt, nec malus; ſed pura putáque paſſio naturalis. Ego, quia in his Tractatibus Aſceticis in mores inquiro, moreſque formo, declino ad alium *Timorem*, qui *Moralis* eſt, & bonus, aut malus; & de hoc quæro quis ſit, & quidem non preſſiùs, ut in lyceo Philoſophi; ſed latiùs, ut Sancti Patres, qui Timorem hunc quibuſdam deſcriptionibus, & Metaphoris velut alieno penicillo, mutuatiſque coloribus depingunt.

Et ita depinxit Sapiens cùm cenſuit, & dixit: *Initium ſapientiæ timor Domini*: quod aliter atque aliter exponunt Interpretes ex alia atque alia hebraicæ vocis ſignificatione. *Deſcriptiones Timoris Domini.*

Initium enim hebraicè dicitur *reſchit*, quæ vocula deducitur à *ros*, id eſt *caput*, quod in illuſtri illa, ac divinitate ſapientiæ imagine idem ſit *Domini Timor*, quod in homine eſt caput, primum utique ac princeps membrum, cui proinde ſervando adlaborant omnia membra. Ita ſi quis adverſa mano, ferroque caput impetat, ac ferire velit, illicò ſuccurrit manus, ferrum excipit, excutitque, plerumque non ſine vulnere, ſuoque damno. *I. Caput.*

Et meritò: à capite enim & ſpiritus animales in nervos demittuntur, atque influunt, & vitales in arterias elabuntur, & illarum micationes faciunt, atque excitant, dantque illis motum, ſenſum, & vitam.

Sic & ſapientiæ, conſummatæque perfectioni, quæ corpus quoddam eſt, & quidem ſacrum, *Timor Domini*, eſt illius veluti caput, quod in omnes alias virtutes influit, & ſine quâ vix, ac ne vix quidem ſervari poſſunt.

Alii hebræam illam vocem *reſchit* ita explicant, ut idem ſit ac *principatus*, quod ſcilicet in ſapientia, hoc eſt in virtutibus, vitáque honeſta, primas teneat *Timor Domini*, & ſanctitatis arcem, & ſapientiæ principatum ſibi quodammodo vendicet. *II. Principatus.*

Denique (quæ linguæ hebraicæ eſt fœcunditas) eadem vocula *reſchit* non ſine ſecretiore myſterio dicitur, & eſt *Primitiæ*. Ut enim Deo ter Opt. ter Max. ceu Authori naturæ, rerumque omnium, debentur *primitiæ* frugum, eique ſolemni ritu ſacrantur, ſic & Virtutum, quæ bonæ mentis fructus ſunt, *primitiæ* Deo offeruntur, à *Timore Domini*: imò ſunt ipſæ *Timor Domini*. Et hæ illius deſcriptiones petitæ ab una hebræa voce, in qua tot reconduntur myſteria: plura etiam in aliis, quas ſubjiciam. *III. Primitiæ.*

Tertulliano ſeveriori morum magiſtro, *Timor Domini* dicitur *Inſtrumentum pœnitentiæ*; quod huic ſit quod artibus mechanicis inſtrumenta; imò quod & naturæ. *IV. Inſtrumentum pœnitentiæ* *Lib. de pœnitent. c. 6.*

Si vel

Si vel à natura, vel ab arte ſuſtuleris inſtrumenta, & ipſa natura ſine ullo molimine ſtupida hærebit, & artes omnes inertes erunt.

Tolle ab igne calorem, ceu illius inſtrumentum, tolle à ſole lucem, nec hic lumen ſparget Univerſo, nec ille calorem effundet.

Tolle à pictore penicillum, nec tabulæ colores inſperget, nec vultus effinget, ac formabit.

Ita ſi timorem Domini à pœnitentia removeris, erit illa omnis propè boni vacua, omni nuda opere; at ſi timorem ut inſtrumentum addideris: tum verò maximarum, & pulcherrimarum rerum effectrix erit, & magiſtra.

V. Conſcientiæ frænum. *In Pſal. 33.*

D. Baſilio, ille ipſe Domini timor, eſt veluti *conſcientiæ frænum.* Miſellus *homo* ſibi relictus, & concupiſcentiis traditus, ſimilis eſt equo indomito, qui & vagus abripitur, & ſeſſorem ſubinde etiam excutit. Quid illo fiet? opus eſt fræno, quo retineatur, & calcaribus, quibus incitetur: quod equo, illud & homini. Et pro calcaribus erit Dei Amor, quo ad bonum excitetur; pro fræno, quo retrahatur à malo, erit Dei Timor; hoc ſi regatur, non elabetur vagus, devius, effrænis; ſed potiùs continebitur intra virtutum ſepta, & cancellos bonorum operum, atque flectetur, ad omnes cœli nutus, ac periodos, nec unquam, Deum, ceu optimum ſeſſorem, excutiet: & hoc quia Timor Domini illi erit pro fræno: quod ſcilicet Zacharias altiore voce uſus appellavit *frænum ſanctum Domino.* *Cap. 14.* *Frænum* dico, quia & continet hominem, & à malo retrahit; *ſanctum* autem, quia ex peccatore, Superisque inviſo, ſanctum facit, Deoque gratum.

VI. Pædagogus. *In Regula.*

Pachomio, viro in paucis religioſo, *Timor Domini* eſt quod puero *Pædagogus*: pii parentes, maximè verò viri principes, liberos ſuos tradunt regendos pædagogis, à quibus & in bonis artibus inſtituantur, & probis moribus imbuantur. & meritò; ſolet enim adoleſcentia in illo ætatis æſtu ſolvi, ac diſſolvi, & in concupiſcentias ſuas, luſuſque effluere, niſi ſub pædagogo contineatur, & illius arctetur regulis, atque inſtitutionibus erudiatur. Quod illi; hoc omni homini eſt Dei timor: *Super decem millia pædagogorum, magiſtrorumq́, doctrinam*, inquiebat ille ipſe Pachomius, in regula, quâ monachos inſtruebat, & quibus dabat timorem Dei pro pædagogo, & pro magiſtro ſpirituali, qui ſuas quotidie præceptiones, ſua præcepta, placitaque velut totidem oracula, in diſcipulorum aures, & animos immittat, donecque tandem Laurea magnarum virtutum, maximè verò Timoris Dei.

De Geſtis Philipp.

Hac certè donatus eſt Philippus Auguſtus, de quo illud Rigardi magnificum ſanè præconium: *A primâ ætate ſuâ Timorem Domini pro pædagogo habuit.*

VII. Primus gradus in ſcala Virtutum.

Jacobo Patriarchæ: *Timor Domini* primus gradus fuit in ſublime. Vidit ille per quietem mirabilem ſcalam, Angelorum utique viam, per quam reciproco motu ferebantur, modò ſurſum in Cœli regiam, modò deorſum in terras.

Et hæc illi ſcala tam ſublimis, ut cœlos attingeret, tam ſancta, ut innixum haberet Deum, tam redundans myſteriis, ut cùm plura ſignificare poſſet, maximè verò progreſſum ad altiſſimam perfectionem, in cujus veluti primo gradu cœleſtium aſcenſionum ipſe Jacob poſuit *Timorem*: ſic enim ſibi ab illo ſopore redditus, exclamavit: *Quàm terribilis eſt locus iſte?* *Gen. c. 28. v. 17.*

Ecce terror, ecce timor Domini, à quo, ceu primo gradu magnus ille Athleta pedem animi ſuſtulit, evolavit in altum, comitibus atque ductoribus Angelis, ut tandem aliquando ad ipſum Dei ſolium cœleſti amore pertingeret. Ab eodem gradu ſi ſapis, Amice Lector, perfectionis curſum incipe, ab hoc aſcende de virtute in virtutem: alio certè non aſcendes; ſed deſcendes potiùs in ima vitiorum.

Ne porrò ſic deſcendas, *timorem Domini*, quo cœpiſti progredi, ſerva ſeros in annos.

Eſt enim ille D. Gregorio Nyſſeno, *bonorum cuſtodia.* D. Cypriano, *Innocentiæ caſtos, cuſtos & gratiæ.* D. Bernardo, *Nutrix, ac veluti blanda mater virtutum propè omnium*: eum audi. *In veritate* (inquit) *didici nil æquè efficacius eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam ſi omni tempore coram Deo inveniaris non altum ſapere; ſed timere. Time ergo cum arriſerit gratia, time cum abierit, time cùm denuo revertetur: ſuccedant viciſſim ſibi in animo tres iſti timores.* VII. Cuſtos virtutum & gratiæ. *Serm. 54. in Cant.*

Et quidem primò cùm adeſt gratia, *time ne non dignè operera in ea*, ne in te vacua ſit, & boni inanis: ſecundò, ſi fortè receſſerit; *time tanquam mox caſurus. Time & contremiſce Deo tibi, ut ſentis, irato. Time, quia reliquit te cuſtodia tua.* Tertiò, ſi propitio Numine, & miſerente cœlo, *gratia jam repropitiata redierit, multò ampliùs timendum; ne forte contingat recidivum pati.*

Ecce triplex timor, quo cor tuum repleri vult S. Præſul, ut ſcilicet *timeas pro accepta gratia, ampliùs pro amiſſâ; longe plus pro recuperatâ.*

Si *pro acceptâ gratiâ* ſemper timueris, erit ille timor pro fideli illius cuſtodia; ſi *pro amiſſâ*, erit illius quaſi de novo parens; ſi denique *pro recuperatâ*, erit illius veluti nutrix.

Itaque Timor & virtutis & gratiæ cuſtos eſt, & parens, & nutrix; addo ampliùs, etiam *dos* quædam principis Animæ, ceu ſponſæ Chriſti. Hoc eam ſibi deſponſat, hoc aſtringit cœleſtis ſponſus, ne unquam abeat in alios amores, ne fidem datam fallat: & certè qui abiret? qui falleret, qui *ſanctus*, qui *caſtus* eſt timor? ſic eum vocavit Pſaltes regius, ſic & ex illo Caſſianus, qui ait, ut *conjugem conjux ſollicito reveretur affectu: ſic & timore caſto.* IX. Dos animæ ceu ſponſæ. *Collat. 11. c. 13.*

Exemplum petit à ſponſa, quæ ſponſum timet, quia amat; amat autem, & timet, quia & illi amor, & timor eſt pro *dote*; addo & ampliùs, quia & pro *corona.* Certè ſic eam appellandam cenſuit Eccleſiaſticus: *Corona*, inquit, *ſapientiæ timor Domini.* *Cap. 1. v. 22.*

Eſt corona cujuſque rei faſtigium, apex, & perfectio: & timor Domini faſtigium, apex eſt, & perfectio ſapientiæ. X. Corona ſapientiæ.

Eſt corona nobile & regium capitis decus, atque ornamentum; & magnæ mentis, principis Animæ corona, eſt timor Domini.

Eſt denique corona index & teſtis victoriæ, ac triumphi: imò & illius præcipuum ornamentum; ſic timor Domini, partæ de vitiis, mundo, carne, dæmone, jurans utique hoſtibus, victoriæ, ac triumphi & index, & teſtis, & præmium eſt.

Hanc coronam ad Tiaram pontificiam accedere voluit D. Bernardus, dum ſic ad Eugenium Pont. Max. ſuum aliquando diſcipulum:

Quid tam timendum, quàm poteſtas, cui non potes reſiſtere? quàm ſapientia, cui abſcondi non potes. poterat minus timeri Deus alterutro carens, nunc autem perfectè oportet timeas illum, cui nec oculus deeſt omnia videns, nec manus potens omnia. *Lib. 5. de conſid. in fine.*

Hactenus D. Bernardus, qui Regale Eugenii ſacerdotium, uti Tiarâ, ſic & hac coronâ ornari voluit, atque decorari, ut Pontificiam majeſtatem, ſacram, ac venerandam, tam hæc, quàm illa redderet, atque Univerſo ſpectandam exhiberet, ex illa Eccleſiæ ſpecula, & ſummæ in terra poteſtatis faſtigio.

§. 7.

Quàm multiplex, & varius ſit ille Timor?

A Theologis proditur quadruplex; videlicet *naturalis, mundanus, ſervilis, & filialis.* I.

Naturalis recenſetur inter animi perturbationes, eſtque paſſio appetitus ſenſitivi, cuique animalium inſerta I. Timor naturalis.

inſerta à naturâ, in genere moris nec bona, nec mala; nec enim eſt in noſtrâ poteſtate: ſed velis, nolis, inſurgit, ubi malum impendens incurrit. Hunc elatè deſcribit D. Hilarius; ſic enim inquit:

Timor eſt humanæ imbecillitatis trepidatio, metuentis id perpeti, quod ſibi nolit accidere. Exiſtit autem, & commovetur in nobis de reatus conſcientia, de jure potioris, de impetu fortioris, de ægritudinis cauſa, de fera occurſu, & de omnis mali paſſione.

Eſt Dei donum, ornamentum naturæ, & monitor opportunus ad vitanda contraria; & cùm is eſt; eſt etiam ſine nævo; ſubinde tamen eo inficitur, & notatur. Unde

D. Damaſceno, dividitur in ſex veluti ſpecies:
Lib. 2. c. 15. *In ſegnitiem, erubeſcentiam, verecundiam, admirationem, ſtuporem, & agoniam.* Et hæ plerumque non carent ſuo nævo, & graviore incommodo: quo ne afficiaris malè, Senecam audi ad Lucilium, quem ſic inſtruit, atque obarmat. *Plura ſunt, Lucili, quæ nos terrent, quàm*
Epiſt. 13. *quæ premunt, & ſæpiùs opinione, quàm re laboramus. Illud tibi præcipio ne ſis miſer ante tempus, cùm illa, quæ velut imminentia expaviſti, fortaſſe nunquam ventura ſint, certè nondum venerint.*

Quædam enim nos magis torquent, quàm debeant; quædam ante torquent, quàm debeant: quædam torquent, cùm omninò non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præripimus, & hoc non ſine ingenti malo noſtro: quo ne fruſtra cruicieris,

Primùm diſpice an certa argumenta ſint venturi mali; plerumque enim ſuſpicionibus laboramus, & illudit nobis illa, quæ conficere ſolet bellum, fama, multò autem magis ſingulos conficit.

Ita eſt, mi Lucili, citò accedimus opinioni, non coarguimus illa, quæ nos in metum adducunt, nec excutimus; ſed trepidamus, & ſic vertimus terga, quemadmodum illi, quos pulvis motus, fuga pecorum, exuit caſtris, aut quos aliqua fabula ſine authore ſparſa conterruit. Neſcio quomodò vana magis perturbant; vera enim modum ſuum habent. Quidquid ex incerto venit, conjecturæ, & licentiæ paventis animi traditur. Nulli itaque tam pernicioſi, tam irrevocabiles, quàm lymphatici metus ſunt. Cæteri enim ſine ratione, hi ſine mente ſunt.

Inquiramus itaque in rem diligenter. Veri ſimile eſt aliquid futurum mali, non ſtatim verum eſt. Quàm multa non expectata venerunt, quàm multa expectata nunquam comparuerunt? etiamſi futurum eſt, quid juvat dolori occurrere? ſatis citò dolebis cùm venerit. Interim tibi meliora promitte.

Hæc ubi pro metu vel excutiendo, vel moderando extulit Seneca, tum quærit, *quid inde lucri? Tempus*, inquit; quod dum labitur, *multa intervenient, quibus vicinum periculum vel propè admotum aut ſubſiſtat, aut deſinat, aut in alienum caput tranſeat.* Quod aliis, atque aliis exemplis probat.

Incendium, inquit, *multis ad fugam patuit, quoſdam molliter ruina depoſuit. Aliquando gladius ab ipſa cervice revocatus eſt. Aliquis carnifici ſuo ſuperſtes fuit. Habet etiam mala fortuna levitatem, fortaſſe erit, fortaſſe non erit.*

Interim dum non eſt, meliora propone. Spe metum tempera, ſpem & metum examina, & quoties incerta erunt omnia, tibi fave, crede quod mavis. & ſi plures habebit ſententias metus, in hanc partem inclina, & perturbare te deſine.

Quid enim, inquit, neceſſe eſt mala accerſere? ſatis citò patienda cùm venerint, præſumere, ac præſens tempus futuri metu perdere: *Eſt ſine dubio*
Epiſt. 24. *ſtultum, quia quandoque ſis futurus miſer, eſſe jam miſerum.*

Hactenus Sapiens Romanus pro timore illo naturali intra rationis cancellos retinendo.

II. Timor mundanus.

Tranſeo ad *mundanum*, & quis ſit, & quàm damnandus inquiro. Is porrò in eo poſitus eſt, cùm unus aliquis aut damnum, aut pœnam imminentem ita metuit; ut non dubitet, aut aliquo ſcelere ſeſe aſtringere, aut abire à Cœli lege, Deoque, aut etiam à conſiliis.

Hunc timorem Vates Regius appellavit *inimicum*, inimicum utique immortali Animæ, & Cœlo natæ. Inimicum & Cœlo, Deoque, à quo ſe eripi dum amat, ſic ad Deum ſupplex: *A timore inimici eripe animam meam.* D. Baſilius vertit, *A timore inimico*, & inde etiam *hoſtilem* vocat, & ſaluti inimicum.

Et tamen, ô pudor! ô dolor! ô ignavia mortalium! ô damnanda inſania! eo plerique occupantur, etiam hoc quo vivimus ævo.

Hos tenet auri fames, & opum malè ſana cupido, illos ambitio, & Principum gratia favorque trahit, ac retinet; alios blanda voluptas allicit, atque demulcet; dum his, aut illis excidere timent, excidere malunt à Dei gratia, à cœli gazis, & cœleſtibus deliciis nullo unquam ævo perituris.

Nonnullos etiam terret vis Tyrannorum, & rabies. Aliquos ſupplicia, ferrum, ignis, equulei, rotæ, & dum in hæc venire timent, longiùs à Deo recedunt. Non ſic grandes animæ, non ſic: nec illas ad ſe trahunt hujus ævi bona, nec mala ulla à Deo, Deique placitis, retrahunt; nil enim amant illi, nil metuunt præter Deum; nil boni amant niſi quod æternum eſt; nil mali timent, niſi quod pariter æternum eſt.

Et ſic amare, ſic & timere nos exemplo ſuo docuerunt Heroës inclyti, & in Eccleſia Primipili, ex quibus aliquando fuit Lucifer Calaritanus, cùm adhuc ſuus eſſet, Eccleſiæ ac Dei; ſic enim adverſus Conſtantium Imperatorem auſus & ſcribere, & loqui.

Quomodo vigor inanis dignitatis tuæ, nos ab hoc potuit, Lib. 1. *aut poteſt, propoſitis flectere, qui præter Deum ſtatuerimus metuendum neminem?*

Purpuræ ſceptrique minas appellat vigorem inanis dignitatis, quæ virum ſibi Deóque conſtantem, à propoſito deflectere nec potuit unquam, nec poterit: quî enim poſſet, cùm præter Deum ſtatuerit metuere neminem?

Ex his etiam fuit Gratianus, nepos Eugenii Papæ. Is legatus ab Alexandro III. ad Angliæ Regem in cauſa S. Thomæ Cantuarienſis, Regi multa minitanti, liberè dixit:

Domine, minis abſtine, quia de tali curia ſumus, quæ Baron. *novit imperare Regibus.* An. 1169.

Liberum, & audax effatum; ſed tamen ejuſmodi, quod mundano timori ſit adverſum: uti & illud (hoc quo viximus ævo) Ferdinandi II. Imperatoris Auguſti. Ex Anglia venerat Legatus multa dicturus, multa & moturus pro cauſa Comitis Palatini, quibus cùm non annueret Cæſar, auſus eſt minari, & multa jactare de Jacobo, magnæ Britanniæ Rege, ad quæ Ferdinandus non minùs piè, quàm auguſtè.

Vade, inquit, *& hæc ex me Domino tuo dicito. Rex Angliæ eſt in terris; ſed Deus eſt in cælis.* Hunc ſcilicet unum timebat Cæſar, præterea neminem.

Et hoc in Purpura ſceptróque Auguſtus: videamus quid in Purpura *S. Carolus Borromæus.* Graviore cauſa permotus Sanctus Præſul, ipſum Gubernatorem Mediolanenſem excommunicationis In ejus vita. fulmine percuſſerat, & hinc in Civitate illa timendi motus, irarum æſtus, animorum alienatio, exacerbatio plurimorum, à qua non leve periculum & publico, & privatis etiam imminere. De eo monitus à Marchione Sfrondrati; imò & rogatus ut excommunicationem tolleret, & ejus vinculis illigatum Gubernatorem ſolveret; ni faceret, extrema quæque timenda. Quid hîc Vir Dei? unum illud, quod in oculis erat.

Ego, inquit, Purpura tegor, & ab illa rubeſco totus, paratus etiam effuſo ſanguine rubeſcere pro Dei, & Eccleſiæ cauſâ. Ecce ut timorem mundanum contemnit, ac proterit Pius Præſul; promptus

occidere

occidere pro Eccleſiæ libertate, proque Dei ſui, ac Domini gloria, ut qui Purpuram geſtaret, & animam illi concolorem, hoc eſt purpuream, & prodigam ſui ſanguinis in bona cauſa.

Spectavimus quid in Purpura Carolus: attendamus quid in Tiara Pontifex Maximus.

Is erit Clemens hujus nominis IV. qui acceptis
Spondanus Manfredi, Siciliæ tyranni minacibus litteris, reſpon-
An. 1266. dit: eas litteras nec favore dignas, quia adverſæ veritati; nec etiam timore, quia vir timoratus præter Deum unum nihil omninò metuit.

Et iſta Heroës illi adverſus timorem mundanum, majora etiam invicti Chriſti pugiles, glorioſiſſimi martyres, è quibus unus erit inſtar omnium, iſque in Petri ſede Summus Pontifex S. Clemens.

Romæ nobiles inter virgines eminebat S. Flavia Domitilla, quæ etiam Aureliano Conſulis Romani filio, jam erat deſponſata. Erant illi famuli duo, & ſancti, Nereus & Achilleus, qui pro ſuo in religionem zelo, & virginitatem ei perſuaſerunt, & S. Clementem orârunt, atque exorârunt, ut illam velaret, Deóque ſacraret ſolemni ritu, votoque.

Quid hîc S. Pontifex? futuri præſagus, ſic ad illos: *Vobis, & mihi, ut video paratur palma martyrii: ſed quia Chriſtus ſanxit, ut non timeamus eos, qui occidunt corpus, contemnamus hominem mortalem, ut authori vitæ immortalis planè plenéque pareamus.*

Dixit, paruit, velavit, ſacravítque Virginem.

Quid deinde? audiit Valerianus, ſtupuit, indoluit, exarſit in iras, & vindictam ſanguinemque ſpirans, primò Nereum, & Achilleum variè tortos, ad extremum capite plecti juſſit. Tum S. Domitillam in Pontiam inſulam relegavit, quæ deinde in igne elementari mortem invenit, & ſimul duplicem palmam, unam virginitatis, martyrii alteram. Denique S. Clementem demerſit in mare, in quo & mortem & martyrii coronam obtinuit.

Sicque ceciderunt & hic, & illi, veluti totidem virginitatis victimæ, non dubiæ pro illa tenenda mori, & neſciæ timere, quia benè amare doctæ. Adeò eis profuerat iſtud Chriſti oraculum.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem
Matth. c. 10. v. 28. *non poſſunt occidere; ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.*

Hunc unum timete, eóque timore animam ſervate, ſervate Cœlis, palmis, ſervate & Deo, & à gehenna vos eximite. certè illius quod aliquando ad Auditores ſuos D. Chryſoſtomus.

Hom. 5. ad *Gehennam continuò timeas, nunquam in gehenna ignem*
populum. *debis continuè caſtigatus hoc metu.*

Ut & illo caſtigeris, Mi Lector, opto, vovéoque; ſic enim æterno igne caſtigari deſines; & ſi expiatorio caſtigari te contigerit, ab illo certè tranſibis in refrigerium.

III. Venio ad alium timorem, qui à ſervili conditione
Timor nomen trahit, & *ſervilis* dicitur. Et is eſt, quo unus
ſervilis. aliquis metuit conſtitutas à Deo ſceleri pœnas, iſque movetur ad hoc fugiendum, ne ſcilicet in Dei ſeverè punientis iras & manus incidat.

Hic timor ferè oritur ex amore ſui, non Dei; & à D. Auguſtino ſic deſcribitur:

In Pſ. 118. *Timor iſte, quo non amatur juſtitia; ſed timetur pœna, ſervilis eſt.*

Et is fuit, qui Adamum invaſit ſtatim à culpa. Ab illa dum fugit, & latebras quærit, fugæ cauſam
Gen. 3. 3. v. 10. roganti Deo, reſpondit: *Timui, eo quòd nudus eſſem, & abſcondi me.*

Non timuit quòd à gratia nudus eſſet, ab amore Dei ſui alienus, ab eóque averſus; ſed à pœna nuditatis expavit, ſeipſum horruit, atque damnavit.

Notandum (inquiebat Rupertus) *quod culpam ſuam tacuit, & nudum ſe eſſe queſtus eſt: non enim dixit. Timui eo quòd præceptum tuum prævaricatus eſſem: ſed eo quòd nudus eſſem. Quàm perverſus hic timor, qui non facti ſui gerere pœnitudinem; ſed ſolàm pœna ſua ſe fatetur habere confuſionem.*

Quod Adamo; hoc & Caïno, qui ſecundus ab illo peccavit: ubi ille totus à fraterno ſanguine rubuit, non ſcelus erubuit, non fratricidium damnavit; ſed tantùm imminentem crimini pœnam exhorruit; ſic enim ad Deum, ſceleris ſui vindicem:

Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar. *Gen. c. 4. v. 14.*

Præpoſteræ ſanè Caïni voces. Primùm enim dolet ſe à facie terræ ejici, deinde à facie Dei.

Timet, inquit Rupertus, *ne agricolari ſibi non liceat; ne terram, quam ſolam amat, vel præſentem vitam pro admiſſo facinore perdat.* Et non timet emitti, ejici, exulare à facie Dei, quod tamen erat longè graviſſimum.

Et hic, & ille timor quia non fuit culpæ jam admiſſæ, ſed pœnæ tantùm impendentis, omninò damnandus, quia nec peccati pœnitudinem, nec etiam illius deinceps fugam præ ſe tulit.

Alius eſt, & ille quidem etiam *ſervilis*; ſed tamen bonus, ac Dei miſerentis donum, quo multi ad honeſtum vitæ genus inducuntur, cùm antea effræni quadam licentia, multis, & magnis ſordibus obſoleſcerent, dum ſcilicet ſibi objiciunt, & gehennam, & tenebras exteriores, & noctem æternam, & ardores ſempiternos, & eorum contemplatione ac metu, à pravis atque infandis operibus abſtinent.

Et ita abſtinent plerique mortalium, quibus objicitur illud miſerentis Dei, de quo Propheta Regius:

Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie *Pſal. 59. v. 6.*
arcus, vel ut alii, *ſuſtuliſti ſignum, & metuentibus te vexillum.* At quod, inquies illud? eſt ille cæli ludus, ut non priùs divinæ juſtitiæ det locum, quàm illius quædam ſigna, ſeu vexilla objecerit mortalibus oculis, ut poſtquam ea viderint, fugiant à facie arcus, hoc eſt, divinæ ultionis, ac pœnæ.

Ita fugere docti mortales ſub D. Gregorio Pont. *Lib. 4.*
Max. *Viſa enim ſagitta è cælo labi*, indices utique *Dialog.*
irati cæli, & pœnæ jam jam impendentis, quam ut *c. 36.*
à ſuorum capitibus averteret pius Pontifex, & providus paſtor, publicas orationes inſtituit placando ſcilicet Numini. Et verò placatum illicò, & inaudito à ſæculis divinæ miſerationis prodigio etiam oſtenſum. Eò quippe loci delapſum *è cælo ſcutum*, quo ſcilicet immiſſa de Superis tela innoxiè poſſent excipere, atque etiam retundere. Quod & factum, datúmque tum paſtorali curæ tanti Pontificis, tum etiam timori Dei, licet *ſervili*, utpote enato ob imminentem è cœlo cladem, à qua tota Italia indubiè graviùs afflicta fuiſſet, niſi eo prodigio benè monita à ſuis ſceleribus fuiſſet revocata.

Quod tum Italiæ; hoc & primis ſæculis indulgente Numine conceſſum eſt mortalibus; conceſſa, inquam, priùs ſigna quædam adverſi cœli, & in ultionem propendentis, ut ea cùm vidiſſent, reſipiſcerent.

Ita priuſquam Deus immani illa aquarum eluvie mundum obrueret, perderetque, ſignum datum. Fuit illud *Arca*, cujus fabrica tenuit annos omninò centum. Interea ad Noëmum illius operis architectum, ex toto propè orbe ventitare quamplurimi, mirari, & quærere cur, & quorſum ea moles? audireque, ad ſalvandas generis noſtri reliquias, dum illud propè Univerſum haurire debebant aquæ.

Ecce ſignum, ecce vexillum, ad cujus conſpectum, & pœnitentiæ ſalutaris, & morum ac vitæ in melius mutatio expectari debuit, à concepto utique Dei vindicis Timore. At ſecus omninò accidit; nam & diluvium illi, petulanti joco vocitare, *Dei patientiam*, & hac abuti quàm peſſimè, atque in ſcelerum luto volutari, atque ſordeſcere.

Hujus porrò ſeu ſtuporis, ſeu etiam amentiæ meminit D. Petrus, ubi ſic de illis:

Qui

1. Pet. c. 3. *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë.*

Dei patientiam, id eſt diluvium, quod impudenti ore, animiſque obduratis ſic appellari placuit: ſed immani & illorum, & mundi malo, quod ab hoc, & illis avertere potuiſſet juſtus Dei timor, & impendentis eluviei metus, ſervilis licèt; ſed tamen bonus, & eò loci ac temporis opportunus.

Hunc timorem D. Auguſtinus appellat *ferrea vincula*, quæ homines, ceu ſervos retinent, ne in ſcelus aliquod elabantur, optatque ea mutari in

In Pſal. 50. aurea: ſic enim, inquit, *ferrea vincula ſunt, quamdiu timent: ament, & erunt aurea.*

IV. Timor filialis.

Et hinc delabor ad ultimum gradum boni, honeſtique Timoris; qui dicitur, & eſt *Filialis*, quo ſcilicet quis timet offendere Deum, ceu parentem optimum, nec audet illius legem violare, ne divinæ benevolentiæ fructu & gratiâ excidat.

Huic timori comes eſt intima reverentia, honor, imò & amor. & inde apud pios ſcriptores audit *Reverentialis*, qualis nempe eſt filii in parentem. Audit & *Caſtus*, qualis & ſponſæ in ſponſum. Denique & communi appellatione *Filialis*, quia filio proprius, & quaſi adnatus.

Porrò illos duos Timoris gradus, videlicet *ſervilem & filialem* explicat D. Auguſtinus duplici ſimilitudine.

Una petitur ex genio filii, ac ſervi: Altera ex integritate ſponſæ, & vitio adulteræ, quod ut ſub oculos ponat, quærit. Quis ſit *Timor Domini caſtus*, & reſpondet:

In Pſal. 18. *Non puniri timens ab eo, quem tremit; ſed ſeparari ab eo, quem diligit, hic eſt timor caſtus.*

Tum adjicit primam ſimilitudinem, quæ ducitur à diſcrimine, quod eſt ſervum inter, & filium, & ſic inquit:

Timet ſervus offendere Dominum ſuum, ne jubeat eum verberari, vel in compedes mitti, in carcere includi, aut in piſtrino conteri: filius verò timet non ne damnetur, non ne puniatur, non ne crucietur: ſed ne offendat gaudium paternum, ne offendat oculos amantis.

Hæc ubi extulit de indole ac natura ſervi, & filii & de hujus atque illius diſcrimine, tum verò delabitur ad ſecundam ſimilitudinem, quæ ducitur ab uxore, quæ marito datam fidem fallere neſcit; & adultera, quæ vitium paſſa pudoris omnia repagula fregit.

Pone, inquit, *aliquam fœminam caſtam timentem virum; aliam pone adulteram, & ipſa timet virum. Caſta timet ne diſcedat vir, adultera ne veniat. Quod ſi ambo abſentes ſint, illa timet ne veniat, illa ne tardet.*

Hæc ubi dixit de differentia & hujus & illius timoris, tum orationem flectit ad Deum, qui nobis eſt veluti ſponſus, & ad animam, quæ vel ſponſa, vel adultera eſt, & ſic ait:

Abſens eſt quodammodo ille, cui *deſponſati ſumus, abſens eſt, qui nobis arrham dedit, arrham utique ſui amoris. Interroget ſe ſponſa, ſi caſta eſt. Interroga conſcientiam tuam. Vis ut veniat? an adhuc vis ut tardet? ſi primum, conjux eſſe diceris; ſin autem alterum, argueris ut adultera.* Hactenus D. Auguſtinus.

Aliam ſimilitudinem proponit D. Bernardus, quæ bellè hujus, & illius timoris diſcrimen in aperto ponit. Comparat enim caſtum illum timorem cum vino, aut muſto æſtuante, alium verò cum frigido aquæ elemento.

Serm. 1. de Nupt. in Cana Galilea. *Aqua*, inquit, *timor Domini eſt, & ſi minùs ſapida; ſed optimè refrigerans animam noxiis deſideriis æſtuantem. Aqua* eſt, quæ *jacula inimici ignita poſſit extinguere.*

Hæc aqua noſtras animas, ceu hydrias, impleri vult, ne unquam vacuæ ſint, & *plenæ vento*, hoc eſt vanitate, & inani gloria, ne etiam malè plenæ, hoc

Serm. 2. eſt inquit, *plenæ veneno, quod eſt invidia, murmur, & rancor animi:* ſed potiùs Domini timore, qui eſt *aqua*, & quæ *tunc mutatur in vinum, cùm timor expellitur à charitate. Divina quippe virtute aqua mutatur in vinum, quando perfecta charitas foras mittit timorem; quando ſervili timori filiorum alter ſuccedit timor.*

Hæc S. Præſul, qui in nobis optat & amat eum *Timorem*, qui eſt à charitate, qui eſt & filiorum: ut illius voto, ut & noſtro, fiat ſatis, ſit

§. 3.

Timor filialis proprius excelſis à virtute & ſanctitate mentibus.

LAudavit, & amavit profana antiquitas illud, quod olim apud Romanos in more poſitum fuit: ut Deos domeſticos vincirent catenis aureis, ne fortè ab iis recederent. Poterant enimverò iiſdem injicere ferrea vincula, & iis vincire, ac retinere probè; erant enim Dii ejuſmodi, idola tantùm, & muta quædam ſimulacra, quæ etiam ferreis catenis implicari ac retineri poterant, perinde ac aureis. Cur igitur placuit aureis ſic teneri?

Natura duce, duce & ipſa ratione, magis artifecerunt aurea, quia aurum ſymbolum eſt amoris, & aurea vincula, vincula ſunt amoris, & iis rebantur capi atque delectari Deos, adeoque & vinciri & retineri: nec immeritò: magna quippe vis amoris, atque ejuſmodi, qua nulla ſit major nec in terris, nec in cœlis.

Authore Triſmegiſto, cùm Deus animas in corpora demitteret, ſic eas dicitur affatus: Stobæus in

Amor vobis imperabit, & neceſſitas, ſiquidem hi poſt me præſunt omnibus. Eclog. Phyſic. c. 8.

Figmentum quidem illud; ſed ingenioſum: ſed pium; ſi de pio in Deum amore, ſi de caſto & illius timore intelligatur, imperet ille, præſit ille omnibus: & ita imperavit, ita præfuit omni ævo præcelſis à virtute mentibus, quas Salomon aureo emblemate, divinè ut ſolet expreſſit, dum ſic de illis:

Crura ejus columnæ marmoreæ fundatæ ſuper baſes aureas. Cant. c. 5.

Columnæ marmoreæ ſunt Heroës inclyti ab animi altitudine *columnæ*; à fortitudine, & invicto robore, *marmoreæ*; ſed *fundatæ ſuper baſes aureas*, hoc eſt, interprete D. Ambroſio, ſuper caſtum & ſanctum Dei Timorem, qui illi eſt pro *baſi*; ſed quæ ab amore eſt *aurea*.

Columna fuit Jobus, qui hæc de ſeipſo & ingenuè, & piè: *Verebar omnia opera mea.* Nihil excipit, qui dicit omnia. At quid illud *vereri?* Septuaginta exponunt diſertiùs, *omnibus artubus commoveri.* Adeò potens illi telum, & pondus *Timor Domini*, ut eo commoveretur totus.

Et hic Dei timor illum in ſterquilinio honoratum, in acerbis doloribus quietum, in bonorum expoliatione contentum, in filiorum orbitate lætum, in amicorum deſpicientia humanum, in uxoris contumelia fortem, & generoſum reddidit, verbo uno, ubique liberum, ubique ſuum.

Nec mirum, quia, ut ſapienter Tertullianus: *Inter ſcopulos, & ſinus velificata ſpiritu Dei fides navigat; tuta, ſi cauta; ſecura, ſi attonita.*

At unde tuta? unde & ſecura? quia cauta, quia & attonita ab indito Dei Timore. Ab hoc etiam columna fuit David, qui eò magis metuebat, quò profundiùs in Dei ſacrarium introibat. Et inde etiam illud: *Ego dixi in exceſſu meo.* S. Ambroſius Pſal. 115. vertit: *Ego dixi in pavore meo.* Nempe illi è divinæ majeſtatis contemplatione, & pavor erat, & extaſis animæ deficientis & veluti colliqueſcentis.

Et hæc una ratio fuit, cur potiſſimam, & pulcherrimam Pſalmi 118. partem pavori conſecrârit, cùm ei hunc titulum præfixit. *Heth*, id eſt *pavor*, quem ſcilicet ſibi & aliis impreſſum voluit.

Et ita eundem ſibi appreſſit D. Paulus, & ipſe Eccleſiæ columna princeps; ſic enim aliquando de 1. Cor. c. 2. ſeipſo; *In timore, & tremore multo fui apud vos.* v. 3.

Et

Et tamen is erat, qui ad tertium cœlum aliquando raptus, qui arcana verba audierat, qui & vas electionis, vel ipſo Chriſti oraculo, qui in ſacro animarum principatu, qui omnibus Dei donis ornatus, & cujus *Cor*, ut ait D. Chryſoſtomus: *Cor Chriſti, & tabula Spiritus Sancti*, & tamen ut is eſſet, continuus fuit *in timore, ac tremore Principatus, & magiſterii ſui molem expendens*, uti advertit ille ipſe Orator aureus.

Lib. de Sacerd. c. 7.

Quid facient ſub eadem magiſterii mole leviuſculæ arundines, ſi timent, ſi pavent, ſi tremunt ipſæ Eccleſiæ columnæ?

Ex his etiam fuit D. Gregorius Nazianzenus, & tamen & ipſe contremuit, & hanc unam ſapientiam vindicavit, ſibi *Timere*: ſic enim aliquando contra calumniatores ſuos diſputans. *Probent*, inquit, *expertem eſſe me timoris, & vicerint.*

At unde in hoc, & illis tantus timor? manat ille potiſſimùm è tribus fontibus.

De præſcr. c. 43. Primus eſt ab intima Dei præſentia, quia ut ſcitè Tertullianus: *Vbi Deus, ibi metus in Deum.*

Unde minimè audiendi hæretici antiquioris ævi, qui negabant Deum timendum eſſe, & quibus proinde *libera & ſoluta erant omnia.*

Ad Monim. in præfat. Alter ejuſdem timoris fons uberrimus, eſt ipſa in Deum caritas: ut enim disertè Fulgentius: *Semper caritas etiam illa, quæ tuta ſunt, metuit. Et ſine timore non vivitur in amore.*

Cujus ratio ducitur etiam à natura; qui enim amat, & ſibi & amato metuit, & hinc etiam ab illo metu, pallor in ore, & vultu. *Palleat omnis amans*, inquiebat, Cupidini autoratus. Pallor enim color eſt timoris, ab hoc ſanguis refluit ad cor, ut ſollicitudine preſſum levet, & hinc in ore, quod ſanguine deſtituitur, remanet pallor.

Quod ſi ita eſt ab amore etiam profano, multò magis à ſacro.

Eſt tamen inter hunc, & illum magnum omninò diſcrimen. Timor enim qui fluit ab amore profano, uti & profanus eſt; ſic & ſemper à natura, & ſæpiùs à vitio: at timor, qui procedit ab amore ſacro, ſicut, & ſacer eſt; ſic ſemper eſt à virtute, Deóque, & qui ab illo ſic timet, *timet arte, non caſu: voluntate, non neceſſitate; religione, non culpa*: ut annotat Zeno Veronenſis.

Serm. 6. in Iſay.

Poſtrema ejuſdem, timoris origo eſt ab arcanis Dei judiciis, quæ mortalibus plerumque ſunt in occulto.

Lib. 5 de Conſid. c. 4. *Arcana Dei*, inquiebat D. Bernardus, *clauſa mortalibus, etiam ipſis electa ſuſpenſa ſunt.* Et quia ſuſpenſa, hinc & in corde pavor, & in ore pallor.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad eadem verba: *Initium ſapientiæ timor Domini.* Eccleſ. c. 1. v. 16.

Quæ ſint motiva ad ſacrum illum Domini Timorem?

QUÆDAM hærent intrinſecus, & in ipſis quaſi animi penetralibus, quædam appellunt extrinſecus, & nos graviùs commovent. Ex his, & illis potiora luci, & prelo dabimus.

§. 1.

Primum motivum Timoris Domini, ab ipſa morte, atque adnatis illi anguſtiis.

BEnè cenſuit, qui dixit, quod *terribilium omnium terribiliſſimum* ſit *mors*, non ſolum ex natura ſua; ſed vel maximè ex adnatis illi anguſtiis, quæ enaſcuntur etiam ex iis, quæ tamen mundo, & puſillis mortalibus ſunt in pretio, atque amoribus, ut opulentia, honores, voluptates, deliciæ, à quibus omnibus ut in vita ſit benè: at in morte eſt quàm peſſimè.

Teſtes volo, teſtes appello ex omni retrò antiquitate Viros magnos, & huic ſæculo illuſtres; teſtes, inquam, extremas illorum voces, ac quidem

Primò *Septimii Severi*, qui hæc de ſeipſo in ultima tranſeuntis ævi periodo. *Fui quidquid in vita eſſe potui: at quid illud modò mihi prodeſt? omninò nihil.*

Teſtes & iſtas *Philippi* III. Hiſpaniarum Regis, qui emoriens hæc non ſine dolore, ac gemitu. *Optarem in præſentia extra mundum vixiſſe in avia aliqua atque invia ſolitudine, nec unquam regnaſſe; ſed uni mihi vacaſſe, & Deo ſoli, regnaſſe quippe timoris occaſio, atque cauſa longè maxima.*

Teſtes & illas *Ioannis Regis Aragoniæ*, qui ea moriens & ingenuè, & piè:

Melius omninò vixiſſem, ſi inſtar agricolæ potius ad ſtivam manus admoviſſem, quàm ad ſceptrum.

Teſtes etiam & has *Hugonis Cardinalis*, qui amicis, & familiaribus gratulantibus vel ex eo, quòd ante obitum donatus eſſet pileo Cardinalitio, adjecit iſtud.

Procul hinc, procul ſit ea vanitas, eaq; verborum pompa: ego equidem ſi mihi liberum adhuc foret, mallem in monaſterio aliquo privatam vitam egiſſe, etiam lepra improbè coopertus, quam in mundo, Romanaq; aula purpura veſtitus.

Teſtes denique & iſtas *Leonis Pont.* hujus nominis XI. *Servavi claves Petri, claves & Cœli: ſed melius mihi fuiſſet, eſſetq; modò, in cœnobio aliquo portæ tenuiſſe claves.*

Et iſta Viri omninò maximi, & mundi judicio ſupra quidquid humanum eſt, conſpicui: at unde, inquies iſta? utique ex timore adeundæ ſalutis, ac beatitatis, quæ in illo ſæculi faſtu, honorumque faſtigio non leve diſcrimen adit, terretque vel ipſo etiam aſpectu: terret, inquam, ſi minùs in vita, ſaltem in morte, primoque aditu æternitatis.

§. 2.

Secundum Timoris motivum à tonitru divinæ vocis, & extremi Iudicii fulmine.

POſſem hic pro motivo juſti Timoris attexere plagas, quibus ſceleſta capita ferire ſolet iratum Numen. Verè enim plagæ illæ ſunt effectus Iræ Dei adeoque & cauſæ timoris.

Narrat Raymundus noſter in S. Maria Ægyptiaca, Diſſertatione 1. regionem quandam Angliæ à muſcis fœdè vaſtatam. Et cùm captæ eſſent è muſcis illis nonnullæ, in altera muſcæ ala nigro colore inſcriptum fuiſſe verbum *Ira*: in altera autem ala, aureo colore expreſſam fuiſſe vocem *Dei*: ut doceret plagam illam, & illatam oris iſtis vaſtitatem, eſſe ab *Ira Dei*; ſed quia argumentum illud & vaſtum eſt, & plagæ iſtæ ad corpora dumtaxat appellunt, malim eo omiſſo, tranſire ad motiva Timoris, quæ etiam evadunt ad animos: ex his erit primò Tonitru divinæ vocis.

Qui dixit quod *Tonitru* ſit *terror orbis* non aberravit à verò: terret enim fortiſſimos quoſque, & Coronata Capita eodem detonante, præ metu ſeſe inclinant, atque abjiciunt.

Suetonius in Auguſto ſic de illo: Tonitrua & fulgura paulò infirmius expaveſcebat; & eo quidem, ut ſemper, & ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio, atque ad omnem majoris tempeſtatis ſuſpicionem, in abditum, atque concameratum locum ſe reciperet. *Cap. 90.*

Quod illi; hoc & Tiberio. Hic Tonitrua præter modum expavit, & turbatiore cœlo nunquam non coronam lauream cervice geſtabat, quòd fulmine afflari negetur id genus frondis. *Cap. 69.*

Quod huic, idem & Caio Caligulæ Imperatori: *Cap. 51.*
De eo, aliàs crudeliſſimo, & erga Deos impio, ita

etiam

etiam Suetonius. Qui Deos tantoperè contemneret ad minima tonitrua connivere, caput obvolvere: ad majora verò prorúpere ſe è ſtrato, ſub lectúmque condere ſolebat, adeò illum occupabat terror, & pavor à voce tonantis Cœli, à voce ſolius tonitrui.

At quid? & quantum illud?

Si naturam ſpectes, Tonitru nihil eſt aliud, quàm ſonus factus in nubibus ex violentâ percuſſione exhalationis calidæ, & ſiccæ ad latera nubis, & tamen ut ſonus tantùm ſit, timetur, & terret, etiam eos qui terrent orbem.

Quod ſi terret is, quid non faciet in extremo Judicii die & tonitru divinæ vocis, & fulmen diſtrictæ in impios ſententiæ? nec enim ut tonitru ſonus eſt tantùm; nec ut fulmen nuda exhalatio calida, à qua ſæpè vanus dumtaxat eſt timor, & horror aurium. At illud, quod à ſupremo Judice eò loci, ac temporis audietur tonitru, & fulmen, quod tum feriet, ad animos appellet, & velis nolis ita feriet, ut detrudat in domum æternitatis, in carceres ſempiternos, in ſemper duratura inferorum incendia. Et hinc timor, terror, & horror animorum, etiam vel ad ſolam illius aliquando tandem impendentis memoriam. Ab hac certè contremuêre & ipſæ principes Eccleſiæ columnæ, D. Auguſtinus, & Hieronymus, quos juvat etiamnum è ſcriptis audire. Hic in Epiſtola ad Cromatium ita de ſeipſo dicit:

Ego in ſcelerum meorum ſepulchro jacens, & peccatorum vinculis colligatus dominicum de Evangelio expecto clamorem, Hieronyme veni foras.

Hæc ille humili de ſe ſenſu, atque è ſcelerum ſuorum, ut aiebat, ſepulchro, emittebat in auras; & hoc quia continenter ad aures appellebat tuba noviſſima, qua aliquando è terræ ſinu, & profunda ſepulchri nocte, evocandum ſe credebat.

Rom. 1. Quod ſi iſta D. Hieronymus macerato, atque exeſo ultroneis afflictationibus corpuſculo; vivido tamen animo, & nihil præter Deum ſpirante: quid nos abjectæ in terras animæ, & putido, & graveolenti multorum criminum ſepulchro altè merſi; quid, inquam & eloqui & timere & horrere neceſſum eſt? Si etiam D. Auguſtinus cum lacrymis, & pœnitentis animæ ſingultu, & piè, & ingenuè de ſe id fatetur, nihil unquam majores admoviſſe ſtimulos, ut exiret è cupiditatum ſuarum vinculis, quàm vel unicam imminentis extremi Judicii meditationem; quid non eadem apud nos faciet? quos non excitabit motus ſeu doloris, ſeu timoris? Ut porrò eos excitet, vel ipſum audi, & ſequere, ſic ille aliquando:

Lib. 6. Confeſſ. c. ult. *Non me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis, & futuri Judicii, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen receſſit de pectore meo.*

Occupabant Auguſtini animum aliæ atque aliæ opiniones, atque in diverſa trahebant, & modò hæ, modò illæ ab animo recedebant; at futuri judicii recordatio nunquam recedebat. Ea ſemper in oculis, ſemper in animo, ſemper in ſacro metu, atque horrore.

Quod illi: hoc & D. Ambroſio, è cujus ſchola, oréque melleo hunc divini Judicii ſeu timorem, ſeu etiam horrorem hauſiſſe potuit dignus tanto magiſtro diſcipulus. De hoc certè ſic ille aliquando:

Lib. Offic. c. 10. *Nihil eſt quod magis proficiat ad vitam honeſtam, quàm ut credamus eum Judicem futurum, quem & occulta non fallunt, & indecora offendunt, & honeſta delectant.*

Hauſerant & hic, & ille eum divini Judicii timorem à Propheta regio, cujus & hoc votum, & hæ ad Deum fuſæ preces: *Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui.* Pſal. 118.

Confige, inquit, non enim vult eum timorem molliter carnem adlambere, ut aqua ſolet, non ſuavi, levíque tactu appellere, ut ad manum manus ſolet; ſed aſpero, ſed duro, ut ferrum, ut clavus trabalis, qui carnem pervadit, atque configit: & ita à Dei timore ſibi configi vult carnem ſuam Regius Vates Regum maximus, & Vatum optimus. Quid ni & idem velis Mi Lector? velis profectò ſi illum audias, ſi & Joannem Chriſti diſcipulum, & ipſius amores. Sic ille aliquando dum fidelibus benè precatur:

Gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & Apoc. c. 1. v. 4.
qui venturus eſt. Non ait, & qui *futurus eſt* (quod tamen ea Grammaticæ legibus, & orationis humanæ calculo dicere debuit, ut unum, idemque verbum per tria tempora inflecteret) ſed addidit, & qui *venturus eſt*, ut per eum noviſſimæ diei, adventuſque Chriſti Judicis memoriam ſupponeret oculis, certus ab illa gratiam & pacem æternam in nos emanare, quia priùs ab illa pax bonæ conſcientiæ, & fidei gratia, & ardor divini amoris in nos effuſus.

Bogaris, Bulgarorum Rex, venationi in paucis addictus, & inter feras etiam ferali ingenio, Methodium diſciplina monachum, arte verò pictorem, ad ſe evocârat, juſſeratque novas ædes, aliis, atque aliis hiſtoriis adornare, & quidem pro libitu, modò tamen, quòd penicillo expreſſiſſet, efferum eſſet & viſu terribile; quo enim ad ſpeciem terribilius, eò & gratius. Quid hic Methodius? probè conſcius nihil ad terrorem aptius, nihil ad horrorem opportunius effingi poſſe, extremo Judicio, illud ſibi depingendum ſumpſit.

Supernè aperiebatur irati ætheris ſcena, gravidæ nubes, & denſæ, atque ex iis elabentia fulmina: tum etiam Chriſti, ceu Judicis vultus, & ſpecies, quæ & majeſtatem, & iras ſpirabat, & de fontibus pœnas, atque ultionem: in media verò tabella duæ velut turmæ, eæque numeroſæ, à dextris ſtabant electi, amœna ac ridenti facie, quæ ſpem oſtentaret & gaudium: à ſiniſtris reprobi, dejectu mœſtóque vultu, lacrymantibus oculis, contracta fronte, ore pallido, quod metum præferret & immanem triſtitiam ac luctum. Infernè denique viſebantur orci monſtra, infernales furiæ, dæmones omnes prompti reprobos illos in æternos carceres, in parata incendia rapere, quibus pro lemmate addita, pro epigraphe vocula unica; videlicet hæc, *Æternitas.*

Et hæc à Methodio pictore expreſſa tum judicii imago, objectaque Ducis oculis, ſimul & addita illius explicatio, piè quidem, & concinnè, ad quam ita derepentè commotus eſt Bogaris, ut & ſuperſtitionem ejurârit ſuam, & Chriſti fidem amplexus ſit.

Tantum valuit propoſita oculis nuda imago extremi Judicii. Ea certè ad animum evaſit per oculos, veluti fideles internuntios, & miros in eo motus excitavit ſeu timoris, ſeu horroris. Quod ſi tantum potuit in barbaro ſola illius extremæ mundi ſcenæ facies, quid non poterit ipſa vel oculis, vel etiam animis ab amœna fidei luce fideliter objecta?

Palladio teſte, princeps latronum, homo naturâ truculentus, & multis latrociniis, atque cædibus in- In Hiſtor. Lauſiaca
famia, viſus eſt ſibi in ſomnis ante Dei tribunal con- c. 52.
ſiſtere. Quid deinde, primùm in illa ſomni imagine, timor, horrorque, tum etiam artuum omnium trepidatio, atque commotio; denique (cùm ſibi à ſomno redditus eſt) etiam ad meliora converſio.

Quod ſi hæc ab evanida ſomni unius imagine, quid à re etiam ipſa, cùm oculos, animúmque vigilem feriet?

Adoleſcens unus aliquis cùm vitam monaſticam meditaretur, à matre, quæ plus æquo illius erat amantior, primò prohibitus, tum ab eadem pia importunitate victa etiam permiſſus; vicerat enim, matremque flexerat pium illud. *Volo ſalvare animam meam.*

In ea ſolitudine dum ſibi vacat remiſſiùs filius, diem ſuum obiit mater, & ipſe morbo graviore correptus, à quo in mentis exceſſu ſibi viſus eſt rapi ad Iudicium, in quo & ſtabat mater à Deo Iudice cum aliis condemnanda. Illa ut filium vidit, aſtupuit; & ſic ad illum:

In vitis PP. l. 5. libel. 3.

Quid hoc fili? & tu his inter cæteros damnandus? ubi ubi ſunt tuæ illæ voces? *Volo ſalvare animam meam.*

Ubi qui tum erat animus? ubi tua illa vota? Dixit, & tacuit, altumque preſſit corde dolorem. Quid inde filius? hæſit, ſtupuit, indoluit; inſcius quid reſponderet matri: interea Dei beneficio ſibi ab illa extaſi redditur, redditur & priſtinæ valetudini, imò & primo fervori, primiſque votis. *Volo ſalvare animam meam.* Tum ſibi de vita antè acta probè conſcius, & illius tepori condolere, & eluere lacrymis, & ingemiſcere, nec finem his & illis facere.

Cúmque Patres illius miſerti monerent, ſibi temperaret à lacrymis, modúmque dolori poneret ne & oculos, & vitam perderet, hæc illis:

Si in illa umbratili tantum judicii ſcena, matris vel unius improperia ſuſtinere non potui, quid in extremo Iudicii die & Chriſti, & Angelorum improperia feram?

Cætera diære lacrymæ, profundíque gemitus, in his, & illis exacta vita omnis: adeò confuſionis illius invaluerat & timor & horror.

Quod ſi à pauculis voculis defunctæ matris, is in illo motus animi, quis in nobis erit à communi terræ cœlique luctu, ab Orbis occaſu, à parans inferorum incendiis, ab illo divinæ vocis fulmine. *Ite maledicti in ignem æternum?* is certè erit, qui nec verbis exprimi, nec mente concipi poterit, is à quo trement, nutabunt, & proſternentur qui modò portāt orbem.

Iudicaturo enim *Domino* (ut inquit D. Hieronymus) *lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum pectora feriens, & potentiſſimi quondam Reges nudo latere palpitabunt.*

Lib. 2 ep. 6. ad Heliodorum.

Et hæc palpitatio, hic mugitus, hic timor, & horror non ſolùm in Reges cadit, & præcelſa capita, quibus ſubinde animus omnis boni vacuus, & mens paupercula, atque abjecta: ſed etiam in divites, atque excelſos à virtute, gratiaque Heroas, ut priùs inſinuavi, & hic confirmare eſt animus.

Gen. c. 22.

Excelſus fuit Abraham, & tamen is Deo duce trāſiit in *convallem illuſtrem, in terram viſionis*, hoc eſt (ut in Hebræo legitur) *in convallem timoris, in terram timoris.*

Excelſus fuit Jobus, & cœlo teſte ſimplex, & rectus, & tamen ita de ſeipſo ingenuè, & candidè: *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum.*

Pſal. 118.

Excelſus fuit David, & vir ſecundùm cor Dei; & tamen ſic ad Deum: *A judiciis tuis timui.*

In Pſ. 80.

Excelſus, ut ante dixi, Auguſtinus, & tamen ſic ad ſeipſum, ſic etiam ad ſuos: *Fratres, nimis timidus eſſe volo: melius eſt enim vobis non dare ſecuritatem malam. Non dabo quod non accipio; timens terreo. Securos vos facerem, ſi ſecurus fierem ego. Ignem æternum timeo.*

Excelſus fuit Hieronymus, ut oſtendi; & tamen ſic ille ſibi, ſic etiam Euſtochio, de cuſtodia Virginitatis: *Nolo tibi venire ſuperbiam de propoſito; ſed timorem. Onuſta incedis auro, latro timendus eſt.*

Excelſi denique Hilariones, aliique deſertorum incolæ, & tamen & hos invaſit, occupavitque timor, & divini Iudicii metus, & horror inferni.

1. Ioan. c. 4.

Neque mihi dixeris amantis illud; quod *perfecta caritas foras mittit timorem.* malum utique; ſed non bonum, qualis & hic, de quo in præſens ago.

Neque objeceris, quod ab Aſcetis de fœmina illa jactari ſolet, quæ aquam manu una, altera ignem ferebat: aquam equidem, ut inferorum ignes, atque incendia extingueret: ignem verò, quo cœlos ipſos exureret; ne ſcilicet mortales Deo ſervirent aut metu ſupplicii, & gehennæ; aut ſpe præmii, æternæque mercedis. Ne, inquam, ea mihi obtruſeris: ſpecioſa ſunt illa, non abnuo; bona ſunt illa, & perfecta, non ignoro: & qui his tutum ſe, ac ſalutis ſuæ ſecurum præſtiterit, felicem reputabo: ſed (cum venia dixero). ſecuriorem, qui his & illis Dei timorem adjunxerit, & tumentes quaſi ſuper ſe divini Iudicii fluctus agglomerarit.

Ratio in oculis eſt: quia is, qui vel de ſeipſo, vel etiam de ſuo in Deum amore *præſumit, minùs veretur, minùs precavet*, adeóque *plus periclitatur*, ut diſertè, & verè Tertullianus: cui conſonat & D. Bernardus, cujus hoc effatum dignum cedro: *Si negligis, incidis: ſi paves, caves: ſi caves, ſecurus es.*

De cultu fœm.

Epiſt. 11.

§. 3.

Tertium motivum Timoris eſt ab Ignoratione ſui ſtatus.

Dixit aliquando Eccleſiaſtes, & rectè: *Neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit; ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Cujus rationem etiam hanc attulit: quia *opera* noſtra *ſunt in manu Dei*, quia ea clauſa & ſecreta veluti manu tenet, ac ſervat, nec qualia ſint aperit; ſed in futurum reſervabit Orbi univerſo, tandem aliquando manifeſtanda; & quia ejuſmodi ſunt opera noſtra omnia, quia & in futurum ſervantur incerta; & hinc is etiam bonæ menti incumbit timor, ac tremor.

Cap. 9. v. 1. 2.

Accedit quod alii ſint oculi Dei, alii noſtri, alii & hominum cæterorum.

Oculi Dei multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem; circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes; ut benè Sapiens ait.

Eccl. c. 23. v. 28.

Deus cùm & corporis & animi ſit ædificator, intuetur ipſum animi centrum, intimos ſinus voluntatis, intentiones omnes noſtras multis meandris, & labyrinthis flexuoſas.

At oculi noſtri non ſic, ſunt illi ad occulta animorum quod talpa ad ſolem, quod cæci ad lucem, nec pervadunt ad interiora, nec quæ ſint ea diſcernunt, & quæ credunt eſſe lucida, tenebroſa ſunt; & quæ munda, maculoſa.

Apud Deum, ipſi quoque maculas inquinationis habent, qui per munditiem ſanctitatis lucēt; inquiebat D. Gregorius.

Lib. 6. Moral. c. 9.

Quod oculi noſtri, hoc & hominum: falluntur & ipſi quàm turpiſſimè; fidem faciet horribile illud & luctuoſum ſpectaculum Doctoris Pariſienſis, quod non Galliam modò, ſed Orbem etiam univerſum in pavorem traxit.

Vixerat ille tota vita honoratus in paucis inter ſuos, & doctrinæ luce, & naturæ donis, atque etiam gratiæ ac virtutum ornamentis (ut credebatur) illuſtris, & clariſſima apud homines fama notiſſimus, cùm ecce tandem naturæ debitum reddidit, & diem obiit.

Celebratæ exequiæ, incredibili hominum concurſu, & ſplendore Academiæ univerſæ, exanime corpus in templi medio locatum, & fuſæ de more preces, in quibus cùm auditum eſſet illud: *Reſponde mihi.* Ecce derepentè in omnium oculis vile cadaver ſe paululùm erigit, vocémque explicat in paucula illa verba: *Iuſto Dei judicio accuſatus ſum.*

Inſolenti illâ rei novitate, tonitrúque vocis conterriti, extemplò fugêre omnes, quaſi erebi larvam, & immanem furiam vidiſſent, audiſſentque.

Alterâ tamen die reſumptis animis ad funus proſequendum ecdiêre, & ſimul innumera propè multitudo utriuſque ſexus ad ſpectaculum illud excita.

Innovatur pompa funebris, officiū pro defuncto de more canitur, inſonátque è choro rurſum illud, *Reſponde mihi.* Et ecce iterum ab erecto capite excipitur feralis illa vox: *Iuſto Dei judicio judicatus ſum.*

Hîc major quàm alias ſtupor, timórq; non tamen aperta, plenáq; de illius ſalute deſperatio: etſi enim ſiniſtrum aliquid ac ferale portendere videretur, anceps tamen erat, ac dubiū; nec enim aut accuſari, aut etiam juſto Dei judicio judicari, eſt illicò cōdemnari.

Et certè,

Et certè, inquiebat unus aliquis, eſt fortè dæmon invidus, eſt calumniator, qui accuſet: ſed etiam eſt Deus æquus judex, qui decernat, qui judicet.

Itaque in diem tertium differri placuit exanimis cadaveris ſepulturam, dum conſtaret quid tandem de ejus animâ apud Supremum Numen ſtatutum foret: an inferis, an Superis deſignata eſſet. Hic, ſi unquam aliàs, ingens unda populorum ex urbe, & vicinis locis evocata. Adeſt dies tertia, eaque decretoria, perſolvitur ritu ſolito officium, ex eoque accinitur iterum illud: *Reſponde mihi.* Cùm ecce majore quàm aliàs niſu ſeſe erigit cadaver, caput attollit, os diducit, & voce lamentabili, inclamat mœſtum illud ac fatale: *Juſto Dei judicio condemnatus ſum.*

Ad ferales illas voces, ſtupor, dolor, gemitus, comploratio, & quà dolentis, quà gementis, quà etiam ad Dei judicia contremiſcentis populi lamenta, & propera etiam è ſacris ædibus fuga, poſtquam infame cadaver, & damnatum acheronti caput, velut animi impurati theca, extractum, & in ſterquilinium abjectum.

Et hæc rei tum geſtæ ſeries, cujus meminerunt Chronica Carthuſianorum, Laurentius Surius, aliique ſcriptores quamplurimi, eſt qui ſexaginta quatuor recenſeat.

Et hæc cauſa fuit inhabitatæ à S. Brunone, & ſociis inviæ, & aſperæ ſolitudinis, in quam impulit infelix & miſerabilis Doctoris illius exitus, atque ex eo cæleſtis oraculi probata veritas: *Aliud eſſe judicium Dei, aliud hominum.*

Et quia *aliud*, hinc timor, tremorque bonarum mentium, quæ nec ſuo ſtare poſſunt judicio, nec etiam alieno fidere.

Et hæc cauſa fuit cur S. Agathon, monachorum olim pater, cùm vitam propè omnem ſanctis operibus inclytam, ſancto etiam fine clauderet, ad tres omninò dies oculis apertis hæſerit velut attonitus, atque, ut videbatur, mirè anxius, non tam cum morbo, morteque, quàm animo, luctari viſus.

Aderant circa lectulum fratres, non ſine ſtupore, doloreque, quibus ſic ille: *In theatro Dei mei, judicii mei poſitus vehementiſſimè reformido.* Cui cùm illi non ſine lacrymis, & ſingultu: *Ecquid ergo mi pater, an alicujus fortè criminis conſcius, à quo & ſtupor, & horror?* Minimè inquit ille, ſed *enimverò homo ſum, nec ſcio an opera mea Deo placeant, an quæ probata in terris, probanda ſint & in cælis.*

Et hæc eadem cogitatio S. Arſenium, virum, ut ætate: ſic & meritis plenum, & anteacta vita, gratiaque apud Superos nobilem, in eandem formidinem conjecit. Inſtabat extrema dies, imò & horula, cùm in gemitus & lacrymas effundi cœpit. Stupere, hærere, dolereque omnes, qui aderant viri religioſi, tum etiam è ſenioribus unus interrogare, Num timeret? Cui ille: *In veritate, timeo vel maximè. & hic timor ſemper in me fuit ex quo monachus factus ſum.*

Quod illis; hoc & S. Hilarioni, cui, cùm anima jam propè eſſet in extremis labris, ſic ad illam: *Egredere anima mea, ſeptuaginta annis ſerviviſti Deo, & egredi times?*

At unde illi timor, horrorque? non aliunde, quàm quòd ſtatum animi ſui ignoraret, quòd alia ſciret judicia Dei, alia hominum; & quod hominibus altum eſt, ſæpè apud Deum ſit abominatio, cujus ea ratio eſt, quòd divina judicia profunda ſint, & velut in abyſſo recondita, mortales lateant.

At inquies cum Apoſtolo, *nihil mihi conſcius ſum.* *1. ad Cor. c. 4. v. 4.* Benè habet; ſed etiam dic cum illo; *ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Nec ſeipſum judicat Apoſtolus, nec in hoc, quòd nullius infidelitatis in Apoſtolico munere ſibi conſcius ſit; ſeipſum revera juſtum credit. Et tu, qui nec Apoſtolo par eſſe potes, nec præcelſis illis in fide gratiaque mentibus, teipſum juſtum arbitraberis? non arbitraberis enimverò; ſed potiùs timebis, exhorreſceſque totus, & cum Propheta regio ex abyſſo humanæ miſeriæ, ac *Pſalm. 4.* cæcitatis in qua jaces, invocabis abyſſum divini luminis, ac miſericordiæ, ut & tibi illuceſcat aliquando illius vel aliqua ſcintilla, vel hujus aliqua ſtillula in te derivetur: hac non ſecurus tui, ſecurus & ſalutis, cætera incertus, adeoque anxius.

§. 4.

Quartum motivum Timoris Domini ab æternis inferorum incendiis.

QUeſtus olim de genere humano Seneca, quod ſibi in luce tenebras faceret, quod ſibi timorem fingeret, quod ea timeret, quæ minimè timenda: nec metueret, nec horreret ea, quæ metuenda? quæ horrenda vel maximè: ſic enim in illud Lucretii.

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis in tenebris metuunt: ita nos in luce timemus. *Epiſt. 110.* *Quid ergo,* inquit, *non omni puero ſtultiores ſumus, qui in luce timemus? ſed falſum eſt Lucreti, Non timemus in luce, omnia nobis fecimus tenebras. Nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat. Tota vita incurſitamus, nec ob hoc reſiſtimus, aut circumſpectiùs pedem ponimus.*

Rectè, *omnia nobis fecimus tenebras*: quia nihil videmus, nec quid verè noceat, expendimus. Si adverſa reflet fortuna, timemus; ſi in corpus malum aliquod incurſet, formidamus; ſi à tyranno vis aliqua immineat, horremus; ſi ſupplicia intentet pauculis horis duratura, fugimus: & inferorum, æternaque tormenta minimè metuimus, minimè extimeſcimus, nec eorum horrore culpæ malum fugimus, quod tamen oportuit vel maximè.

Et hoc eſt, quod & miratur, & deplorat D. Auguſtinus. *In Pſ. 49.* *Minatur,* inquit, *inimicus tam breve malum, & facis malum? minatur Deus æternum malum, & non facis bonum?* quod tamen facere debuiſſes. Ecquid enim, ut ille ipſe S. Præſul. *Ignem palea timet,* & *Ibidem.* non timebit peccator, qui ex vero in oculis Dei eſt palea, & qui audit & illud D. Ioannis; *Paleas comburet igni inextinguibili?* inextinguibili, ait, hoc enim eſt, quod timere, ad quod exhorreſcere debet mens humana, & qui ſibi Deoque ſapit animus. Sed proh dolor! ſecus omninò accidit, ad humana mala trepidamus, quæ levia ſunt, & brevia: ad ipſa malorum terriculamenta, & umbras trepidamus, quæ falſa ſunt, ut verum omninò de nobis ſit; quod olim in ſui temporis inſipientes extulit Seneca.

Authoritatem habemus ſenum, vitia puerorum, nec puerorum tantum, ſed infantium. illi levia, hi falſa formidant, nos utraque. *Epiſt. 4.*

Non ſic Sapientes, non ſic. Non ſic *Eleazarus* ut annis, ſic & meritis gravis, utpote nonagenarius, quem D. Gregorius Nazianzenus Judæorum Protomartyrem audet appellare. Protomartyrem, inquam, ſi non tempore; certè dignitate. Quid ille? *Aperto ore hians compellebatur carnem porcinam* *2. Machab. c. 6. v. 18.* *manducare. At ille glorioſiſſimam mortem magis, quàm* *& 19. 20.* *odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad ſupplicium;* non neceſſitate compulſus, ſed voluntate: *deſtinarat* enim *non admittere illicita propter vitæ amorem.* At unde illi & vita odibilis, vita in odio, & mors in votis atque amoribus? non aliunde, quàm à timore Domini. At unde & hic timor? non ab alio, quàm ab inferni metu, & ſuppliciorum, quæ in altera vita ſontes manent.

Hanc enim ipſe rationem addidit: *Nam etſi in* *verſ. 26.* *præſenti tempore ſupplicia hominum eripiar, ſed manum Omnipotentis, nec vivus, nec defunctus effugiam.*

Cumque jam perimeretur, ingemuit, & dixit: Domine, *verſ. 30.* *qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſtè tu ſcis, quia cum à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo labores:*

ſecundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior.

Erat illi corpus, erat & anima; ſed hæc potior illo, erat in oculis mors præſens, erat in mente mors futura, atque æterna: ne hanc incurreret; illam elegit, illam ſubiit: adeo validum timoris telum, quod eum pervaſerat, atque penetrarat.

Quod illi, hoc & aliis. Fortè per avia deſerti inambulabat *Macarius*, cùm incurrit in hominis calvariam, quam baculo dum ultrò, citroque verſat, vocem ex ea audire ſibi viſus eſt, tum ex eo quærere. Ecquiſnam eſſet? & audit. *Ego quondam hoc in loco princeps fui Sacerdotum Idolorum: modò ardeo in mediis inferorum incendiis, ad illa æternum damnatus: cum nobis quidem, qui Deum nunquam novimus, mitiùs agitur; cum aliis autem, qui cum noviſſent, moribus, & vita negarunt, mirum quantum duriùs. Hi quippe ſub noſtris pedibus, in ipſo veluti inferni centro.*
In vitis PP. l. 3.

Dixit, & profundum ingemuit.

Hic Macarium invaſit timor, ſtupor, & horror infernæ ſedis, & incendii ſempiterni; hinc *capite alterius terræ defoſſo diſceſſit*, ut notat Hiſtoriographus.

Quod ſi hoc Macarius, Vir tot virtutum, tot & palmarum, quid nos projectæ in terras animæ, & omni virtute vacuæ? altiùs ille defoſſo in terram capite ſeſe reddit eremo, & ſuæ ſolitudini: nos in Urbium frequentia, in æſtu populorum, in mediis occaſionibus, & metu illo, & ſacro horrore vacui erimus? non erimus ſanè, ſi ii ſumus, qui debemus.

Certè nec ii fuerunt Sancti Patres, quos eremus olim habuit. Ex illis unus aliquis cùm advertiſſet tentari ſe, ut ex alieno horto fructus aliquos decerperet: ſic ad ſeipſum. *Fures equidem manent ſupplicia, etiam in terris, minora quidem illa: ſed majora ab inferis; agedum anime, experire, an hæc pati poſſis.*

Dixit, & ſeipſe ad ardentiorem Solis æſtum corpore nudo expoſuit ad dies omninò quinque, quibus exactis: ſic ipſe ad corpuſculum. *Ut video*, inquit, *ut & ſentio, non poteris inferni rogos atque incendia ſuſtinere.* Ecquid enim, vix dies quinque in eo lucis, & ſolis ardore exigere potuiſti; quî igitur ſempiterna inferni patieris incendia? Dixit, & ea, propter quæ in illa venire debuiſſet, evitavit ſedulò. Et tu evitabis, Amice Lector, ſi in eaſdem animo veneris cogitationes, ſi in infernum deſcenderis etiam vivus.

Ita deſcendit *S. Obitius* Confeſſor, hic profanæ militiæ aſcriptus, & inter cæſorum, merſorumque cadavera etiam miraculo ſervatus, & ſibi redditus, ac ſuis, in exceſſu mentis ad ipſa inferorum loca deportari viſus, eaque uſurpare oculis, quæ & terrorem injicerent, & horrorem. Vidit enim in ea prolabi innumeram propè animarum multitudinem, eo ferè modo, quo denſa in terram nix ſolet. Vidit deinde, ac propè ſenſit horrendos earum cruciatus, & lamenta audiit, miſeroſque ejulatus. Vidit, inquam, & ſibi deinde reſtitutus, religioſæ vitæ ſe addixit, mundumque valere juſſit. Tantum valuit objecta animo illa inferorum ſpecies. Nec mirum cum ſubinde etiam tantum picta moveat. Ita movit aliquando *S. Deſitheum*, atque à vita liberiore ad arctiorem tranſtulit.
Bollandus 4. Febr.

Venerat hic Hieroſolymam, & inde Gethſemanum, ubi inferorum rogos, atque incendia meliore penicillo expreſſa cum fortè vidiſſet, etiam & fœminam miri decoris, miri & ſplendoris vidit, atque audiit ſingula damnatorum tormenta ſigillatim explicantem, monentemque probè, ut ab iis ſibi caveret quàm maximè. Ubi porrò monuit, evanuit ex oculis; at non ex animo: ab hac enim illi inhæſit, ceu aculeus, ceu ſpina altiùs infixa, & miros motus excitavit, tandemque à ſæculo ad monaſticam vitam traduxit. Tantum valuit etiam depicta tantùm inferni ſpecies: quantum & ipſe.
[illegible] Febr.

Certè quantum intereſt corpus inter & umbram; pictum ignem, & verum: tantum neceſſe eſt intereſſe inter eos motus, qui ab hoc & illo ad animos evadere poſſunt.

Maneat igitur fixum illud, certumque cujuſque menti: *Deſcendant in infernum viventes, ne deſcendant morientes.*

§. 5.

Quintum motivum Timoris à miſerabili eorum lapſu, qui videbantur jam in cœlis poſuiſſe nidum ſibi.

NOn te revocabo Mi Lector ad ipſius naſcentis Eccleſiæ cunas, ad ipſam Chriſti familiam, è qua prodiit infamis *Iudas*, & monſtrum hominis, ex Apoſtolo factus Apoſtata, ex diſcipulo proditor, ex Chriſti œconomo, infandus illius venditor, ex ſacratiore myſta, dæmonum præda, qui deinde corpus patibulo, viſcera canibus, animam erebo effudit; inaudita poſt homines natos malorum, & infelici cataſtrophe. A qua diſcedo, ut veniam ad ipſam ejuſdem Eccleſiæ infantiam, quæ & deploravit miſerabiles caſus, etiam eorum, quos vel à ſanctioris doctrinæ luce, vel ab illuſtri ſanctitatis fama, vel etiam à miraculis, ac prodigiis aliquando ſuſpexerat, velut inſita Eccleſiæ, ceu Cœlo novo, nova ſidera, inter quæ eminere viſus eſt *Origenes*, cujus hæc primæ ætatis fuêre decora, hic benignioris cœli favor, & gratia; hæc auſpicia futuræ aliquando magnitudinis, ac ſanctitatis, in quibus hoc primum. I. Judas. II Origenes.

Iacebat in cunis infans, altùmque indormiebat, cùm *Leonides*, qui illi pater, appreſſo ad ejus pectus ore, ſuavia dabat oſcula, amoris oſcula, oſcula venerationis, nimirum præſago ſpiritu jam inde noverat pius parens, pectus illud futurum aliquando habitaculum divini Spiritus, ſapientiæ ſedem, & officinam altiſſimarum de Deo cogitationũ, & amorum.

Et hinc illi venerabundus amantia figebat oſcula, & in oſculis dabat velut auſpicia futuræ aliquando excellentiæ, quæ ſanè nec vana fuêre, nec irrita.

Creſcebat Origenes, & unà cum corpuſculo, creſcebat etiam animus, & ingens religionis zelus, accenſùmque martyrii deſiderium; & eò quidem uſque, ut neceſſe non ſemel fuerit adhuc puero veſtes ſubducere, ne è domo ad martyrium ſe proriperet, & præceps abiret: tantus etiam in puerili pectore æſtus erat; & certè quidni eſſet, cui ad martyrium jam exemplo ſuo præiverat parens Leonides, à quo Origeni, ea Cœlo gratia, & terris gloria, ut martyris & diceretur, & eſſet filius.

Ad illa cæleſtium donorum decora, atque ornamenta acceſſit mira quædam divinioris ſapientiæ lux, & gratia, à qua factum ut anno ætatis decimo octavo, & litteras humaniores, & altiores, ac theologicas diſciplinas fit profeſſus, etiam eo tempore, quo & paſtores propè omnes, & Doctores alii ab immani Severi Imperatoris perſecutione profugi emigrârant, & à qua ſilebant, & in templis pulpita, & in ſcholis cathedræ conticeſcebant. Nec tamen ſilebat, nec conticeſcebat Origenes, audiebatur in exedris, audiebatur & in pulpitis, certus pro fide orthodoxa & dicere, & mori.

Tantum illi altioris ſapientiæ lumen, tantus erat & ardor animi; à quo etiam eò proceſſit; ut amore ſervandi illibati pudoris, ac virginitatis ſeipſum caſtraverit, ut quod tum erat pronæ in eam voluntaluntatis, deinceps etiam eſſet illi neceſſitatis. Et hæc in ſeipſo dedit Origenes & ſapientiæ, & ſanctimoniæ exempla: majora in alios effudit Cœlo auſpice beneficia.

Quot ille ſeu facunda lingua, ſeu etiam ſcriptis, quæ tum erant in omnium oculis ac manibus; quot inquam, ab inſano idolorum cultu, & paganiſmo ad unius, veríque Numinis cultum traduxit.

Quot

Quot mortales altiùs hæreſi erroribus ac tenebris immerſos, ad amœnam fidei lucem revocavit, quà voce è pulpito, quà calamo, doctiſque ingenii monumentis.

Quot fideles ab immani Tyrannorum perſecutione jam abjectos, proſtratoſque erexit, ſuſtinuit, animavit, ut ardentes irent in ſupplicia, in ferrum, in ignes, caderentque velut nobiles ad aras victimæ, victimæ Deo, Superiſque gratiſſimæ.

Et tamen, ut eos erexerit, cecidit tandem aliquando ipſe, cecidit & prono ac præcipiti lapſu, dum ingenio præfidit ſuo, in alios atque alios errores ac hæreſes prolapſus, etiam eas, quas refutârat & damnârat priùs, in quas deinde & ſuos aſſeclas protraxit, qui ab illo mutuato nomine dicti ſunt Origeniſtæ. Maleſana, maleſani parentis ſoboles, à qua multis deinde ſæculis plurimum paſſa eſt Eccleſia detrimenti.

Neque porrò hîc ſtetit miſeranda illa Origenis à fide defectio (neque enim facilè ſe ſiſtit, qui ex alto cadere cœperit) in aliud, atque aliud exinde cæcitatis atque amentiæ barathrum elapſus; & eò quidem uſque, ut ſub Deciano Imperatore, qui in Chriſtianos vehementiùs ſæviebat, etiam idolis thus incenderit, gemente ac miſerente Eccleſia, gementibus, imò & frendentibus bonis omnibus, & tanti Præſulis ac Doctoris ruinæ ingemiſcentibus, & collacrymantibus.

Nicep. l. 5. c. 32.

Sed in caſſum gemitus, in caſſum & lacrymæ; abiit, abiit in præceps Origenes, & à ſeipſo, & à fide, & à Deo ipſo defecit, atque ad hæreſes; imò & idola tranſiit, & quod miſerabilius eſt in ipſum inferni barathrum cœli vindice præcipitatus, atque cum aliis hæreſiarchis æternis addictus & ipſe incendiis.

Si verum eſt illud, cujus meminit author *Prati ſpiritualis* qui aſſerit viſum à Religioſo probæ ſanctitatis, cui nomen Theophanes; viſum, inquam, Originem in ipſo erebi carcere, atque ignibus medium inter Neſtorium, Arium, Eutychetem, Apollinarem, alioſque infelicis ævi hæreſiarchas, quod tamen indubitatum eſſe nolo: eſt certè author hujus ſæculi non ignobilis, qui nolit, & qui de Origene, & meliora ſentiat, & ſperet, ac velit, & ipſe etiam libens ſentirem & vellem, melioraque viro tanto portenderem.

Verùm ut ut ſit, cecidiſſe Originem, certè veroſimilius eſt, nam & Alexandriæ à Theophilo Patriarcha Alexandrino, anathematis fulmine percuſſus, & Romæ ab Anaſtasio Papa, & Mediolani a Venerio, & Aquileæ à Chromatio, & ab Univerſa Eccleſia in *Quinto Concilio Generali* Conſtantinopoli habito, in quo & damnatus Origenes, & Origeniſtæ. *Mali corvi malum ovum.*

Quid facias, ea eſt humanæ mentis in malum inclinatio, ea miſeria, eaque infelicitas, ubi ſemel ingenio præfiderit ſuo, ubi vel ſuperbiæ, vel luxuriæ, vel alii cuipiam vitio ſeſe, ut dominio manciparit. Venio ad alios, quos ſimilis involvit calamitas.

III. Lucifer Calaritanus.

En iis erit *Lucifer Calaritanus* in Sardinia Epiſcopus, vir boni nominis, & omnis, quem & res præclarè geſtæ, & inſignis religionis zelus primùm extulit; at poſtea depreſſit inſolens animus, & ſuæ opinionis nimium tenax.

Sub Ariana hæreſi gemebat Oriens, gemebat & Occidens Conſtantio Imperatore illius acerrimo defenſore; ſtabat tamen, & ſibi ſemper conſtabat Lucifer, nec hujus authoritati, nec Arianorum Epiſcoporum machinationibus cedebat, etſi ab his, & illo gravia quæque pateretur, ac tandem ipſum exilium, vel ex eo quòd Nicenæ Synodus authoritatem, dogmataque mordicus teneret, ac tueretur.

Et hæc primus Luciferi laus & gloria, partaque apud omnes, ſanctitatis, invictæque conſtantiæ fama, inclytumque glorioſi confeſſoris nomen, cui lucem adjecit ſuam: obita feliciter legatio tum in Oriente, tum in Occidente, & hæc quidem legatio à Liberio Pont. Max. ad Conſtantium pro cauſa Athanaſii, in qua eum ſe probavit, ut in illum cadere poſſet iſtud, quod de Baſilio Magno pronuntiavit Gregorius Nazianzenus: Baron. An. Chriſti 354.

Duarum lapidum naturas imitabatur; factus erat percutientibus Adamas, diſſidentibus Magnes.

Magnes fuit cùm impetravit illud, ut celebraretur Concilium pro tuendâ Athanaſii innocentiâ: *Adamas* verò cùm cauſam agens pro eodem Athanaſio adverſus Conſtantium ſtylum acuit, & duos libros conſcripſit, quorum unus erat de non communicando cum hæreticis; alter de Regibus Apoſtaticis. Quas magni Præſulis lucubrationes, ſibi oblatas cum legiſſet Conſtantius, tuliſſetque quàm ægerrimè; imò & minas adjeciſſet, nihil iis commotus Lucifer duo alia opera luci dedit, & publico. *Unum de non parcendo in Deum delinquentibus: Alterum moriendum pro Filio Dei.* Anno Chriſti 356.

In illo Conſtantium perſtringebat libertate digna tanto Pontifice. In hoc etiam paratum pectus offerebat ad ferrum, ad vulnera, ad mortem, Dei ac Religionis cauſa fortiter obeundam. Et certè huic jam proximus videri poterat, nec tam martyrio deeſſe, quàm martyrium ipſi, quod indubiè ſubiiſſet niſi illud ipſum ei invidiſſent Ariani, qui eum jam quartò in exilium expulerunt, ad cujus incommoda Eleutheropoli etiam dira addidit eò loci Epiſcopus Arianus.

Quis tibi hîc de viro illo ſenſus, Benevole Lector? quæ mens, quæ cogitatio? an non dignus infulâ pedoque? an non Luciferi nomine, & omine? an non lux ipſa, ac veluti ſtella nobilis inſita Eccleſiæ firmamento? an non etiam & voto tuo, & illius merito Empyreo Cœlo brevi inferenda? Enimverò ea tibi & videri poterat, & reipſa etiam eſſe, ſi vitam anteactam ſpectâſſes: at ſecus omninò accidit. Cecidit enim, cecidit è Cœlo Lucifer, & qui priùs audierat Eccleſiæ columna princeps, Præſulum norma, Confeſſorum decus, Martyrii candidatus, & tantùm non martyr, certè pro fide orthodoxa, pro religione, Deoque quartùm jam exul: poſtea & ſchiſmaticus audit & hæreticus, imò & hæreticis, hoc eſt Luciferianis nomen facit. Dum enim diſcedit ab *Euſebio* Epiſcopo Vercellenſi, negatque pervicaciùs recipiendos cum dignitate Epiſcopos in Concilio Ariminenſi deceptos, ſi modò reſipiſcerent, & ipſe ab Eccleſiâ diſcedit, vitamque finivit in ſchiſmate prorsùs miſerabili, & à ſe, & ab Eccleſiâ, & à Deo alienus. Anno Chriſti 362.

Et hic fuit tanti Præſulis in ſchiſma lapſus.

Major *Oſii* Epiſcopi in hæreſim, & is cui parem nulla vidit, nec fortè videbit ætas. IV. Oſius.

Oſii, dico plurimis tum in Oriente, tum in Occidente Chriſtianæ rei cauſa, publicoque bono legationibus probè functi.

Oſii, qui ſumma cum authoritate parique ſeu ſanctimoniæ, ſeu doctrinæ laude, plurimis Conciliis, ut Eliberitano, Arelatenſi, Neocæſarienſi, Alexandrino, Gangrenſi, duobus deinde Oecumenicis Nyceno, ac Sardicenſi interfuit; imò & præfuit Legatus Sylveſtri Pont. Max. Baron. An. Chriſti 357.

Oſii, quem in ſuo Chriſtianæ fidei tyrocinio Imperator Conſtantinus lateri ſuo ſemper adhærere voluit, ſeu fidum monitorem, ſeu etiam pædagogum.

Oſii, quem ille ipſe Auguſtus, amoris, ac venerationis ergo patrem vocitare ſolitus, atque ut patrem & amare, & ſuſpicere, & revereri.

Oſii, quem ipſi etiam Ariani, quamvis religionis noſtræ hoſtes acerrimi, Synodorum principem appellare non ſunt dedignati.

Oſii qoi Nycenæ fidei formulam toto recipiendam Orbe, & conceperat ipſe, & evulgârat, ſummo avitæ pietatis bono, atque incremento.

Oſii denique, quem à rerum geſtarum gloria, ac felicitate, velut aliquod ævi ſui miraculum & ſuſpexerat, & amârat, & prædicârat Orbis propè univerſus.

Et tamen ut ia eſſet Oſius, ut is etiam fuiſſet ætate propè tota, in conciliabulo Sirmienſi, ignominosè proſtratus, & Nycenæ fidei (quam tamen antè exulerat) & proditor, & deſertor extitit, & Urſacii Valentisque hæreſim amplexatus eſt.

Et hoc quidem in extrema ſenecta; erat enim (ut teſtis eſt S Hilarius) centenario major, & jam, ut in vitæ portu; ſic & in primo beatitatis æternæ limine conſtitutus; ad lauros, ad palmas, ad coronas merito ſuo aſpirare poterat; imò, & eas ſibi polliceri, atque colligere. Sed proh dolor, pudorque! in ipſo longioris ævi termino & cecidit ipſe, & immanem ſecum animarum ruinam traxit.

Fatendum enim eo caſu, etiam vel unico, aſtupuiſſe, ac contremuiſſe Orbem propè univerſum, concuſſaſque etiam ſolidiſſimas fidei petras, atque columnas. Et certè quidni. & concuterentur, & tremerent, à principis illius columnæ lapſu, qua eriam fulciri, ac ſuſtineri videbatur Eccleſia.

Cap. 11. v. 2. Ingemuit olim Zacharias vates, & alto ſeu ſtupore, ſeu dolore acclamavit. *Vlula abies, quia cecidit Cedrus.*

Vns humiles abjectæque animæ, quibus nec ardua eſt virtus, nec ſublimis è Cœlo gratia, ululate, gemite, contremiſcite, quia *cecidit Cedrus*, cecidit *Oſius*, qui à virtute, rebuſque præclarè geſtis, tantum cæteris eminebat quantum abieti Cedrus, qui tamen & caput errori inclinavit, & in hæreſim prolapſus, caſu ſanè miſerabili, à quo & illi præceps in interitum via: ſi enim *Iſidoro* Hiſpalenſi Epiſcopo credimus, infelix profectò ſenex ad errorem, cui immortuus eſt, etiam ſævitiam addidit, à qua & in ſuum caput divinæ juſtitiæ fulmina traxit: cùm enim impii Judicia perſonam induiſſet, velletque in S. Gregorium Elibertitanum exilii pronuntiare ſententiam, derepentè & vox illi faucibus hæſit, & os fœdè diſtortum, & cervix turpiter incurva, & in terram eliſum corpus, pronumque corruit, atque miſerabilem animam expuit.

De viris illuſtr. in Oſio c. 6.

Ita miſellum ſenem oppreſſit ultrix Dei manus, 1. Cor. c. 10. ut omnia periculo, caſuque benè doctus, *qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat.* Nam & *ſtellæ de Cœlo* cadunt, & qui in Superis nidum poſuerunt ſibi, ſubito lapſu ad ima devolvuntur.

V. Tertullianus. Et ita devolvi viſus eſt etiam *Tertullianus*. Floruit hic circa annum Chriſti nati ducenteſimum, Afer natione, & Juriſconſultus, & pagano factus deinde Chriſtianus, toga dimiſſa more Chriſtiano pallium induit, unde & amico cuipiam exprobranti quod ita *à toga ad pallium*, librum etiam ſcripſit *de pallio*, in quo & hæc illi.

Lib de pallio c. 5. At ego jam illi etiam divinæ ſectæ, ac diſciplinæ commercium confero: *Gaude pallium & exulta; melior jam te philoſophia dignata eſt, ex quo Chriſtianum veſtire cœpiſti.*

Hæc ille in primo quaſi limine ſuæ ad Chriſti fidem converſionis, in qua pauca ſtylo notari velim, & melioribus ceris inſeri.

Primò quòd Chriſtianam religionem appellet divinam ſectam, ac diſciplinam.

Deinde quòd gaudeat, exultet, ac triumphet in pallio, hoc eſt Chriſtiana veſte, quam ut induit, fatetur ingenuè & verè, ſe ad meliorem philoſophiam tranſlatum eſſe, & hoc quidem cœleſti quadam dignatione.

Ecce quis illi tum ſenſus fuit, quis & animus: certè, & hunc & illum altè loquuntur ſcripta, quæ deinde edidit annis longè conſequentibus, è quibus

Primum eſt *Apologeticus adverſus Gentes pro Chriſtianis*, opus ſanè doctum, atque elegans, & inter omnia facilè princeps.

Secundum de *Teſtimonio animæ adverſus idola*, quæ & impugnavit acriter, & feliciter expugnavit.

Tertium ad *Scapulam* provinciæ Africanæ Præſidem acerbiùs in Chriſtianos ſævientem, cui inſcripſit libellum deprecatorium, adeò illum tangebat Chriſtianorum in eâ perſecutione miſeratio.

Quartum *adverſus Iudæos*, quod primùm voce fecerat & publica diſſertatione, hoc deinde ſtylo facit, & ſolidiſſimis rationibus, & ſacræ Scripturæ fundamentis contra illos depugnat: tantus eum Chriſtianæ religionis zelus invaſerat, ut calamum ſtringeret modò contra Gentiles, modò contra Judæos, Chriſtiani nominis hoſtes acerrimos, adeò pro hoc pugnare illi voluptas erat, & hæ tomo primo emiſſæ ad poſteros Tertulliani lucubrationes.

Secundo tomo redduntur aliæ, & habentur libri parænetici, ſive admonitorii ad Chriſtianos: neque enim illi ſatis erat, & Gentiles, & Judæos exagitaſſe, viciſſe, profligaſſe, niſi & ſimul Chriſtianos inſtrueret, admoneretque, quæ ſui erant officii, atque ad ardua virtutum duceret, ad patientiam, ad palmas, ad coronas; & hinc etiam illi *Liber* unus ad *Martyres*: alter de *Corona militis*.

Tertio tomo ſtylum acuit, atque expedit adverſus hæreticos, quos & acriùs pungit, & ſalubriter extimulat, ut ſibi reddantur & Eccleſiæ, ceu optimæ matri. Et hinc illi una *adverſus Quintillam* diſſertatio, de Baptiſmo ſic dicta, quòd à Quintilla fœmina haberet originem.

Altera *adverſus Hermogenem*, qui materiam Deo coæternam eſſe aſtruebat, ex qua mundum ereaſſet, non autem è nihilo.

Alia *de anima adverſus hæreticos*, *ac philoſophos*, in quibus varius erat de illa error, dum hi æternam faciunt, & ipſi Deo coævam, iſti corpoream volunt & coloris aërei, & lucidi, alii mortalem aſſerunt, alii aliud, quos omnes ſolidiſſimis rationum momentis confutat, ac refellit.

Tum addit diſputationem de vera Chriſti carne adverſus quatuor hæreſes, tum etiam de reſurrectione carnis, in qua & illud in fronte libri ponit, quod *fiducia* Chriſtianorum ſit Reſurrectio mortuorum. Tum adverſus Marcionem quinque libros expedit & publico donat.

Primus eſt de Deo unico, adverſus eundem qui duos aſtruebat, bonum unum, malum alterum. Secundus de Deo juſto & tamen optimo. Tertius de Chriſto. Quartus de Antitheſibus Evangelii, ac veteris Teſtamenti. Quintus de Epiſtolis Pauli, quas fœdè mutilatas in librum Apoſtolicum ſuo nomine editum redegerat.

Et hæc Tertulliano pugna fuit contra Marcionem hæreticum, hæc & de illo glorioſa victoria, cui acceſſit & alia adverſus Gnoſticos, & omnes martyriorum refragatores, & hanc inſcripſit de bono Martyrii. Denique & adverſus Praxeam calamum duxit, repulitque ex Aſia elatam illius hæreſim, qua volebat ipſum Patrem deſcendiſſe in Virginem, & ex ea natum, paſſum, ipſumque denique eſſe Chriſtum.

Ecce Tertulliani lucubrationes, ecce pugnam acrem, ecce de omnibus propè ſui ævi hæreſibus nobilem victoriam, à qua ea vero dici potuit hæreticorum malleus, fidei defenſor, clypeus Eccleſiæ, columna veritatis. Et is certè videri, & eſſe potuit, quamdiu ſibi conſtitit, ſuus fuit, Eccleſiæ ac Dei. At mirum quantum diſceſſerit à ſeipſo; quantum ab Eccleſia, Deoque abierit; & hoc quidem in extrema propè ſenecta, cùm tot laborum, tot lucubrationum fructus colligere debuit, momento eos

omnes

omnes diſſipavit, ac perdidit, & hoc quidem impulſus aura leviore maleſanæ ambitionis.

Agebatur de pedo, Infulaque Carthaginenſi, eam impenſiùs dum ambit, nec aſſequitur, impeditus neſcio quâ Eccleſiaſticorum quorumdam adverſa ſibi factione, illicò in Iras exarſit & inſana odia adverſus Romanam Eccleſiam, quam antea ſuſpexerat, & amârat ut matrem. Quid inde? ab illo irarum æſtu, odioque, ut facilis eſt ad pejora lapſus, elapſus eſt in Hæreſes Montaniſtarum & Cataphrygum, quas ipſe priùs, & ingentibus animis, & nervoſa, aculeataque oratione perſtrinxerat. Et quia difficilè quis ſiſtit, ubi ſemel abierit in præceps, calamum expedit, explicatque in alios atque alios errores, è quibus hic

Primus eſt non licere tranſire ad ſecundas nuptias, & hæc etiam opinio fuit *Montani*, quem etſi damnârit aliquando *Tertullianus*, poſtea tamen & *Paracletum* vocavit, & ſecutus eſt, librumque ſcripſit de *Monogamia*, adeò parum ſibi conſtans, adeò minimè ſuus; & hic illi primus error.

Alter fuit, Perſecutionem à Deo fieri, minimè autem à diabolo, & inde in ea licitam non eſſe fugam, contra Scripturæ ſacræ placita, atque oracula.

Alius fuit, de non recipiendis pœnitentibus, ſaltem mœchis, & fornicatoribus: cui errori ut fucum faceret, in eo pudicitiæ amorem prætexuit, & hinc librum vulgavit de Pudicitiâ; ut ea boni ſpecie malum tegeret.

Et hæ ferè ſunt hæreſes in quas abiit *Tertullianus*, & propter quas à B. Zepherino Pont. Max. anathematis fulmine percuſſus, reliquum vitæ in iis erroribus exegit, & vitam (ut creditur) finivit; imò & ſuæ doctrinæ aſſeclas reliquit, quos & *Tertullianiſtas* appellari placuit. Et hic fuit infelix lapſus Tertulliani, quem & ſtupuit, & luxit Poſteritas, & in ævum omne deplorabit, diceretque nihil in humanis tutum, ſecurum nihil ante fata.

§. 6.

Sextum motivum Timoris ab iis, qui è cella monaſtica, ceu terreſtri quodam Cælo, in barathrum vitiorum primò delapſi, ac deinde in chaos inferni.

Vidimus Origenem, Luciferum, Oſium, Tertullianum, magna profectò nomina; & quæ aliquando in luce Univerſi, in omnium oculis, atque admiratione: ſive à lumine altioris doctrinæ, ſive etiam ab Infulæ ſplendore, ac dignitate Pedi Paſtoralis. Vidimus, inquam, eos primùm in eminenti ſacræ cujuſdam majeſtatis gradu elatos; vidimus deinde & luximus ad ima vitiorum dejectos.

Spectemus modò alios, qui è vita monaſtica, hoc eſt humili, atque in hominum oculis abjectâ, fœdè ac turpiter prolapſi ſunt in profundum vitiorum; imò & in profundum inferni.

Hoc fortè magis mirum erit, ac lugendum quàm primum illud, quia è ſummis facilior eſt lapſus, quàm ex infimis; at illi in ſummis, hi in infimis; illi in throno, hi in pulvere: illi in purpura, hi in ſacco, & cilicio: unde igitur prolapſi? id oſtendere noſtri erit hìc laboris, noſtræ & operæ, atque ex ea etiam ſanctum quemdam timorem ac horrorem elicere. Igitur ne ad rem propiùs.

Id ſtatuo horum lapſum graviorem vel ex nimia de ſe præfidentia, partiſque jam virtutibus, atque apud Deum meritis, vel ex parum cauta providentia in evitandis ac fugiendis peccandi periculis, atque occaſionibus.

Ex iſtorum numero fuit infelix ſenex, cui nomen *Hero*. Vixerat hic annis omnino quinquaginta in avia & horrida ſolitudine, illius ita amans, ac retinens, ut ne quidem ſolemni Paſchatis die, quo ceteri omnes à ſua eremo ad Eccleſiam convenire ſoliti, adeſſe vellet ipſe, nimirum illi cella Cœlum erat, in quo & illi Deus unus inſtar omnium, cum illo agere, cum illo colloqui volupe erat, & hoc unum ſapere, deſipere cætera. Dixiſſes non hominem eſſe; ſed Angelum, certè cæleſtem hominem & terreſtrem Angelum. Erat illi jejunii atque abſtinentiæ lex quàm arctiſſima & prorſus inviolabilis, cujus rigorem ne ipſa quidem Paſchatis luce ſolveret, etſi eam ſolverent alii omnes, darentque pluſculum & illius ſolemnitati, & religioſæ refectioni, adhibitis eo die paucis leguminibus. At neque huic, neque illi aliquid unquam concedendum eſſe cenſuit ſenex: adeò illi in primis curis, atque deliciis fuit, & invia ſolitudo, & umbra cellulæ, & jejunii rigor, & orandi aſſiduitas. In hac & illis exegit (ut dixi) annos quinquaginta, eoque amplius, ad extremam uſque canitiem, quam tamen deinde infecit, deturpavitque infelix in præſumptionem lapſus.

Cùm enim ei dudum invidiſſet malus dæmon, adfuit ementita boni Angeli ſpecie, Angeli, ut videbatur, lucis, ex vero autem erebi tenebrio, qui ſummâ eum veneratione ſenem aggrediens, primùm in eo laudavit ſolitudinis amorem, jejunii rigorem, orationis ſtudium, partaſque & horum, & illius ingentia cœlo teſte merita, cæleſtes opes, ac Dei ter Opt. Max. gratiam, à qua eò venerat, ut etiam ſi in puteum ſe dediſſet præceps, minimè læderetur; probaret enimverò, & inde meritum agnoſceret, ac meriterur ſuum.

Quid hìc ſenex? ſibi in animo primùm blanditur, ſibi arridet, ſibique plaudit, tum Angelo (ut rebatur) benè ſuadenti, paret, experimentum facit, atque in puteum ſeſe pronum abjicit. Quid deinde? non exit illæſus, non incolumis, & ſanus; ſed fractis propemodum cervicibus, & tantùm non exanimis. Extractus enim inde non ſine magno molimine & fratrum labore, commiſeratione, lacrymis ac gemitibus, quibus ubi pluſculum datum eſt, monitus ut experimento ſuo ſapere diſceret, ut mali Angeli dolos agnoſceret, atque damnaret: nec agnoſcere voluit, nec damnare, nec malo ſuo ſapere, nec ſe deceptum credere, adeò invaluerat, miſerumque ſenem occupârat vana illa de ſe præſumptio, quæ eum & tenuit, & occupavit, & duxit ad ipſa vitæ mortiſque confinia; imò & ipſam mortem, quam invenit die ab illo in puteum lapſu tertiâ, & quidem impœnitens, nec ſibi, nec ſanæ menti, nec gratiæ, Deoque redditus.

Adeò periculoſæ plenum opus aleæ, omnia de ſe, ſuiſque meritis confidentia, adeò & damnanda vita, quam non retinet in bono, non cohibet à malo, pius de Deo, diviniſque judiciis timor, & horror, quem & augebit non abſimilis in alio lapſus.

Is erit *Euprepianus*, quem B. Theodorus Studita *Serm. 9.* in concione, quam habuit ad Religioſos mirè deplorat. Hic Dei causâ multa generosè & piè pertulerat, & eò quidem uſque, ut jam adlectus eſſet in Confeſſorum numerum, deinde poſitus in monaſterio, eo ſplendore admirabilium virtutum, ut omnium in ſe oculos, animoſque converteret, ut jam in heroicis facinoribus, & primus eſſet, & in votis eximius. *Super cujus capite ſplendebat tum obedientiæ, tum probitatis lucerna*, ut piè de illo B. Theodorus.

Verùm ut is haberetur, & eſſet, ut illuſtrium palmarum pugil, media tamen in arena ſternitur, herbam inimico porrigit, caſtimoniæ votum infringit, verbo uno fit à vitio ſuo miſerrimus.

Et hæc eò loci, ac temporis ab illo data Orbi tragœdia, teſtis utique & index humanæ inconſtantiæ, ac miſeriæ, quam cùm retuliſſet, & ad timorem ſimilis aliquando ruinæ ſuos eſſet adhortatus vir

Dei, adjecit & illud: *Angelum ẽpmer faciliùs caſurum, quàm fratrem eum: qui putaſſet: & tamen cecidit.*

Quod illi, hoc & aliis, quibus à Timore Dei minùs benè cautum, quo in genere, ut mihi novum; ſic & ſtupendum ac horribile eſt illud, cujus meminis *Caramuel* in D. Bernardi ſcbolio in Regulam S. Benedicti, ipſoque ad illam proœmio. In quo hæc memorat, ad Poſterorum omnium memoriam, & ſacrum horrorem, atque documentum, ut ſibi vel unius exemplo cavere cæteri, ac piè timere diſcant.

Edito Francofurti.

In quodam, inquit, monaſterio (nomini parcit, ut parcat & famæ) cùm Abbatis recens vita functi cadaver pro more in chorum deferretur, veſte funebri tegeretur, ad ſacratiorem pompam ornaretur roſis, ac violis, quas inſpergebant Religioſi memores ſui Præſulis, vel amantes, vel reverentes, cùm & circa pſalterium, ut aſſolet, cantaretur; derepentè ad omnium ſtuporem, cum ingenti ejulatu, auditus eſt inclamare funeſtum illud, ac ferale:

Ut quid hæc omnia? ſiquidem ego decimus octavus hujus loci Abbas ſum, qui ardeo in inferno.

Quid hîc qui aderant viri Religioſi? ſtupere, horrere, contremiſcere, gemere, lacrymari omnes, & ſui Præſulis, & tot aliorum infelices ad ima inferni lapſus, atque in æterna incendia, miſerabilem ſepulturam deplorare.

Hujus porrò & novæ, & inſolentis tragœdiæ ſeriem, cùm ab aliis accepiſſet *Caramuel*, ne minus tuta eorum dictis haberetur fides, ad illud ipſum monaſterium ſe contulit, Inquiſivit in miſeri illius Abbatis vitam, moreſque, nec aliud à ſuperſtitibus addiſcere potuit præter illa duo, & gulæ plus æquo addictum fuiſſe, & ſuis etiam plus quàm pareſſet, indulgentem, cætera, ut videbatur bonum.

Habent hîc Inſulati Patres, quod ſanctè timeant, quod providè ac ſalubriter exhorreſcant, quod & ſibi ſuiſque caveant, ne dum vel ſibi pluſculum indulgent, vel ſuis; in ſe, & ſuam, & ſuorum ruinam trahant, & quidem æviternam.

Habent & religioſi etiam in cellula, etiam in ſacco, & cinere, quod meritò formident, aliorum ruina benè docti.

Et ita formidare viſus aliquando S. Ægydius, D. Franciſci ſocius. Hic cùm vidiſſet infelicem lapſum P. Heliæ, Ordinis ſui Generalis Miniſtri, ſeſe in terram pronum ac præcipitem abjicere, eique totum quaſi affigere. Ecquid enim, aiebat, ſi tanti, ac tales viri, ſi ipſa Religionum capita, ſceleri ſeſe inclinant, & miſerè abjiciunt etiam ad ipſum inferni chaos, quid nos infirma membra, & viles animæ? Sic ſibi, ſic alius vir Dei. Nec minora in avia ſolitudine, & deſerti latebris S. Pimenius Abbas, qui hæc ſibi. Etſi virtutes omnes in unum veluti collectæ, factoque agmine, meam intrâſſent cellulam, atque in mentis adyta penetraſſent, nec ideò tamen inde ſecurus eſſem, & ſalutis meæ certus: ideoque certum mihi, fixumque timere ad uſque fata, & ultimam brevis ævi metam.

§. 7.

Septimum motivum Timoris à facili, ac prono ad ima vitiorum lapſu.

Epiſt. 97.

ET verè, & eleganter dixit Seneca: *Non pronum tantùm eſt iter ad vitia, ſed preceps.*

At unde pronum, ac præceps? ex aliis certè atque aliis capitibus; è quibus

Primum eſt ab hac vita mortali, mundoque, in quo jactamur, & vivimus parum ſecuri. Quî enim ſecuri? eſt hæc vita qualis qualis demum ſit, veluti *glacies*, & *via* perquàm *lubrica*; in qua vix conſiſtas in pedes, maximè ſi teipſe ſpectes, attendaſque quis ſis, etſi tibi videare bonus.

Iſidoro Peluſiota, homo quantumvis bonus, eſt ſimilis ebrio, ac temulento, qui vix conſiſtit, & nemine concutiente & titubat & labitur. *Lib. 2. ep. 120.*

Vita noſtra ſimilis Oceano, iratoque mari, infidoque elemento, in quo & dominantur venti, velut in ſuo regno, & tolluntur in altum fluctus, ac procellæ, & hauriuntur navigia etiam ſubinde in ipſo portu; quod venuſtè expoſuit olim Tertullianus:

Navigia, inquit, *longè à Caphareis ſaxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata decumanis, adulante flatu, labente curſu, lætante comitatu, inteſtino repente perculſu, cum tota ſecuritate deſidunt.*

Quod navigiis, hoc & mortalibus, è quibus videre plurimos, qui plenis veluti velis, ad beatam vitam navigare videbantur; ſine turbinibus ullis ſecuri, ſine tempeſtate quieti. Nec adeò novum, nec mirum, quia vita jactabantur, ut mari navigia: in quo proinde nil ſecurum, nil tutum.

Eſt hæc mortalis vita, velut ora quædam ſubjectæ voraginis, è qua facillimus eſt lapſus homini, præſertim imbecillo & fragili: quod cœleſti viſo docuit olim Deus *Carpum*, quem ad virtutem & religionem probè inſtructum volebat.

Vidit ille puteum inferorum latè patentem fumantemque, cujus in fundo teterrimæ fuêre beſtiæ, quæ hominum vitam, ſanguinemque ſitirent. Ad os autem voraginis, duo viſebantur homines lapſabundo veſtigio, in lubrico loco, qui vel ſua imbecillitate, vel etiam niſu minimo, impulſioneque leviore facillimè in eas fauces dejici potuiſſent.

Et hæc illi diviniiùs objecta ſpecies, in qua velut in tabula, vita noſtra picta videbatur: quamdiu enim hîc ſpiramus in aura mortali, ſumus veluti in ora erebi æſtuantis, atque aperti, tam lubrico veſtigio, ut vel ipſo pondere noſtro abſque ullius impulſione cadamus.

Et ita cecidêre etiam Heroës, à ſapientia, virtute, Cœlique donis inclyti, quos nobis oſtendet antiquitas eorum lapſu attonita, atque fatigata, ut ex eo meliùs edocta ſit omnis poſteritas.

Ex his facilè primus erit *Salomon*, ab indita cœlitùs ſapientia, aliiſque ſeu naturæ, ſeu etiam gratiæ ornamentis, nulli ſecundus. Et tamen ut is eſſet, è ſummo illo cæleſtique culmine, ad ima vitiorum prolapſus eſt, & quidem

Primò in luxuriæ cœnum, ac volutabrum, in quo ſeſe ita demerſit, ut domi aleret concubinas mille: adeò effuſæ, vagæque libidinis erat, quæ tamen nec in eo ſtetit. Eò quippe deinde elapſus eſt inſaniæ, ut ferè tot idola, tot dæmonum ſimulacra erigeret ſibi, quot habebat in penetralibus concubinas, quibus & fana regio ſumptu extruxit, & inceſtas aras, quibus & accideret ipſæ, & accideret etiam ipſe *Salomon* Regum olim & ſapientiſſimus & piiſſimus. Tantum à primâ virtute, à ſeipſo, Deoque defecit. *3. Reg. 2. 11. v. 3.*

I modò, quiſquis es, tibi fide; fide & partæ priùs virtuti, teque crede eſſe extra teli jactum, non crederes certè, ſi te hominem eſſe noveris, hoc eſt à depravata natura ad vitia facilem, ac pronum.

A *Salomone*, aſcendo ad *Saulem*, quo in ipſis Regni auſpiciis, nemo melior, nemo Deo Superiſque acceptior: nec mirum, ea quippe erat & indolis bonitate, & morum vitæque innocentia præditus, qua & infans unius anni, vel ipſo teſte Scripturæ oraculo. *Unius anni erat Saul cùm regnare cœpiſſet.* *1. Reg. c. 13. v. 1.*

Tenuit ea innocentia, ac ſanctitas duos Regni annos, nec ampliùs; ab iis enim abiit à ſeipſo, abiit à Deo ei inobediens, ac rebellis, & inde reprobus; ac primò in Davidem innoxium injuſtus, in ſacerdotes ac levitas crudelis, è quibus quinque ſupra octoginta ferro immani è vivis ſuſtulit.

Deinde

Deinde in ſubditos barbarus, ut qui nebem Nobe gladio penitùs exciderit, nec imbelli ſexui, nec parvulis, ac lactantibus pepercerit: tum etiam in Deum impius, ut qui dæmones conſuluerit, ab iiſque expectârit oracula. Denique efferus in ſeipſum, ut qui etiam ſeipſe peremerit. Ecce in quod vitiorum barathrum deſcenderit ille, qui ut humeris ſic & vitæ integritate, toti Iſraëli eminebat.

1. Reg. c. 9. v. 2. A *Saule*, deſcendo ad *Davidem*, virum aliquando *ſecundùm cor Dei*: quid ſanctius? quid illuſtrius? quid divinius? & tamen ut is eſſet, nec ab adulterio ſibi cavit, nec ab Uriæ cæde, nec ab inſolenti faſtu, quo elatus populum recenſuit, & in ſe Dei vindicis manus traxit. unde etiam ex eo ſublata ſeptuaginta capitum millia. Quid triſtius? quid acerbius? quid funeſtius? Et tamen hoc, quantum quantum fuit, à Davidis ſcelere fuit, quod ab illo longiſſimè crederes abfuiſſe, ſi in illo ſpectâſſes, quæ indoles, & quàm ardua virtus, & quæ Cœli dona, atque ornamenta.

Et hi fuêre Heroum illorum lapſus, à quibus habet poſteritas omnis, quod metuat probè, quod providè caveat, ſatis conſcia imbecillitatis ſuæ, & facilis, ac proclivis in vitia caſus.

§. 8.

Octavum motivum Timoris à graviore & perículoſo hoſtium noſtrorum incurſu, Carne, Mundo, Dæmone.

DIvus Hieronymus in hac divini Timoris palæſtra mirè exercitatus; utpote veteranus miles; imò & ſacratioris illius militiæ dux longè peritiſſimus: ſic olim ad *Euſtochium* virginem de cuſtodia Virginitatis.

Epiſt. 22. *Nolo tibi venire ſuperbiam de propoſito* (ſervandæ ſcilicet virginitatis) *ſed timorem: onuſta incedis auro, latro tibi vitandus eſt. Stadium eſt hæc vita mortalibus: hic contendimus, ut alibi coronemur.* Hæc ubi ad illam, tum ſubjicit:

Magnis inimicorum circumdamur agminibus; hoſtium plena ſunt omnia. Et cùm plena ſint omnia, tamen *caro fragilis & cinis futura poſt modicum, pugnat ſola cum pluribus.*

Et hinc periculoſæ plenum opus aleæ, periculoſa pugna, & difficilis, incertáque victoria; & hoc, quia unius, & quidem infirmi cum pluribus, iiſque validiſſimis eſt dimicatio.

Qui ſint autem illi, ſi quæris, audies ex eodem D. Hieronymo, potiſſimùm eſſe tres: domeſticus unus, atque in intimis penetralibus; is eſt *caro*: deforis alii duo, *mundus* ſcilicet, & malus *dæmon*.

I. A Carne. De primo ſic ille ipſe S. Doctor. Quamdiu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & concupiſcit ſpiritus adverſus carnem, & caro adverſus ſpiritum, nulla eſt certa victoria. Quî enim certa eſſet à corpore fragili, quaſi vitreo & rumpi facili? Quî eſſet certa in vaſe fictili, ac luteo? ampliùs dico in putredinis maſſa, & paludis acervo, ut mirè D. Cyprianus.

Tract. de Card. oper. Chriſt. in Prologo. Quî eſſet certa in corpore, quod eſt *officina ſpiritus*, in qua ex naturæ depravatæ vitio cuduntur tela, tela ignea concupiſcentiæ, Cupidinis, ac Veneris, adverſus eundem ſpiritum?

Quî eſſet certa victoria in corpore, quod eſt veluti læna quædam animi ad impuros inceſtóſque amores, imò & lænia ad devorandum illud robur, quod aliàs eſſet animi ac ſpiritus altioris? Cúmque ea ſit homini caro, liquet quàm acris & periculoſa ſit cum illa pugna, quámque incerta victoria.

Et tamen ut ea ſit tàm hæc quàm illa, ſecuri dormiunt & jacent mortalium plerique.

Si Apoſtolus vas electionis, & ſeparatus in Evangelium Chriſti, ob carnis aculeos, & incentiva vitiorum, reprimit corpus ſuum, & ſervituti ſubjicit, ne aliis prædicans ipſe reprobus inveniatur, & tamen videt aliam legem in membris ſuis, repugnantem legi mentis ſuæ, & captivum ſe in legem duci peccati, ſi poſt nuditatem, jejunia, famem, carcerem, flagella, ſupplicia in ſemetipſum reverſus exclamat. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Tu te putas ſecurum eſſe debere? Et hæc olim ad Euſtochium virginem D. Hieronymus, quæ modò etiam ad nos, ne ab illo, & ſub illo domeſtico hoſte ſecuri torpeamus.

Et certè quî torpeamus maximè, cùm ad eum etiam deforis accedat alius, vireſque jungat *mundus*, iſque hoſtis acerrimus, ſimul & doloſus vel maximè. II. A Mundo.

Eccleſiaſticus mundum hunc aſpectabilem pingit plenum laqueis, & retibus tam tenuibus, & ſubtili artificio textis, ut aciem oculorum propè effugiant. Sic enim de introitu in hanc mortalem vitam: *Scito quoniam in medio laqueorum ingredieris.* *Cap. 9. v. 20.*

Et hoc eſt lemma, quod in ipſo vitæ limine ſcriptum voluit Sapiens, ut in illo legas, videáſque quò ingrediaris, dum in mundum ingrederis, videlicet in medio laqueorum, quæ tibi texit caro, mundus, dæmon, malus utique auceps.

Quid eſt, inquit Auguſtinus, *in medio laqueorum?* in mundo ſumus velut in via ad æternitatem; in quà hinc, & inde laquei. *Laquei à dextris, laquei à ſiniſtris. Laquei à dextra, proſperitas ſæculi. Laquei à ſiniſtris, adverſitas ſæculi. Laquei à dextris, promiſſiones ſæculi; à ſiniſtris, terrores.*

Tu in medio laqueorum ingredere, à via noli diſcedere, nec promiſſio te capiat, nec terror elidat. Nec te illa capiet, nec hic elidet, ſi in *medio*, in quo & *virtus eſt*, nec ad dexteram declines, nec ad ſiniſtram.

Sed & hoc longè difficillimum: quod & animadvertit, & deploravit olim etiam D. Ambroſius; ſic enim ad ſuos, imò & ad poſteros omnes:

Multi laquei quacumque ingredimur. Laquei in corpore. Laquei in lege, laquei in pinnis templorum, in crepidinibus parietum. Laquei in philoſophia, laquei in cupiditatibus; oculus enim meretricis laqueus eſt peccatoris, laqueus in pecunia, laqueus in religione, laqueus in ſtudio caſtitatis, quod præſentiens, ac gemens D. Hieronymus, ſic aliquando ad Euſtochium, cui vult benè eſſe cautum. *Lib. 4. in Luca.*

Memento quia in medio laqueorum ambulas; adeóque & in medio periculorum. Quod ne gratis dictum videatur, ad experientiam appellat, & ſic ad illam:

Multæ veteranæ Virgines, caſtitatis indubitatæ in ipſo mortis limine coronam perdidêre de manibus; jactura damnóque irreparabili; quod ne incurreret aliquando, aliarum experientiis, & Scripturæ oraculis, probè doctam voluit, dum ſic ad illam: *Suprà.*

Cave quæſo ne quando de te dicat Deus. Virgo Iſraël cecidit, & non eſt qui ſuſcitet eam. Audenter loquar: Cum omnia poſſit Deus, ſuſcitare virginem non poteſt poſt ruinam. Valet quidem liberare de pœna: ſed non valet coronare corruptam. Hæc Euſtochio S. Doctor, à quo diſcedo, atque in aviam ſolitudinem deflecto; in ea mihi obvius erit S. Antonius, magnus Eremicola, cui olim objecta eadem mundi ſpecies, in exceſſu mentis, à ſe totus abit, atque in Deum excedit, altiore luce illuminatus hunc mundum vidit, laqueis refertum, à terra in cœlos uſque, & quidem adeò denſis ac tenacibus, ut vix ulla anima extricare ſe poſſet, atque in ſublime evolare.

Triſtis illa ac formidanda imago mundi, hauſta fidelibus oculis, hauſta & mente, viro Dei primò metum incuſſit, tum etiam mœrorem, ac lacrymas excivit; denique & has ad Deum voces expreſſit: *Domine quis evadet hos laqueos?* dixit & mox tertiò audit; *Humilitas, Humilitas, Humilitas;*

Et hæc prima ratio evadendi eos laqueos; ſi quis ſeipſe abjiciat, deprimat, devolvátque ad nihilum ſui, hoc eſt ad infimum.

Altera eſt, ſi ad ſummum, id eſt Deum, animo, cogitatione, votis, affectúque toto aſcendat: & hanc ſuggerit D. Chryſoſtomus:

Ne deorſum, inquit, volemus; ſed ſuperiora quæramus, in his ab omnibus mundi laqueis liberi erimus, atque expediti: quod probat vel ipſo volucrum exemplo: ſic enim inquit:

Etenim volatilia donec altum aërem ſecant, non facilè capiuntur. Ita tu donec ad ſuperiora reſpexeris, nec laqueo, nec ullis facilè capieris inſidiis.

At qui inquies ad ſuperiora aſcendam? eadem ratione, quâ aviculæ. *His alæ ſunt ut aſcendant, ut effugiant laqueos, ratiocinationes hominibus, ut peccata devitent*, inquit ille ipſe S. Præſul, qui etiam alia ſimilitudine id ipſum declaratum voluit, & quaſi ſub oculos poſitum.

Si quis ex altiſſimi montis vertice & urbes, & mœnia deſpexerit, ea parva videbuntur, & homines iis inambulantes adinſtar formicarum, quod & verum quàm maximè, ſi quis è concavo lunæ ea deſpexerit omnia.

Sic & animus ſeipſo altior, & cogitatione, affectúque cœlo quaſi additus, ac ſublimis, parva videbit omnia, divitias, gloriam, honorem, potentiam pro minimis reputabit, & ſic paratos ab illis laqueos

III. A Dæmone. evadet; adeóque hoſtem alterum, id eſt *mundum* ſubjugabit, & ſub pedibus ponet; uti & deinde tertium, qui eſt malus *dæmon*. Inſtat ille, urgetque velut implacabilis generis noſtri hoſtis, & quia ſic inſtat, urgetque, ideò timendus vel maximè; & quidem

Primò ab inſita illi natura; eſt enim *ſpiritus*, quî cum illo congrediatur caro? quî homo luteus, ex luto argilláque malè compactus? & quia is eſt, & ii nos ſumus,

Hinc grande periculum, anceps pugna, incerta victoria, & propè deplorata; quia non pugnatur æquo marte, æquóve robore.

Deinde ad illud quòd *ſpiritus* ſit, accedit inſignis quædam illius nequitia, ac malevolentia, quâ totus it & præceps, ut nos impetat, ſternat, profliget. Quod ſcitè duabus voculis expreſſit Apoſtolus, dum appellat *ſpiritualia nequitiæ*; & D. Auguſtinus cùm

In Pſ. 96. ſic de illis: *Eſt inſita malevolentia quædam, & pernicies nocendi iſtis malis ſpiritibus: gaudent de malo hominum, & de fallacia noſtra, ſi nos fefellerint, paſcuntur.* & cùm ſic paſcantur, ſemper in dolos, & fraudem intenti ſunt, ſemper jugulo noſtro imminent, & vim intentant, inſatiabili quadam nocendi cupiditate, quam mirè promovet innatum illi robur, indita vis, cui nulla ſub cœlo par eſſe poteſt.

De illa ſic aliquando Iobus: *Reputabit quaſi paleam ferrum, & quaſi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir ſagittarius*, quia extra teli jactum eſt, & quia *non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* Et cùm non ſit, hinc timor, horrórque belli ab ea impendentis; cui præludit immani quodam rugitu,

circuit enim ut leo quærens quem devoret. Quod quærit 1 Pet. c. 5

electionis eſt, quod rugit invidiæ, iræ, furoris, deſperationis, inquit B. Cæſarius.

At quos quærit? in quos & rugit? in optimos quoſque: ut enim ille ipſe B. Cæſarius: *Eſca ejus electa, neque ab illo inquiruntur niſi boni, quia ſe ultrò ingerunt mali. Poſt illos violenter currit, in hos negligenter incurrit.*

Et illud eſt quod ſuo etiam ævo vidit, deploravítque D. Hieronymus, dum ita ſtylo lugubri:

Piget dicere quot quotidie virgines ruant, quantas de ſuo Epiſt. 22.

gremio mater perdat Eccleſia, ſuper quæ ſidera inimicus ſuperbus ponat Thronum ſuum, quot petras excavet, & habitet coluber in foraminibus earum.

Et quia ſic excavat, ſic & habitat, hinc piis mentibus timor, & ſacer quidam horror.

Et meritò, quia ea mali dæmonis pugna, non unius eſt diei, non etiam anni; ſed plurium; ſed & totius vitæ, ut ſit longiſſima.

Mirum certè illud, veriſſimum tamen, quod aliquando Chriſtus B. Veronicæ de Binaſco revelavit, cacodæmonem totis annis quadraginta laboraſſe, ut quemdam Dei ſervum, vel ad unicum peccatum veniale impelleret.

Tanta in Dei amicos, ac ſervos tenetur invidia, ira tanta, furore tanto; tanta etiam leviuſculi peccati cupidine, qua bona a mentes inficere laborat, atque inquinare, qui mali dæmonis genius, non unius eſt tantum, ſed & omnium, qui facto veluti cuneo in id unum colliguntur, atque adlaborant; quod probat objecta aliquādo viro Religioſo ſpecies.

Vidit ille in amœna unius noctis imagine innu- In vitis

meram propè dæmonum multitudinem, monaſterio Patrum.

ſuo incumbentem: vidit, & aſtupuit. Vidit deinde Civitati ampliſſimæ unicum tantùm imminere dæmonem; vidit inquam, & ſecum ipſe agitare cœpit, eccur illud? & audit ab annoſo ſene, & in religioſa palæſtra benè exercitato, mirum non eſſe, quia civitati ſatis erat dæmon, etiam vel unicus; at monaſterio ſuo nec mille, nec millia ſatis erant, cujus & rationem hanc accepit, quia omnes propè civitatis illius incolæ dæmonis erant ſuapte ſponte; at monachi omnes, toti erant Dei, & hinc in illos plenis ruunt agminibus, & tamen incaſſum, quia iti Dei ter Opt. ter Max. tutela ſunt, atque amoribus.

TRCTACTUS
DE SINGULARI IN DEUM FIDVCIA.

DE hac virtute multi multa ſparſerunt & ingeuiosè, & doctè, & piè: ego pauca; & quidem hoc ordiue:

Pçimo enim quæram quid ſit ea fiducia? & quæ ejus ootiones? tum qui illius effectus? denique, quæ ad eam iuvitamenta?

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Iacta ſupèr Dominum curam tuam; & ipſe te enutriet. Non dabit in æternum fluctuationem juſto.* Pſalm. 54. v. 25.

§. 1.
Explicatio thematis.

IN hoc lueo ſeſe fuſiùs eaplicat Interpretum labor: ex illis pauca ptiuſquam ad quæſtiones propoſitas delabar. Sic igitur Vates Regius.

Iacta, inquit, Hieronymus vertit *projice*, quod impetum animi fluctuantis, ac trepidantis apertè deſignat, ſimul & amantis, ac planè confidentis in eum, in quem ſe jactat, & projicit.

Curam tuam, Hilarius *cogitationem tuam*, Hieronymus *charitatem tuam*, quod ſcilicet & in Deum omnis cogitatio, omnis & affectus conjici debeat, & in eo ſiſti: ubi enim potiùs? alii ex Hebræo *Iehavecha*, *pondus tuum*, *onus tuum*, *ſarcinam tuam.* Verbo uno, quidquid te gravat, atque opprimit, in Deum conjice, & eo te levabit amabilis ejus providentia, quæ & pondus, & onus, & ſarcinam tuam excipiet, ac feret Omnipotentis dextra; imò & à te removebit quàm longiſſimè, quod eſt amantis, atque indulgentis.

Rabbi Kimbi eaplicat, & vertit *dona tua*; hoc eſt ea, quæ tibi donavit liberalis atque effuſa Dei manus, ea quoque in eum, ceu illorum authorem, projice, ne tibi aliquando eacidant, ac pereant: certè tutiora erunt, & à malo dæmone, ceu prædone, ſecuriora in Dei manibus, ac ſinu, quàm apud te, qui puſillus es, & infirmus, à quo, ceu prædam eripere poteſt infeſtus tibi genius. Ne quid igitur hic tibi rapiat quod Deus dedit, age illud omne in eum projice.

Et ipſe te enutriet, hebræa vox majorem vim, & ampliorem habet; ex ea enim idem eſt, quod *ſuſtentabit*, *ſuffulciet*, *elevabit*, quæ omnia ut ſuavem in nos Dei providentiam oſtendunt; ſic & fiduciam excitant, ne plus æquo de neceſſaria nobis annona anaii ſimus; ut enim D. Ambroſius: *Indecorum eſt homines curare de cibo, qui militant regno*, regno utique cœleſti, cujus ut Rex eſt Deus; ſic & ejus familia mundus, cujus proinde eſt videre, quî eam paſcat, alat, veſtiat, & hinc opportunè ſubjicit illud Pſaltes regius.

Non dabit in æternum fluctuationem juſto: alii *mutationem*, *lapſum*, *caſum*, græca vox σάλος *fluctum* ſignificat, & æſtum maris. Et ſanè quàm appoſitè; ſi enim hic mundus eſt veluti mare, in eo, fluctus eſt quælibet in eo mutatio, lapſus, caſus, quem diuturnum eſſe non patietur Deus; ſed temperabit, componet, ſopiet, redderque juſto optatam tranquillitatem.

Et hæc pro littera ſint ſatis. Venio ad quæſtionem initio propoſitam, pro quâ ſit

§. 2.
Quid ſit ea in Deum Fiducia? quæ ejus ſymbola? quæ baſis? quæ fulcimenta?

DIvus Thomas, Angelicus Doctor, Fiduciam generatim ſumptam ita definit:

Fiducia eſt ſpes futuri auxilii concepta ex dictis aliorum, vel ex his, quæ ſunt in ſe, vel in aliis. 2. 2. q. 129. art. 2.

Ariſtoteles, purioris Philoſophiæ ocellus, cùm in Rhetorica de Fiducia diſputat, definit eſſe *ſpem quandam cum opinione proxima ſalutis, & rerum horribilium, vel non futurarum, vel longè remotarum.* L. 2. Rhet.

Hæc ubi dixit, tum multa prodit, quæ fiduciam afferre poſſunt, & quidem primò ſi & auxilia vel multa, vel magna, vel utraque adeſſe videantur, deinde ſi nulli adverſarii, vel ſi ſint, facultatem nocendi non habeant; hæc enim fidentiam afferunt, & animum confirmant.

Eſt ergo ea *Fidentia ſpes*, non qualis qualis, non nuda: ſed conjuncta *cum opinione*, hoc eſt perſuaſione *proxima ſalutis*: proximæ, ait; nihil enim magis fidentiam excitat, quàm cùm & mala longè abſunt, & quæ ſalutem afferre poſſunt, vicina ſunt.

Et ita evenit in ea, quæ nobis eſt in Deum *fiducia*. Eſt ea *ſpes* quædam, & quidem juncta, non dicam cum *opinione*: ſed certitudine quadam *proxima ſalutis*; *proxima* dico, quia & proximus eſt, qui vel mala impendentia avertere poteſt, vel jam inflicta diſſipare. Eſt enim Deus, qui & nobis maximè proximus eſt, quia maximè intimus (*in eo enim movemur, & ſumus*) & cùm is ſit, ſemper adeſſe poteſt quovis momento, quovis loco, & quidem (quod eam ſpem mirificè auget) quia poteſt cùm ſit Omnipotens, quia & vult, cùm ſit ſummè bonus.

Adde, quod ea ſpes, & jam concepta ſit, non dicam dictis aliorum; ſed ipſo primæ veritatis oraculo; cujus ad nos ſolemne effatum:

Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Pſal. 90. v. 15.

Et hæc dicta paucis pro fiduciæ notione, venio ad illius quaſi ſymbola, fundamenta, & fulcimenta, quæ à Deo, & in Deo ſunt: & *fiducia* ſeu naturam, ſeu proprietates, ſeu etiam affectus in aperto ponunt.

Ex his primum eſt, quod *fiducia* ſit velut *anchora*. Sic eam nominavit Apoſtolus, ut Hebræis animos faceret altiores in ea, qua jactabantur tempeſtate, & undis rerum humanarum; ita enim ad illos aliquando: I. Anchora animæ.

Fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam. Ad Hebr. c. 6. v. 18. 19.

In hoc mundo, ceu irato mari, jactatur & fluitat anima; eſtque velut in præſenti vitæ ſalutiſque naufragio; dum hinc afflat mali dæmonis aura, malæ dico ſuggeſtiones, hinc ſirenum cantus, id eſt voluptatum illecebræ, blandaque carnis lenocinia; inde & mundi reluctantis undæ, fluctuſque. Quid

in his

in his & illis conſilii? quid remedii? certè quod navigantibus, quod propè naufragis. Quid illi? jaciunt *anchoram*, navimque fluctuantem, atque agitatam ſiſtunt.

Fuit antiquis *anchora*, quæ à nautis vocabatur *ſacra*, ea eo quòd aliis prægrandior, adhiberetur in graviore diſcrimine, & vehementiori jactatione. De hac ita Joannes Zetze, græcus Author.

Chiliad. 11. num. 90. *Sacram anchoram autem eſſe ipſe à me intelliget, ex anchoris maximam, quam in deſperationibus, in ſalutem navis poſtremam laxamus.*

Verùm ut ſpes illa, atque in Deum *fiducia* dicatur, & ſit velut *anchora*: eſt tamen inter hanc, & illam, hoc diſcrimen: quòd anchora jaciatur in profundo, in imo ſcilicet oceani: ſpes autem, & fiducia in ſummo, hoc eſt in Cœlo, Deoque defigatur: & ita defigendam ſibi putant Chriſtianæ, & præcelſæ mentes; ita ea noſtra hac ætate Ferdinandus II. deinde Imperator Auguſtus.

Hic rebellantium populorum, ac totius pœnè Septentrionis conjuratione petitus, Regnis ſui raptis, aut laceratis vaſtatiſque provinciis, animo inter eos fluctus, ac jactationes ſemper intrepido, vultuque inter eas clades renidenti, illud patria lingua identidem uſurpare ſolitus.

Deus ex hac aquâ me eruet. Ecce anchoram ſpei, atque in Deum fiduciæ.

Nec illum ſpes fefellit, aut confudit: hac quippe velut anchorâ firmiſſimâ divinæ bonitatis fundo comprehenſo, victor hoſtium, etiam cùm maximè humano judicio deſperata ſalus eſſet, tanquam frementes circa ſe fluctus vidit ſubſidere; immaneſque conjuratorum conatus ad nihilum recidiſſe.

Tanti refert quî jacias anchoram, quî tuas ſpes colloces, ac figas. ſed inſtitutum proſequamur. Vidimus in liquido elemento fæliciter ac fortunatè jactam fuiſſe ſpem, attendamus ut etiam in ſolido.

Eſt enim ſpes, atque in Deum *fiducia*, veluti *petra* ſolida, atque firmiſſima.

Pſal. 72. Appello Vatis Regii fidem, appello & experientiam. Quid ille? ſic olim in æſtu orationis: *Deus cordis mei.*

II. Petra cordis. In hebræo eſt *Thur*, propriè *petra cordis mei*. Quod ipſum aliis atque aliis locis confirmatum voluit, ut major eſſet fides; dum enim intemeratam Dei ſui juſtitiam, atque æquitatem prædicat, atque extollit. Pſal. 91. Sic de illo: *Rectus Dominus Deus noſter.*

Deus, eſt eadem vox *Thur*, & Caietanus vertit *rupes mea*. Et alibi cùm Deum exhibet, atque oſtentat velut afflictorum ſolatium, & deſperatis in Pſal. 77. rebus adjutorium, ſic de illis: *Deus adjutor eorum eſt.* Habet lingua ſancta, Deus *thur*, hoc eſt, *rupes eorum eſt.*

Rupes, inquam, non in tarpæo vertice: ſed in Cœlo, atque Deo poſita. *Rupes*, è quâ in ſummo indigentiæ, ac deſperationis æſtu fluant aquæ, quæ & corporis ſitim, & animi etiam languores ardoreſque extingant.

Jactavit Antiquitas rupem illam, è qua Moyſes ſpe in Deum ac fiducia plenus aquas eduxit è quibus & jumenta biberent, & innumera propè hominum multitudo, cui nec abſimile poſteris ſæculis. Viſæ quoque rupes aliis, ſymbola utique aut teſtimonia Henriquez in Faſc. SS. Ord. lib. 2. Diſt. 29. c. 2. ingentis in Deum fiduciæ, quâ eminere viſus eſt *B. Euſtachius* Abbas *de Fay*.

Defecerant aquæ, exaruerant fontes, & Cœlum ipſum imbres negabat opportunos: hinc mœrere, gemere, & à ſiti propè faceſcere populus, & pecora. Ad Beati Præſulis, ſolitum eò loci perfugium confugere, convolare plebs univerſa. Movit hæc illius animum, & ad commiſerationem commovit, & ut erat ſpei in Deum ac fiduciæ retinens, venit ad Eccleſiam villæ *Rumenel*, baculoque ſuo petram percuſſit, & illicò fluxerunt uberes aquæ.

Amat nimirum, qui eſt *petra cordis*, è petra etiam duriore, aridâ, & penitus exſuccâ fontes educere, ut ſpem, ac fiduciam magis acuat, atque excitet. Et ita deinde acuit, excitavitque in D. Franciſco Aſſiſio.

Huic erat Aſinarius, cui in paucis ſitienti, cùm aliunde non ſuppeteret, unde ſitim extingueret, è petrâ aquam elicuit, ea qua potaret ipſe, & Aſellus, qui deferendis ad conventum oneribus ſerviebat, aliàs minimè ſerviturus. Wadingus in Annal. tom. 1.

Maneat ergo fixum illud *petram* ſymbolum eſſe, aut teſtimonium ſolidioris in Deum fiduciæ; ut qui ſit *petra cordis*: ſed & aliud eſt *dextera*, de qua & hoc Pſalmi Regii: *Dominus protectio tua ſuper manum*, Pſal. 120. *dexteram tuam.*

Quem loquendi modum D. Chryſoſtomus petitum vult à bellis, in quibus olim erant *Paraſtatæ*, ſive III. *Adſtites*, qui ad bellantium latus aſſiſterent, adhære- Dextera. rent, & dextrâ ſuâ eos protegerent, & ea nobis eſt Dei omnipotentis *dextra*, ſymbolum, & firmamentum fiduciæ noſtræ, ut quæ nobis in bello, quod contra dæmonem, mundum, & carnem nobis eſt perenne, ſemper aſſiſtit, imminet, protegit.

Teſtes volo, teſtes amo è ſacra Clarevallenſi familia religioſos, quorum hìc juverit meminiſſe. Eos regebat B. Robertus, primus à D. Bernardo Clarevallenſis Abbas, vir notæ virtutis, ac ſanctitatis. Dies erat à feſto Paſchatis ſecundus, dies boni ominis, & ominis: in hoc dum interſunt choro, in æſtu orationis, & cœleſtis in Deum fiduciæ, ecce è religioſis uni objecta hæc ſpecies.

In chori medio viſebatur dextra extenſa, quæ ſacro Henriquez in Faſc. SS. religioſorum cœtui ſolemniter Benediceret. Simulque audiebatur ea vox: *Iſtud eſt brachium dominantis*, Ord. Ciſter. diſt. 5. c. 4. *hac eſt dextra Omnipotentis.*

Ecce ſymbolum Divinæ protectionis, ecce arrham Divini amoris, & ſingularis in Deum fiduciæ, baſim, & fulcimentum. Vis aliud? illud tibi in manus dabit magnus ille Legiſlator Moyſes, qui ſic aliquando ad Iſraelem:

Beatus es tu Iſraël, quis ſimilis tui, populo, qui ſalvaris Deuter. c. 33. *in Domino.* In quo enim potiùs quàm in eo, qui eſt *ſcutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ?*

IV. Scutum. Emblema nobile Divinæ protectionis, à qua & homini in illam fiducia; in qua enim meliùs? eſt Deus protector, eſt & *ſcutum*, quo dum in æſtu rerum publicarum ſe tegit *David*, ſic ad Deum: *Protector meus, & cornu ſalutis mea.* Pſ. 17. v. 3.

In primigenia lingua eſt *maghinni*, hoc eſt *ſcutum meum*. Eſt enimverò ſcutum Deus, eſt & protector. *Scutum*, quo tegatur homo cùm adverſa hoſtium tela, ceu gravida nubes capiti incubuerit, incideritque. *Protector* autem, ad quem inſignis fiducia confugiat, cùm incurrent mala.

Fuit illud *Heſiodi* Poetæ non minùs pium, quàm In Scut. ingenioſum figmentum, quo in Herculis *ſcuto* pictum aiebat, expreſſumque *portum tutum indomiti maris.*

Eſt mare ſymbolum adverſitatis, utpote ventis obnoxium, fluctibus grave, procellis ac tempeſtatibus timendum, & frequentibus naufragiis infame.

Et hæc vita noſtra mortalis mari magno non abſimilis: in ea enim gurges periculoſiſſimarum calamitatum, in ea invidiæ tumentes fluctus, procellæque ſuperbientium inimicorum, venti & turbines inſolentis maledicentiæ, fortunarum, vitæque imminentia naufragia. Quid in illis conſilii? quid auxilii? non aliud quàm Omnipotentis *ſcutum*, & in eo portus, & ſinus placidiſſimæ ſtationis, ac quietis; quam dum ſuſpicit, amatque Vates Regius, æſtu quodam ſeu gaudii, ſeu amoris, ſeu ſtu- Pſal. 5. v. 3. poris exclamat: *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos o Deus.* At cur, inquies, *coronaſti?*

Enimverò

Enimverò ſcuta non coronant, ſed obtegunt; imò & obtegunt, & coronant. Dum enim obtegunt, & victores efficiunt, & adepta jam victoria triumpho glorioſos reddunt, adeoque & coronant.

Et certè priuſquam eſſet uſus coronarum, *ſcuto* coronabantur victores. Et inde & jam manavit ſacer ille mos in Eccleſia, ut Sancti jam donati corona cæleſtis beatitudinis, coronentur *ſcuto*, in ſignum adeptæ de ſuis hoſtibus, mundo, carne, & dæmone, illuſtris victoriæ.

Et hinc etiam in vulgus abiit illud, ut viri magni, præſtanteſque heroes, Vatum oraculis dicantur *ſcuta terræ*; quod alios ſuo robore, ſua authoritate, & conſtantia tegant, & ſervent.

Quod ſi hi, multò magis Deus ipſe, qui & *ſcutum* eſt noſtrum, noſtraque protectio, quam dum amat, ambitque *Sigiſmundus*, Poloniæ Rex, hoc ſibi ſymbolum poſuit.

V Gladius. *Deus protector ſperantium in ſe.* Protector enimverò, quia *ſcutum auxilii noſtri*, quia & *gladius gloriæ*
1 Reg. c. 21 v. 9. *noſtra*, de quo longè melius jactabimur illud, quod de Goliathi gladio David: *Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum*, ô Deus, ſpes mea, fiducia mea.

Et verò quidni ſit fiducia mea, cùm & ſit mihi murus, non qualis eſſe ſolet urbibus, & arcibus è lapide, aut opere lateritio, non qualis etiam vetuſtis illis è trabibus, & ingentibus ſaxis opere teſſellato; ſed altiori quadam, ac diviniori materia compoſitus, & adamante ſolidus atque impenetrabilis.

Ne mireris, Amice Lector, néve me incuſes novitatis, ut qui murum tibi fingam adamantinum, eum certè vidit *Amos*, non corporis oculis: ſed ani-
Cap. 7. mi, & hæc tibi, mihique & ſcripſit, & dixit: *Ecce Dominus ſtabit ſuper murum adamantinum.*

Stabit, inquit, quod eſt veluti prote, tuaque ſalute excubantis; *ſuper murum*, quod eſt ſedulò protegentis; *adamantinum*, quod eſt objicientis hoſtibus tuis velut impenetrabile munimentum, atque propugnaculum, quo tectus altùm dormias, & ſecurè conquieſcas.

Et certè quidni ſic dormias, ſic & conquieſcas in protectione Omnipotentis, qui tibi erit pro *muro*, ſi voles etiam *ignea*. Ab adamantino accepiſti Divini
VI. Murus igneus. præſidii robur, & vim invictam: ab *ignea* lucem hauries, & ardores, & fulmina, & ignita tela, quibus & hoſtem adventantem videas, & detegas, & arceas quàm longiſſimè; ac ne mihi ſit fides, tibi fortè dubia & anceps: aliam accipe diviniorem ab ipſo ſupremo Numine, à quo hæc olim Zachariæ ore, calamoque:

Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.
Cap. 2. v. 5. Quid illuſtrius? quid tutius? quid beatius? ſanè igne illo ut nihil ad ſplendorem magis: ſic & nihil ad terrorem. Et hoc, & illo dum frueris, ô anime, in protectione Dei Cœli conquieſce.

§. 3.

Quid ſit Fiducia in creaturis? quàm vana, quàm brevis, quàm fragilis, quàm & noxia?

Fiducia in Creaturis quid ſit? VUlgatum illud apud Philoſophos axioma: *Contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt.* Sic albedo juncta nigredini magis eminet; & calor frigori mixtus effervescit magis: ſic & fiducia in Deum compoſita cum ea, quæ eſt in creaturis, magis eluceſcet, apparebitque quàm hæc vana ſit & futilis, imò & noxia; & contrà, quàm ſolida ſit illa, & proficua.

Igitur ut ad rem propiùs accedamus, & fiduciam illam, quæ eſt in rebus creatis, fidelibus ſubjiciamus oculis, eam quibuſdam ſymbolis veluti nativis coloribus depingemus.

C. 8. v. 14. Initium ducemus à Jobo, qui ut in Deo ſtetit, ceu columna immobilis, ſic & nos in eo ſtare docuit, nec in creaturis ullis fiduciam ponere. Ecquid enim ipſius calculo?

Sicut tela aranearum fiducia ejus, inquit: ſpectaſti I.
adulta jam æſtate, ut telam ſuam contexit aranea, ut Tela aranearum.
tenuia fila diducit, ut ea in ſeipſis implicat, ut ſeſe etiam texendo eviſcerat niſu improbo, labore ſanè inutili. Quid enim ab illo reliquum, quæ & præda in caſſes veniat? multum ſi muſca levior: & ut veniat, quid illud? certè leviſſimæ rei attactu, & ventulo exiguo frangitur tela, & ut non frangatur, ancillulæ ſcopis evertitur.

Talis eſt fiducia in creaturis: araneæ tela eſt, quam leviſſima hominum diſſipat aura, & tenuiſſimus adverſantis fortunæ afflatus frangit; & ut neque hic, neque illa frangat ac diſſipet, franget profectò ac diſſipabit, quæ Deo ancillatur mors improba.

Et tamen ut ea ſit in rebus creatis fiducia, ut leviuſcula, ut inanis, ut frangi facilis, ut prona diſſipari: eam tamen mortalium plerique, ceu telam araneæ contexunt. Et hoc eſt, quod altùm deplorat
Vates Regius; dum ſic ad mortales: *Anni noſtri ſicut* Pſal. 89. v. 19.
aranea meditabuntur. Eſt meditatio ſollicita quædam ſtudii ratio, & ſollicitudo improba: hæc habet ſi in re ſolidâ, & ſtabili inſumatur, & quæ ævum ferat, atque æternitatem. At proh dolor! ea meditatio, & cura, ac ſolicitudo, quæ pleroſque omnes eviſcerat, & ipſi anni noſtri, totuſque vitæ curſus, ut longiſſimus ſit; apud Superos, Deumque reputatur ſicut aranea, id eſt inanis, & futilis labor, & qui momento perit: quia nec cœlo impenditur, nec æternitati.

Et hoc eſt, quod etiam profundo cum gemitu, fuſiſque lacrymis lugere auditus Iſaias, dum iſtud de
ſtultis illis, atque inanibus hominum ſtudiis edulis: Cap. 59. v. 5.
Telas araneæ texuerunt.

Ne porrò texere pergerent, optandum eſſet, ut illis eveniret quod olim in ſimili hæreticis; ut doctè
annotavit Cardinalis Baronius. Eadem hora, qua Anno Chriſti 681.
Romanis Clericis adnitentibus è ſexta Synodo faceſſere juſſi ſunt ut hæretici, *Macharius* Archiepiſcopus Antiochenus, & *Stephanus* ejus diſcipulus, omnes aranearum telæ in medio populi deciderunt: ut ex eo omnes intelligerent & deterſas eſſe è domo Dei ſordes, & fracta ac diſſipata hæreticorum dogmata, fraudulentaſque ſophiſmatum captiunculas, ceu telas aranearum. Utinam & ſic vana mortalium ſtudia, & inanis in creaturis fiducia omninò concideret: utque concidat, alterum accipe futilis illius ac fluxæ ſpei ſymbolum.

Eſt illud *favilla ſtuppa*; quid enim potiùs? eſt II.
ſtuppa leviſſima, eſt ſpolium ignis, eſt fumi mox Favilla
perituri genitrix, momento quippe incenditur, & ſtuppæ.
momento extinguitur; ſic & fiducia, quæ in hominibus, rebuſque humanis ponitur, eodem propè quo ſurgit momento, occidit.

In ſolemni Pontificium Romanorum inaugoratione, inter feſtiva gaudia, ſacroſque plauſus ſolet incendi ſtuppa, adjicique præclarum illud monitum:

Pater Beatiſſime, ſic tranſit gloria mundi.

Ut ſcilicet in illo culmine Pontificiæ majeſtatis, & oculis & animo recurrat inanitatis rerum omnium ſalubris memoria, ſpes caducæ, ſpes fluxæ, à quibus poſt leviuſculam, & propè momentaneam gloriæ lucem, ac ſplendorem, nihil reliquum ſit niſi fumus, & hic etiam momento evaneſcens.

Et hoc eſt, quod etiam aliquando extulit, & mor-
talibus oculis obtulit Iſaias, cùm humana omnia Cap. 1. v. 31.
dixit eſſe *favillam ſtuppæ*, non potuit meliore ſymbolo eorum inanitatem exprimere, cui non multùm abſimilis eſt ea, quam Sapiens, aliis, atque aliis ſymbolis, ac ſimilitudinibus, ceu totidem imaginibus, nobis bellè depingit, cùm ſic ſtultos illos mundi amatores, & opum, & honorum, & voluptatum aucupes, in extremo vitæ limine, ſuam illam amentiam

deplorantes

deplorantes in theatrum inducit, & ſic in ultima illa ſcena loquentes:

Sap. c. 5. v. 8. *Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Ubi hanc ſibi ipſis moverunt, injeceruntque quæſtionem: tum ſuâ experientiâ benè docti, hoc luculentum veritati dant teſtimonium.

III. Alia ſymbola ex Sapiente.

Tranſierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuntius percurrens, & tamquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cujus cùm præterierit, non eſt veſtigium invenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus, aut tamquam avis, quæ tranſvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris: ſed tantum ſonitus alarum verberant levem ventum. Aut tamquam ſagitta emiſſa in ſcopum deſtinatum: diviſus aër continuò in ſe reclusus eſt, ut ignoretur tranſitus illius.

Et hæc extrema vox eorum omnium eſt, qui & in opum abundantiâ, & in honorum culmine, & in voluptatum illecebris ſpem ſuam, & fiduciam poſuêre. Quorum inanitatem, fugam, vanitatem in fine deplorant, ſeriò quidem: ſed proh dolor, ſerò!

Hanc nimirum veritati vocem expreſſit ipſa experientia, quæ etiam illos edocuit, ea omnia componere cum rebus maximè fugacibus, & quidem.

1. Umbra. Primò *umbra*, quæ nihil eſt aliud, quàm ſimulacrum inane corporis.

2. Rumor. Secundò *rumori*, qui ut leviter ſpargitur; ſic & leviùs evaneſcit. Inventi ſunt aliquando in hoc noſtro Belgio, qui quod noctu ſomniârant, manè ſpargebant in vulgus: ſed ut iſti rumuſculi deliria erant ſomniorum, & ludicræ illorum imagines; ſic etiam ut illa quàm citiſſimè diſparebant.

3. Navis. Tertiò comparant *navi* aquam ſulcanti, quæ ubi graviore aut remorum, aut ventorum impulſu flumina diviſit, ac maria, nullum in iis aut veſtigium relinquit, aut ſignat ſemitam.

4. Avis. Quartò *avi*, quæ poſtquam alarum remigio aëra diffidit, nullum in eo ſignum relinquit volatus ſui: fuit equidem aliquis ſonitus, aliquis & ſibilus ab illis, hinc & indè aërem, aut ventum concutientibus, ſed ubi & hic & ille diſſipatus eſt, nihil in aëre reliquum ab illis eſt.

5. Sagitta. Quintò componit cum *ſagittâ ex arcu* tenſo celeriter emiſsâ in ſcopum: dividit illa, ſecatque in primis aërem; at hic in ſe mox rediens, mox & recluſus, ita unitur, & coit, ut nemo unus omnium dicere poſſit, quà tranſierit: *ignoratur tranſitus illius*, inquit Sapiens.

Sic & ſublunaria omnia, ſic opes ampliſſimæ, ſic coronæ, ſceptra, diademata, honorum tituli, ſic & voluptas omnis, ſic & omnis in illis ſpes, ac fiducia penitùs evaneſcet, nec quidquam relinquet, niſi jejunum, & ſæpè probroſum, ac damnoſum illud, *fuiſſe*, nec ampliùs eſſe.

Ibit in ſæcula ultima illa vox Philippi III. Hiſpaniarum Regis, cæteroquin pientiſſimi. *Nihil prodeſt Regem eſſe, niſi ut in morte cruciet fuiſſe.* Hanc ſibi, hanc Poſteris, hanc veritati commendandæ vocem dedit jam jam moriturus, experientia doctus quantum in rebus humanis eſſet inane, quantumque ponderis etiam in corona.

IV. Alia ſymbola ex D. Greg. Hanc ipſam inanitatem etiam è Petri Sede, & Tiara Pontificia aperuit D. Gregorius Pont. Max. ſic enim inquit:

Lib. 10. Moral. c. 5. *Carnalis gloria dum nitet, cadit; dum apud ſe extollitur, repentino intercepta fine terminatur: ſic nempe aura flatu in altum ſtipula rapitur: ſed caſu concito ad ima revocatur; ſic ad nubila fumus attollitur, ſed repentè in nihilum tumeſcendo diſſipatur: ſic ab infimis nebula aſcendendo, ſe erigit; ſed exortus hanc Solis radius, ac ſi non fuerit, abſtergit; ſic in herbarum ſuperficie nocturni roris humor aſpergitur; ſed diurni luminis ſubitò calore ſiccatur; ſic ſpumoſa aquarum bullæ inchoantibus pluviis excitata ab infimis certatim prodeunt: ſed eò celeriùs diruptæ depereunt, quò inflata citiùs extenduntur. Cumque excreſcunt ut appareant; excreſcendo peragunt ne ſubſiſtant.*

Hæc S. Pontifex è ſummo ſacræ dignitatis vertice, ima deſpiciens.

Redeo ad Scripturæ Sanctæ Codices, & in iis lego alia ſymbola humanæ ſpei, ac fiduciæ, eaque mirum quantum inania. Sic illi: V. Alia rurſum ſymbola ex Scriptura.

Spes impii tamquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tamquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tamquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & tamquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis. *Sap. c. 5. v. 15.*

Quatuor producit ſymbola, videlicet *lanuginis*, *ſpumæ*, *fumi*, & *hoſpitis*.

Eſt *lanuga* veluti mollis lana, quæ per aërem volitat, & vento leviſſimo impellitur, & huic ſimilis ſpes impii, ſpes omnis, quæ in creatis eſt.

Eſt *ſpuma* turgeſcens aqua, orta ex fluctibus maris, aut fluminis inter ſe colliſis: Oceani Ludus, ac ventorum: & huic cognata ſpes impii, ſpes humana.

Eſt *fumus* exhalatio tenuis, & ſubnigra ex igne aſſurgens, qui quò tollitur altiùs, eò citiùs evaneſcit, & huic apprimè ſimilis ſpes hominis impii, ac ſuperbi.

Denique & *hoſpitis unius diei* memoria, quæ & uno die naſcitur, & uno die perit, adventantibus ſcilicet hoſpitibus aliis, à quibus quodammodo obruitur: ſic & humana omnia; ut enim truditur dies die, ſic & illa. I modò, illis fide, qui voles, fides certè infidis, inanibus, ac fugitivis, à quibus nihil ſupererit tibi, niſi pudendum illud *fuiſſe*, nec jam eſſe, nec de cætero unquam fore: ideoque ſi ſapis ei fide, qui ſolus *eſt*, & à quo omnia habent eſſe, ſolus ipſe æternum, immutabile, & beatum eſſe, à quo ut ipſe beatus; ſic & ab illo beati cæteri, aliàs miſerrimi.

Sed inſtitutum proſequamur: vidimus quàm brevis, & fugax, ſpectemus quàm ſit fragilis, & rumpi facilis illa ſpes humana.

De Pharaone, Ægypti Rege dixit olim Rabſaces ad eos, qui in illum confidebant:

An ſperas in baculo arundineo confracto Ægypto, ſuper quem ſi incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam? ſic eſt Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in ſe. *4. Reg. c. 18. v. 21.*

VI. Baculus arundineus. Quod de Pharaone Rabſaces, deque illa in eum fiduciâ: hoc & de quovis mortalium dixero, & de quavis in eum fiducia.

Baculus eſt, & quidem *arundineus*, hoc eſt levioſculus, & flecti frangique facilis; imò & reipsâ confractus, ideoque ſuper eum ſi incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam. Tantum abeſt ut incumbentem ſuſtineat, fulciat, ſalvet, quin potiùs deſtituit, lædit, perdit; adeò infelix eſt cæca illa in mortalibus fidentia, & quæ nullam frugem affert, utilitatem omninò nullam: imò (quod culpes, & horreas) damna potiùs importat, ſpes avertit, animumque exulcerat.

VII. Nihilum. Ampliùs dico, fidentia illa *nihilum* eſſe, ſic eam paſſim nuncupant Divina oracula.

Sic eam *Amos* Propheta, dum Iſraëlitas fortunæ bonis ebrios, & in viribus ſuis præfidentes alloquitur, & acriùs carpit; ſic enim ad eos: *Qui lætamini in nihilo, qui dicitis, nunquid non in fortitudine noſtrâ aſſumpſimus nobis cornua?* *Cap. 6. v. 13.*

Cornua vocat ſubſidia humana, quibus & ſe, & ſuos tuebantur: eaque pro nihilo habet, & nihilum nominat; cui nuncupationi affinis eſt illa, quâ eadem ſubſidia dicuntur, & ſunt *mendacium*. Et ea eſſe viderunt aliquando, atque deplorârunt, ſed ſerò, ſuperbi quidam, & vicino etiam exitio devoti, qui Deo relicto ad homines & humana defleſerunt, atque in eo etiam inſaniam ſuam agnoverunt; ſic enim alto cum gemitu, & ſera nimis pœnitentia: VIII. Mendacium.

Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. *Iſa. c. 28. v. 15.*

Quos

Quos & ſpernens, & illudens Propheta, imminentem eis ultionem objicit: *Subvertet grando ſpem mendacii, & protectionem aquæ inundabunt.* Ultor enim Deus multiplices pœnas in eos, quaſi grandinem implùet, & aliquem veluti aquarum, id eſt miſeriarum eluviem immittet, qua tegantur, atque obruantur toti.

Ecce quàm noxia ſit ea in rebus caducis fidentia, quàm & pernicioſa, ut proinde jure meritiſſimo Vatum oraculis dicatur & ſit *maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus.*

Ierem. c. 17. v. 5.

Et certè quidni maledictus ſit, qui *brachium ſuum*, hoc eſt vim agendi omnem, robur, ac præſidium collocat in carne, id eſt in re molliſſima, & maximè imbecilla; quod profectò improvidi eſt animi, atque in ſuam perniciem ſponte ruentis.

Sed ne longiùs, abeamus ab iſtis, & ad illam, quæ in Deo eſt fidentiam recurramus, videamuſque qui, & quàm mirabiles & prodigioſi ſint illius effectus, pro quibus ſit.

§. 4.

Qui ſint effectus repoſitæ in ſolo Deo fiduciæ?

SUnt ii alii atque alii, qui potiſſimum explicari ſolent ubi gravior aliqua neceſſitas incurrerit, & cui occurrere non poteſt humana providentia, vel ubi quippiam fuerit ſupra naturæ vires, & ordinem, vel denique ubi præſens aliquod periculum, quod declinare non valet, aut eludere vis mortalium: In his enim, & ſimilibus, uti excitari ſolet ſingularis in Deum fiducia; ſic & amabilis hujus Providentia, atque Omnipotentia ſeſe aperire, atque in mortales effundere. Et quia hoc non tam verbis probandum erit, quàm exemplis, dabimus horum omnium aliqua, & quidem, ut credimus, illuſtriora.

Ex his primùm occurrit illud, cujus meminit Wadingus in Annalibus Minorum, qui cùm per urbes, Provincias, & Regna ſpargi cœpiſſent, & longè lateque propagari, habitum, ut vocant, primum Capitulum Generale Aſſiſii, ad quod convenêre fratres ad quinque millia, relictis (non dicam ad ſarcinas) ſed ad Divina officia, in ſingulis cœnobiis quot illis eſſent ſatis. Huic porrò Capitulo interfuit ipſe D. Dominicus cum ſeptem ſociis.

Anno Minorum 12.

Elapſis deinde aliquot annis, cùm jam D. Franciſco impreſſa eſſent ſacratiora ſtigmata, ut eſſet veluti quædam animata Salvatoris idæa, iterum coactum eſt Generale Capitulum, vel negotiorum Ordinis ergo, vel certè videndi D. Franciſcum, Seraphici amoris prodigium. Et huic quoque conventui adfuit D. Dominicus.

In eo autem Capitulo recenſiti religioſi ad triginta millia: exercitum credidiſſes, & quidem numeroſum.

Tertium deinde indictum eſt Generale Capitulum, cujus & pars fuit S. Dominicus, qui cùm advertiſſet deeſſe piæ multitudini annonam; ſic ad D. Franciſcum: *Eamus hinc & Chriſtum oremus ſedulò, ut qui in deſerto quinque hominum millia pavit paucis panibus; & hic etiam fratres paſcat.*

Eunt unà, unà & orant, redeuntque ad horam diei nonam: tum D. Dominicus: *Eamus* (inquit) *fratres, eamus pranſum.* Cui illi: *Quò ibimus?* nec panis mica ſuppetit, nec vini gutta, nec quicquam edulii: Quibus ille (ut erat cœleſti fiducia plenus) *Confidite in Domino*, inquit. Itur ergo, benedicitur menſis: imò & vacuis aſſidetur. Et ecce amabile Divinæ providentiæ miraculum. E Superum regia elabuntur cœleſtes Genii numero viginti, aſſumptâ in eam amoris, ac beneficentiæ ſcenam adoleſcentis formâ, ſpecioſâ illâ, & multum amabili, expediti omnes, & probè accincti, fratribus omninò quingentis, & panem, & vinum, & omne genus edulii ſubminiſtrârunt: nunquam tam lautè pranſum eſt. Ubi autem ſacratiori illi epulo datum ſatis, fratribus omnibus urbaniter ea more ſalutatis, bini, & bini, è triclinio egreſſi, videri deſierunt. Peracta nimirum erat ea ſcena, cujus ergo venerant.

Hic S. Dominicus, actis, ut aſſolet, ſuper menſam gratiis, loco & tempori accommodam orationem habuit, in quâ multa de Dei in ſuos beneficentia, multa de ponenda in eum fiducia, dixit, & piè & facundè.

Quod Divo Dominico, & Franciſco datum admirabili Numinis providentia: hoc deinde S. Franciſco etiam ſoli. Languebat illi ſtomachus tum ex recenti morbo, tum ex itineris incommodis, tum ex hyemis inclementiis nudo pede. Quid erit quod appetitum irritet in ſumma rerum omnium inopia? occurrit Sancto avicula ſylveſtris; at unde petetur illa? fidit Deo, votum ſuum aperit, & ecce mox fores pulſat Angelus equitis formâ, tum ex equo deſcendit, & ad infirmi lectulum admovetur, aviculamque offert, quàm optimè conditam, & ſic ad Franciſcum: *Accipe frater Dei, quod tibi mittit Dominus.*

Wadingus in Annal. Minor. Tom. 1.

Dixit, & evanuit: adeò verum illud Vatis Regii: *Eſcam dedit timentibus ſe.* Addo ego & confidentibus.

Quod D. Franciſco P. Seraphico datum eſt eò loci, ac temporis, hoc, imò & amplius, in vaſta atque invia ſolitudine.

In Comitatu Narnienſi non procul à caſtro S. Urbani viſitur avia & horrida ſolitudo, monteſque abrupti, horum juga dum ſuperat vir Dei, febri corripitur, & acriore ſtomachi dolore, quem ut levaret vinum petiit; at unde illud in ſolitudine ferè nulli pervia? unde in præruptis montibus? quid igitur? aquam hauriri jubet è fonte fortè proximo, tum Deo plenus, plenus & altiora fiducia ſigno ſacratiore Crucis benedixit frigido elemento, & ecce mirum dictu, viſuque, in optimum & generoſum vinum convertitur, & ſuum frigus damnat aqua, abjicitque, & vini probè à ſole cocti æſtus induit. Sumit vir Sanctus, quod illi dederat & mirabilis Dei providentia, & pia in eum fiducia: ſumit, inquam, guſtat, bibit, & convaleſcit.

Vidimus effectus cæleſtis illius fiduciæ, in paranda etiam per miraculum ſuis annona: attendamus & alios, qui omnem naturæ ordinem tranſcendant, dabuntur illi in ſancto Bernardo Clavonio.

Vineæ omnes partim effusâ grandine, partim ignito fulmine ſic percuſſæ erant, ut nihil ab hoc & illo illæſum ſupereſſet. Et hoc viderat ſenſeratque pius Præſul, nec tamen ideò animo conciderat: ſed pro eâ, quâ erat in Deum fiduciâ, primò vaſa omnia è cellario educi curavit, purgari, aptarique, quaſi ad uberem vindemiam. Secundò præfectum cellæ vinariæ emiſit ad colligendos racemos, qui ſubridens ſic ad Præſulem: *Ne unicus ſupereſt, quid ergo colligam?* cui ille:

Vade, accipe racemos, quos inveneris, nam major eſt Dei miſericordia, quam furor tempeſtatis: & plus poteſt Deus reparare, quam ipſa corrumpere. Fides ſervorum Dei debet eſſe fidelis, & conſtans.

Henriquez in Faſc. SS. ord. Ciſter. l. 2. diſt. 9. c. 7.

Dixerat, & ecce Cellarius, aliique omnes Religioſi docti obedire quàm, promptiſſimè perrexerunt, quaſi ad copioſam vindemiam. Sed ô grande malum tempeſtas! tres racemos, eoſque marcidos invenerunt, præterea nihil. Eos deinde obtulerunt bono Præſuli, qui eos manu prenſans, actis primùm Deo gratiis: Dividamus, inquit, & vaſis ſingulis partem aliquam imponamus. Diviſit ipſe, & manibus uvas compreſſit, atque ex iis defluentes guttas, ſingulas ſingulis doliis infudit tum vaſa omnia probè clauſit, addiditque illud fiduciæ plenum auctoris.

Qui è quinque panibus, & duobus piſcibus quinque hominum millia pavit, potens quoque eſt, ut populo oppreſſo,

oppreſſo, ac ſitibundo ſatisfaciat è paucis racemis, & pauculis quoque guttis vaſa omnia implere.

Dixit, & è Cella Vinaria exceſſit, & per dies omninò viginti, & ſuam, & populi neceſſitatem fuſis ad Deum precibus enixè commendavit. Ubi porrò abiêre dies illi, dapifer vaſa luſtravit, & plena reperit vino quàm optimo.

Hic mirari, amare, atque commendare mirabilem illam Divinæ providentiæ largitatem, eamque referre ſuo Præſuli, qui ut primùm audiit, Deo largitori gratias egit, tum vinum omne pauperibus erogari juſſit, & ecce tibi prodigium aliud; ferax nimirum in miracula Dei manus, ferax & ipſa in Deum fiducia: ab hac & illa factum eſt, ut licèt in dies ſingulos, è vaſis illis promeretur vinum, & quidem largiter, non tamen imminui viſum eſt; ſed potiùs augeri.

Adeò in ſuos beneficus, & liberalis eſt Deus; qui quod hic in vino dedit ſervo ſuo *S. Bernardo Claventi*, hoc & in pane *B. Walleno* Abbati Meilroſenſi.

Summa erat annonæ caritas, ſumma & tritici caritas, ac penuria; & ea, quæ monachis alendis via ad tres hebdomadas ſufficeret.

Henriquez ſuprà, diſt. 20. c. 38. Quid in eâ bonus Præſul? ut erat in Deum fiduciâ plenus, oculos & animum in cœlos tollit, tum tritico benedicit, & en tibi miraculum illius fidentiæ, illius & in egenos beneficentiæ: ita multiplicatum eſt triticum, ut & monachis, & inſuper quatuor millibus pauperum alendis ſatis ſuperque fuerit ad menſes omninò tres, hoc eſt, ad proximam uſque meſſem: ſic in ſuos munificus eſt Deus, ſic & munifica in Deum fiducia.

Ea fretus *B. Gonſalvus Amaranthus* è ſacra D. Dominici familiâ, cùm advertiſſet operis deeſſe vinum, quo & ſitim extinguere, & vires labore debilitatas reparare poſſent, ſcipione, quo fortè nitebatur petram percuſſit; & ecce ex ea vinum generoſum effluxit. Adeò omnis boni ferax eſt en in Deum fidentia.

Jactet antiquitas, & laudet prodigioſam illam Moyſis virgam, cujus vim attactúmque ſenſêre rupes inanimæ; ſenſêre & petræ duriſſimæ, & aquas dedêre, fontéſque lympidiſſimos; ſed aquas tantùm, vinum nunquam. Hoc nimirum ſervabatur Evangelicæ legi, legi & gratiæ, quæ ſeſe faciliùs inclinat ei, quâ de agimus, in Deum confidentiæ, cujus apprimè conſcius *B. Iordanus*, Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, adoleſcenti Engelberto, adhuc Novitio, & ardenti, ac diuturna febri laboranti hæc aliquando dixit: *Si fidem haberet, fili, ab infirmitate tua*

Bollandus 13. Feb in ejus vita c. 5. *totiùs poſſes liberari.* cui mox ille: *Firmiter credo, & confido, mi Pater.* Tum ille Magiſter Jordanus manus imponens: *In nomine Domini*, inquit, *recipias ſanitatem.* dixit, & ſanitatem ægro reddidit depulſa febri.

Crederes vim illam miraculorum viro Dei cœlitùs affuſam expectaſſe in Deum fiduciam, nec potuiſſe ſine ea ſeſe exerere. Huic nimirum uni ſeſe inclinat cœlum, & benigni Numinis favor, & gratia.

Ita ſeſe inclinavit *Alfonſo* Portugaliæ Principi, & quidem illuſtrioribus Cœli prodigiis, veluti quibuſdam divinæ beneficentiæ præambulis. Juvat eorum meminiſſe, & quidem ex publicis tabulis, quæ ita habent:

Ego Alfonſus. Portugaliæ Princeps, filius illuſtris Comitis Henrici, nepos magni Aldefonſi. Coram vobis, bonis viris, Epiſcopo Bracharenſi, & Epiſcopo Conimbricenſi, & Theotonio, reliquiſque Magnatibus: In hac Cruce area, & in hoc libro Sanctiſſimorum Evangeliorum aureis, cum contactu manuum mearum, quod ego miſer peccator vidi hiſce oculis indignis verum Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM *in Cruce extenſum in hac forma.* Hactenus Alfonſus, cum ſolemni illo juramento, qui deinde rei tum geſtæ ſeriem exponit.

Eram, inquit, unà cum exercitu meo ultra *Tagum*, in agro *Aurichio*, ex adverſo autem ſtabat *Iſmarel*, & quatuor Maurorum Reges, cum infinitis propè copiis: & hinc in Luſitanica mea gente pavor, trepidatio, & ferè deſperatio.

Ecquid enim, aiebant, exiguo militi cum exercitu barbaro ferè innumerabili? cum hoc concurrere non audax modò facinus, ſed & temerarium; nec enim pugna erimus, ſed adverſi mortis victima.

Et hæc duces mei, hæc & commilitones, quæ cùm audirem, ſubtriſtis cœpi mecum cogitare, *Henriquez in Faſc. SS. ord. Ciſt. l. 1. diſt. 4. c. 9.* mecum & loqui quid agerem? & ecce in tentorio meo fortè liber erat antiqui & novi Teſtamenti, illum ſumo, aperio, lego: lego, inquam, *Gedeonis*, Ducis fortiſſimi, victoriam, & ſic deinde mecum:

Tu ſcis Domine JESV *Chriſte, quia pro amore tuo ſuſcepi bellum iſtud contra tuos inimicos, & in manu tua eſt dare mihi & meis fortitudinem, ut vincamus illos blaſphemantes nomen tuum.*

Dixit, & cœleſti fiducia plenus ſupra librum indormiit, & en illi aſtitiſſe viſus vir ſenex, qui & hæc illi:

Alfonſe confide, vinces enim, debellabiſque Reges infideles, contereſque potentiam illorum, & Dominus noſter oſtendet ſe tibi.

Dum hæc in amœna ſomni unius imagine videt, audítque *Alfonſus*, adeſt *Ferdinandus de Souſa*, qui & hæc illi:

Surge domine mi, adeſt homo ſenex, qui tuos affatus petit.

Surgit, & ſenem ad colloquium admittit, agnoſcitque eum ipſum eſſe, quem in illa ſomni imagine viderat & audierat. Et qui hæc etiam illi, & quidem fuſiùs.

Domine, bono animo eſto, vinces, vinces, & non vinceris. Dilectus es Domino, poſuit enim ſuper te, & ſuper ſemen tuum poſt te oculos miſericordiæ ſuæ uſque in ſextam decimam generationem, in qua attenuabitur proles: ſed in ipſa attenuata ipſe reſpiciet, & videbit. Ipſe me jubet indicare tibi, quod dum audieris ſequenti nocte tintinnabulum Eremitorii mei, in quo vixi ſexaginta annis favore altiſſimi, egrediaris extra caſtra ſolus ſine arbitris, oſtendet tibi pietatem ſuam multam.

Hactenus Eremita, cui paruit Alfonſus, & nocte ſequenti ut tintinnabulum audiit, enſe, & ſcuto armatus, exiit extra caſtra: & tum illi hæ objectæ rerum magnarum imagines.

Primò, ad Orientem vidit ſplendeſcere radium, qui mirum quantum auctus Solis inſtar emicabat.

Secundò, in ipſo radio, veluti cæleſti quadam tabella, impreſſum ingens crucis ſignum, eique confixum Chriſtum.

Tertiò, hinc & hinc innumeram propè multitudinem juvenum candidiſſimorum, quos lectos è Cœlo genios credidit.

Hæc ut vidit Alfonſus, poſito enſe, ſcutoque, pronus in terram corruit, & lacrymis madere cœpit, Deumque ſupplex rogare, pro ſua, ſuorumque ſalute. tum ſic ad Dominum:

Quid tu ad me Domine? credenti fidem vis augere? auge porrò, ut & te videant, & brachium tuum ſentiant infideles.

Vix ea dixerat, cùm ſic illi Dominus: *Confide Alfonſe: non ſolùm enim hoc certamen vinces; ſed & omnia alia, in quibus contra inimicos Crucis pugnaveris, neque pugnet* duce me, me & auſpice, *ſub Regis nomine, in hac pugna ingrediaris, & ne dubites, vinces.*

Ego enim ædificator, & diſſipator Imperiorum, & Regnorum ſum; voloque in te, & ſemine tuo Imperium mihi ſtabilire, ut deferatur nomen meum in externas gentes.

Et ut cognoſcant Succeſſores tui datorem Regni, inſigne tuum ex pretio, quo ego humanum genus emi, & ex eo, quo ego à Judæis emptus ſum, compones, & erit mihi Regnum ſanctificatum, fide purum, & pietate dilectum.

Dixit,

Dixit Chriſtus, & ſimul ab Alfonſo videri, ſimul & audiri deſiit.

Hic paucis te volo, Mi Lector, ut luce clarius in *Alfonſo* Principe videas, quantum in Divina illa fiducia ſit momenti quantum & boni.

Primùm enim ab ea *Regis* nomen, & Regni majeſtatem accepit Portugallia: nec ulli mortalium Regium illud decus debuit; ſed uni Chriſto JESV.

Tum etiam *inſigne* Regium, pretium utique redemptionis noſtræ, quinque videlicet Chriſti vulnera, quæ deinde pro ſcuto Regio tranſmiſit ad poſteros.

Denique & inſignem de hoſte victoriam: pugnavit enim, vicit, & de quinque Regibus triumphavit *Alfonſus*, & innumeram propè Maurorum multitudinem ſolo inſtravit, captis hinc & inde illorum ſignis. Tanti refert in Deum fiduciam ſuam omnem conjeciſſe.

Hæc nimirum pro armis, pro ſcuto, proque omni præſidio, non tantùm in communi Reipublicæ periculo, ſed & in privata cujuſque fortuna; ubi illi ab hoſte clades impendere videbitur.

Rex unus aliquis in D. Franciſcum De Paula neſcio quibus furiis incitatus, triremem emiſerat cum quinquaginta ſicariis, qui vel vivum abducerent vinculis onuſtum, vel mortuum ſolo interimerent. Quid hîc Franciſcus? Jam aſcenderant ſicarii, jam monaſterio imminebant, jam & illius capiti, cùm ſic ille ad religioſos pro parente optimo mirè ſollicitos: *Ne timeatis*, inquit, *ſub Dei manu ſumus, hac & tegimur, hac & protegimur: ſi Deus annuat, capiemur enimverò; ſi renuat, minimè: ſine illius nutu nocebit nemo.*

Dixit, & immotus ſtetit inſtar columnæ, cujus ſcilicet baſis erat inſignis illa in Deum fiducia; atque ab hac inſignis etiam in viro Dei conſtantia: hac capti milites è lupis agni facti ſunt, hac & captus Rex ipſe iras poſuit, & animam ferocem. Tantum momenti fuit ea in Deum fiducia.

Huic dum innituntur grandes animæ, Deum unum aſpiciunt, deſpiciunt cætera.

Ita deſpexit S. Baſilius: Incurrerat hic in iras *Valentis* Imperatoris, qui & exilium minari, & mortem, & extrema quæque ſupplicia: ad quæ Baſilius nihil territus, hoc adjecit unum: *Quod alia pro nihilo putantes Deum ſolum intuemur.*

Ita pro nihilo duxit enſes, rotas, ungulas, cataſtas, ignes, & ſi quod aliud eſt crudelis lanienæ inſtrumentum, & hoc quia Deum ſolum intuebatur, cætera ne aſpectu quidem dignabatur. Tantum poterat vel unicus Dei intuitus, & repoſita in eum fiducia.

§. 5.

Quæ ad eam fiduciam in nobis excitandam ſint incitamenta?

Incitamenta. PRimum ducetur ab incredibili quadam propenſione, qua Deus ipſe fertur in nos juvandos, maximè ubi humana deficiunt omnia; tum enim ſeſe exerit atque explicat vis divina. Hujus porrò cœleſtis inclinationis pondus amabile adverti ſſe viſi ſunt vetuſti ſapientes, ac potiſſimum Lacedæmonii, quibus datum illud Apollinis oraculum: *Vocatus, & non vocatus Deus aderit.*

1. A Divina propenſione. *Vocatus* quidem, quod eſt imploratæ beneficentiæ: *non vocatus autem*, quod eſt ultroneæ, & velut indebitæ commiſerationis: ab hac inclinatur ſummum in Cœlis Numen, ut etiam non vocatum, adſit tamen, & præſto ſit miſeris mortalibus, quod eſt ſummæ bonitatis, ſummæ & beneficentiæ, quæ non cadit niſi in Deum; qui ut eſt infinitè providus, hominum ſaluti atque incolumitati ita conſulit, ut non expectet preces noſtras, ſed conatus omnes noſtros præveniat, atque etiam præoccupet in-

dormientem animum, & nihil minùs quàm de Cœli dono cogitantem.

Quod ipſum Vatis ore calamoque pollicitus, Iſai. c. 65.
dum ſic de ſua in mortales omnes providentia: *Eritq́; v. 24.*
antequam clament, ego exaudiam.

Non vocem, non clamorem miſerorum expectat Deus: ſed audit, exauditque antequam vel vocem edant, vel clamorem in Cœlos effundant; imò verò quod amplius, & majus eſt, ipſa ſolummodò deſideria audit, atque exaudit.

Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, inquit Pſ. 9. v. 17.
Propheta Regius, qui & adjicit quod mirè facit ad illuſtrandam eam, de qua agimus Dei in nos propenſionem: *Præparationem cordis eorum audivit auris tua*, Pſalmo eodem.

Crederes Deum ipſum cupidiſſimè aurem admovere ad cor hominis, ut perſentiat ſi quis ſit vel tenuiſſimus animi motus, ſi quæ pia cordis quodammodò micatio in bonum, ut ſtatim advolet, manum tendat; atque opituletur.

Non expectat dum erumpat cor in votum, dum ſua deſideria Cœlo explicet; ſed vel ipſam ejus præparationem attendit, vel ut Symmachus vertit, *inchoatum propoſitum*, & quaſi embrionem voluntatis humanæ.

Tanta eſt Divinæ illius mentis ad nos juvandos cupiditas, propenſio tanta, quam demirans D. Bernardus: *Non vocatus*, inquit, *adſuit, prævenit preces:* Serm. 9.
nec verba expectat; ſed ſolis cogitationibus advocatur. in Cant.

Et hæc amabilis Dei in nos propenſio, ſtimulus II.
eſſe debet ad illam, de qua agimus, in eum fiduciam: A mira Dei
cui accedet & alius à mira illius in noſipſos provi- providĕtia.
dentia. Illam ut excitaret, acueretque Chriſtus, exemplum petiit à Liliis agri: ſic enim loquit:

Conſiderate lilia agri quomodò creſcant: non laborant, Matth. c. 6.
neque nent: dico autem vobis: Quoniam nec Salomon in v. 28, 29.
omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.

Nativam liliorum veſtem componit cum ea, quæ arte erat in liliis, quibus aſperſa erat Salomonis veſtis, quæ etſi niteret auro, gemmis micaret & unionibus, floreretque liliis opere phrygio intertexit, cedebat tamen nativæ liliorum veſti, & candori.

Ratio eſt in promptu: quia hæc erat à natura; illa ab arte. Ars imitatur quidem naturam; ſed nunquam adæquat. Ars eſt quaſi ſimia naturæ: ut ergo ſimia imitatur hominem, & omnes hominis geſtus; & tamen nunquam fit homo. *Simia enim ſemper eſt ſimia, licet aurea geſtet inſignia.* Sic & ars, ut præſtans ſit, nunquam tamen attinget ad naturæ decorem, ac dignitatem: quia qualis qualis demum ea ſit, eſt tantùm adumbratio naturæ, non natura: hinc vetus illud, & veriſſimum effatum:

Fulchras eſſe fætus artis: aureos naturæ.

Et tamen hi ut aurei ſint, id eſt pretioſiſſimi, ac præſtantiſſimi, ſunt ab authore naturæ ſine ullo eorum opere, labore, cura: lilia enim, uti & fluſculi omnes, ut roſæ, ut violæ, & candorem, & purpuram habent à natura, & illius authore, eoque ſolo; nec enim *laborant, neque nent.*

Quod ſi lilia, ſi roſas, ſi violas Deus ſic veſtit, ſic ornat, quantò magis homines in ſe confidentes & veſtiet, & ornabit?

Certè ſi de illis, quibus tantùm ineſt anima vegetans, tanta tamque mirabilis eſt Omnipotentis cura, quanta de homine, cui inditur rationalis anima, quæ etiam & emitur Chriſti ſanguine; quæ Dei capax, quæ gloriæ, quæ beatitatis?

Profectò quantum inter hominem, & lilia diſcriminis intereſt: tantum neceſſe eſt intereſſe, inter hujus, & illius curam, amorem, providentiam.

Ea ſe explicuit in caſtris Hebræorum, quos ex Ægypto in manu forti eduxit Deus, & in avia ſolitudine per annos quadraginta duxit, fovit, nutrivit. Erant in iis facilè vigeſies centena millia hominum,

præter equos, boves, aliaque animalia, & hos tamen omnes in deſerto ſterili aluit effuſo copioſè è Cœlis manna, inſuper & eorum veſtes incorruptas ſervavit, imò (quod magni prodigii fuit, & miræ novitatis) effecit ut illæ cum pueris ſenſim, ut illi creſcerent, nec paſſus eſt etiam calceos deteri in longa illa peregrinatione: quod ſi adeò providus fuerit etiam in populo aliàs duræ cervicis, & propè pervicaci, quantò magis in eos, qui & mitioris ſunt ingenii, & Deo uni, ceu bonorum omnium fonti, præſidentes.

His certè uti nunquam deeſt fiducia; ſic nec deerit eadem Dei ter Opt. ter Max. providentia. Ex huic uni, cæteros inter, vel maximè ſubnixus D. Franciſcus Aſſiſius, hoc ſibi, hoc & ſuis dare ſolitus viaticum, nec aliud ullum, quàm illud Pſaltis Regii: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.*

Pſal. 54. v. 23.

Curam dico, hebraicè *Iehabcha*, quod Chaldæus vertit *ſpem tuam*, Hieronymus *charitatem*, Vatablus: *Pondus*, vel *ſarcinam tuam; in eum conjice, nec ſe ſubtrahet.* Et hic eſt alter ad fidentiam ſtimulus, additur & alius ab effuſa in nos etiam Dei beneficentia. Hanc teſtantur aliæ atque aliæ ejuſdem appellationes, quas (quæ infinita illius bonitas fuit) ſibi quodammodò inſcribi voluit, & quidem.

III. Ab effuſa Dei beneficentia.

Primò Oſeæ voce, calamoque; ſic enim inquit: *Ego quaſi Ros Iſrael.*

Cap. 4.

Rorem dixêre veteres Jovis & Lunæ filium, erudito ſanè invento, quo indicatur Deum & Lunam roris effectricem eſſe ingenti mortalium bono, potiſſimum autem Iſraëlis, in quorum terra cùm à Maio ad Octobrem uſque nulla foret pluvia, ros vitalis Divino beneficio ſtillans fruges omnes animabat, & inde dictus eſt Deus *quaſi ros Iſraëlis*: Quia quod ros terræ, hoc illi erat Deus: quod ſummæ fuit beneficentiæ.

Ros terram aridam, exſuccam, & à nimia ſiccitate biantem, ei molliter incubans, humore ſic imbuit, ut fœcundet, & in fructus uberes explicet.

Sic & Deus Animæ, ceu arido ſolo, imminens, & quodammodò incubans, ceu ros gramini, eam maligna ſterilitate damnatam omni bonorum genere fœcundatam reddit: & hanc cœleſtem beneficentiam indicatam voluit, cùm Oſee voce dictus eſt *quaſi ros Iſraëli.* Aliàs cum Hebræis appellatus eſt *Saddai*, hoc eſt *mamma*, & *mammeus*.

Recenſuerunt Judæi decem Dei nomina, auguſta quidem illa, ſumma, Divina; inter quæ nonnulla majeſtatem oſtentant, alia bonitatem commendant, inter quæ vel maximè illud, quod hebraica voce dictus ſit *ſaddai*, id eſt *mamma*, vel *mammeus*; eò quòd ſit homini, quod infanti *mamma*, imò quod totus *mammeus*.

Quod ſi is eſt, ecquis erit adeò, vel à natura, vel à ſe, vel à Deo alienus, qui in ejus veluti ſinum non ſe conjiciat, ut in ſinum matris ſolet infantulus, qui in eo & lac ſugit, & quietem invenit, & ſecuritatem. Ei quippe ſi quid horridi incurſet ſeſe immergit, ibi ſat tutus: & tu, ô anime, in Dei, ceu matris ſinu, te immerge, ibi ſatis ſecurus: immerges autem ſi in eo fiduciam omnem reponas, & ſpes omnes tuas, ibi præſidium inventurus, alibi fruſtra quæſiturus.

Eugubinus meminit alicujus traditionis, quæ apud Hebræos invaluit. Ferebat illa Deum Opt. Max. ex quodam pacto obſtrictum eſſe iis omnibus, qui in eum ſpes ſuas omnes poſuiſſent, maximè verò ſi cætera deeſſent omnia.

Inde manavit apud Græcos ea parœmia, qua dicitur *Deus è Machina*: hoc eſt, Deus deplorans, & deſperatis in rebus adeſt: ac proinde jure meritiſſimo pronuntiavit illud D. Chryſoſtomus: *Cùm humana ſpem omnem negãt: tunc divina diſpenſatio clarior fulget.*

TRACTATUS DE LIBERALITATE.

Liberalitas largiùs ſumpta, alia, atque alia eſt. Una ad ipſum quodammodo Numen, & Superos aſſurgit, Eccleſiam ſpectat, ſacras ædes, ac donaria, in quæ ſeſe effundit.

Altera ſe inclinat in patriam, Amicos fortunæ tenuioris, viros apprimè litteratos, & Artifices in arte ſua principes.

Poſtrema in egenos, atque in hoſpites ſeſe explicat, & illos quidem tecto excipit; & menſa liberaliore: hos autem donis onerat, aut eleëmoſynis largioribus levat è pulvere, & ſordibus paupertatis. De his & illis mihi in præſens erit

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* Prov. c. 19. v. 17.

VT Liberalitas largiùs ſumpta in tres veluti partes dividitur; ſic & fœnus, quod ad illam ſequitur, ut patebit ex dicendis, maximè verò in ſecunda, & tertia illius parte.

§. 1. *Quid ſit Liberalitas?*

Definitiones.

ARiſtoteli purioris Philoſophiæ principi: *Liberalitas eſt virtus pecuniis benefactiva, cujus contrarium eſt illiberalitas.*

Lib. 1. Rhet.

Eidem Philoſopho: *Eſt mediocritas circa pecunias dandas: nam liberalis dabit propter honeſtatem, & rectè, quibus oportet, & quando, & quantum oportet.*

L. 4 Ethic.

Medium enim tenet Liberalitas, & ut virtus ſit, hæret in medio, inter ipſa vitiorum confinia; nec ad avaritiæ ſordes declinat, nec ad prodigentiæ largitatem deflectit.

D. Thomæ Aquinati: *Liberalitas eſt virtus benè diſpenſandi divitias in uſus bonos. ſibi, ſuiſq; & aliis.*

2. 2. q. 117. art. 1.

Et hæc de Liberalitate preſſiùs ſumpta, ex ſcholæ & rectæ definitionis legibus. Largiùs ut ſumam, aliis atque aliis deſcriptionibus, ceu totidem coloribus depingam, tibique ſub oculos ponam, Amice Lector.

Deſcriptiones.

Ex his prima hæc occurrit, eáque & authoritate probata, & exemplis firmata; huic *Liberalitas eſt virtus Regia.*

Advertit doctiſſimus Abulenſis Reges olim propè fontes, & juxta arbores ſacro oleo delibutos. *Unctio*, inquit, *& Coronatio Regum* fiebat apud fontes, & arbores. Sic de *Adonia*, *Salomone*, & *Abimelech* legimus.

In cap. 1. 3. Reg. q. 48.

Primò enim regalia decora juxta fontem Rogel collata. Secundò propè fontem Siloe. Tertiò denique propè quercum celeberrimam Sichen. Tum inquirit quæ cauſa? certè prima fronte æquiùs videretur in frequenti Senatorum turba, in aula regia, in foro, aut roſtris. Minimè tamen id cenſuit, id voluit Antiquitas. Quæ illi ratio? Hæc placuit

Abulenſi: ut fontibus, ut arboribus veluti quibuſdam beneficentiæ ſymbolis docerentur etiam ex ipſa inauguratione in ſuos eſſe debere profuſos, cujus profuſionis ſymbolum eſt fons, qui à fundendo dicitur, & arbor quæ & fructuum ubertate paſcit, & viridi ramorum pompa delectat: ſic & Reges beneficiorum, ceu aquarum perenni gurgite, ſuos & irrigent, & imbuant, & fœcundent, & liberalitatis ſuæ fructibus paſcant; & ſic erit illis hæc virtus regia.

I. Virtus Regia. Regiam dici: quia etſi eam in omnes cadere oporteat, præſertim tamen in Principes, ac Reges, qui ut maximè poſſunt, ſic & maximè debent eſſe liberales, ſi modò ii ſint, quos aut natura fecit, & avitus ſanguis, aut fortuna finxit, & populorum favor. Ut enim ſcitè Theodoricus Italiæ Rex apud Caſſiodorum: *Gratiam Principis dignitas nuda non facit: ſed liberalitas.* (L. 2. Variarum Ep. 28.)

(Lib 3. Ep 11.) Et nihil tam *Regium eſt, quàm feciſſe felicem*: at felicem quodammodo facit, qui liberaliùs donat. Et ita donarunt quotquot ferè Reges, non tam à purpura, ſceptróque; quàm ab animo, & ingenio, innatáque alnore indole, id eſt regia.

Ab hac cæteros inter eminere viſus eſt *Titus* Imperator, qui tam benignus erat, & humanus, & comis, ut diceret: *Neminem qui aſpexiſſet Imperatorem, abire triſtem debere.* Et in alios tam beneficus, ut ſi quo fortè die nulli feciſſet benè, mœſtus ac mœrens effunderet illud: *Hodie non imperavimus, quia neminem beneficio affecimus.* Scilicet illi benefacere, erat imperare.

Et hoc beneficentiæ regiæ exemplum dedit Antiquitas, majus aliquod propè noſtra ſpectavit, & laudavit ætas in *Alphonſo*, Neapolitano Rege; hic cùm aliquem exciperet memorantem tritam illam *Titi* querelam, qua ſcilicet diem ſe perdidiſſe lamentabatur, quoties veſperi recolebat nulli ſe ea die beneficium contuliſſe; exclamaſſe dicitur: *Gratias refero, quas poſſum maximas præpotenti Deo: quod nullum hactenus ex hoc capite perdiderim diem.*

Ita nimirum geſtorum magnitudine, & beneficentia perenni implevit Alphonſus, quod pronuntiavit Titus; cui etiam benefacere, fuit & imperare.

Quod illi, hoc & aliis; quibus etiam alios ditare, fuit diteſcere.

(Ælianus.) Ita fuit *Ptolomæo Philadelpho*, Æygptiorum Regi, qui cùm Amicos magna cum voluptate locupletes faceret, addere & ſolitus Regium iſtud: *Meliùs eſt ditare, quàm diteſcere.* Hoc enim plerumque eſt & avaritiæ, & ſordidæ tenacitatis: illud autem munificentiæ, & liberalitatis.

Maneat ergo, quod hæc *virtus* ſit *Regia*.

Ampliùs aliquid dico, etiam Pontificia: ſi enim profanos decet ea liberalitas, longè magis Deo Divíſque ſacros, quales Epiſcopi, & Pontifices: cùm enim patrimonio Chriſti ferè tantùm ſint divites, eo uti debent ſibi parcè, profusè in alios.

II. Virtus Pontificia. Et ita uſus Alexander Papa hujus nominis V. & animi magnitudine, & liberalitate clariſſimus. Hic, ut teſtis eſt Onuphrius in ejus vita, ſic in omnes munificus fuit, ut vix quicquam ſibi, palatioque relinqueret, quod non effunderet alianæ utilitati. Quare liberali joco dictitare id ſolitus: Se divitem fuiſſe Epiſcopum, pauperem Cardinalem, Papam propè mendicum, mendicitate videlicet non ſordida; non abjecta: ſed magnifica, ſed elata, & Dei quodammodo æmula. Et hinc mihi datur in manus altera liberalitatis notio, qua dicitur, & eſt *Virtus Divina*, ac Deo quodammodo propria, quam in hunc modum prædicat D. Iacobus.

III. Virtus Divina.

(Iacob. 1.) *Qui dat omnibus affluenter, & nemini improperat.*

Tria hîc annotat Apoſtolus, quæ inſignem Dei in mortales Liberalitatem mirè commendant.

Primò quod *det omnibus*, quòd divinæ eſt munificentiæ, quæ neminem ſuorum beneficiorum vult eſſe expertem.

Secundò, *affluenter*, ut fontes omnes beneficentiæ apertos intelligamus: affluunt enim illi, ut refluus Oceanus ſolet.

Tertiò, quod *nemini improperet*, hoc uno contentus, quod largiatur, quod effundat: ut meritò D. Ambroſius Deum dixerit eſſe *opulenta largitatis, nec avarum munerum, nec beneficii parcum, nec gratiæ anguſtum.* (a Apolog. David.) Et certè quî avarus? quî parcus? quî anguſtus eſſet is, cujus *natura bonitas*, cujus proprietas beneficentia?

Sanè Dei hanc eſſe proprietatem liberè aſſeruit D. Gregorius Nazianzenus; cùm ſic aliquando de illo pronuntiavit: *Nihil eſſe Deo tam proprium, quàm in omnes eſſe munificentiſſimè liberalem.* (Orat 28.)

Et hinc à ſponſa in amoris cantico, dicuntur *manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis*, vel ut alii, *plenæ Chryſolitis*, vel denique ut Septuaginta, *plenæ tharſis*, hoc eſt, quæ aurum, & gemmas, id eſt pretioſiſſima & clariſſima dona effundat in mortalium capita, & hoc quaſi ex Divinæ bonitatis, ac beneficentiæ Oceano; hunc enim indicat vox *Tharſis*, quæ in Divinis litteris mare ſignificat. (Cant c.5. v.14.)

Quod ſi liberalitas *virtus* eſt *Regia*, profectò eam amare, eam ſibi familiarem, & domeſticam, imò & ſuam facere debent viri principes, ac Reges, ſibíque in aurem, & animum inſinuare ſæpiùs illud Xenophontis: *Regi eſſe honeſtius beneficiorum, quàm trophæorum multitudinem relinquere.* (Stobæus ſerm. 46.) Et hoc Hildeberti: *Regiam manum meliùs donativo ſplendere, quàm ſceptro.* (Epiſt. 9. in Biblioth. Patrum.)

Et jure ſanè meritiſſimo; quot enim Regi ſunt beneficia in alios collata: tot etiam ſunt trophæa beneficentiæ victricis, & triumphantis caritatis.

Quod ſi eadem munificentia *virtus* eſt *Pontificia*; eam amare, eam ſuis exhibere debent Infulati Patres, ac Pontifices. Denique ſi & *virtus Divina*, certè eam tam hi, quàm illi ambire debent, & votis omnibus proſequi, & ambabus veluti manibus complecti; & ſic miſeris *Dii* eſſe, non natura; ſed pia quadam æmulatione Divinitatis, quam & perviſiſſe, & amaſſe videtur Plinius ubi hoc extulit: *Deus eſt juvare mortalem.* quod & declarat græca illa parœmia, quâ dicitur *homo homini Deus*, non natura, ut dixi: ſed beneficentia, quæ hominem Deum quaſi facit, certè Deo propinquum.

Quæſivit aliquando Plinius, ad quem redeo, quæ via eſſet ad immortalitatem, & quomodo homines poſſent in Deorum catalogum referri? & reſpondit: ſi de afflictis ſatagerent benè mereri.

Hæc, inquiebat, *ad æternam gloriam via, hac proceres ivêre Romani, hac nunc cœleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis ævi rector Veſpaſianus Auguſtus, feſſis rebus ſubveniens.*

Ubi iſta de hoc & illis prætulit, tum etiam producit illud, quod populis in more poſitum:

Hic eſt vetuſtiſſimus mos referendi benè merentibus gratiam: ut tales Numinibus adſcribant. Quibus verbis apertè innuit illud, antiquo id uſurpatum more, ut à Diis adſcriberentur, qui in alios liberaliùs beneficia contuliſſent; quod licet perperam factum ſit, & non ſine nævo vanæ ſuperſtitionis; oſtendit tamen ex communi populorum ſenſu, & voto, beneficos quaſi Deos eſſe.

Et hinc venio ad primam beneficentiæ partem, quam mihi initio propoſitam volui, pro quâ ſit

§. 6.

Primapars Liberalitatis, aut veriùs illius umbra, petita à profanis, Gentilibus, & Turcis erga Deos etiam falſos.

HI licèt in profunda Gentilitatis nocte, errorum tenebris, in eos tamen mirum in modum munifici fuerunt, quos vel Deos credebant, vel Diis adſcriptos, vel etiam in aliquas eorum exuvias: quæ propenſiu licet non ſit virtus, eſt tamen quædam illius umbra, in qua ſpectari poterit *Alexander Magnus*, & quidem adhuc puer, qui Diis ſacrificans, cùm & multum thuris, & frequenter in ignem injiceret, *Leonides*, qui illi erat Pædagogus, hæc ei:

Plutarch. in apophtegmatibus. *Tam ſumptuoſe, ô fili, ſacrifica, cùm regionem thuriferam ſubjugaris.* Itaque illa potitus, hanc ad eum Epiſtolam dedit:

Miſi tibi thuris & caſia talenta centum; ne poſthac in Deos ſis avarus, ſciens nos etiam aromatifera potitos regione.

Sed hæc munificentia ut teſtis magnæ mentis, in fumos abiit: demus alias, quæ vel in auro, argento, & gemmis, vel iti profanis fanis eluceat. Iti illis, etiam hoc quo vivimus ævo, eminere viſi ſunt Turcæ. Ab his exempla petere placet, vel ut Principibus Chriſtianis ſtimulos addam, ut & ipſi, in ſacra Deo Divíſque templa pii, ſancti, & liberales ſint: vel, ſi ſecùs parci, & ſordidi; pudore ſuffundam.

Quà longè, latéque patet Turcicum Imperium, patet ea nefanda ſuperſtitio, & immanes ſubſtructiones, quas Turcæ *moſqueas* appellant, eæ & ſua mole ſpectabiles, & cultu, & multitudine propè ſupra fidem.

Itiner. Radzivilii. In ſola *Cayro*, Ægypti hodie Metropoli: ſexies mille ſupra octingentas, eæque turribus inſignes numerantur.

In urbe *Feſſa* plures ſeptingentis, quarum quinquaginta ſuperbè extructæ. Earum princeps, *Carannem* dicta, nongentis lampadibus collucet, & (ſi noſtri ævi hiſtorico ſit fides) ducentis aureis in dies ſingulos dives eſt. Ecce quæ profuſio in *Moſqueas* illas: at longè maxima in eam, quæ *Meccana* dicitur, quæ teterrimo Pſeudoprophetæ *Mahometis* tumulo, atque exuviis ſervandis erecta. In ea ſacellum viſitur interius, supernè totum auro collucens, latera verò hinc & inde attalico periſtromate obteguntur, è laqueari lampades pendent propè innumeræ, & quidem ingentis omninò molis, ac ponderis. Eſt qui recenſeat argenteas ad tria millia; atque ex auro ſolido, ſex ſupra ſexaginta, præter candelabra auro argentóque fuſa, quæ uti & lampades, diu noctúque collucent exuviis ac ſepulchro impii *Mahometis*; luxu prorſus immani, atque damnando; qui tamen arguit multis in locis Chriſtianorum parſimoniam ac tenacitatem, quâ fit, ut neque Sanctorum reliquiis, neque (quod deplorandum magis) ipſi Venerabili Euchariſtiæ Sacramento, vel una luceat, ardeátque lampas.

Sed ne longiùs: à Turcica illa ſuperſtitione tranſeamus ad Indicam, & è multis, quæ de illa dici poſſent, pauca proferamus.

Petrus du Jarric l. 6. Hiſtor. Ind. c. 10. In India Orientali Rex *Porca*, ſibi ſuiſque erexerat idola nongenta, quibus diebus omninò ſingulis cultum aliquem exhibebat; additis etiam ad ſingula denariis: locum porrò illum, quo claudebantur idola illa, ſubintrabat propè ad ſolis ortum, hora ſcilicet ſexta matutina; & in profano illo impióque ritu ſtabat ad duodecimam meridianam, id eſt ſex continenter horas; & hoc Rex ætate juvenis, regiis curis ac negotiis implicitus, quibus nec vacabat ipſe eo toto tempore, nec ullum ad colloquium admittebat, quidquid demum occurriſſet.

Et hanc ſuperſtitionem vidit ſtupuitque noſtra hæc ætas; Anno ſcilicet hujus ſæculi quinto. Ecce quis iti Idola cultus. Videamus quis etiam in reliquias profanas licet, & nefaſtas.

In *Ceilano Regno* erectum ab incolis fanum, & mole, & opere viſendum, atque ejuſmodi, quale hactenus non tulerat India. *Padogem* vocabant. In eo colebatur *Dens Simii candidi* auro incluſus, & gemmis nitens. Cultus autem illius *Dentis* adeò invaluerat, ut illius adorandi causâ, à quingentis circumquaque milliaribus ingenti numero peregrini concurrerent: quæ inſana ſuperſtitio, non tantùm rudis abjectæque plebeculæ animos occupârat: ſed (quod mireris, ac damnes) etiam Principum, etiam Regum corda dementârat; ut ex iis nemo ferè unus eſſet, qui non quotannis legatum aliquem eò deſtinaret, religionis ergo (veriùs ſuperſtitionis atque inſaniæ) ea porrò in eo erat poſita, ut *Dentis* illius imaginem ceræ impreſſam, magnóque ſumptu emptam domum reportarent. Ecce quo prolabitur cæca gentilitas, ecce quo miſellos rapit improbus dæmon; ecce ut illudit impiè velut emiſſa de ſtyge ſimia. At non diu illuſit. Venit enim *Dens* ille unà cum ſuo fano iti poteſtatem Luſitanorum, non ſine immani luctu doloréque Indorum, & Dynaſtarum, & Principum; qui *Dentem* illum quà precibus, quà minis, quà etiam oblato ſeptingentorum millium aureorum litro repetierunt: adeò pretioſæ illis erant profanæ illæ impiæque Numinis umbræ, atq; exuviæ, quas tamen nec prece, nec pretio redimi paſſi ſunt Luſitani, ne Indis illis, cæcæque gentilitati, aut materia redderetur ſuperſtitionis, aut idololatriæ occaſio ad poſteros tranſmitteretur. *Hiſt. Ind.*

Hic pedem, animúmque ſiſtant noſtri temporis hæretici, atque à paganis diſcant, quis ſacratioribus Sanctorum reliquiis, atque exuviis honor, quis cultus impendi poſſit, ac debeat; & quàm religioſè, quàm piè in Dei Divorúmque templa impendatur, & Occidentis aurum, & Orientis gemmæ.

Neque de his, & illo jactitent antiquum illud, ac damnandum proditoris Iudæ: *Ut quid perditio hæc?* Iſta de unguento in Chriſti pedes à Magdalena effuſo infamis, & avarus proditor, quæ etiam modò Calviniſtæ, cùm vident piam illam in templa ſacrorum vaſorum profuſionem.

Ante bella Bohemica, & infandam illam à Ferdinando II. illius Regni defectionem, fortè Monachium venerat *Fridericus*, Palatinus Rheni; qui à Sereniſſimo *Maximiliano*, Bavariæ duce, eductus ad viſendam Collegii ac templi noſtri fabricam, à Sereniſſimo Duce *Wilelmo*, parente utique ſuo, regio planè ſumptu exſtructam. Ut in ea vidit candelabra argentea ingentis molis ac ponderis, lipſanothecas, aliáque anathemata, monumenta utique Bavaricæ in Deum, Divóſque pietatis ac munificentiæ; ea aſpiciens oculis minùs æquis, & animo iniquiore, ſic ad Maximilianum: *Ut quid perditio hæc?* Cui ille non minùs ſcitè, quàm piè: *Domine cognate, iſta ſunt verba Iudæ.* Digna Maximiliano, digna Bavarico ſanguine reſponſio, ad quam obſtupuit Fridericus, & altùm exinde ſiluit.

§. 3.

Primapars Liberalitatis Chriſtianorum in Eccleſiam, & ſacra ædes, & inde earundē opulentia.

HAnc dum non ferunt hæretici, nos reduci volunt ad ipſas naſcentis Eccleſiæ cunas, & quidem pauperes illas; uti & pauperculus etiam earum paſtor: Petrum intelligo, Apoſtolorum & Pontificum principem, qui ut piſcator fuerat, ſic & pauper eſſe, & videri deinceps voluit; utpote viliore lacerna tectus, & propè mendicato vitam ſuſtinens.

Et iſte Hæreticorum, auream illam Eccleſiæ Romanæ opulentiam impugnantium, Achilles eſt, cui favet & vetus illa calumnia; Epiſcopos olim aureos, pedo uſos ligneo; modò verò ligneos, pedo

potiri

potiri aureo. Cui non abſimile illud, quod regio, joco, Epiſcopo Laranteníi objeciſſe dicitur Ludovicus II. Galliæ Rex. Viderat illum portari mulâ bullis aureis illuſtri: & ſic ad eum.

Olim Epiſcopi, vel aſinis inſidebant, vel pedes incedebant. Cui Epiſcopus: *Et olim Reges paſcebant oves: diſtingue tempora, concordabis & jura.*

Et certè diſtinguenda omninò tempora: ut enim in hominum vitâ alia infantiæ, alia pueritiæ, alia adoleſcentiæ, & virilis ætatis eſt ratio; alia & ſenectæ: ſic & in Eccleſiâ. Demus illius quaſi infantiæ conſonam fuiſſe paupertatem, cùm & candidi Chriſtianorum mores, & prima vigeret innocentia: at cùm hæc elanguit, eùm & illi jam lapſu temporum detriti, atque in pejus mutati, ab externis illis fortunæ opumque phaleris, & ipſi Eccleſiæ, & ejus Præſulibus authoritas & gratia conciliari debuit, quæ jam à virtute non poterat. Quamquam nec illud tibi concedo, adeò pauperem ſub initia ſui fuiſſe Eccleſiam.

Quis neſciat in ipſis Eccleſiæ incunabulis, cùm fideles omnes ſua abjicerent ad Apoſtolorum pedes, ingentes inde collectos fuiſſe theſauros, qui in communes uſus cederent.

Quis ignoret eò loci, ac temporis Imperatores (veriùs tyrannos) iis ipſis theſauris avidè inhiaſſet & inde Levitam Laurentium à *Valeriano* & craticulæ ſuperpoſitum, & lento igne toſtum, ut theſauros illos proderet. Certè ſi exigua in illis fuiſſet pecuniola, non adeò exarſiſſet barbara illa & inſolens ejus potiundi cupido. Igitur & ſumma in iis vis auri, argentique fuit. Et profectò ſummam fuiſſe probat inter alia, ea D. Cypriani Epiſtola ad Epiſcopos Numidiæ, in quâ ſcribit ſe ad illos tranſmittere centum millia ſeſtertium, quibus captivi redimerentur.

Ad illam, quæ privatorum fuit in Eccleſiam beneficentia, ea jam undequaque per orbem diffuſa; acceſſit inſignis Principum, Regum, Cæſarum in eandem munificentia, quos ſacros beneficentiæ fontes nec ſiſtere, nec intercludere debuit provida mater Eccleſia; ſed potiùs aperto ſinu & admittere, & retinere, futuros utique præſidio, vel adverſus inſolentiores Barbarorum, atque Turcarum incurſiones atque impetus (ut videmus etiam hodie ſub Alexandro VII. Pont. Opt. Max. quem Deus Eccleſiæ ſuæ diu ſoſpitem velit) & vidimus aliquando ſub Alexandro hujus nominis III. quem Imperator *Fridericus Barbaroſſa* adverſis armis impetiit, & quem deinde partim Venetorum copiis, partim etiam ſuis profligavit, atque ad oſculum pedum abjectum vidit, in quo & illud ad Pontificiam in eo majeſtatem ſolemne fuit; quod cùm ſacris pedibus oſculum figeret, Pontifex altero pede collum illi apprimens, ac terens, hoc velut oraculum fuderit: *Super aſpidem, & Baſiliſcum ambulabo, conculcabo Leonem, & draconem.* Cui cùm Imperator, flecti, terique impatiens dixiſſet: *Non tibi: ſed Petro.* Subintulit Pontifex: *Et mihi, & Petro.*

Dixit, & truces Imperatoris iras; impetuſque fregit: non fregiſſet autem niſi præſidio fuiſſet ea, quam dixi, Eccleſiæ opulentia.

Quod illi: hoc deinde rebellibus filiis, etiam Præſulibus ac Paſtoribus, quos ſubinde & ab officio, & à fide abire contingit. E multis unum dumtaxat producam, ne calamum explicare videar in tam infando & ferali argumento.

Vidit aliquando *Moguntia* Archiepiſcopum ſuum, nomine *Chriſtianum*: re autem ipſa deinde Apoſtatam, hæreticum, & Sanctæ Sedi, Imperioque rebellem.

Hic vino languidus, debilitatus ſtupris, primò voce, & lingua eructare cœpit bonorum cædes, & ipſa Germaniæ totius incendia; quæ deinde longè lateque ſparſit, collectis copiis, ex ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, ex ruſticis decoctoribus, ex monachis decucullatis, quibus omnibus pro ſymbolo adjecta in vexillis hæc epigraphe: *Libertas.*

Cum his copiis, & immani hæreticorum colluvie Boloniam petiit, impugnavit, expugnavítque, ac deinde ſacram ædem ingreſſus, ut erat galea tectus, ſacrilego auſu, inauditáque à ſæculis impietate, *Miſſam* cantare præſumpſit, cui accinebant *trecenti monachi*, & ipſi galeati.

Miſſæ *Introitus* fuit: *Gaudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes.* Epiſtola: *Sancti per fidem vicerunt regna.* Verſus: *Dextera tua Domine fecit virtutem, alleluia.* Evangelium: *Cum audieritis prælia.*

Sic impii in ſacris ludere, & ſcripturis abuti: hos perditæ mentis æſtus, & hæretici furoris impetus ut audiit Romanus Pontifex, non illicò anathematis fulmine feriendum ratus, impotenti malo levia primùm fumenta, & medicamenta adhibuit, dedítque litteras amoris, & paternæ benevolentiæ plenas; quarum hæc fuit inſcriptio:

Chriſtianiſſimo Chriſtiano, Sedis Apoſtolicæ Legato,
Imperialis aulæ Cancellario, Romanæ Eccleſiæ
filio, Paſchalis Papa, ſervus ſervorum Dei

Flectere debuerat, atque emollire feroces animos ea ſummi Pontificis humanitas, atque indulgentia; ſed acuit magis, atque efferavit. Ut ſi luculento igni, vaſtóque incendio modicum aquæ ſuffuderis, vires inde ſumit inſultans flamma: ſic & his litteris, velut affuſa quadam Romanæ benevolentiæ lympha, & majores animos aſſumpſit, & ferociores: indéque in arma, cædes, atque incendia prorupit; atque inſtar torrentis ruptis veluti compagibus ſeſe effudit, & effudiſſet magis, niſi illum ſtitiſſent, & Cæſaris, ac Principum Germanorum arma, junctáque ſimul Pontificis authoritas, atque opulentia: adeò opportuna reprimendis, ſeu rebellium, ſeu etiam Apoſtatarum impiis conatibus. Sed ne longiùs: neque enim hic controverſiam inſtituo de opulentia Eccleſiæ, fuerítne ea conveniens, necne; hanc aliquando fuſiùs agitavi Duaci in *Quæſtionibus Quodlibeticis*, cùm iis præſiderem, Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino D. *Gaſpare Nemio*, hodie Cameracenſi Archiepiſcopo, tum illius Almæ Univerſitatis Rectore magnifico, & in iiſdem Quæſtionibus etiam Oratore, Anno hujus ſæculi 1627. Non, inquam, illud ago in præſentia; ſed hoc tantùm, quod mei eſt inſtituti, quæ Chriſtianorum in Eccleſiam, & ſacras ædes munificentia, & quæ exinde etiam earundem opulentia, contra quam pugnant, & more ſuo debacchantur hæretici, quorum hoc etiam fuit commentum.

Eò loci, ac temporis quo *Conſtantinus*, & nomine, & re etiam ipſa *Magnus*, Romam, aliáſque adjacentes oras S. Silveſtro Pont. Max. permiſit, fingunt illi auditam hanc è Cœlo vocem:

Hodie ſeminatum eſt venenum aſpidum in Eccleſia Dei.

Ridiculum ſanè commentum, reponendum inter aniles fabulas, à vacuo cerebello, vel in Lutheri Triclinio, vel in Calvini officina confictum, quaſi & turpe ſit, & noxium Eccleſiæ Præſulibus, & fundos, & reditus aſcribi. Certè & ratio boni communis id exigit, & probat natura, & omnium propè nationum conſenſio; in qua ne Chriſtianos tantùm producam, unum è multis, eumque Ethnicum, in medium afferam.

Erit is *Dayri*, Japonum Imperator, qui Bonziis ſuis addixit tredecim valles, longo ſanè tractu diffuſas, ipſo ſitu amœniſſimas, & ſoli, Cœlique genio, atque aſpectu fœcundas, atque amabiles, quibus inſuper addidit in reditus annuos ducenta aureorum millia, & præterea etiam oppida duo, quorum incolæ teneantur diebus ſingulis deferre *Bonziis* cibos omnes, etiam coctos, & probè conditos.

In iis porrò vallibus ſumptu publico erecta Idolorum fana ad tria millia octingenta, & tot etiam *Bonziorum* cœnobia.

Ac ne putes ejuſmodi profana fana ſitu, & ſquallore eſſe horrida (qualia fermè amant noſtri temporis hæretici) in uno ex illis in ara principe viſitur *Idolum* prægrande lamina tectum aurea. habet illud tria capita, brachia verò triginta, totidémque manus.

Hoc idolum ambiunt mille quingenti coloſſi, in quibus eminent tot minorum idolorum ſtatuæ hominis forma & magnitudine, omnes aurea lamina tectæ, & gemmis etiam illuſtres. Et hæc ſunt Ethnicæ ſuperſtitionis ac munificentiæ prodigia, quibus ſimile nihil habet Chriſtianus orbis; habet tamen quod in iis miretur, & quod in Deum ac Superos pius imitetur, & quibus, ſi non paria, at ſaltem non multò inferiora concedi velit: Et verò jam conceſſit Chriſtiana in Deum pietas.

Ne omnes conſecter (quod longum foret, & mihi adynaton) ſtylum ſiſtam in Auguſto Cæſare, *Conſtantino Magno*. Vix è ſacro baptiſmi fonte exierat, cùm in uberes beneficentiæ fontes erupit, & fontem illum, qui corpori animóque eluendo ſervierat, Cæſarea munificētia ornavit, ditavit, beavitque.

E Porphyretico lapide vas ingens fuit, quod in-

Baron. Anno 325. trinſecus argento puriſſimo veſtivit eo pondere, quod libras argenti caperet ad tria & ampliùs millia, in fontis medio aſſurgebat columna Porphyretica, quæ phialam ſuſtinebat ex auro puriſſimo librarum quinquaginta, in ea collucebat lampas balſamo gravida, & olena, quæ ſacrum ignem alebat. In fontis labro viſebatur Agnus aquam è vaſe excipiens, atque effundens, iſque è ſolido auro librarum triginta. Ad agni dexteram conſpicuus erat Salvator noſter è puro argento, librarum centum ſeptuaginta. Ad agni lævam eminebat S. Ioannes Baptiſta, & ipſe ex argento factus, pondo librarum centum; hinc & inde latera ſtipabant, lympháſque ubere cornu fundebant, cervi ſeptem, & ipſi argento fuſi, ſinguli octingentis libris graves, quibus accedebat Thimiameterium ex auro ſolido, pondere librarum decem, cui lucem ac ſplendorem addebant gemmæ majores quadraginta duæ, omnes ex ultimo Oriente petitæ.

Et hæc tua munificentia fuit Auguſte Cæſar, hæc tua pietas, & in ſacra profuſio, quam amabit, commendabitque poſteritas omnis.

Mitto alios Europæ Principes, ac Reges, qui & ipſi in Eccleſiam mirè profuſi. Et quidem è Gallia Carolos, Dagobertos. Ex Hiſpania Alſonſos, Ramiros, Petros, è quibus hic Aragoniæ Regnum Pontifici Romano vectigale fecit. Taceo ex Hungaria Stephanos, Ladiſlaos, Ludovicos, quorum adeò effuſa liberalitas fuit, ut tertia Hungariæ pars Eccleſiæ ceſſerit.

Præterea inclytos Angliæ Reges, è quibus *Inna*, Rex pientiſſimus, ac munificentiſſimus, ſuum ipſe Regnum Sanctæ Sedi Romanæ tributarium fecit, ſancivítque ut domus ſingulæ ampliſſimo regno ſparſæ, D. Petro quotannis denarium argenteum penderent, vel in arrham obligatæ illi fidei, vel in ſacræ ſervitutis penſum, ac velut Anathema.

Duravit ea Tributi ratio ab anno Domini ſeptingenteſimo quadrageſimo, ad annum milleſimum quingenteſimum trigeſimum tertium, quo & tributum pendi vetuit *Henricus Octavus*, & Eccleſiæ jugum excuſſit, & templa ac cœnobia ſpoliavit, vaſtavit, incendit, ea ſtrage atque amentia, ut unico tantùm anno dicantur arſiſſe decem templorum ac cœnobiorum millia, quæ Majores illius avita pietate, ac regia munificentia erexerant, adeò ab illis degener ipſe, degeneres & poſteri; quos utinam benigniùs aliquando Cœlum aſpiciat, & Eccleſiæ Romanæ, ejúsque capiti, D. Petro, ac ſucceſſoribus reddat. Et certè quidni reddat omni jure debitum, & humano, & Divino.

Alredus Abbas Ciſtercienſis, qui vixit anno Domini 1164. in vita S. Eduardi, Angliæ Regis, ſcribit vaſtata à Danis Anglia, & Regia ſtirpe propè extincta, cùm jam ruinæ immineret ſuæ, Epiſcopum unum aliquem, pro eâ Deum impenſiùs oraſſe; eique apparuiſſe S. Petrum, Apoſtolorum Principem, qui ſpopondit naſciturum Eduardum Regem, qui iſtis omnibus malis, & modum, & finem poneret, & hanc inſuper cauſam addidiſſe: *Regnum Anglorum eſſe Chriſti Regnum, & ſuum.* Et tale deinde fuit ſub Eduardo Angliæ Rege, utinam & aliquando ſit ſub *Carolo II.* quem Deus terris diu ſoſpitem velit, & inde Cœlis etiam beatum.

§. 4.

Secunda pars Liberalitatis in Patriam, Amicos tenuioris fortunæ, viros litteratos, & artifices peritiores, vel denique in non petentes & promiſcuè in omnes.

IN Liberalitate cenſeo ſervandum imprimis illud, quod de ſeipſo Seneca:

Quidquid habebo, nec ſordidè cuſtodiam, nec prodigè *Lib. de Beata vita. c. 20.* *ſpargam. Nihil magis poſſidere me credam, quàm benè donata. Non numero, nec pondere beneficia, nec ulla, niſi accipientis æſtimatione pendam. Nunquam id mihi multum erit, quod dignus accipiet.*

Hæc Romanus Sapiens; & rectè. Sordidè enim cuſtodire quæ habueris, eſt avaritiæ, & tenacitatis; prodigè autem ſpargere, eſt profuſionis: & hæc & illa extrema ſunt, adeóque vitioſa. Media ibit virtus media & liberalitas, quæ benè donata, non amiſſa credet; at ſervata: & beneficia non numero, non pondere æſtimabit; ſed accipientis merito, quod nunquam multum eſſe ſentiet, qui donaverit: ſed potiùs parum, ut qui beneficium non ex ſe ponderet, ſed ex eo, qui acceperit.

His ita ex naturæ lege, & rationis placito conſtitutis, deſcendo ad alia atque alia genera liberalitatis, quæ ut à me hîc tractatur, Virtus eſt, & quidem.

Primò ea, quæ in *patriam* eſt: ut enim illi debe- I.
tur amor, & pietas, ſic & munificentia, cùm eam *In patriam.*
& hæc, & ille exegerit, puta, ut ſervetur illa.

Digna melioribus ceris ea Athenienſium Matronarum, ac Virginum in patriam beneficentia, bellum erat cum Romanis, & quidem acre, quà terra, quà etiam mari: deerant rudentes, quibus inſtructæ naves in altum prodirent.

Quid illæ? crines ſuos ultrò obtulêre, nobile ſpolium capitis, quia illius etiam ornamentum, quod ſanè illis & auro, & gemmis pretioſius; quantum tamen illud erat omne, conceſſit patriæ bono, atque civium ſaluti, liberalitatis genere à ſæculis inaudito, quod ſcilicet invenit & ingenioſa neceſſitas, & ſingularis in Patriam pietas: cui non multum abſimilis eſt ea, quam ſubjicio, & quam noſtra vidit, & amavit ætas.

Primus Proregis imperio Indiam obtinebat *Ioannes Caſtrius*, cùm ecce actum de bellica expeditione, pro retinenda *Diensi Arce*, utpote quæ plurimum faceret ad rei Luſitanicæ bonum, & belli momentum: ſed, ô grande malum! pecunia deerat, adeóque belli nervus. Quid igitur Matronæ Goanæ? omnes datis gemmis annulisque ita juverunt: ut ſe non modò mundum muliebrem omnem collaturas dicerent; verùm oppignoratis, & venditis etiam filiis, ſi opus foret, argentum inde conflaturas ſe ſanctè affirmarent. Uteretur ipſe, ut è Republica eſſe exiſtimaret. Nimirum ſe filios Reipublicæ, non ſibi genuiſſe intelligebant: ea erat in patriam pietas, ea quoque munificentia.

Venio

II. In Amicos indigentes. Venio ad aliam, quæ eſt in *amicos*, quos vel fortuna, vel adverſus aliquis caſus, vel ipſa malevolorum invidia de ſuo gradu dejecerit, atque ad paupertatis anguſtias redegerit: in eos liberalem eſſe, Virtutis eſt; aliàs in amicos ſua profundere, non tam virtutis eſt, quàm naturæ, quæ etiam vel maximè in ſanguinem propinquum inclinat, non ſine aliquo nævo.

In Amicos primæ ſortis beneficus fuit inprimis *Arceſilaus*. Is amico pauperi, & paupertatem ſuam diſſimulanti, ægro autem, & ne hoc quidem confitenti deeſſe ſibi ſumptum ad neceſſarios uſus, cùm clam ſuccurrendum judicaſſet, pulvino ejus ignorantis ſacculum ſubjecit, ut homo inutiliter verecundus, quod deſiderabat inveniret potiùs, quàm acciperet. Et hoc eſt animi benefici, ac liberalis: quod diſertè oſtendit Seneca, qui Arceſilaum ſecum ipſe colloquentem inducit.

De Benefic. c. 10. *Quid ergò? ille neſciet a quo acceperit? primum neſciat, ſi hoc ipſum beneficii pars eſt; deinde multa alia faciam, multa tribuam, per quæ intelliget & illius authorem. Denique ille neſciet accepiſſe ſe. Ego ſciam me dediſſe. Parum eſt, inquis, parum, ſi fœnerare cogitas; ſed ſi dare, quo genere accipienti maximè profuturum erit, dabis, contentus eris te teſte.* Cujus rationem ſubjicit, quia *alioquin non benefacere delectat: ſed videri beneféciſſe.*

Id ubi dixit, tum addit, quod ipſa beneficii lex, & natura exigit, & quæ liberali ac benefico debet eſſe in oculis, primiſque votis.

Hæc beneficii inter duos lex eſt; alter ſtatim oblivíſci debet dati; alter accepti nunquam. Quod declarat & ratione, & exemplo.

Lacerat, inquit, *animum, & premit frequens meritorum commemoratio. Libet exclamare, quod ille triumvirali proſcriptione ſervatus à quodam Cæſaris amico, exclamavit, cùm ſuperbiam ejus ferre non poſſet. Redde me Cæſari. Quouſque dices? ego te ſervavi, ego te eripui morti?*

Id ubi exempli retulit, tum dignam cedro ſententiam profert:

Qui dedit beneficium, taceat: narret, qui accepit; hoc enim & illud poſtulat ipſa beneficii natura. Sed de hac ſatis.

III. In litteratos. Deſcendo ad aliam munificentiæ partem, quæ ſeſe effundit in Litteratos, & iis animos facit ad politioris litteraturæ ſtudia, aut alia altioris diſciplinæ.

Erga primi generis homines ſeſe explicuit *Sebaſtiani* Luſitanorum Regis eximia Liberalitas,

Ioanni Barria Hiſtoriæ Luſitanicæ Conditori, tria aureorum millia annuè donavit; poteſtatemque fecit tantum aromatum ex India privato nomine coëmendi, quantum ad quatuor millium ſummam conficiendam ſatis eſſet.

Ad hæc ſuos inter nobiles adlegit, menſtruis bis mille *maravedinis*, veteri Luſitanorum computatione, ejus Viduæ quinquaginta millia: atque ad filiæ dotem expediendam, unius navis in Indiam ſolventis præfecturam attribuit, quæ ſolet eſſe quæſtuoſiſſima. Et hæc *Sebaſtiani* in virum apprimè litteratum munificentia.

Major profuſio Chriſtianiſſimi Regis *Ludovici*, hujus nominis XI. Huic erat doctor medicus Iacobus Cortier, qui illius animum ita occupârat, ut ſibi perſuaderet ab eo & ſanitatem, & vitam ſuam penitùs dependere; & ita quidem ut illius beneficio, artéque viveret: aliàs brevi moriturus.

Ea perſuaſio, quæ Regis animum prorſus invaſerat, fecit, ut ei in ſingulos menſes decem aureorum millia pro ſtipendio pendi juſſerit ex ærario regio; rara, & parum ſana profuſione.

Quid facias? ſubinde etiam magnæ mentes non
IV. In Artifices. tam veritate ducuntur, quàm opinione; cui plus æquo concedunt. Et hæc de illa in viros eruditos munificentia: delabor ad aliam, quæ eſt in *artifices*, qui cæteris ea in arte eminere videntur.

In eos Carolus V. Imperator Auguſtus, licet bellis continuis ærarium exhaurientibus; liberalitatem & in aliis amavit, & ipſe exercuit.

Ut reliqua, & fortè majora diſſimulem, *Titianum* pictorem, quo nemo illa ætate, ſpirantia Heroum & Principum ora meliùs ad vivum expreſſit, quoties ſe pingeret (nam ſæpiùs feciſſe legimus) toties aureis mille donavit, ac demum attributis annuis reditibus, in equeſtrem ordinem adlegit, ut ſcirent omnes Principum liberalitatem arte non vinci.

Addo & aliud hac in parte munificentiæ genus. V. In non petentes.
Exhibetur illud etiam non petenti, quod quandoque verecundiæ eſt, & ingenui ruboris: uti è contrario petenti negatur, quia ſubinde, & ſæpiùs eſt impudentiæ, & effrontis animi: quod & cenſuit, & facto probavit *Archelaus*. Ab hoc convivium cum familiaribus celebranti, cùm neſcio quis improbus homo, poculum aureum ſibi dari petiiſſet, illicò juſſit Plutarch. in Apophthegm.
puerum dare illud *Euripidi*: quod cùm miraretur, & damnaret ille; ſubjecit Archelaus: *Tu quidem vix dignus es, qui petas: ſed ille, ut etiam non petens, accipiat.*

Et hæc munificentia magni eſt atque ingentis VI Promiſcuè in omnes.
animi; majoris illud quod ſubjicio, in omnes effundi, neminémque à ſe vacuum abire. Et ea fuit *Iuliani Cæſarini Cardinalis*, qui parcus domi, atque in ſe durus, in alios tantùm non prodigus, certè benignus in omnes, de quo ipſius œconomum dixiſſe ferunt amico:

Enimverò ſi Dominum meum abſque pallio, ac toga purpurea prodeuntem videris, tu quidem mirari noli; quæcumque enim domi ſunt, petentibus donat. Adeò effuſa in eo Liberalitas.

§. 5.

Tertia pars Liberalitatis in hoſpites, ac peregrinos.

HÆc duo jungi placuit, quia in hos, & illos ſeſe dividit pia munificentia; uti & charitas illius veluti parens; eſt enim munificentia veluti fœtus quidam Chriſtianæ charitatis, & quidem nobiliſſimus.

Igitur ea primò hoſpites excipit, atque amplectitur, iiſque & tectum præbet, & quæ ad victum ſunt neceſſaria, imò & commoda; menſa quâ poteſt lautiore fovet, ac recreat, quod eſt liberalitatis, quam & amat terra, ac ſuſpicit: & Cœlum ipſum aſpicit, ac probat, etiam ſæpiùs miraculo.

Ad *Alferium*, Abbatem Cavenſem, venerant hoſpites ſeptem; ſed ô malum paupertas! in religioſo Surius in ejus vita, c. 6.
penu non erant niſi ova quinque: quid hæc inter ſeptem? ea penuria bonum Abbatem ſollicitum habuit, atque ad Deum ſupplicem, qui & ſupplici adfuit, atque ad ejus preces, ac vota; ea multiplicavit in ſeptem, ut ſingula ſingulis cederent. Adeò hoſpitalitati indulgens Numen.

Quod illi: hoc & *D. Guilielmo* Abbati, cui eadem Dei providentia annonam auxit; frumentum enim, ac vinum ſic accrevit, ut quò plus caperent, plus haurirent; plus eſſet quod & caperent & promerent; adeò Superis cara atque amabilis hoſpitalitas, quam & commendabit illud, quod ſubjicio.

S. Brigida Virgo peregrina, fortè deflexit ad virginem religioſam, cui cùm nihil aliud ſuppeteret, Bollandus 1. Feb in ejus vita, c. 26.
quod frugali menſæ apponeret; vitulum occidit, & partem illius aſſam ſuæ hoſpiti appoſuit. Id ubi orto jam ſole reſcivit *Brigida*, Deo ſupplex accidit, & vitulum integrum ac vivum reſtituit, ut hoſpitalitatem illam etiam miraculo compenſaret, acceptúmque redderet etiam cum fœnore. Et verò ſic reddidit, cùm reddidit pinguiorem. Crederes Cœlum capi, ac delectari eâ hoſpitalitatis beneficentiâ: nec Cœlum tantum, ſed & maria: promunt illa, quod profundo ſinu claudunt, atque in continentem effundunt.

Ad *S. Lucam Iuniorem*, cognomento ſui ævi *Taumaturgum*, Romà advenerant monachi duo, hoſpites quidem grati; ſed in paupere & vacua cella nihil erat, quod illis cederet: & hinc dolor, hinc gemitus, & piæ apud Superos querelæ, quibus dum pluſculum datur, ad vicinum maris littus conſident, & purum illud, ac tenuem à ſole elementum contuentur, oculóſque paſcunt jucundo ſpectaculo, & alternis fluctuum vorticibus; cùm ecce è mari exilit ingens piſcis, & pinnis, ceu alis quibuſdam, ſubvectus in aëra, ad monachos quaſi advolat, atque ad eorum pedes accidit, palpitans, ac ſubſiliens, atque ad opportunum epulum invitans. Crederes etiam maria, etiam mutos piſces hoſpitalitatem & prædicare, & loqui, & illi quà poſſunt etiam inſervire.

7. Feb. in ejus vita cap. 3.

Et certè quidni inſerviant? cùm & ipſi Angeli, ſupremæ illæ Cœlorum Intelligentiæ, imò & Christus, & Deus ipſe eam amet, atque approbet; imò quod mirere magis, à puſillis mortalibus excipi gaudeat ut hoſpes, & ſubinde ad eam charitatis ſcenam peregrini perſonam induat. De Angelis quidem extant apud Authores probatæ fidei luculenta teſtimonia. E multis unum produco ex S. Antonino, qui ſic de *S. Iuliano, hoſpitatore*.

Hic aliquando dum inter venandum cervum inſequitur, & propè aſſequitur, audit ex illo: *Quid me inſequeris, qui patris & matris tuæ occiſor eris?*

Aſtupuit *Iulianus*, & ne eò veniret ſceleris, atque immanitatis, procul abiit à Patria in exteras regiones, ubi & Principem invenit, & ſub illo ſtipendia fecit, ac deinde *Caſtellanam*, virginem nobilem in uxorem accepit, exul à patria, exul à parentibus, qui dum fortè filium per avias ditiones quæritant, incidunt in ejus uxorem *Caſtellanam*, quæ ut didicit eſſe *Iuliani* conjugis ſui parentes, eos benignè ac liberaliter excepit; imò & lectulum ſuum illis conceſſit, dum interea de more ad Eccleſiam pergeret. Aberat fortè *Iulianus*, cùm domum regreſſus, comperit jacentes ſuo in lectulo parentes; ratúſque conjugem ſuam illic eſſe cum adultero, ut erat militaris ac ferocis animi, utrumque ſtricto pugione confodit, ſéque domo eripuit; abeunti occurrit uxor *Caſtellana*, à quâ dum attonitus quærit, ecquinam ergò ſuo jacerent in lectulo? intelligit ſuos eſſe parentes, quos illa exceperat hoſpitio, & ſuomet in lectulo.

Hic recurrit memoria auditæ quondam à cervo inter venandum illius vocis, imò & vaticinii; recurrit & prænuntiatum ſcelus, ac parricidium, in quod licet inſcius & incautus inciderat. Quid igitur animi? quid conſilii? quid remedii tanto & tam horrendo in facinore? occurrit illud, ſi ad fluminis rapidiſſimi oram hoſpitale erigeret, & illic peregrinos tranſmitteret, exciperétque hoſpitio, ratus ea pœnitentia, eo labore, ac de fatigatione quotidiana; iis & hoſpitalitatis officiis placari poſſe Superos, iratúmque Numen.

Et verò placati illi, placatum & hoc ea charitate, atque in peregrinos beneficentia, qua deinde & uſus è Cœlis Angelus. Hic, ut antè inſinuavi, paupercu li perſonam aſſumpſit, atque è ripa ulteriore *Iulianum* inclamavit intempeſtate nocte, ſub Jove frigido, & quaſi à gelu conſtrictus totus. Adfuit illicò *Iulianus*, de more tranſvexit, atque in humeros ſublatum, & igne cibóque recreatum, in ſuum ipſemet collocavit lectulum. In hoc tantiſper jacuit, qui languidus, qui infirmus, qui leproſus apparuerat: at mox, quam ad tempus induerat perſonam, ſenſim exuit: nam & rubere illi facies, & nitere, & collucere tota; imò & de ſtrato in quo jacuerat, attolli, atque in æthera conſcendere viſus; priùs tamen & illud, ad tam benignum, ad tam liberalem hoſpitatorem auditus dicere:

29. Ian.

Iuliane, è Cœli Regia me demiſit Deus, ut & gratam illi acceptámque pœnitentiam tuam indicarem, & remiſſum etiam ſcelus. Dies craſtina, & te, & Caſtellanam conjugem, pœnitentiæ tuæ conſortem, Superis, & mihi junget.

Dixit, & loqui, & videri deſiit. Hic paucis te ſiſto; Mi Lector, audiſti *Iulianum* gemini parricidii reum, audiſti & pœnitentem, & à commiſſo ſcelere, Deo indulgente, liberum; audiſti & Cœlis additum: at unde & hoc, & illa? utique ab hoſpitalitate, quam in peregrinos exercuit: ab hac, & benignior à Superis indulgentia, & beatitudo: & hanc & illam amas, atque ambis? ama ſimul, & ambi in hoſpites ac peregrinos beneficentiam. Et certè quidni ames, atque ambias, cùm in ejus partem venire geſtiant ipſi Angeli? imò & Chriſtus ipſe, Excipe quid actum cum *Iuliano* altero. Is erit *Iulianus*, Epiſcopus Conchenſis.

Hic admittere ſolitus & hoſpites, & peregrinos, & iis menſam ſuis ipſe manibus ſternere. Ex illis aliquando cùm unum conſpexiſſet vultu ſanè liberali; ſed pannoſum totum, ac lacerum, ratúſque è lautiore fortuna, adverſo aliquo caſu, aut hoſtium malevolentia, in eas anguſtias eſſe collapſum; ex eóque quæ ſlet, ecquiſnam eſſet? qua de patria? quibus de majoribus? ecce ſubitò advertit è peregrini vultu emınere, emicaréque radios Solis æmulos, tum etiam hæc ex illo audit: *Iuliane, mihi in paucis amice, gratias tibi habeo, quòd & meos, & me hoſpitem ac peregrinum exceperis, ac ſuſtentaveris; pro eo, Cœlum tibi merces, & Deus ipſe, æternúmque beatitas.*

28. Ian. in ejus vita c. 2.

Dixit, & conſpici deſiit; ecce ut capitur ea hoſpitalitate Chriſtus. Audire vis, ut etiam ipſe Deus? Ad Abrahami tempora animo, & cogitatione regredere. Excepit ille tres hoſpites, & in illis ſanctiſſimam Triadem, de quâ ſic Divus Auguſtinus:

Ecce ad humanam menſam cœleſtis ſublimitas recumbebat, cibus capitur, prenſitatur, & contubernalis colloquio inter hominem & Deum familiaria verba miſcentur.

Serm. 16. de Tempore.

Hæc ubi dixit de illa Abrahami hoſpitalitate: tum datum illi Cœlo judice præmium explicat, & ſic inquit:

Et quia apud Deum infructuoſa hoſpitalitas eſſe non poteſt; ſtatim pretium mercedis accepit. Datur filius ſeni, datur poſteritas deſperanti.

Ubi ea ſic extulit, tum converſa ad ſuos oratione. *Videte*, inquit, *fratres, quàm fervent animo hoſpites excipere debeatis. Ecce ipſe Abraham currit, uxor feſtinat, puer accelerat, nullus eſt piger in domo ſapientis*, ſcilicet pigritiam omnem, omnem tarditatem excuſſit, pronus in hoſpites amor, ac præceps beneficentia, pro qua laborant omnes, otiatur nemo. Et certè quî otietur, qui intelliget ſibi Deum adeſſe in hoſpite?

Serm. 70.

Et ita intellexit aliquando *Ludovicus Bloſius*, Abbas Letienſis, vir notus ab illuſtri proſapia, notior à calamo, & doctis Ingenii monumentis, notiſſimus à virtute, rebúſque præclarè geſtis. Aliquamdiu tempore hoſpitibus domus ejus, & menſa caruerat, cùm ſic ad unum ex conventualibus famulis.

Quid hoc eſt Anſelme? (id ei nomen erat) *an noſtri obliviſcitur Deus? an iraſcitur, quia nos tanto tempore in hoſpitibus non inviſit?* Rebatur nimirum pius Præſul, Deum eſſe, Deum reſidere in hoſpitibus; nec ſanè aberrabat: Deus enim ex vero in illis eſt, atque in illis excipitur, ſic enim diſertè D. Auguſtinus:

Bollandus 6. Ian. in ejus vita, c. 22.

Hoſpitem habes Deum, hoſpitium acceptum fac hoſpiti tuo. Ubi porrò feceris, audies ex illo in extremo judicii die. *Hoſpes fui, & collegiſtis me. Veni benedicte patris mei, percipe regnum.* Ecce mercedem ampliſſimam, ecce æternam, ecce beatam. *Non promittit tibi Deus hoſpitium, promittit tibi regnum*, inquit Auguſtinus.

Fœlix profectò commutatio, ſubinde pro lutea caſa, pro hoſpitio ignobili atque anguſto, datur regnum, datur & cœlum: ſed hoc, inquies, alteri ſervatur vitæ, hoc eſt immortali; demus aliqua, quæ etiam mortali;

De Viſit. infirmos. c. 4.

mortali; nam & huic ſua ab hoſpitalitate ſervatur merces.

Wadingus in Annal. Minor.

D. Franciſcus, Seraphicus Pater, expertus aliquando viri quàm optimi hoſpitalitatem, dum ſe euntem, ac redeuntem ſæpè ſæpiùs exciperet, prædixit fore, ut neque ei paupertas unquam obveniret, neque nimiæ divitiæ: hæ nimirum ei fortè fuiſſent noxiæ: illa autem gravis. Quid ergo? victui, inquiebat, neceſſaria, imò & commoda nunquam defutura. Vaticinio reſpondit eventus, & inde ſua quoque hoſpitalitati merces. At major illa, quam ſubjicio.

Nobiles caſtri *Montis acuti*, eidem *D. Franciſco* primò dederant Alverniæ rupes, opportunas ſacro illius ſeceſſui, & Cœli favoribus; à quibus deinde impreſſa ibidem ei ſacra ſtigmata, tum etiam ad illas ſæpiùs eunti, ac redeunti hoſpitium liberaliter commodârant; pro quo hoc eis grati animi ergo, à Deo beneficium impetravit, ut præmonerentur igne de Cœlo, & quaſi face, quandocumque eorum quiſpiam obiturus eſſet diem vitæ poſtremum. Hæc *Silveſter Petra Sancta*, qui etſi ejus rei authores haberet fide dignos, quos inter Antonium Barberinum Cardinalem, nihilominus veritatis indagandæ ſtudio ſcripſit ipſe Rectori Collegii vicini in hæc verba.

Miracula perpetua. c. 29.

Supra caſtrum Montis Acuti, in Hetruria, triduo antequam vita emigrent aliqui ex familia ejus caſtri nobiliſſima, micare de Cœlo aiunt monitores ignes, prodromos ultimæ neceſſitatis. Si qui langueſcant, domeſtici actum de illis putant, ſi vegeti omnes fuerint, ſubitaneum aut morbum, aut etiam interitum cuncti jure metuunt. Et reipſa ſemper aliquis deſideratur, quotieſcumque fax ea funebris coruſcat. Ita narrant, & *S. Franciſci* precibus hæc indicia obitus imminentis accepta referunt. Nam ipſe hoſpes non infrequens illius caſtri, dum abderet ſe in ſacros receſſus montium Alverniæ, dicitur aliquando petiiſſe ab ejus familiæ principe (apud quem ſolitus erat divertere) quidnam gratiæ rependere poſſet Hero tam hoſpitali, tam benevolo?

Ille verò ratus beneficium accipi, non conferri quando penates intrat tam pius hoſpes, rogavit quidem ut pergeret ſibi gratificari, atque ut adveniret frequentiùs; ſed ſimul optavit impetrari à Deo, ut exitum vitæ poſſet prænoſcere, ne abſcederet è vivis imparatus. Ad hæc *S. Franciſcus*, in vota, & preces ore tacito converſus; & mox ad ſermones mutuos ſe referens. Eia, inquit, annuit benignus & miſericors Deus: ex tua nobili ſtirpe, nemo cum morte vitam commutabit, quin de obitu ſuo præmoneatur: & hoc quidem coruſcante de Cœlo face, quæ imminentis fati ſignificationem faciat. Ex propinqua civitate, ſi percunctando Dominum Caſtri Montis Acuti, potes aliquid certi ad me de hoc prodigio ſcribere; addes volumini meo authoritatem, & ſimul etiam lucem, nec eam ſanè funeſtam, ſed lætam; quia nitores iſti, funera non (ut infauſti Cometæ) inferunt, ſed nuntiant, eáque ſimul illuſtrant.

Hæc Silveſter Petra Sancta, cui Rector, re probè examinata, & à Domino Caſtri, & à domeſticis retulit, ea uti narrata erant contingere, & contigiſſe jam à ſæculis, nunquam interrupta beneficii illius ſerie.

Addidit Matrona periluſtris inter illas faces, quæ caſtro imminere ſolitæ, diſcrimen eſſe, ſi quidem obire debeant parvuli, tunc ignes minores ſupra caſtrum nitere: ſin autem adulti, aut ſenes, collucere faces majores; & hoc ipſa experta eſt, cùm nobilibus ejus proſapiæ filiam nuptui dediſſet, ex qua impuberes filii deceſſerant.

Et hæc pauca de hoſpitalitate, & alio atque alio ab illa fœnore; quod accedit amica & liberali Dei providentia.

§. 6.

Quarta pars Liberalitatis in pauperes, atque egenos.

NOn eſt mei conſilii in medium adducere, neque etiam hujus exiguæ pagellæ capere exempla eorum omnium, qui in egenos liberales fuerunt, atque profuſi.

E multis pauca producam; & quidem nonniſi Principes, & quidem Coronata capita, è quibus tuos primùm ſpectabo Reges ac Reginas, ô *Scotia*, quæ fuiſti olim Sanctorum fœcunda parens, alumna fidei, religionis columna, ſeminarium virorum Apoſtolicorum, quos è ſinu tuo elapſos tota propè Germania diſpertiſti, mirum quantum modò alia à te ipſa.

Vidiſti aliquando non ſine amabili ſtupore S. Margaretam, Reginam longè ſanctiſſimam, quæ cùm ſibi arbitraretur ſcriptum iſtud Regii Vatis: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor*, novem infantulos orphanos, omni humano auxilio deſtitutos, prima diei hora ad ſe introductos cibis mollioribus, flexis etiam genibus reficiebat, & cibos in ora eorum regia manu immittebat. Tum etiam quot diebus trecentos pauperes in aulam, ex recepta conſuetudine inducebat, oſtiiſque probè clauſis, tum ipſa ab una parte, tum etiam Rex ab altera Chriſto in pauperculis illis ſerviebant, ciboſque optimè conditos inferebant: ſpectaculo ipſis Angelis invidendo. Denique ante menſam viginti quatuor alios, etiam laceros ac pannoſos, cibo potúque lautiore recreabant: & hæc illis erant quotidiana caritatis Chriſtianæ, & regiæ Liberalitatis officia; quæ utinam tibi, Eccleſiæque, ceu bonæ matri, reddita etiamnum videres, ô *Scotia*: ſed alia planè ſpectas, nec erubeſcis, nec ingemiſcis. *Surius tom. 3.*

A *Scotia* tranſeo in *Angliam*, & in hac ſuſpicio ac veneror Oswaldum, Regem longè ſanctiſſimum, in pauperes, ac mendiculos liberalem, ac profuſum.

Huic aliquando cùm adeſſet *Aidanus*, ejus tum fortè conviva, vidiſſétque liberaliſſimam illius manum, eam reverenter exoſculatus, hæc illi ex voto ſuo, hæc etiam ex ſpiritu prophetico: *Hæc manus non putreſcet.* Vaticinio, votóque reſpondit eventus; nam & hæc manus imputribilis poſt mortem perſeveravit, reliquo corpore in cineres ſoluto.

Ita piam in egenos profuſionem etiam miraculo probavit Deus: nec minùs terra, cœlúmque probant eam, quæ fuit S. Ludovici Francorum Regis. *Faſti Mariani 5. Aug.*

Hic quolibet Sabbatho trium pauperculorum ſeniorúmque pedes abluere ſolitus etiam de genu, tum eos abſtergere regiis manibus, tum etiam reverenter oſculari, denique & aquam affundere eluendis eorum manibus, quas & pariter oſculo regio dignari, cibúmque ſuis manibus miniſtrare, Chriſtianiſſima ſanè munificentia: quæ enim alia à Rege Chriſtianiſſimo? *Guiliel. Nangui de ejus geſtis.*

Ab hoc gradum facio, abeóque in *Hungariam*: exhibebit illa *Stephanum*, hujus nominis I. in egenos mirum quantum liberalem. Eum è Bohemiâ in Hungariam peregrinus, ſæpiùs inviſere ſolitus *B. Guntherus*, Eremita notæ tum ſanctitatis. Hic ubi aderat; & Regias illi aperiebat gazas, & poteſtatem faciebat ſpargendi in peregrinos, in mendiculos, in viduas, in orphanos quidquid in aula inveniſſet. Probata Superis ea profuſio, & confirmata etiam admirabili prodigio, quo ejus manus per annos à morte quàm plurimos incorrupta manſit, toto corpore aliàs reſoluto. Et hoc beneficii Cœlo judice conceſſum illius liberalitati, & largioribus eleëmoſynis, quas Seraphicus Pater S. Franciſcus appellare ſolebat *nobilem prodigalitatem.* *Surius tomo. 4.*

Et meritò: verè enim nobilis eſt, verè & regia, quia liberalis, & in pauperes munifica, quod &

nobile, & regium eſt; ut jam vidimus in Regibus, & Coronatis Capitibus. Et hoc in maſculo virilique ſexu. Spectemus etiam in molliore, & fœmineo; hic enim vel maximè ad miſericordiam pronus, inclinatione quadam naturæ, & gratiæ.

E multis paucas hoc loco reddam. Et quidem primò S. Eliſabetham, Regis Hungariæ filiam, ac deinde Lantgravii Haſſiæ conjugem.

Wadingus Tom. 1. in Annal. Minor. Anno 19.

Hæc, ut in egenos erat ferè prodiga, mendiculo importunè petenti eleemoſynam, cùm aliud nihil ſuppeteret præter regale pallium, eo ſe ſtatim exuit, & pauperem induit.

Viſa res ea inſolens Aulicis, utpote qui humano judicio ferè metiuntur omnia, non cœleſti calculo; ac deinde relata *Lantgravio*, qui uxori occurrens, hæc illi: Ubi *pallium reliquiſti?* cui illa: *Ecce*, inquit, *ut de pertica pendet*.

Et verò pendebat illud ipſum Cœlica ſcilicet, id eſt manu Angelica reſtitutum. Deo ſic probante liberalem Ancillæ ſuæ animum, & mariti querelas, importunaque jurgia ſopiente; quod & aliàs eâdem Numinis providentiâ factum, prodigio poſt homines natos inaudito.

Aberat forte ab aula *Lantgravius*, cùm ecce *Eliſabetha* ſe ſiſtit leproſus, admittique petit in domus penetralia; imò & lectulum. Hæc ut erat ad miſerendum facilis, & prona ad faciendum benè, leproſum excipit; imò & deponit in ſuum & mariti lectulum. Nunquam molliùs, nunquam pretioſiùs decubuit ille; ſi tamen ille.

Interea redit *Lantgravius*, rem totam è domeſticis intelligit, ſtupet, & excandeſcit, & furit, moxque nudato enſe, ad cubiculum, ad torum accurrit, ſtragula explicat, aperit, ejicit. mox leproſum confoſſurus. Sed ô miraculum! ô ſtupor! ô amor indulgentis Dei, ſimul & miſerentis! non apparet leproſus, non mendiculus, non ſordibus ſqualidus, & ſanie tabidus: ſed ipſe Chriſtus Crucifixus jacet in lectulo.

Quid *Lantgravius*? hæret, ſtupet, nec oculis credit, manu pertentat, & Crucifixum perſentit, mox que ſe ipſe incuſat, & damnat, atque ad conjugem revolat, ad ejus genua accidit, veniam ſupplex petit, accipit, & Sanctiſſimæ conjugi omnia permittit, faceret illa deinceps quod vellet. Et ſanè quidni faceret? certa, iſta omnia non tam mendicis atque egenis fieri, quàm ipſi Chriſto; cujus hoc oraculum: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*.

Wadingus ſupra. Anno Minor. 22.

A Principe fœmina, deſcendo ad Virginem, cui & animus, & manus pauperi ſemper aperta. Ea erit S. Editha, Virgo nobiliſſima, & in paucis locuples.

Ædificârat illa Eccleſiam S. Dionyſio, ad cujus inaugurationem invitârat S. Dunſtanum, Epiſcopum. Aderat ille, & conſpicatus Virginem pollice frequentiùs frontem ſignare Cruce, captus ea pietate planè ſingulari, apprehenſa ejus dextera, ſic ad illam: *Nunquam putreſcat hic digitus*. Vota Cœlum audiit, & probavit; tredecim enim annis à felici obito, digitus ejus inventus eſt integer, Deo ſic teſtante & illius pietatem acceptam fuiſſe, & ſimul in Divos religionem, & in pauperes liberalitatem. Ea quippe illi fuit in omni vitâ, ut propè nihil ab ea ſibi reliquum faceret.

Uti nec fecit *B. Lodoviſia de Carvaial*, Hiſpana genere, & avito ſanguine nobilis. Hæc anno ætatis decimo ſexto Deo vovit nulli unquam pauperi negaturam ſe eleemoſynam, cujus voti uti rea; ſic & tenax fuit in omni vita.

Tiſſanus Bredenl. in triumpho annuo Chri. Tom 1. 2. Ian.

Exemplu erit unum illud. Forte cum Domino Patruo lecticam conſcendere parabat, cùm ecce incurrit in oculos pauper, & ſeminudus, qui flagitabat enixè unde nuditatem obtegeret ſuam.

Quid hic *Lodoviſia*? æs omne quod erat ad manum effuderat in egenos; nec ſupererat omninò quicquam, cùm ecce occurrit animo *D. Martini* adhuc Catechumeni illuſtre facinus in re non abſimili, ad quod inſtigari ſe vehementer ſenſit, nec mora, paululum ab arbitris remota, ex theca inſtructa forfices educit, & partem mediam chlamydis caſcindit, & pauperi donat, liberalitate poſteris omnibus commendanda. Et hæc è multis pauca.

§. 7.

Quàm verum, quàm indubitatum illud Sapientis: Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis? Prov. c. 19. v. 17.

Syneſio Epiſcopo vicinus erat Philoſophus, cui nomē *Evagrius* græcæ ſuperſtitioni mirè addictus.

Hic, ut multa improbaret in religione noſtra; illud etiam vel maximè, quod ea ſentiat, & dicat eum, *qui miſeretur pauperis Deo fœnerari; & centuplum cum vita æterna recepturum*.

Et de hoc ipſo ſæpiùs egerat cum *Syneſio*, ſuo quondam in ſcholis condiſcipulo, modò Præſuli; qui cùm ſanctè aſſereret rem ita ſe habere, abiit *Evagrius*, multa ſecum animo volvens, ac revolvens. Inter ea nutantis animi conſilia, æſtúſque cogitationum; tandem affulſit lux Divina, qua duce, fidei additus, ſacróque fonte ablutus, venit ad Epiſcopum. Et hæc illi: *Accipe trecentas auri libras, & eas in pauperes, ut iubet, eroga, mihiq; chirographum tribue, eas à Deo me recepturum*.

Utrumque fecit Epiſcopus: & aurum accepit, atque in egenos diſtribuit, & chirographum dedit.

Pergit interim *Evagrius*, & annos complures exigit in alta animi pace, & virtutum Chriſtianarum exercitiis, tandémque ad vitæ metam accedens, liberis ſuis ſeverè præcipit, ut ſyngrapham illam ſibi mortuo in manus imponant, unáque cum eâ ſepeliant. Et ita factum eſt, & factum benè: cùm autem tertia jam ab obitu dies effluxiſſet, in ſomnis Epiſcopo ſe viſendum dedit, & hæc illi:

Vade ad ſepulchrum meum, Epiſcope, & recipe tuum chirographum: nam debitum illud centuplum recepi; nec ullam modò tecum habeo rationem. Immò ad perfectam certificationem in eo propria manu ſubſcripſi.

Dixit, & ſimul videri, ſimul & loqui deſiit. Manè Epiſcopus Philoſophi filios ad ſe vocavit, cúmque ex iis reſciſſet cum eo ſepultum eſſe chirographum, convocato urbis ſuæ Clero univerſo, unà cum eo ſolemni pompa ad ſepulchrum perrexit; quo deinde aperto, inveniunt Philoſophum ſedentem, manúmque cum charta protendentem, quam cùm prenſare ſtuderent Clerici, nemini eorum dedit: Epiſcopo autem manum aperiente, mox ei chartam imponens, rurſus recubuit; peracta ſcilicet erat ex ſcena, cujus ergo apparuerat, & in tumulo reſederat.

Quid hic Epiſcopus? quid Clerus omnis? ubi aliquid datum eſt ſtupori, & tantæ rei novitati, Epiſcopus chartam in omnium oculis reſeravit, explicuit, & in eâ recenter ſcriptum invenit illud, & ſubſcriptum manu Philoſophi.

Evagrius Philoſophus, Sanctiſſimo Epiſcopo Domino meo Syneſio χαίρειν.

Scias Pater, quod debitum centuplum recepi, & nullam modò de hoc tecum habeo rationem.

In prato ſpirituali Ioa. Moſchi. c. 195.

Hic omnes invaſit ſtupor, & divinarum promiſſionum veneratio; & certa fides danda cœleſtibus oraculis; quibus ubi annuere omnes, tum unâ voce inclamare pium illud: *Miſerere Domine Philoſophi*.

Epiſcopus autem, ut in poſteros iret illa tanti prodigii fides, ac memoria; chartulam illam *Evagrii* manu ſubſcriptam religioſè in armario ſervari juſſit.

Audiſti redditum eſſe centuplum ei, qui miſertus pauperis: accipe etiam ab illo & vitam æternam, cu-

jus

jus & ſponſorem habebis D. Ioannem Eleemoſynarium, & ſimul etiam illius participam.

Suaſerat hic *Troylo* Epiſcopo, ut triginta auri libras, quas in ſupellectilem argenteam effundere parabat, in egenos meliore conſilio ſe proventu effunderet; iis utique Cœlum empturus. Paruit ille primùm benè monenti: at poſtea (ut erat nummorum appetentior) facti pœnitens, eas ipſas ab Archiepiſcopo receperat, dato etiam hoc chirographo.

Deus Domino meo Ioanni Patriarcha Alexandrinorum magna Civitatis, da mercedem triginta librarum auri, qua data ſunt tibi, quoniam ego recepi meas.

Hæc ille, infœlix utique nundinator, ut qui Cœlum, quod jam triginta auri libris emerat, cederet Archiepiſcopo. Et certè ceſſit, uti probavit objecta deinde illi viſio.

In amœtus noctis unius & ſomni imagine, ſibi conſpicere viſus eſt palatium ingentis omninò molis, auro fuſum, gemmiſque mirum quantum illuſtre; tum in illius ſuperliminari cubitalibus literis hanc etiam inſcriptionem legere.

Manſio æterna & requies Troyli Epiſcopi.

Dum his oculos animumque paſcit, atque oblectat, ecce tibi ex eo palatio genius aliquis, utique cœleſtis, epigraphen illam eradi mandat, atque hanc ſubſtitui.

In vita S. Ioan. Eleemoſyn.

Manſio æterna, & requies Ioannis, Alexandriæ Archiepiſcopi, empta libris triginta.

Ab hac ſpecie excuſſus ſopor, qui oculos clauſerat, & ſtupor, qui etiam animum: ſibi enim redditus *Troylus*, didicit Cœlum emi paratâ pecuniâ, & liberalibus eleëmoſynis, quibus jam emerat ipſe, ſi pacti retinens fuiſſet; ement & alii, ſi modò illius etiam amantes ac retinentes fuerint: uti fuiſſe S. Joannem Eleëmoſynarium oſtendit oblata *Troylo* palatii ſpecies, uti deinde & alia ſtatim à felici illius obitu. Viſa enim illius anima in cœlos aſcendere ſtipata innumera propè pauperum, orphanorum, viduarumque multitudine, quæ beatæ illi animæ, & cœleſti lumine jam illuſtri, erant pro corona; præferebantque in ſignum triumphi, ac lætitiæ ramos olivarum, ſymbolum utique miſericordiæ, quâ S. Præſulis anima terris inclaruerat; imò & inclaruit illius corpus à beato animæ exceſſu; quod duobus prodigiis notatum voluit admirabilis Dei providentia.

Turian. le Febr. in ejus vita.

Primum fuit: Cùm ſacrum ipſius corpus in æde *S. Tyconis* inferretur in ſepulchrum duorum Epiſcoporum: horum corpora hinc, & hinc receſſerunt, ut medium admitterent ſanctiſſimum Patriarchæ corpus, quod illorum demiſſioni datum eſt, & hujus etiam honori.

Alterum fuit, quod ex ejus corpore oleum emanârit in annos & ſæcula, medicum utique, & ſymbolum miſerationis etiam poſt fata. Sed exemplis pugnatum eſt ſatis; pugnemus etiam authoritate.

Prov. c. 19. v. 17.

Prima ducetur ab illo Sapientis oraculo: *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis. Ecce bonum fœnus de malo factum eſt; ecce irreprehenſibilis fœnerator, ecce uſura laudabilis*, inquit D. Ambroſius.

Lib. de Tobia c. 10.

At unde bonum fœnus; imò & optimum? quia *Domino*; quem ſic nobis loquentem inducit ille ipſe S. Præſul.

Nolite invidentem me veſtris commodis æſtimare. Putatis quod hominem ſubrogem vobis debitorem: Deum provideo, Chriſtum ſubrogo.

Ecce unde, & à quo fœnus, à Deo, à Chriſto; Deus enim eſt, qui aſſervat tibi ſortem, ſi ei quaſi mutuum dederis; Deus eſt, qui fœnus, & ingens omninò lucrum certum tibi facit, dum ſemetipſum dat in hypothecam, dat & promiſſionem ſuam pro cautione.

Da igitur, inquit Deus ore Auguſtini. *Da, ſecurus eſto, reddam: & ſi non tenes pauperem creditorem; me idoneum habes fidejuſſorem.*

Certè mihi meliùs, mihi utiliùs credetur, quàm vel ulli mortalium in terris, vel mundo, vel carni. Ecquid enim illi vobis reddent, ô viri divitiarum! ô hujus ævi divites! ô hujus mundi aſſeclæ! ô voluptatum amatores? quid, inquam, vobis reddent? audi ex D. Chryſoſtomo, aureo Oratore. Sic ille aliquando ad ſuos in terris; ſic modò ad nos è Cœlis:

Serm. 53. ad popul.

Quid nobis venter reddet, qui plurima conſumit? ſtercus, & corruptionem. Quid manus gloria? livorem, & invidiam. Quid avaritia? curam, & ſollicitudinem. Quid intemperantia? gehennam, & veneniferum vermem. Hi namq; ſunt divitum debitores, has ſortis jungentes uſuras: præſentia mala, pœnaſq; futuras. Hæc ubi dixit S. Præſul, tum ex nobis ita quærit:

His ergo ad tantam mutuabimus altionem? & noſtra Chriſto non credemus Cœlum prætendenti æternam vitam, & arcana bona?

Profectò, ſi ſapimus, nec illis unquam mutuabimur, nec ulli niſi Chriſto, à quo nobis pro fœnore Cœlum erit, æterna vita, & arcana bona.

Et hinc mihi ponitur in manus, fœnus illud, quod à Deo recepit, qui miſeretur pauperis, & quidem duplex. Unum quidem in terris; in Cœlis alterum.

Primùm experientia ſua didicit *Philaretus*, cognomento *miſericors*; ſic vulgò appellatus ex eo quòd erogando egenis omnia, ad eam erat inopiam redactus, ut agellum ſuum ipſe ſibi coleret, ſereretque, ſe demum ruſtico, cui fortè bos perierat, bovem unum è ſuis donaverit. Quod deinceps cauſæ fuit, cur, inquam, ipſe cum bove altero ſubierit, atque humero collato terram cum eo agricola egregius exercuerit.

Silveſter Petra ſancta Taumaſia. tom. 1. pag. 428.

Vidiſti inſignem in viro charitatem, atque in egenos profuſionem: attende quid ab ea fœnoris, quid mercedis, etiam in hac vita.

Irene Auguſta hoc demirata, neptem *Philareti*, nomine *Mariam* vel ideò nuptui dedit Imperatori Conſtantino filio. Ita *Philaretus* ex aratro ad imperii, ſceptrique conſortium evocatus, multò æquius, quàm olim ex eodem, Romani Conſules, ac dictatores. Et hoc illi ab eleëmoſynis fœnus etiam in terris Cœlo judice. Excipe quod etiam aliis in parata pecunia.

D. Joannes Eleëmoſynarius Patriarcha Alexandrinus, mandârat Oeconomo, ut pauperi daret quindecim aureos. Hic quinque tantùm numeravit; ratus abundè ab his illi fore; parſimonia illiberali: imò & Domino noxia.

Eadem quippe luce, matrona nobilis Epiſcopum convenit, eique ad Eccleſiæ uſus obtulit aureos quingentos: cui ille, cœleſti utique impulſu. *Age, dic mihi, ô Domina, an tantùm quingentos dare voluiſti?* Cui illa ingenuè: *Verè, ô Domine, mille quingentos dare volui, & ita pridie in charta ſcripſiſſe me probè memini. Hodie autem orto jam ſole chartam reſerans, tantùm quingentos in ea expreſſos reperi: & ſecundùm eam rationem, quingentos duntaxat attuli. Quis priori numero mille detraxerit, neſcio: factum reor juſta Dei providentia, cui in præſens acquievi.* Occulta nimirum Dei manus mille aureos eraſerat è charta, in pœnam ſordidæ illius parſimoniæ, cujus reus futurus erat Oeconomus, & quem reum fuiſſe, jam Divino monitu didicerat Epiſcopus, qui ſic deinde ad illum: *Ecce tua avaritia mille aureos perdidit.*

In ejus vita c. 10.

Ita nimirum fœnori detrahitur, quod eleëmoſynæ detraxeris. Quid facias? eſt ille ludus Divinæ providentiæ, quem & vidit, & aſtupuit S. Robertus Abbas.

Juſſerat hic pauperculo dari tres panes, duos dedit *Dalmetius*, parcus ille, & malè providus. Quid inde? Eadem die S. Præſuli mittuntur tres equi clitellarii, panibus, & vino benè onuſti: ſed, ô malum parſimonia! ô grande ab illa damnum! equus unus

defecit

Surius in ejus vita, tom. 2.

defecit in via, in pœnam ſeu inobedientiæ, ſeu etiam ſordidæ parſimoniæ; & hoc quidem Cœlo vindice.

Tantum intereſt qualis in egenos ſis, parcus an liberalis, effuſus an ſordidus; tantum, inquam, intereſt ad fœnus, quod tibi Cœlum parat, ac pendit etiam in terris; ex eo ſi detractum aliquid audiêris, imputa nimiæ parſimoniæ, & diffidentiæ de ſuavi Dei providentia: ſin autem additum, etiam in annos, & ſæcula, adſcribe, & in pauperes munificentiæ, & in Deo beneficentiæ, quam dum agnoſcit, & amat B. Ludovicus Bertrandus, è Dominicanâ familiâ, dicere ſolitus illud: In domibus religioſis quod egreditur, & effunditur in egenos per januam Conventus, regreditur, atque refunditur per portam templi, & hoc quidem auctum in duplum. Ea nimirum eſt Numinis beneficentia, quæ vinci ſe non patitur, & quia hæc exhauriri non poteſt, facit etiam ut exhauriri non poſſit, quod egenis aſcripſeris.

Et ita factum aliquando in B. Guilielmo Zucchio, cive Alexandrino, de quo *Ferrarius* in catalogo Sanctorum.

Bollandus 10. Febr.

Hic in egenos mirè effuſus, crumenam ſemper geſtabat è cingulo, eamque nummis argenteis plenam, ex quâ quantumvis quotidie extraheret, erogaretque, nunquam tamen in ea pecunia defecit, imò (quod ames, ac mireris) quò plus extraheret, eò plus refundi videbatur; nec exhauriri unquam eſt viſa.

Inde in vulgus abiit, & proverbium iſtud: *Menè B. Guilielmi crumenã, quæ non exhauritur, putas habere?*

Hoc ſcilicet uſus eſt, cùm ab aliquo, cui ſæpiùs ſtipem erogaris, rurſus pecunia petitur, & importunè quidem. A pecunia, cœleſti manu multiplicata, tranſeo ad oleum, & mel in vaſis auctum ad annos, & hoc in eleëmoſynæ fœnus, ac præmium.

Erant Neapoli ſorores duæ germanæ, quas S. Antoninus ad ſingularem vitæ ſanctimoniam inſtituerat.

Ex Vincentio Mainardo.

Hæ monitæ aliquando, ut pro pauperculis, & piis quibuſdam hoſpitibus ex farina, oleoque placentulas pararent melle illitas; excuſata paupertate, cùm dolerent, in vaſis tantum olei, & mellis non eſſe, quod eis parandis ſufficeret. S. Antoninus hortatur bono ſint animo, & ſpondet fore, ut haberent ſatis, tum in præſentem uſum, tum in annos longè conſequentes. Manum igitur operi illæ admovent, & ſtatim oleum in lecytho, mel in doliolo ſuccrevit, arcana ſcilicet perennitate, ut ad integrum ſeptennium haurire inde pro uſibus domeſticis potuerint.

Eo ſcilicet fœnore rependitur, quod in pauperes effunditur: ſed hoc ad annos; ad ſæcula eſt illud, quod ſubjicio.

Silveſter Petra ſancta in Miraculis perpetuis, c. 28.

Ad fines regnorum duorum, Cataluniæ, Aragoniæque, juxta oppidum *Fraga*, Cœnobium eſt Sanctiſſimæ Trinitatis, in quo doliolum eſt, manans oleo perenni, atque unum eſſe perhibetur ex vaſculis viduæ, cui Eliſæus Vates olei ubertate, hoſpitii gratiam compenſavit, quæ & compenſatur etiamnum ex hoc, quòd hoſpitibus ſerviat, & pauperculis: ſed hæc illis in privata (ut ita dicam) fortuna: demus aliud, quod in publica.

Dabitur hoc in *Tiberio Imperatore*, cui cùm *Sophia Auguſta*, Juſtini Junioris Vidua, vel ideò infenſa eſſet, quod in pauperes prodigeret omnia; non ſine (ut refertur) Reipublicæ damno, reſpondit *Tiberius*:

Nihil decedere fiſco noſtro, ſi pauperes eleemoſynam accipiant; vel, ſi captivi redimantur; hic enim magnus theſaurus in Cœlo: imò etiam in terris; quod probatum vel inde quòd nihil ex ea profuſione deceſſerit unquam; imò acceſſerit plurimum, admirando ſanè eventu, eoque duplici.

Ex Baron. an. Chriſti 582.

Primus hic eſt. Die quadam per palatii conclavia inambulans vidit in pavimento marmoreo, crucem inſculptam, & ratus dedecere eam pedibus teri, juſſit aliò efferri: ſed enim defoſſa Cruce priori, alia inventa eſt, & dum hæc etiam eruitur, tertia ſucceſſit; ſub qua demum erat theſaurus, adeò magnus, ut ſumma perveniret ad plures nummorum aureorum myriadas.

Pergit interim ille de egenis benè mereri, & ea auri vi, non ad luxum; ſed ad opera miſericordiæ uti quàm optimè.

Vidit Cœlum, probavitque, & inde, illum non ſine Nomine, opibus quam maximis, denuò ditavit, eventu planè inopinato: Quippe redux ex Italia *Narſes* Eunuchus (ubi fuerat diu rerum potitus) condiderat in ciſterna ædium ſuarum ampliſſimas divitias, peremptis etiam iis, qui latebræ conſcii erant, ſene uno excepto, quem ad rem celandam adegerat jurejurando. Is verò *Narſete* defuncto, captus Imperatoris *Tiberii* liberalitate, theſaurum indicavit. Et tanta vis auri, tanta & argenti reperta eſt, ut dies plures ſint evoluti priuſquam ex Ciſterna importaretur ad Imperatoris ærarium.

Ecce admirabilem Divinæ providentiæ ludum, ecce ab eleëmoſynis grande fœnus, ecce pondus propè immenſum, cui quò plus decedere videtur humano calculo, eò plus accedit Divino. Adeò verum illud D. Chryſoſtomi, *quod eleemoſyna ſit ars omnium quæſtuoſiſſima*, etiam in terris, & longè magis in Cœlis: in his enim lumen gloriæ, cui cedit & auri fulgor, & gemmarum lux, & unionum gratia, & coronarum, ſceptrorumque majeſtas omnis; in his æterna requies, æterna beatitas, & Deus ipſe, omnis boni fons, atque origo: & hic eleëmoſynæ eſt pro pretio, pro fœnore, pro præmio; addo etiam pro Cœlis, *Eleëmoſyna ars eſt omnium quæſtuoſiſſima.*

Quis enim major ſit quæſtus, quàm auro modico, hoc eſt terra rufa, argenti nummo, eoque exiguo, hoc eſt terra candida, Cœlum emere, beatitatem ſibi comparare: imò & Deum ipſum, quantus quantus eſt poſſidere.

At eleëmoſynâ Cœlum capitur, beatitas emitur; Deus ipſe apprehenditur, ac poſſidetur. Quid majus dici, aut excogitari poteſt? nihil certè, nihil omninò.

Et hoc eſt quod alium prædicant Divi Patres, quod commendant, & ſuis ſcriptis inſpergunt, ut Chriſtianis animos faciant altiores, atque ad liberalitatem in pauperes erigant.

Ita fecit D. Auguſtinus; cujus hæc ad nos oratio:

Si vis eſſe mercator optimus, & fœnerator egregius, da, quod non potes retinere, ut accipias quod non poteris amittere; præbe tectum, & recipe paradiſum. *In Pſ. 36.*

Ita fecit D. Chryſologus, qui hæc olim ad ſuos in terris, hæc modò ad nos è Cœlis: *Da homo pauperi terram, ut accipias Cœlum; da nummum, ut accipias regnum.*

Et certè quidni recipias, quod tuum eſt, quod à te extructum, & tuo ſumptu. At, quo, inquies, ſumptu? Chryſoſtomum audi in illa Sapientis verba: *Eleëmoſyna, & fides apud fabricatores bonos.*

Eleëmoſyna, inquit, *artifex eſt, architecti ſunt pauperes, claudi, eſurientes; illi manſionem nobis in Cœlis ædificant, & æterna tabernacula præparant: ſumptus ædificio neceſſarii, eſt pecunia noſtra:* hanc ſparge, hanc in pauperes effunde, & perennem in Cœlo fabricam tibi paraſis.

Et ita ſibi paravit olim S. Deus-dedit, opificio ſartor. Is diebus Dominicis itare ad ædem Divi Petri, atque in mendiculos (qui fortè ad januas ſtabant) diſtribuere ſolitus quidquid ſibi lucelli pararet hebdomada tota. *D. Gregor. l. 4. Dialog. c. 36.*

Piæ hujus munificentiæ teſtis fuit Roma, teſtis, & ſpectator Deus; imò & remunerator, ut liquidò patebit ex objectâ cuidam militi palatii ſpecie.

Hujus anima jam corpore ſoluta deducta eſt in locum mira amœnitate ſpectabilem, in quo inter alia, quæ illi vel ad delitias, vel ad ſplendorem, ac majeſtatem, vel etiam ad ſtuporem, & miraculum illius menti propoſita; fuit ingens palatium, quod aſſurgebat opere novo, divite, cœleſti, ex auro ſcilicet puto, & gemmis nitenti; & hoc quidem ipſa die Dominica. Illud animo dum legit curioſiùs, quæſivit

quæſivit ex bono genio, qui fortè aderat, eccui paretur ea moles, cujus manu, ſumptuve. Et mox audit, illam ædificari ab ipſomet Deus-dedit, & hoc, ipſo ſumptu eleëmoſynarum, quas effundebat ipſe qualibet luce Dominica. Vertebantur ſcilicet illæ in lateres aureos, è quibus conſtabat cœleſtis illa fabrica.

Similem tibi parare, tibi aſſurgere vis, Amice Lector, age, imitare virum illum Dei, burſam aperi, manum explica, & quot habes nummulos, pauperibus elargire, & palatium in Cœli regione tibi pararis, non alio ſumptu, quàm illis ipſis nummulis; imò pane modico, & calice aquæ frigidæ.

Hom. 7. de Lazar. *Da panem*, inquit D. Chryſoſtomus, *& accipe paradiſum*, quem ſcilicet eo pane tibi ædificaſti. Ecce fœnus, ecce præmium munificæ illius largitatis.

§. 8.

Ad eadem verba: Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis. *Proverb. c. 19. v. 17.*

An maxima, & potiſſima pars illius fœnoris ſit Chriſtus, ſit Deus ipſe?

DIvus Chryſologus ad illa verba, quæ in decretorio illo Judicii die ad electos effundet Chriſtus.

Matth. c. 25. v. 34. 35. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: Sitivi, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me.*

In illa, inquam, verba explicat & miratur illud:

Serm. 14. *Quod Abel paſſus ſit, quod ſervavit mundum Noe, quod Abraham fidem ſuſcepit, quod Moyſes legem tulit, quod Petrus Crucem reſupinus aſcendit, Deus tacet; & hoc clamat ſolum, quod comedit pauper.* Quæ cauſa? hanc ſubjicit:

In Cœlo prima eſt eſurientis annona, prima ſtipendia pauperis tractantur in Cœlo, erogatio pauperum prima divinis ſcribitur in diurnis.

At curſum cur prima? cur in divinis illis tabulis non ſcribitur primò Virginum candor, atque integritas? cur non longa Confeſſorum patientia? cur non invicta Martyrum fortitudo? cur non Apoſtolorum zelus, & ardor entheus? cur non Patriarcharum fides, ſpes, charitas? cur non alia in aliis Electis magnarum virtutum decora, atque ornamenta? an non hæc etiam emendo Cœlo ſerviunt? ſerviunt enimverò vel maximè. Cur igitur illa primò non cenſentur in Divinis rationibus? cur non leguntur Cœleſtibus in tabulis, & quidem in earum fronte?

Hanc ubi quæſtionem injecit D. Chryſologus, tum Deum ſupplex orat, ut & ſibi, & auditoribus ſuis *intelligere intelligenda concedat, qui ſe intelligi in paupere ſic demonſtrat. Quod ipſe, qui Cœlum tegit, ſit nudus in paupere, quod in eſuriente eſuriat ſaturitas rerum, quod ſitiat in ſitiente fons fontium, intelligere quomodò non magnum eſt, quomodò non beatum intelligere, quod ei ſit ampla paupertas, cui anguſtum eſt Cœlum? qui ditat mundum, quod egeat in egente? quod fruſtum panis, aquæ calicem dator omnium quærat? quod ſe Deus amore pauperis ſic deponat, ut non adſit pauperi; ſed ipſe ſit pauper.*

Et hæc ſuo in amore pauperis prodigia, hæc & amoris miracula, quæ dum non ſatis concipit orator aureus, optat ab ipſomet Chriſto audire, *quomodò aut in ſe transfuderit pauperem, aut ſe in pauperem fuderit*; ait enim: *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare: non dixit eſurivit pauper, & dediſtis illi manducare; ſed eſurivi ego, & dediſtis mihi manducare. Nempe ſibi datum clamat, quod pauper acceperit; quod bibit pauper, ſibi teſtatur infuſum.*

Hæc ubi à Chriſto audiit, æſtu quodam ſeu amoris, ſeu ſtuporis incitatus, exclamat: *O quid agit amor pauperis, gloriatur in Cœlo Deus, unde pauper erubeſcit in terra; & hoc putat in honorem ſibi, quod pauperi computatur injuria. Dixiſſe ſuffecerat, dediſtis mihi potum: ſed præmittit eſurivi, ſitivi: quia parvus fuiſſet amor pauperis, quòd pauperem ſuſcepiſſet, niſi & paſſiones pauperis ſuſcepiſſet. Et certè verus amor nonniſi paſſionibus probatur. Verus amor eſt, feciſſe ſuas anguſtiantis anguſtias.*

Hactenus S. Præſul, ex cujus effatis quæſtioni initio propoſitæ fiet ſatis: quod ſcilicet maxima, & potiſſima pars illius fœnoris, ſit ipſe Chriſtus, cui ſcilicet in paupere fit benè.

Quod ſi Chriſtus eſt; eſt & in eo cœleſtis ſapientiæ abyſſus, bonitatis pelagus inexhauſtum, Divinæ majeſtatis, ac gloriæ auguſta ſpecies, ſplendor æterni Patris, divinæ potentiæ theſauri omnes, fons, atque origo omnis boni; adeòque & ipſa beatitudo: ut enim aureè D. Chryſologus: *Beatus, qui fœnerando pauperi, ipſum ſibi judicem præſtitit debitorem.*

Quod autem præſtiterit debitorem, liquet ex hoc ipſo Chriſti oraculo: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Liquet & longa tot ſæculorum experientia, quot hactenus Chriſtiana recenſuit Eccleſia, quæ re etiam ipſa oſtendit Chriſto dari, quod datur pauperi.

Ad portam Ambianenſem excubat *Martinus*, & pauperi ac nudo ſtipem expoſcenti, cùm aliud ſuppeteret nihil, partem chlamydis abſcindit, & donat.

Quid inde? nocte inſequenti ſeſe ei viſendum exhibet Chriſtus, & hæc ad illum: *Martinus adhuc Cathecumenus hac me veſte contexit.* Crederes triumphali purpura ornatum ſub hac geſtire, gloriari, triumphare.

B. Jordanus, cùm Theologicis ſtudiis operam daret Pariſiis, pauperi eleëmoſinam petenti, cùm nihil aliud eſſet ad manum, balteum, quo erat præcinctus exuit, & eo mendiculum induit. Quid deinde? Eccleſiæ ſe ſiſtit, & Deo, in cujus oculis dum orat ſedulus, videt Chriſti Crucifixi ſimulacrum balteo ſuo præcinctum. Bollandus in ejus vita c. 4. Feb. 13.

Adeò verum, Chriſtum fieri, quod fit pauperi, Chriſtum indui, Chriſtum præcingi, cùm & induitur, & præcingitur pauper.

Petrus Telonarius, veſtem egenti ac nudo donat, ut eum obtegat probè adverſus Cœli injurias; & ecce eadem ipſa veſte Chriſtum indutum videt, gaudet, & ſibi plaudit: & meritò; quid enim glorioſius, quàm Chriſtum in paupere texiſſe: imò & in ſeipſo? tegitur enim Chriſtus, cùm tegitur pauper.

Et hæc, ut dixi, prima ac potiſſima pars ſacri illius fœnoris, cui etiam accedunt & alia bona, eaque ingentia, è quibus illud

Primum, quod veniat in communionem bonorum omnium, quæ poſſidet ipſe Chriſtus.

S. Jutta Vidua cùm omnem ſupellectilem, omnem & hæreditatem effudiſſet in egenos, ſeſe illi ſpectandum dedit ipſe Chriſtus, & apprimè gratias egit, imò & adjecit illud amantis, & benefacientis: *Omnia mea tua ſunt, & tua mea.* Baron. in Annal.

Ecce mirabilem bonorum communionem: ſua Chriſto in pauperibus dederat lauctiſſima Vidua, & ecce ab eodem recepit quæ erant Chriſti, & quidem omnia. Ecce ingens & prodigioſum fœnus à miſericordia in egenos. Et hoc primum:

Alterum, quod in extremo illo Judicii die, eleëmoſynarũ erogatores audituri ſunt amabile illud à Chriſto:

Eſurivi, & dediſtis mihi manducare: Sitivi, & dediſtis mihi bibere: Hoſpes eram, & collegiſtis me: Nudus, & cooperuiſtis me. Matth. 25. v. 35.

Quid eò loci ac temporis opportunius? quid blandius? quid lætius? quid beatius?

Excipient alii non ſine fragore, ſtupore, horrore, gemitu, lacrymis, ejulatu; excipient, inquam, durum illud ac formidandum.

Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare: Sitivi, & non dediſtis mihi bibere: Hoſpes eram, & non collegiſtis me. Verſ. 42. Ideoque *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.*

Quid amarius? quid acerbius? quid triſtius? quid durius? quid miſerius dici, aut cogitari poteſt, in illa perituri mundi ſcena? in actu illo ultimo, & tragico, in quo jacietur alea æternitatis? certè omninò nihil.

Neque tum temporis obtendi poterit frigidum illud: *Domine, quomodò te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi?*

Non

Non, inquam, obtrudi poterit jejunum illud, atque abſonum. Reſpondebit enim Dominus, dicens: *Amen*
Verſ. 40. *dico vobis quamdiu non feciſtis uni de minimis his, nec mihi feciſtis.*

Et hoc fulmen irati Judicis, hoc tonitru divinæ vocis, quo perculſi immiſericordes illi, *ibunt in ſupplicium æternum.* Quò enim potiùs? ut qui in pauperes duri, ſurdi, cœci inclementes, barbari, truculenti, adeoque & in Chriſtum ipſum tales: quo ſanè quid injuſtius? quid inclementius? quid truculentius inveniri potuit? quod ſi omninò nihil: quid adeò novum, quid mirum, ſi jubeantur abire in ſupplicia, in ignes, in æterna cum dæmonibus incendia? Et hoc injuſtis formidandum eſt quàm maximè, uti & juſtis prius illud & ſperandum, & optandum.

Henricus Dux Poloniæ, & maritus *S. Hedwigis*, hac extimulante conſtruxit monaſterium, ſumptuſque neceſſarios ſuppeditavit alendis mille perſonis, & exercendæ perpetuæ hoſpitalitati; non alio conſilio, quàm ut in extremo Judicii die mereretur iſtud audire à Chriſto: *Hoſpes eram, & collegiſtis me.*

Ipſa deinde *S. Hedwigis*, conjuge jam vitâ functo, eidem monaſterio conſulit bona ſua dotalia, ut & illius dotem ſic augeret, & ſibi ſpem certam audiendi & illud: *Hoſpes eram, & collegiſtis me.*

Adeò illis beata illa Chriſti Judicis vox erat in primis curis, atque amoribus. Ut & tibi ſit, Amice Lector, interprete D. Chryſologo, proponam quid ex ea, de quâ agimus, in pauperes liberalitate, futurum ſit boni?

Primum erit, quod *in die mala liberabit eum Dominus; in die*, inquam, *mala illi Deus liberator aſſiſtet, qui à malis pauperem liberâvit. In anguſtiis illum Deus clamantem audiet, qui pauperem tùm clamaret, audivit. Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit.*

Et hoc primum: Alterum eſt, quod & in illa die advocatum habiturus ſit pauperem, quo orante, & perorante nunquam apud Deum Judicem cauſa cadet; ut enim ille ipſe S. Præſul.

Sine cauſâ accuſant peccata, quem pauper excuſat: ut è contrario, *Excuſari non poteſt, quem fames pauperis accuſavit*: & hoc alterum eſt bonum; cui adde & tertium, quod *miſericordiam petet fidens, quia in pauperem miſericordiam fecit.*

Petet, inquam, atque impetrabit, quia, ut prius inſinuavit ille ipſe S. Chryſologus, *fœnerando pauperi, ipſum ſibi judicem, præſtitit debitorem.* Quod ſi debitorem, certè, & remuneratorem. *Quæ cùm ita ſint, qui ſe novit per mala ſæculi vitam ducere, eleëmoſyna ſemper auxilium ſecum ducat: ad præſidium ſibi turmas pauperum vocet.*

Ita vocavit vel ex hac vita *B. Amedeus*, Sabaudiæ Dux, qui aliquando rogatus haberétne canes venaticos, & quos? reſpondit omninò ſe habere, & pauperum turmas oſtendit, dixitque *his ſe venari Cœlum*: & ita venêris oportet, & ipſe, Benevole Lector.

§. 9.

Ad eadem verba: Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis. *Prov. c. 19. v. 17.*

Juſta Chriſti querela, juſta expoſtulatio in eos, quos nulla etiam ſui in pauperibus tangit miſeratio.

BEata Margareta dicta à *Venerabili Sacramento*, quæ à Chriſto, ceu ſponſo, multa hauſerat, audîerat multa; dicere ſolita eos omnes, qui mendicato vitam
Lib. 1. vitæ c. 6. trahunt, atque ægrè ſuſtinent, eſſe *pupillam oculorum Chriſti*, ideoque tractandos, & tenerè, & reverenter, & ſimul etiam amandos ut pupillam oculorum illius.

Audax omninò effatum, verum tamen; quia amoris, quia piæ inclinationis in egenos, quam non ſemel auditus eſt teſtari Chriſtus repetitis querelis.

Luce quadam meridiana ſeſe illi ſpectandum obtulit Chriſtus; ſed ſpecie miſerabili, quali quondam in Calvariæ vertice. Erat enim affixus Cruci, plagis lividus & lacer, ac cruentus totus, & tantùm non agebat animam.

Eo ſpectaculo dum oculos ſuſtinet natantes in lacrymis, dum & animum mœrentem atque gementem vix tolerat, ſimul audit hæc à Chriſto:

O dilecta mihi filia; mecum patere, mihique compatere; & dolores tuos meis etiam junge, & crucem cruci, & lacrymas lacrymis, & hoc ut eluas immitem illam divitum hujus ævi duritiem in egenos, qui utique ſunt membra mea. In illis me deſpiciunt, nec dignantur vel oculo, vel etiam verbulo; vel panis fruſtulo. Imò me procul eſſe jubent à ſuis foribus, me irrident, ſubſannant, contemnunt, & tantum non conculcant: dum hæc omnia in membra mea meditantur, & faciunt. Hæc ubi dixit Servator optimus, altùm ſuſpiraſſe auditus, & quidem ex eo inquiebat.

Ego illis bona omnia liberali manu dedi, ego frumentum in eorum horrea congeſſi, ego vinum è vite in caveas & cellaria effudi: & ex his ne guttulam mihi promere, ex illo ne micam præbere dignantur. Si aliena peterem, venia fortè daretur; at cùm mea repeto, nec redduntur, nullus excuſationi, nullus veniæ locus relinquitur.

Ego eorum marſupia & arcas replevi, & argentum & aurum etiam è terræ viſceribus erui. Ego gemmas & uniones è maris imo extraxi, & luci dedi. Et ex iis omnibus ne nummulum recipere poſſum, etſi per mea membra rogitem, & clamitem. An non me petit ea durities, ea inclementia, ac ſævitia? petit enimverò, ô filia & me dum impetit, graviùs affligit, atque exulcerat. Et hæc tum illi. Aliàs etiam iſta in orationis æſtu, atque ardore. Famelicus ſum, & ſitibundus totus, & tamen nemo unus omnium eſt, qui meam famem, ſitim meam ſedet, atque extinguat: ideò ſurge, ô filia, vade, & me in infantulo paſce, & recrea.

Vix hæc extulerat Salvator clementiſſimus, cùm ecce pulſantur monaſterii fores, auditurque clamor miſellæ mulieris, quæ modicum lactis expoſcebat, pro infantulo jam languente, & tantùm non deficiente præ fame: mater enim illius jam à diebus aliquot quæritans, ac mendicans, nihil omninò retulerat, unde reficeretur infantulus. Quid igitur? audit *Margareta*, & modicum lactis, quod jam igni ſuppoſuerat, defert, & donat egenti puerulo, in quo & Chriſtum paſcit ac fovet, incredibili animi ſui ſenſu, ac voluptate, quo ſe perfundi ſenſit, ac mirè recreari. Et certè quidni ſic & perfundatur & recreetur tota, quæ Chriſtum nutrit ac recreat.

B. Agata à Cruce, cùm aliquando domi ſuæ excepiſſet mulierem pauperculam, ulceroſam, atque ad aſpectum mirè deformem, & horridam, eam ſibi in eodem lectulo accumbere voluit: & quia in ea, fidei oculis ſpectabat, non fœminam, ſed ipſummet Servatorem ſuum, ita accubuit, ut non latus lateri admoveret; ſed ad imos pedes abjiceretur, eoſque etiam ſinu exciperet, foveret, amplecteretur, atque etiam oſculis dignaretur, eo ſenſu pietatis, ac demiſſionis, quo ſi fuiſſent vel ipſi Chriſti pedes.

Ab illa fidei luce, æſtuque Chriſtianæ charitatis, factum, ut illi ipſi pedes & Chriſti viderentur, & propè eſſent, aliqua videlicet ſtigmatum, ac vulnerum iis olim impreſſorum imitatione, quam dum ſuſpicit, & amat B. Agatha, ſimul & à Chriſto hanc vocem audit: Intuere, ô filia, hos pedes & hiantia adhuc in illis vulnera, ea impreſſit non tam effera carnificis manus, quam meus in homines amor, & tamen hunc parvipendunt, hunc ne recogitant quidem. Et hic eorum eſt ſtupor, hic & meus, dolor; hic & tuus ſit, oportet, ô filia. Age igitur, luge, ac deplora infandum illum mortalium ſtuporem, & huic & illis lacrymas infunde. His enim placari ſoleo, imò & delectari.

Dixit, & audiri deſiit; non deſiit tamen Agatha & gemere, & lacrymari; nox enim illa tota abiit in pios gemitus, in lamenta, in lacrymas; imò & omnis deinceps quanta quanta fuit illius vita.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

R.P. JA-

R. P.

JACOBI LOBBETII

LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

TRACTATVS ASCETICI

SIVE

CONCIONES ASCETICÆ

DE VIRTVTIBVS

AD OMNES CHRISTIANÆ

ET RELIGIOSÆ PERFECTIONIS

AMATORES.

PARS TERTIA.

REVERENDISSIMO PRÆSULI
AMPLISSIMÓQVE DOMINO,

D. GVILIELMO NATALIS

EXEMPTI MONASTERII
SANCTI LAURENTII
AD LEODIUM
ABBATI,
CLERI SECVNDARII CIVITATIS
PATRIÆ AC DIOECESIS LEODIENSIS
CONSERVATORI APOSTOLICO,
DOMINO TEMPORALI IN ANTHINNES,
GLONS, VILLEREAUX, MASWYCK, &c.

*PATRONO SVO AC MÆCENATI
SALVTEM AC FELICITATEM.*

IN lucem, ſolemque prodiêre duæ partes Tractatuum Aſceticorum, & quidem auſpiciis Tuis REVERENDISSIME PRÆSUL, atque (ut audio) apud Lectores gratiam aliquam invenêre, quam non ſibi debent, nec etiam Authori ſuo aſcriptam volunt: ſed Nomini Tuo, quod in fronte legendum ſtatim objecerunt, & certè objeciſſe profuit, nec immeritò: eſt enim Mæcenatis nomen veluti tacita quædam ac muta ipſius operis approbatio, maximè ſi is ſit, qui de illo judicium ferre poſſit, & ſua etiam cenſura notare; uti poteras REVERENDISSIME DOMINE, qui dum opuſcula noſtra gratiore manu

excipis ac foves, ſimul etiam approbas, & publico donari pateris, quod & operi, & Authori plus ſatis; acquieſcit enim hic magis alienæ voluntati quàm ſuæ, & plus magni Præſulis judicium æſtimat, quàm ſuum: & hoc mirum quantum excitatus libellos ſuos in lucem emittere non veretur, quod aliàs fortè refugeret, ſaltem non ſine metu emitteret, quia ſine Tutore, ſine Patrono, ſine Defenſore. Nec modò placet, nec placuit unquam illud Theocriti, qui rogatus cur libros non ſcriberet ipſe? reſpondit: *Quia ut quidem volo; non poſſum, ut autem poſſum, non volo.* Non placet, inquam, quia primum tumentis eſt animi, atque inſolentis, qui ſcilicet non vult edere niſi quod altum, quod ſummum eſt, ſecundum, quia timidioris, ut qui aliorum de ſe judicia horret, ac fugit: nec hoc, nec illud admittit is, qui nec ſibi, nec nomini ſuo, ac famæ ſcribit; ſed aliis, quibus ſi minus proſit, ſaltem laborat prodeſſe: Et hoc unicum mihi in oculis ac votis eſt REVERENDISSIME PRÆSUL: quod ſi aſſequar, Tuo beneficio mihi videbor aſſecutus. Vive interim, & vale ſeros in annos, nec deſine terris vivere, niſi ut cœlis æternùm vivas.

REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Humillimus in Chriſto ſervus & cliens

JACOBUS LOBBETIUS
è Societate IESU.

JACOBI LOBBETII SOCIETATIS JESU THEOLOGI, TRACTATUS ASCETICI DE VIRTUTIBUS EX NORMA ADHORTATIONUM.

TRACTATUS DE JUSTITIA.

DE hac virtute pauca attingam; & quidem primò, ex more, modoque in ſcholis uſurpari ſolito. Tum plura ex ratione, & norma pulpitis propria, atque accommodata; his enim ferè ſerviunt Tractatus hi mei Aſcetici. Sit igitur

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Sapientis verba Parabolæ Salomonis: *Ad ſuſcipiendam doctrinæ Iuſtitiam, & Iudicium, & Æquitatem.* Proverb. cap. 1. v. 3.

IN primo lumine parabolarum, quas emittere parabat in poſteros Regum ſapientiſſimus, finem proponit, quem intendat, & ſcopum, in quem collimet videlicet ad *ſciendam ſapientiam, & diſciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ. Ad ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, Iuſtitiam, Iudicium, & æquitatem.* At quænam illa? Hic eſt aliqua Authorum inter ſe pugna. *Verſ. 1. 2. 3.*

Rabbi Salomon, hæc ita diſtinguit, ita componit, ut per *Iuſtitiam* intelligi velit eleëmoſynam; per Judicium, judicandi ſinceritatem, ex norma ſcilicet veritatis. Denique per *Æquitatem*, compoſitionem æquam inter diſſidentes.

Rabbi Aben Ezra, per *Iuſtitiam* credit accipi Dei, ter Opt. ter Max. cultum; per *Iudicium*, actum, qui diſcernat inter verum, & falſum. Denique per *æquitatem*, quæ dinſtinguat bonum inter, & malum.

Serm. 16. in Pſ. 118. D. Ambroſius in illud Pſalmiſtæ, *Feci judicium, & juſtitiam*, ſpectat Juſtitiam uti finem judicii; & æquitatem, ut juſtitiæ fructum: ſic enim ait: *Iudicii finis eſt juſtitia, in judicio eſt veritatis cuſtodia, in juſtitia fructus æquitatis.*

Alii, & magis ex genuino ſenſu, exiſtimant hæc tria. *Iuſtitia, Iudicium, Æquitas, in re idem* eſſe, tantumque notari tria Juſtitiæ officia, ſive id, quod juſtum, æquum, & rectum eſt. Dicitur enim *Iuſtitia* reſpectu ad rem, quæ juſta eſt. *Iudicium* autem reſpectu rationis, quæ recta eſt. Denique *Æquitas*, quia primæ regulæ, id eſt, legi æternæ, ac divinæ conformis eſt. Et hæc pro ea interpretum inter ſe pugna. Ad rem propius accedo.

§. 1. *Quid ſit Iuſtitia?*

IUſtitia ſubinde preſſius ſumitur, ſubinde etiam latius.

Hæc ex veterum Philoſophorum placitis (ut rectè definitiones advertit D. Ambroſius) in tres partes eſt diviſa. Una quidem Deum intuetur, & *pietas* vocatur. Altera parentes, & reliquum genus humanum. Poſtrema mortuos, *ut exequiarum juſta iis ſolvantur.* Juſta, inquam, omnium nationum conſenſione, quaſi naturæ vox jus illud præſcribat. *Definitiones.*

Aliis eadem *Iuſtitia*, eſt veluti quædam complexio virtutum omnium, à quâ & quis juſtus dicitur.

Nonnullis juſtitia, eſt *Charitas Dei, qua una juſtus eſt, quicumque juſtus eſt*, ut inquit D. Auguſtinus.

Sic, eodem authore, *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt. Charitas magna, magna juſtitia eſt.* Et hæc de juſtitia latiùs accepta; preſſiùs ea quæ ſubjicio: *Cap ultimo.*

Vlpiano, juſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. *Lege juſtitia.*

D. Auguſtino. *Iuſtitia eſt virtus, quæ ſua cuique diſtribuit.* Et hæc paucis attuliſſe ſufficerit pro illius notione ex ſcholæ principiis, & legibus strictæ definitionis; delabor ad nonnullas illius deſcriptiones, quibus veluti nativis coloribus pingitur, & quodammodo ſubjicitur oculis. *Lib 19. de Civit. c. 21.* *Deſcriptiones:*

Prima ducetur ab ore, calamoque ſapientis, cui dicitur *vita. In ſemitis juſtitiæ vita*: vita, inquam, primò ſimilis illi, quam accipimus in hac aurâ mortali: quiſquis enim juſti, rectique tenax eſt, is apud mortales vivit, & ſpirat etiam poſt fata. *Vitâ* deinde æternâ, ac beatâ: qui enim juſtus eſt, is cœlis aliquando vivet, & beatæ æternitati. I. Vita. *Prov. c. 12. v. 28.*

Poëtæ, quibus in docta commenta facilis eſt animus, facilis & calamus; edidere *Aſtræam*, id eſt juſtitiam, hominum vitiis, ac ſceleribus indignatam, in cœlum evolaſſe, ibique converſam eſſe in ſignum cæleſte, cui à libra nomen eſt *Libra*. ut enim canit Ovidius:

——— Et Virgo cæde madentes.
Vltima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.

Cui conſonat & Seneca in Octavio, in quo ſic canit:

Neglecta terras fugit, & mores feros
Hominum, & cruenta cæde pollutas manus.

Quidni enim fugiat, & cœlo reddatur, quæ tota eſt cæleſtis?

Audit deinde juſtitia Regnorum omnium veluti baſis ac *firmamentum*; ut enim ille ipſe ſapiens. *In juſtitia firmatur ſolium*; tum quia & bonis præmia decernit, & malis ſupplicia; tum, quia dum ea viget; viget & pax, & civium concordia; vigent & commercia, adeoque & opes, ac divitiæ, quæ ſunt velut Regnorum nervi; uti & bellorum. II. Firmamentum Regnorum *Prov. c. 16. v. 12.*

Salomonis ſolium ſuſtinebant Leones omninò duodecim puro auro fuſi; veluti ſymbola quædam fortitudinis, ac juſtitiæ robuſtæ, vindictæque in impios, ut inde diſceres, quòd ſicuti Salomon ſibi gradum fecerat ad ſolium duce juſtitiâ; ſic & in eo ſeſe ſuſtinebat, aliàs lapſurus.

Et ita poſteris deinde ſæculis lapſi ſunt Aſſyrii, quos Perſæ injuriis affecti, ſpoliarunt monarchiâ; ſic & Perſas Græci, & Græcos Romani, & Romanos alii poteſtate exuerunt; quia & hi, & illi prius juſtitia ſeſe exuerant. Audiendus ſuper ea re D. Auguſtinus, qui recenſet & miré laudat verba Catonis de modo, ac ratione, quâ primum crevit; & qua dein decrevit apud Romanos Imperium; ſic inquiebat: *Nolite exiſtimare majores noſtros armis Rempublicam ex parva magnam feciſſe: ſi ita eſſet multò pulcherrimam nos haberemus, quippe ſociorum, atque civium, præterea armorum, & equorum major copia nobis, quàm illis eſt: ſed alia fuere, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla ſunt: domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius. Pro his, nos habemus luxuriam, atque avaritiam, publicè egeſtatem, privatim opulentiam, laudamus divitias, ſequimur inertiam, inter bonos & malos, diſcrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio poſſidet. Neque mirum, ubi vos ſeparatim ſibi quiſque conſilia capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ, aut gratiæ ſervitis. Eò fit ut impetus fiat in vacuam Rempublicam.*

Lib. 5. de Civit. c. 12.

Vacuam dico juſtitia, æquitate, ſinceritate, aliiſque virtutum magnarum ornamentis, quæ illi erant & præſidio, & firmamento, quo ſe tueretur, & ſubſiſteret: ſed quia iis propè omnibus vacua fuit, factus eſt in eam impetus, quo primùm concuti, dein labefactari, denique, & everti potuit, aliiſque Imperium cedere: adeò verùm illud Eccleſiaſtici. *Regnum à Gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.* Hæ nimirum ſunt machinæ, quibus concutiuntur Regna, quibus & labefactantur Imperia, quod adeo verum eſt, ut ne quidem ii, quos divos credidit, & venerata eſt ſtulta antiquitas, ſtare poſſint, ac regnare ſine comite juſtitia. Quod ipſum, Plutarcho teſte, ſcripſerunt, & docuerunt Philoſophi, qui audacter pronuntiarunt illud, Abſque *juſtitia Principatum gerere, nec Iovem quidem ipſum poſſe.*

Cap. 10. v. 8

Lib. de Doctrina Princip.

Cujus probè conſcii Reges, ac Cæſares in illud incubuerunt toti, ut unà cum Regno, atque Imperio, juſtitiam quoque transferrent ad poſteros. Ita *S. Ludovicus*, Rex chriſtianiſſimus moriens hæc inter extrema monita Philippo, filio, ultimis teſtamenti tabulis reliquit, ceu monumentum paternæ pietatis, ceu fortiſſimum floreniſſimi Regni propugnaculum, ceu etiam ornamentum: ſic enim ad illum:

In adminiſtranda juſtitia ſis rectus, & ſeverus; & ita, ut leges præſcribunt, eam exerceas erga ſubditos, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram deflectens, pauperum querimonias non rejicias, donec veritas innoteſcat. Si quis adverſum te habet querelam, vel controverſiam, ſemper ab illo ſtes contra teipſum, donec rem certam comperias. Si quid poſſideas rei alienæ, etiamſi id acceperis à majoribus tuis, incunctanter reſtituas juſto poſſeſſori, ubi certò tibi conſtiterit; ſin autem dubia res eſt, cura ut viri ſapientes accuratè, & ſine mora inquirant.

Bellum, præſertim adverſus quemlibet chriſtianum, ſine multo conſilio vide ne ſuſcipias. Si neceſſitas rogat ſuſcipere, Eccleſias, & inſontes nullo patiaris damno affici.

Hæc filio, & hæredi *S. Ludovicus*, probè cognitum Regna juſtitiâ fulciri, & ſtare ſeros in annos & ſæcula; aliàs prono, ac præcipiti impetu ruere, & injuſtitia, maliſque dolis, ceu gravi mole ſuccumbere, atque opprimi.

Nec abſimilia ſunt, quæ *Baſilius* Imperator in exhortatione ad *Leonem*, filium ſuum, & coronæ hæredem, ad quem ſic aliquando:

Cap. 62.

Lectiſſimam eſſe Regni tui coronam ſtatuito, innocentiam, & bonam conſcientiam, quæ te magis, meliùſque exornabit, quàm ſexcenta alia ornamenta. Quæ ubi extulit, tum effert, quid ab aliis expectare oporteat, quid ſperare, quid timere; facta per omnia inductione: ſic enim inquit.

Divitiæ infida quædam res, & quæ facilè delabitur; Gloria tranſit: robur corporis flacceſcit: *voluptates diffluunt. Sola innocentia, & boni mores in multas ætates protenduntur, & memoriam nominis æternam tranſmittunt ad poſteros.*

Hæc filio parens optimus, quem optat ut Imperii; ſic & virtutum ſuarum hæredem, maximè vero innocentiæ, & bonæ conſcientiæ, quæ non eſt, niſi à juſtitia, atque in omnes æquitate; ab hac, & illa ſtant Regna, ſtant & Imperia; ut enim ſcitè Valerius Maximus: *Ii demum penates, ea Civitas, id Regnum, æternóque in gradu facilè ſteterit, ubi minimum virium veneris pecuniæque cupido ſibi vindicaverit.*

Lib. 4.

Transeo ad aliam ejuſdem juſtitiæ notionem, ea *Alfonſo*, *Aragonum* Regi ſapientiſſimo, fuit veluti *nutrimentum, & cibus generoſæ mentis.* Pro ea, qua erat ſapientia *Alfonſus*; Principes, ac Reges, juſtitiæ plus æquo negligentes, componere ſolitus cum iis, qui laborant morbo comitiali, cujus origo eſt à vitio capitis; ſic enim inquiebat: *Cùm animæ materia ſit ſola juſtitia, qua tenditur ad vitam, quod reſtat Principibus ſublata juſtitia, quæ eſt vita quaſi nutrimentum & cibus.*

III. Cibus animæ.

Subtrahe homini cibum, ſubtrahis unà & vitam. Subtrahe Principi juſtitiam, & cibum ſubtraxeris, ſimulque etiam & vitam, tam illi, quàm Reipublicæ. Ex vero enim juſtitia, eſt Regno, quod animali vita, quod & anima, quod & terræ centrum.

Et en altera juſtitiæ notio, quam & inſinuaſſe viſus eſt ſapiens, cùm protulit illud, *Rex juſtus erigit terram.* Hebræa verſio habet *Rex in judicio ſtare facit terram.* Hebræa quippe vox *Iaadmid*, idem eſt, ac *ſtare facit*; ſtatuit, ſtabilitque terram: alludit eò loci ad terræ centrum, eique comparat Regis judicium, ſive juſtitiam: quæ Regi, & Regno eſt quod centrum terræ.

IV. Regni centrum.

Prov. c. 29. v. 4.

Ariſtotele teſte, ac judice, centrum, terræ, & corporibus gravioribus (quæ ad illud ſuo impetu, & nativa quadam inclinatione tendunt) tria confert beneficia; è quibus primum eſt *unitas*, alterum *conſervatio*, poſtremum, *quies*.

Lib. 1. de Cœlo.

Unitas quidem, quia ad illud unum tendunt, & in eo, quaſi uno, uniuntur omnia. *Conſervatio* autem, quia & in illo, & ab illo conſervantur, & extra illud periculum adeunt.

Denique *quies* eſt à centro; nec enim niſi in illo conquieſcit. Pone mihi pugillum terræ in aere, pone, ſi voles in lunæ concavo, pone & in ſolis ſinu, videberis tibi collocaſſe quàm optimè: at ſecus omninò accidit, quia locatus extra centrum, adeoque extra quietis ſedem, in qua non retinetur niſi vi, & quadam violentia. Hinc ſibi relicta terra, illicò ex aere, è luna, ſoleque defluet, atque ad centrum ſuum relabetur, nec quieſcet, niſi illo obtento; adeo illius eſt amans, atque appetens.

Quod terræ centrum: hoc Regno, ceu vaſto corpori, eſt juſtitia; ab illa uniuntur membra & inter ſe, & cum capite. Et hinc *unitas*: ab eadem conſervantur mutuo amoris, concordiæ ac pacis vinculo. Et inde *conſervatio*.

Denique in illa conquieſcunt ab hoſtium incurſu, à tumultu bellorum, ab armorum ſtrepitu, & hinc optata *quies*, atque tranquillitas.

Statue mihi Regnum in quo extorris, exulque ſit juſtitia; erit illud excentricum; unde nec illi unitas, nec concordia; ſed diviſio, ſed diſcordia, etiam civium inter ſe, & cum Rege, cujus jugum dum non ſuſtinent, excutiunt: & ſi fortè non excutiant, vi tectè retinentur, neque diu conſiſtunt: *nullum enim*

violentum

violentum eſt perpetuum. Et inde neque conſervantur Regna, neque Imperia: ſed ad alios traducuntur armorum vi, atque impetu; & ut non tranſferantur, certè perpetuo ſunt in motu: & hinc nulla eſt illis *quies*, nulla & ſecuritas, quia deeſt juſtitia, fida Regnorum Regumque cuſtus. Dixit aliquando Salomon, & rectè: *Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur Clementia Thronus ejus.*

V. Regum Cuſtos.

Prov. c. 20. v. 28.

Tres ſtatuit veluti Regum cuſtodes, qui ejus latera ſtipent; & adverſus omnes tueantur incurſus. Primus eſt, *Veritas* religionis, ac fidei: hæc dum ſtabit ſtabit & Regnum; ſtabit & Rex ipſe. Alter eſt *miſericordia*, qua ſubditis compati, & miſereri doctus. Tertius eſt *clementia*, quæ Regi eſt pro cuſtodia. Senecam audi, ſic ille quondam ad Neronem: *Non eſt opus latera montium abſcondere multiplicibus muris, ac turribus ſepire. Salvum Regem Clemẽtia in aperto præſtabit, crudelitas hoſtes multiplicat.*

Sed ad rem meam facit Aquilæ, & Symmachi verſio; quæ ſic eum ſapientis locum reddit. *Conſervabunt Regem, & circumdabunt in juſtitia Thronum ejus.*

Hi ergo duo ſunt cuſtodes, qui noctu, diuque pro Rege excubant, eumque tuentur. *Clementia*, & *juſtitia*, cujus alia, atque alia eſt ratio.

Una, quòd ſubditorum animos ſibi conciliet, ac devinciat clementiâ, juſtitia verò inimicorum fraudes eludat; impetuſque frangat.

Altera eſt, quod Clementia ſibi aſtringat probos: juſtitia verò improbos à ſe removeat atq; proſternat.

Denique Regis Clementia ſibi Judices ſimiles aſciſcit, clementes clementes, miſericors, miſericordes, juſtus juſtos; & inde Lucifer Calaritanus, ea ſapientis verba, ſic exponit: *Circumibunt juſti ſedem ejus.* Felix corona, quæ Regem cingit, quæ & circuminit, & vallat.

VI. Corona.

Ne mireris, *Amice Lector*, ſi & juſtos, & juſtitiam coronam eſſe dixero, ac veluti diadema, quo ornatur, ac nitet regium caput. Certè tale eſſe voluit, tale & ſibi fecit Jobus, inter orientales regulos potentiſſimus, qui ſic de ſeipſo. *Juſtitia indutus ſum, & veſtivi me ſicut veſtimento, & diademate judicio meo.* Ecce ut juſtitia eſt illi pro veſtimento proque regali purpura, & judicium pro diademate, proque coronâ. Et illâ indui, hac ornari voluit Jobus. Qua enim potius? Profectò Reges, ac Principes magis à juſtitia nitent, quàm ſplendeſcant à purpura, diademate, corona: hæc enim huic ævo, ac vitæ mortali ſerviunt; illa verò æternitati, ac beatitati.

Cap. 29. v. 14.

Moveri ſolet ea quæſtio cur Moyſis facies cùm ſecundò deſcendit è monte viſa eſt cœleſti quodam radio coruſcare, non autem cùm primò? Illud adjicitur pro ratione. Cùm primùm è monte delapſus eſt, proferens acceptas à Deo tabulas, necdum in idololatras juſtitiæ ſeveritatem, ac vindictam exhibuerat: at cùm ſecundò deſcendit, in hanc, & illam ierat totus, & à populo rebelli meritas pœnas exegerat; quod erat juſtitiæ, & hinc ab illa nitet, fulget, radiat illi facies cæleſti quadam luce conſpicua; luce dico, quæ illi erat pro corona: non tantùm ea, quæ terris illuſtris eſſet: ſed etiam, quæ deinde cœlis.

Num. [3]1. v. 2.

Unde ſic ad illum Vindex ſcelerum Deus. *Ulciſcere prius filios Iſraël de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum:* quaſi dignus non eſſet adjici populo Dei, & donari corona gloriæ, corona beatitatis, qui non prius ſceleratis digna ſupplicia intuliſſet.

§. 2.

Quæ Antiquioribus fuerit Juſtitiæ ſpecies, atque imago?

ANtiquiores Sophi, ut juſtitiæ naturam, affectioneſque omnes ſupponerent oculis, hoc illi finxere ſimulacrum.

Virgo erat (quam Aſtræam, quaſi cælitem vocitabant) libram una manu tenebat ad æquilibrium. Altera rotabat enſem. Hinc, & hinc appictæ mulieres duæ, quæ captivæ ab ea trahebantur.

Earum una fractum enſem manu prætendebat. Altera innitebatur Conto. Et hæc erat juſtitiæ imago ſideſſibus oculis ſubjecta, nec ſine latente myſterio, quod paucis evolvere, eſt animus.

Virgo pingitur juſtitia, ut vel eâ ſpecie indicetur, integram, atque incorruptam eſſe oportere adinſtar Virginis, quæ vitium nunquam eſſe paſſa; & nullam pudoris ſui admiſit labem. Ex quo & conficies illud, quod qui juſtitiam violavit, Virginem & ipſe conſtupravit: quod pudendum, & immane eſt ſcelus. De quo ſic aliquando Eccleſiaſticus: *Ut concupiſcentia ſpadonis devirginavit juvenculam: ſic qui facit per vim judicium iniquum.* Cap. 20. v. 2. 3.

Virgines committi ſolent ſpadonibus, ſive eunuchis, quibus vel natura impotentibus, vel arte exciſis nulla ſupereſt vis generandi. Quod ſi concupiſcentiæ ſtimulis adacti, Virginibus ſibi concreditis abutantur, eiſque hactenus illibatum Virginitatis florem per ſtuprum adimant, rei tenentur, & injuſtitiæ, & libidinis inſanæ. Sic & Judices, quibus, concredita juſtitia, ceu Virgo intacta, ſi judicium per injuſtas, & violentas ſententias, violant, Virginem vitiant, atque conſtuprant; quod infandum eſt ſcelus, nec expiandum niſi fuſo ſanguine.

Libram illa geſtat unâ manu, ut vel ex hoc ſignificetur, eam debere jus utriuſque partis exacto librare examine, ut ſuum cuique jus cedat, ut præmia bonis, ſupplicia reddantur impiis, quod æquitatis ratio poſtulat.

Enſem manu prætendit, eumque nudum, & quaſi paratum ad vindictam, juſtamque ultionem, quæ juſtitiæ vindicativæ eſt ſpecies, & quæ ſontes ferit, nullo diſcrimine, & ſummos, & imos: quod & demonſtrat ritus apud Antiquos uſurpari ſolitus.

Præfectus prætorio (qui ab Imperatore ſecundus erat) ſic olim creabatur: Ipſum Imperator gladio accingebat, dicebatque Præfectum. In quo mirè prædicatur illud *Traiani* Imperatoris effatum; qui dum Præfectum prætorio enſe accingeret, hæc etiam illi:

Si juſtè imperavero, pro me illo utere; ſin autem injuſte, contra me. Ita Dion in vita Trajani.

Binæ illæ mulieres, hinc & hinc appictæ imagini juſtitiæ, quæ etiam ab illâ captivæ trahi videbantur, & quarum una fractum enſem præferebat, altera Conto nitebatur, repræſentant duo vitia extrema, edomita, victaque à juſtitia, inter quæ media erat virtus, ut potè ſemper in medio ſita, & averſa ab extremis. *Giraldus de Diis Gentium Syntagmate 1. p. 28.*

Et quidem per fractum enſem Indicabat nimiam ſeveritatem retuſam, & quodammodo cohibitam. Per Contum autem, lentorem nimium abdicatum, quo ſcilicet judicia plus æquo producebantur; æquè enim cum juſtitia pugnat, & ſeveritas nimia, & nimia cunctatio.

§. 3.

Quotuplex ſit Juſtitia?

A Theologis diſtingui ſolet juſtitia in *legalem*, *diſtributivam*, & *commutativam*. Et hoc quidem ex triplici habitudine, quæ eſt in Republica. Primò partis ad partem; deinde totius ad partes; denique partium ad totum, & hæc, & illæ virtus eſt. Juſtitia

Ea quæ ſingulas partes benè diſponit ad totum, eſt *juſtitia legalis*, cujus officium eſt procurare commune bonum Reipublicæ omni ratione, modoque, quantum ſcilicet, aut neceſſitas, aut utilitas exegerit. v. g. ſi Reſpublica in periculo verſetur, juſtitia legalis conatur, quà licet, eam tueri; imperat enim arti militari, ut modos inveſtiat juſtæ defenſio- Legalis

nis, pericula contemnit, ſumptus annonæ reſtringit, theſauros effundit, & nihil non molitur ex affectu erga Rempublicam, ut illi ſit quàm optimè. An autem ea diſtinguatur à virtute pietatis: ſunt, qui velint, ſunt qui nolint: ego hic non definio, non diſputo: quia, non tam Theologum ago, quàm Eccleſiaſten, nec ut in ſcholis, ſed ut in pulpitis, ea tracto. In his autem parum intereſt, diſtinguatur nec ne, ideoque calamum non duco longius.

Commutativa. *Commutativa* eſt virtus, quæ diſponit, ac dirigit partem ad partem, nempè civem ad civem, ut conſtituatur æqualitas inter partes, inter cives in actionibus, quibus inter ſe communicant, quod cùm facit, dicitur *juſtitia commutativa*.

Diſtributiva. *Diſtributiva* eſt, quæ rectè ordinat totum ceu Rempublicam ad partes ſingulas, ad cives, in diſtribuendis communibus rebus, puta officiis, oneribus, præmiis, juxta proportionem inter ipſos repertam; & quia ſic ex æquo ex omnis diſponit, ac diſtribuit, audit *juſtitia diſtributiva*. Et hæc propriè, ac præcipue reſidet in Principe, in Magiſtratu, in Capite Reipublicæ, ceu magni corporis, ad quos ſpectant eæ, quas dixi diſtributiones, ſervata ſemper æquitate. & hæc pro inſtituto meo attigiſſe ſit ſatis.

§. 4.

Quæ ſint Iuſtitiæ Leges?

I. Lex. HÆc in fronte ſtatui poteſt juſtitiæ lex. Ut ſeipſam ſpectet ipſa, ſeipſa contenta ſit, nec aliorum oculos, aut famam, aut gratiam, aut præmium quærat; ſibi enim ſatis eſt ipſa. De illa ſic D. Ambroſius: (Lib. 2. Offic. c. 1.) *Beata planè juſtitia, quæ non alienis æſtimatur judiciis: ſed domeſticis percipitur ſenſibus, tanquam ſui iudex: neque enim populares aliquas opiniones pro mercede aliqua requirit, neque pro ſupplicio pavet.* Meritò ſanè *ſui iudex* eſt juſtitia; ſibi enim ipſa præmium decerpit; imò præmium eſt ipſa ſibi. De quo & pulchrè Sapiens Romanus: *Doceat me*, inquit, *quàm ſacra res ſit juſtitia, alienum bonum non expectans, nihil ex ſe petens, niſi uſum ſui. Non eſt quod ſpectes, quod ſit juſtæ rei præmium majus, quàm juſtum eſſe.*

Et hæc prima juſtitiæ lex, quæ cùm alias quoque complectatur, ex illa velut è fœcundo ſinu, extrahatur ſecunda, nempe illa, ut nihil faciat quis, nihil donet ad aucupandam gratiam, ad dignitatem (II. Lex.) vel obtinendam, vel etiam ſervandam cum aliquo injuſtitiæ nævo.

Et hanc legem quà verbo, quà etiam exemplo docuit Henricus III. Imperator Auguſtus. Portabatur in equo pulcherrimo, ſibi à quodam Abbate dato, qui neſcius eſſe furtivum pacto pretio à fure emerat. Obvius fortè Imperatori miles, cujus erat equus. *Imperator*, inquit, *tu cujus eſt cenſura juſtitiæ, ecce jam alienum equum Domino ſuo furtivè ablatum cerneris poſſidere.* Cui Imperator: *ſi tuus eſt equus, tu eam unà cum ſeſſore accipe, & duc quo lubet, teneaſque tibi, donec fiat ſatis.*

Hæſit miles attonitus, ſibi putans illudi. Tum Imperator compulit ut manu injecta, utrumque abduceret: equum ſcilicet, & ſeſſorem.

Glaber l. 5. hiſt. c. 4. Quod cùm mirantibus, imò & indignabundis Aulicis feciſſet (*et quæ gratia*, inquit, ad ſuos Imperator) *ei referendæ ſunt, qui me tam ſubdolè in hanc captivitatem impulit.* His verò eum deteſtantibus, adduci jubet Abbatem, tanquam pœnas ab eo pro illuſione exacturus, cui jam adducto, *Depone*, inquit, *baculum regiminis paſtoralis, quem credis largitione mortalis hominis debere & geſtari, & retineri.* Paruit ille, pedumque abjecit, quod ſuſcipiens Imperator dexteræ Imaginis Salvatoris impoſuit, dixitque Abbati. *Vade, & illud ſuſcipe de manu omnipotentis Regis, ne ſis ultra pro eo debitor alicujus mortalis; ſed liberè ut decet eo utere, ad culmen tanti nominis.* Is verò lubens ſuſcepit, omnique deinceps libertate eo uſus eſt.

Habes in hac hiſtoria quod ames, & mireris, Amice Lector. Et Imperatoris æquitatem, & illuſtre documentum, quo poſteros omnes edoctos voluit, ne quid præpoſterè admittant, ne quid etiam injuſtè vel ad accipiendam, vel ad retinendam Infulæ dignitatem, vel etiam ad captandam Magnatum gratiam, & favorem. Huic juſtitiæ legi affinis eſt (III. Lex.) illa, quæ ſeverè prohibet quicquam agi, quicquam omitti, quod iniquum ſit, timore, minis, aut etiam imperio potentum.

D. Bernardinum Senenſis: *Quatuor*, inquiebat, modis Judicium humanum pervertitur. (Serm. 16. art. 1. c. 2.) Timore, dum metu *poteſtatis alicujus veritatem loqui pertimeſcimus. Cupiditate, dum præmio animum alicujus corrumpimus. Odio, dum contra quemlibet adverſarium molimur. Amore, dum amico & proximo præſtare contendimus contra jus, & æquitatem.*

Primùm hic inquirimus & damnamus; & certè prius inquiſierunt, atque damnarunt Ægyptiorum (Plutarch. in Apoph.) Reges. Hi ex ſua etiam lege Judices adjurabant ut quid injuſtè, etiamſi Rex imperaret, judicarent: contra quod peccant vel maximè, qui vel metu altioris poteſtatis muti ſunt ut piſces, vel minis terrentur, & à ſemita juſtitiæ declinant, & imperio etiam injuſto acquieſcunt: uti & illi, qui muneribus corrumpi ſe patiuntur, atque à juſta in reos ſententia dimoveri.

IV. Lex. Cùm *Malacam*, apud Indos Orientales celeberrimam urbem, cepiſſet *Albuquertius*, *Tiraiam*, virum inter ſuos Principem ei præficiendum eſſe duxit. Hic fortuna elatus, multa quotidie crudeliter, & avarè facere, & ſubditos dirè vexare. Hæc ubi ſequenti anno, eo cum claſſe revertens *Albuquertius* reſcivit, comprehendi hominem juſſit, unaque filium, ac nepotem, eorumdem criminum reos, & causâ probè cognitâ ſolemni judicio, omnes capitis damnavit, attonitis etiam Ethnicis tanta Chriſtiani ducis ſeveritate. Mater, & uxor ubi preces minus proficere viderunt, grandi auri ſumma expugnare aggrediuntur: ſed fruſtra; *Albuquertius* enim ut ferro invictus; ſic & auro impervius, dictitans illud; ab *Emmanuelis* Regis prætoribus, auro juſtitiam non vendi: nec certè vendi poteſt, ſalva hac noſtra juſtitiæ lege: ut enim ſcitè B. Clemens, (L. 2. Conſtit. c. 20.) *Cùm Magiſtratus petit, & iudex capit, nunquam ad finem perducitur judicium*; uti, nec cùm pretio æſtimantur officia, venduntur dignitates, quod, & alia quoque juſtitiæ lex, ſeverè prohibet, ac vetat.

V. Lex. Judæus prædives, & ſuis opibus nixus, & Principum etiam gratis præſidens, galerum Cardinalitium auro emi poſſe exiſtimabat, atque in eum finem impetrato ad Pontificem *Paulum*, hujus nominis IV. aditu, Sanctiſſimi Principis integritatem ingenti oblato auri pondere labefactari poſſe impudentiſſimè ſibi perſuaſit. Non tulit viliſſimi capitis audaciam *Paulus*, ſenſitque in eo læſam eſſe Majeſtatem, ideoque & hominem illicò abripi juſſit, & virgis publicè cædi: ut ſentiret ſe fuiſſe impudentem, & ſimul etiam injuſtum. Sed & alia juſtitiæ (VI. Lex.) lex, quæ cavet, ne quis vel odio, vel malevolentia, etiam in adverſarium magis animadvertat quàm poſtulet & noxæ gravitas, & æquitatis ratio.

Notarat aliquando *Cambyſes* Rex, Judicem unum aliquem inuſitata ſeveritate uſum erga reum aliquem; ut eum plecteret, è corpore toto detractam pellem ſellæ intendi voluit, in eaque filium ejus loco (Valer. Max. lib. 6. c. 3.) judicaturum conſidere, ut atroci illa parentis ſui pœna, diſceret non ſævire, non damnare reos ultra æquitatis, & juſtitiæ leges: quæ etſi ſeveritatem aliquam ſubinde patiantur: at ſævitiem nunquam: uti nec amicitiam inſolentiorem: eſt enim propè par

ratio,

VII Lex. ratio, ſi ob amorem, & amicitiam juſtitiæ rigorem infregeris, atque ſi odio violaris.

Laudatur à Valerio maximo æquitas *Publii Rutilii*; hic cùm amici cujuſdam injuſtæ rogationi fortiter obſtitiſſet, iſque per ſummam indignationem dixiſſet. *Quid ergò mihi opus eſt amicitia tua, ſi quod* Lib. 6. c. 4. *rogo, non facis?* Subjecit illicò. *Imò quid mihi tua; ſi propter te aliquid inhoneſtè, injuſteque facturus ſum?*

Et certè: quid enim ad amicitiam injuſtitia? Quid & ſcelus ad amorem? Et hic, & illa rationi, atque æquitati conſentiat oportet.

Plutarch. *Antigonus*, Macedoniæ Rex, cùm *Marſias* ejus frater litem haberet, peteretque ſibi domi judicium conſtitui, reſpondit. *Melius erit in foro, & omnibus audientibus, ſi quidem nihil injuſtè agemus.*

Ita nimirum Rex ſapientiſſimus, ne locum quidem dicendo juri, amicitiæ, & fraterno ſanguini concedendum eſſe duxit; ne quid juſtitiæ, atque æquitati decedere videretur.

Fortius alii, qui nec ſuorum ſanguini, vitæque parcendum eſſe duxerunt, ut ſuus ſemper juſtitiæ locus eſſet.

Sic (ut vetera repetam) *Epaminondas* filium corona jam donatum, ſecuri percuti juſſit, quòd paterni præcepti contemptor, cum hoſte conflixiſſet, illius etiam victor.

Sic & *Torquatus* filium capite minui voluit, quod contra patriam conſpiraſſet.

Valerius Max. l. 6. c. 5. Sic & *Zeleucus Locrenſis*, cùm legem tuliſſet de adultero excœcando, & filius in adulterio deprehenſus eſſet, unum oculum ſibi crui voluit, alterum filio, ne propter ſanguinem lex jam promulgata violari videretur.

Et hinc mihi datur in manus alia juſtitiæ lex, quæ VIII. Lex. vetat perſonarum rationem haberi. Cræſus, Irúsve fuat, nihil intereſt: & hunc & illum æquus animus aſpicit, & hoc eſt quod olim Antiquis ipſum Numen oſtenderat, cùm hæc ad illos.

Deut. c. 1. v. 17. *Nulla erit diſtantia perſonarum; ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam.*

Majoribus noſtris, oculus juſtitiæ ſymbolum fuit; quod hæc cum illo apprimè conſentiret.

Eſt oculus ſpeculum naturæ, eo quod res omnes ſibi objectas exhibeat, & ſpectantibus quaſi ſiſtat. Verùm ut fideliter exhibeat, ſiſtatque, certam requirit in objecto diſtantiam: ſi enim hoc removeri nimium contigerit, non videtur, quia extra oculi ſphæram eſt; & contra, ſi nimis propinquum, non percipitur, quia deeſt lumen, ſpecierum quaſi vehiculum. Quod oculo, hoc & juſtitiæ; in hac enim, uti & in illo, æqua requiritur propoſitæ rei diſtantia, æqua parvi, & magni, æquâ pauperis ac divitis.

Vis noſſe cur pauperes in Judiciis ſæpiùs causâ cadant? Cur & divites eam obtineant? Ratio eſt in aperto, quia pauperes longiùs abſunt ab oculo, aſpectuque Judicis, quàm ut videri poſſint, & penſari eorum merita; & divites è contrario, ſic ejuſdem oculo, id eſt menti, & affectui propinqui ſunt, ut nec percipi poſſint eorum demerita; ideoque opportunum illud Omnipotentis oraculum: *Nulla erit diſtantia perſonarum: ita parvum audietis ut magnum*, *ut lingua ſacra eſt*, *non agnoſcetis facies in judicio*: cujus rationem hanc adjicit: *quia Dei judicium eſt*; nempe, in judicio Dei vices agitis: Deus autem æquiſſimus eſt, nec perſonam aſpicit; ſic nec vos aſpicere oportet.

Apud Thebanos Magiſtratuum ſtatuæ formari ſolitæ ſine manibus; Principum autem clauſis oculis, ut vel in ipſa eorum ſpecie legeres, quæ eſſe deberet in illis juſtitiæ ratio; ea ſcilicet, quæ nec munera caperet, nec oculis etiam capi poſſet: imò nec perſonas inter ſe diſcernere, æquus ad omnes, iniquus nulli.

Talis eſſe debet juris miniſter, ut in ejus manu nullius authoritate perſona titubet aut vacillet libra juſtitiæ; ut ſcitè Rom. Orator. Sed proh dolor! hoc quo vivimus ævo, nimium veræ ſunt querelæ Innocentii III. Pont. Max. *Clamat pauper, & nullus exaudit; loquitur dives, & quilibet applaudit. Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt; pauper locutus eſt, & dicunt quis eſt hic? Clamat vim patiens, & nullus exaudit: vociferatur, & non eſt qui judicet*: & hoc quia perſonæ habetur ratio, IX. Lex. non juſtitiæ. Et hinc elabor ad alteram æquitatis legem illi affinem. Ea diſcernit merita, aut demerita, atque ex his præmia quoque decernit, aut ſupplicia. Quo in genere celebratur illud *Antigoni II*, Macedoniæ Regis Nepotis: cum convenit aliquando adoleſcens viri fortis, ac generoſi filius, aliàs, ignavus, atque imbellis (Heroûm enim ſibi ſubinde noxæ.) hic cùm fortè ſtipendium exegiſſet, quale olim parenti ceſſerat, ſic ei *Antigonus*. *Ego*, (inquit) *adoleſcens, virtuti propria do munera & mercedem, non paterna.* Si huic virtutem ſimilem dederis, ſi pares animos, parque in acie robur, & paria à me ſtipendia referes.

Hæc *Antigonus*, & meritò; ut enim Juvenalis:

Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto.

Quod ſi nec noſtra, nec nobis digna pro ſtipendio. Fateor tamen majorum merita, & benè facta tranſire ſubinde ad poſteros; ſed ea Principum eſt gratiâ, nec tam juſtitiæ, quàm beneficentiæ, quæ liberalitatis ſuæ fonte effluere ſinit, etiam in immeritos.

Deſcendo ad aliam juſtitiæ legem; hæc in eo poſita, ut qui illam tulit, aut docuit, ea ea vivat ipſe, X. Lex. atque ad illius normam actiones omnes, facta, dictaùe componat.

Extat ea de re illud *Theodoſii* monitum, nulla unquam oblivione delendum:

Digna vox Majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe profiteri. Cap. de conſtit Princip.

Principibus, ac rerum Dominis imperat recta ratio, atque æquitas, qua duce, ac magiſtra eas ſibi leges obſervandas eſſe cenſent, quas ipſi aliis impoſuerunt. De primo ac ſummo Legiſlatore pronuntiavit illud Seneca:

Ille ipſe omnium conditor, ac rector, ſcripſit quidem fata; ſed ſequitur, ſemper paret, qui ſemel juſſit. Lib. de Divina provid. c. 5.

Hæc ille, qui errat in eo, quod fatum ſtatuat, Deumque illud ſequi: divinæ Providentiæ legem dicere debuit, quam & ſequitur qui poſuit, & qui ſemper paret ei, quod ſemel juſſit.

Quod Deus; hoc & Legiſlator, ex juſtitiæ atque æquitatis lege, cui accedet & altera. Hæc in eo conſiſtit, ut commune bonum ſpectes, non privata commoda: ut enim B. Laurentius Juſtinianus:

Vera Iuſtitia magis aliis, quàm ſibi prodeſt, & utilitates ſuas negligit, communia emolumenta præponens. II. Lex.

Quod effatum magni Præſulis, conſonum eſt ipſi naturæ, genioque juſtitiæ, inter quam, & virtutes alias hoc intereſt, quòd hæ uni quodammodò ſuppoſito ſuo ſtudeant, uni illi ſerviant, uni conſulant: at verò juſtitia aliis potiſſimùm intendere, & vacare videtur.

Prudentia dictat quid tibi in unaquaque re ſequendum, quidve fugiendum.

Temperantia libidinem, iram, triſtitiam, alioſque animi motus, atque affectiones temperat, ne rationis limites excedant.

Fortitudo timorem expellit, & nimiam abjecti animi depreſſionem erigit, atque ſuſtinet: ſicque à prudentia, temperantia, ac fortitudine uni tibi ferè eſt bene: à juſtitia autem aliis quàm optimè: neque enim illa teipſum, tuumque bonum attendit; ſed aliorum commoda, facultates, utilitatemque ſpectat, ac tuetur: quod & advertit, & docuit Philoſophus, dum ſic in Ethicis.

Lib. 5. c. 7. *Omnium virtutum ſola Juſtitia in bonis alienis dicitur, quia non ad ſuum commodum; ſed alterum omnia confert: alterum enim commodis, utilitatiq́; ſervit, aut Principis, aut Reipublica*, contra quam legem peccat quàm turpiſſimè, qui & ſibi ſoli ſtudet, & ſuis commodis paret.

§. 5.

De juſtitia Vindicativa, ejusq́; legibus.

Quid ſit? & unde dicta? Juſtitia vindicativa, ſic dicta à ſumenda vindicta, juſtaque ultione de reis. Ea ferè reſidet in Rege, Principe, Magiſtratibus, quorum intereſt Rempublicam vendicare à malis, & delinquentes ex æquo punire, ne & ſibi noceant, & publico. Hæc, ut

Ejus leges. ea vero juſtitia ſit, certis quibuſdam legibus erit adſtringenda, ne limites æquitatis excedat.

I. Lex. Ex his prima eſt, ut in ea ſeveritas bellè juncta ſit lenitati, quod olim Ægyptii eleganti ſymbolo expreſſerunt. Hi enim in ſuperiori parte ſceptri regii poſuere ciconiam, ſymbolum utique pietatis ac miſericordiæ & lenitatis. *Hyppotamum*, monſtrum utique fluviale, & Hieroglyphicum ſeveritatis, ac juſtitiæ; ut in hoc Regem monerent exercendæ in reos juſtitiæ, in illo tamen etiam pietatis ac lenitatis retinendæ. Et hæc, & illa viſa quondam in Davide cum Goliatho pugnaturo.

Erat Goliathus carnea moles, & grandis veluti Coloſſus, qui Iſraëli inſultabat impiè, & exercitui Domini in dies exprobrabat. Non tulit ſuperbum Deus, nec tulit etiam David à cœlo delectus tantæ

1. Reg. c. 17. v. 40. Vindex impietatis, ac ſuperbiæ. Quid deinde? *Miſit quinque limpidiſſimos lapides in peram paſtoralem. Hoc eſt (ut, interpretes & gloſſa) in mulctram*, ſeu vas lactis, in quo ſcilicet oves mulgebantur. At cur illud? Ne crede caſu factum, ne temerè; ſed deſtinato conſilio, cæliq́ue judicio, ut vel hoc ipſo innueret, juſtitiæ telum, lacte lenitatis, ac miſericordiæ illitum, ac perfuſum in hoſtem mitti oportere, nec aliter in eum intorqueri.

In ſacris paginis nominatæ ſunt illæ duæ Legiones ubique Davidi ferè Comites, & veluti Laterales ſtipatores, videlicet *Cerethi* & *Phelethi*; nec ſanè

2. Reg. c. 15. v. 18. vacant myſterio. *Cerethi* enim, eſt quod *interfectores, Phelethi* autem liberatores: ut illi pro juſtitia, hi verò pro miſericordia militare viderentur. Utroſque ſecum ducebat David eo certè conſilio, ut ſe, nunquam ſine miſericordia ſeverum, nunquam ſine juſtitia humanum exhiberet.

Quod illi, hoc & filio Salomoni, qui inter alia

3. Reg. c. 7. v. 29. templi decora, atque ornamenta, *Leones* pariter, ac *Boves*, inſculpi voluit, ut cum ſpiritu correctionis, ſpiritum jungeret manſuetudinis.

Quod Davidi, quod Salomoni in oculis fuit; hoc & Regibus omnibus eſſe debet in primis curis, ut qui juſtitiæ libram manu tenent; ſic eam moderentur, ut ſuſtineant, ne in ſeveritatem, aut lenitatem plus æquo inclinet. Sed ab hac & illa quaſi maneat in

Lib. 11. in Gen. c. 31. æquilibrio. *Etenim ubi totum punitur, regia ſeveritas crudelitate polluitur, ubi verò totum remittitur, facies majeſtatis ſine metu diſciplina contemnitur*; ut doctè Rupertus.

Quod ſi in juſtitia vindicativa is nexus eſſe debet ſeveritatis, & manſuetudinis in Regibus, Principibus, & Magiſtratibus; multò magis in Prælatibus, in ſuperioribus Eccleſiaſticis, qui primas tribuere debent ſeveritati, ſic tamen ut ſecundas juſtitiæ relinquant: ut enim D. Bernardus ad *Fulconem*, quem inſtruit.

Prælatus omnis, piè ſolet ſævire, ſine dolo mulcere, patienter novit iraſci, humiliter indignari. Et hoc ipſum eſt quod D. Gregorius Pont. Max. notatum voluit exemplo petito à Samaritano, qui ut incurrit in fœdè ſaucium, *alligavit vulnera, infundens oleum & vinum, ut ſcilicet per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Neceſſe enim eſt ut quiſquis ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur ſananda.* Luc. c. 10. v. 34. 2. Part. Paſtor. c. 6.

Hæc ubi dixit, ducta ſimilitudine à medico, tum conficit illud, quod mihi in quæſtione eſt.

Miſcenda ergo eſt lenitas cum ſeveritate; quod ipſum declarat, ex eo, quod olim repoſitum in arcâ fœderis in quâ erat *Virga* ſimul, & *Manna*. *Ita planè* inquit, *in boni Rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis; ſit & manna dulcedinis. Sit amor, ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderatè ſæviens; ſit pietas, ſed non pluſquam expediat parcens.*

Denique *rectorem ſubditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina*, quæ juſtitiæ pars eſt; & quaſi congenita illi germana ſoror. Et *hæc* prima ſit lex vindicativæ *juſtitia*:

Altera, in pœnam ac ſupplicium de reo exigendum ne ſit præceps, ne nimium celer; ſed potius, lentus; qui punit, qui vindicat, vel ipſo Dei punientis, ac vindicantis exemplo. II. Lex.

In ipſa mundi naſcentis infantia; imò & cunis ipſis, lapſus eſt *Adam*, lapſa & *Eva*; & hæc, & ille criminis admiſſi reus. Quid deinde cœlo vindice? Deus quaſi cœlo lapſus in terras, ad illam vindicis juſtitiæ ſcenam, primò in paradiſum ingreſſus dicitur, deinde obambulaſſe, quaſi lento gradu, non præcipiti curſu, tum *poſt meridiem*, hoc eſt ſero, in- Gen. c. 3.
clinata in occaſum die, ſoleq́ue: non ſummo mane, v. 8.
non primo diluculo. Denique, *ad auram*, mollemq́ue ventum, vel ut vertit Theodoretus, *contra ventum refrigerantem*, divino ſanè conſilio tum ut venti reflantis violentia impetum ejus quaſi retardaret, tum etiam, ut jam conceptum iræ juſtiſſimæ æſtum, ardoremq́ue; lenis, ac refrigerantis auræ frigore, aliqua ex parte frangere, ſopireq́ue velle videretur.

Quod Deus Opt. Max. æquiſſimus ſcelerum Vindex; hoc & ſub illo puſilli mortales, & ipſi ab eodem conſtituti criminum vindices: ad pœnas illi veniant: ſed lentè, ſed plumbeo gradu: non curſu præcipiti, non quaſi celeri volatu: ſed velut obambulantes, & quidem *poſt meridiem*; non autem in ipſo meridie; non in æſtu ardoreque meridiano iræ concitatæ: ſed ſerò, & ferè ad ſolis occaſum, id eſt quàm tardiſſimè, & quidem molliter ad aſpirantis auræ ſibilum; enatumq́ue quodammodo inde frigus, quod vindicis juſtitiæ æſtus ignesq́ue ſi non frangat; certè emolliat: probè memor illius, quod aliquando ad *Hugonem* D. Bernardus: *Rigor juſtitia ſemper fervidus; ſed* Epiſt. 24.
nunquam præceps, & hæc juſtitiæ vindicativæ ſecunda lex eſto.

Tertia hæc erit: ne ſit nimia, hoc eſt, ne modum III. Lex.
excedat, atque moderationem. Dixit olim Eccleſiaſtes; *noli eſſe multum juſtus*. Ecquid illud? juſtitiæ Eccleſ. c. 7.
ponitur modus, ponitur quaſi limes, aliis virtutibus v. 17.
minimè: nec enim dicimus, Noli eſſe multum caſtus, multum ſobrius, multum miſericors: cur igitur iſtud? *Noli eſſe, multum juſtus?* vel, (ut alia verſio habet) *nimium juſtus*. Ratio in promptu eſt, quia juſtitiæ, maximè autem vindicativæ, ſuus debet ſtatui modus, alioqui degenerat in crudelitatem, ſi modum excedat. Ne porrò excedat, culpæ leviori, pœna levior imponatur, graviori gravior, ſemper tamen infra condignum; potius quàm ſupra.

Unde contra hanc legem peccant, primò omnis rigidi ſui juris, ac juſtitiæ exactores; peccant & aliorum cenſores importuni, ultoresq́ue ſeveri, atque immiſericordes, ut enim D. Hieronymus: *Inhumana juſtitia eſt, fragilitati conditionis hominum non ignoſcens, nihilq́; ei indulgens.* Peccant deinde ii, qui ob leviuſculam noxam gravius infligere ſupplicium moliuntur: uti aliquando *Aloyſius Goti* in Japonia

Princeps.

Princeps. Abſtulerat mulierculæ vicinæ ſuæ poma, duo, & illam capite plecti juſſerat Princeps ſatus, recentis adhuc fidei & ſanctitatem &, majeſtatem chriſtianæ legis eo exemplo edito ſe ſancire poſſe: verùm ab *Alexandro Valignano*, Societatis JESU id temporis in Japonia Præpoſito Provinciali, edoctus leviorem eſſe culpam illam, quàm, quæ chriſtiano more ſanguine videretur expianda, quod ut audivit, remiſit de ſua illa ſeveritate; verius feritate.

Rho Miſſer. vire. l. 3. 8.

Fatendum tamen ſubinde, maximè verò in caſtris, & militia, in qua ſeverior eſſe debet diſciplina, culpas, quidem in ſpeciem leviores, ferro, & laqueo, plecti, quis à periculo, quod imminet, ſolvendæ ſeoſim militaris diſciplinæ, graviores & videri, & eſſe poſſunt. Quod & in moribus evenire quoque ſolet.

Seoſit illud aliquando *Ioannes*, Luſitanorum Rex ſecundus, qui ne aleæ peſtis Ulyſſiponem inficeret, civis cujuſdam ædibus, in quibus ea publicè ludebatur, ad abolendum dedecus, illamque morum peſtem averruncandam, faces palàm inferri, eaſque incendio deleri voluit, ut ſic deleto oequitiæ illius diverſorio, ipſa jam exul faciliùs profligaretur.

Rho ſupra.

Huic regiæ ſeveritati affinia ſunt & illa, quæ aliquando vidit Areopagum, probavitque. Struthio fugieus accipitrem in Areopago, uni Areopagitæ incidit in ſinum; ille, qoi ſervare debuerat, occidit. Judicavit Senatus impiè feciſſe; itaque pœnas luit; non ob ſtruthionem; ſed ob crudelitatem.

Palladius l. 4.

Non abſimile eſt illud, de quodam *Praxitele* oomine, fuſtibus cæſo ab Athenienſibus, eò quòd arietem vivum excoriaſſet, judicatum illud immanitatis eſſe, & ſeverè punitum. Et hæc pro tertia illa juſtitiæ vindicis lege, venio ad quartam.

IV. Lex. Ea præſcribit, oe facilè, ne ſine gravioee cauſa, ſine conſilio, maturaque deliberatione, reo venia concedatur, neùe impunè abeat. *Impunitas enim magna eſſe ſolet illecebra peccandi.* Ut diſertè Tullius,

Memorant iſtud Annales Franciæ. *S. Ludovicus*, Rex Chriſtianiſſimus, dum ſuas de more preces in Cœlos effundit, totuſque abiit in Davidicos pſalmos & pios æſtus, unus aliquis intervenit, & pro miſello capitalis criminis reo, veniam petit, & impetrat: annuerat ènim Rex, quaſi aliud agens; imò quaſi alienus a ſeipſo; ſed mox cùm incidiſſet in illud Pſalmiſtæ: *Beati qui cuſtodiunt Iudicium, & faciunt juſtitiam*; illicò revocari juſſit eam, cui gratiam illam conceſſerat, eamque penitus irritam eſſe voluit, adjecta hac ſeotentia, digna tanto Rege, & poſteris: *Pſal. 105.*

Principem, qui poteſt punire crimen, nec punit, non minus coram Deo reum eſſe, quàm ſi ipſe perpetraſſet: ac pietatis opus eſſe, non ſævitia, juſtitiam facere. Dixit, fecit.

Ludovicum, Galliæ Regem hujus nominis XII. ſupplex acceſſerat tertii homicidii reus, cui Rex ſubiratus, & velut indignabundus. *Tene*, inquit, *veniam flagitare homicidii jam tertii?* Joculator, qui fortè aderat: *Minimè*, ioquit, *ò Rex, non tertii; ſed primi tantum homicidii reus eſt: nam ſecundum, & tertium tua ſunt; quia ſi primum non condonaſſes; hic reliqua non perpetraſſet.* Dixit, & ſiluit, oonne qoandoque *eſt olitor*, eſt joculator, *non importuna locutus?* Enimvero, non importuna. Ex iis enim diſcunt in purpora Reges, reos, cœlo judice, ſe teneri, ſi oimia eorum iodulgentia, ſit impunitus io terris reus. Et ſanè jure meritiſſimo. *Is enim qui parcit malis, nocet bonis*, nocet & Reipublicæ, quam neceſſe eſt ea conniveotia, aut veoia, penitus labefactari: nocet (ut ita dicam) ſuperis, ipſique quodammodo Supremo Numini, ac Judici Deo, naio teſte Seneca. *Non poteſt pinguior victima mactari Deo; quàm homo ſceleratus.*

Et hinc, apud viros Principes is juſtitiæ zelus, is amor eſt, eaque æſtimatio; imò & is honos; quo in geoere celebre illud, quod de *Maximiliano I.* Imperatore ſemper Auguſto referri ſolet, eum loca deſtioata ſuppliciis ſootium, & eorundem inſtrumenta, hoc eſt furcas, patibula, quaſi venerabondum ſalutare conſueviſſe, adjecto hoc ſolemni dicto. *Salve Iuſtitia*: an non, quia benedictum lignum, in quo fit juſtitia? Benedictom certè, & ſummis, & imis; benedictum cœlo, & terris; hominibus, & Deo. Verum enim illud *Ioannis Papæ*: *Vindicta, Deum iratum lenit, & placat*; & hoc io cœlis; in terris illud: *Zelus purgat facinus, dum punit.*

TRACTATUS
DE PURA INTENTIONE.

QUIA multa de hoc argomento edidere multi, & doctè & piè; ideo de eodem hic dicam paucis, ne Lectorem omninò videar deſtituiſſe. Sit itaque

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Matth. c. 6. v. 22. 23.

§. I.

Ecquis ille oculus ſimplex? Quis & nequam?

Quis oculus] SI naturam ſpectes oculus ille *ſimplex*, eſt oculus purus, ac defæcatus, minimèque vitiatus, aut humore noxio obrutus, eique veluti innatans.

Nequam è contra, qui aliquo ex his vitiis laborat; ideoque objecta ſibi, minus fideliter reddit; puta pro unico duos; imò & plures; pro albo ſubnigrum, aut quidvis aliud, quod tamen in re non ſit:

Ita, ut rectè advertit D. Hieronymus, *Lippientes oculi ſolent lucernas videre numeroſas; ſimplex autem oculus, & purus, ſimplicia intuetur, & pura.*

Sin autem ad gratiam attendas, & mores; alius, atque alius homini eſt oculus; alius qui, etiam ab Evangeliſta hoc loco innuitur; uti videre erit ex varia hujus unius verſiculi, aut voculæ *oculi* interpretatione.

Divis Hieronymo, & Chryſoſtomo, *oculus* hic nihil aliud eſt, quàm hominis *mens*, & *intelligentia*: qood enim corpori eſt oculus: hoc animæ eſt, Intelligentia; oculus corpus regit, & animum intelligentia; oculus præit, præit & intelligentia; oculos pedem dirigit: & intelligentia affectum, qui eſt veluti pes animi, ideoque ſicuti corporis multum intereſt, ut oculus ſit ſimplex; hoc eſt purus, nullo humore craſſo, pravoque obnubilatus, atque obtenebratus: ſic & animo plurimùm refert, ut intelligentia ſit pura, & recta, nullo pravo affectu, aut cupi- I. Intelligentia.

diiate

ditate imbuta, vitiata, detorta; ſi enim ea ſit, facilè labitur, & errat, & licere ſibi credit, quod minimè licet; utile opinatur, quod teipſa damnoſum, ſecurùm, quod periculi plenum. Quid facias? *Ibi errat oculus; ubi errat affectus.* Et hæc paucla pro illa opinione.

II. Intentio. Aliam efferunt Sancti Auguſtinus, & Gregorius, quibus *oculus* hîc, eſt *intentio*, & quidem ſi recta, eſt *ſimplex*; ſin autem detorta, nequam eſt.

Et hæc opinio magis arridet, quia magis conſona menti, & ſcopo, quem ſibi hîc propoſuit Patris Æterni Sapientia, & cujus eò loci, ac temporis id fuit oraculum: voluit enim à bonis operibus quàm longiſſimè abeſſe vanam gloriam, atque oſtentationem, quæ inimica eſt rectæ intentioni: voluit jejunium, atque eleëmoſynam fieri in abſcondito, & non palam ad captandam auram popularem, & futilis gloriolæ fumum, quem non ſuſtinet, non patitur pura intentio, ceu bonæ mentis oculus, & inde mihi injicitur altera quæſtio, pro qua ſit

§. 2.

Cur intentio dicatur & ſit oculus animi?

Quid oculus VT ea quæſtio ponatur in aperto, & clara luce, videndum erit, quid corpori ſit oculus? Quid deinde animæ ſit intentio?

I Sol mundi. Orpheo, oculus microcoſmi, ſeu parvi mundi, id eſt, hominis, *ſol* eſt: quia huic eſt, quod mundo aſpectabili *ſol* alter. Hic diem facit, & tenebras fugat, lucet, caletque ab illo Orbis. Et ea quoque animis eſt *intentio*: diem hæc facit gratiæ, ſi pura ſit, peccati tenebras depellit, lucem addit fidei altioria, ac cæleſtis, & calorem affert, donaque charitatis.

II Portæ Solis. Heſichio *oculi* ſunt portæ ſolis, quia per eas velu- ti portas, ſol ille aſpectabilis intrare videtur in animum; & per intentionem, quaſi per portam ſol intrat gratiæ, ſol deinde & gloriæ; ſi modò ea recta ſit, & ſimplex. Erit autem & recta, & ſimplex, ſi Deum unum, & in ſe aſpiciat, & eum in creaturis videat, amet, laudetque: ſi in ſeipſo & nævos ſuos, atque maculas intueatur, in aliis autem vitia videre neſciat, multoque minus judicare, atque damnare.

Et talis fuit oculus B. Fratris *Bernardi à quinta valle*, è ſacra D. Franciſci familia, de quo ad omnem poſterorum memoriam B. Frater Leo S. Franciſci ſocius.

Jacebat hic æger, cùm illi hæc objecta ſpecies, *Wadingus in Annal. Min. Tom. 1. An. 84.* atque imago Beatorum, qui ingenti numero bini, ac bini procedebant. Hos dum animo luſtrat, atque ex eorum uno quærit, ecquinam eſſent illi? Et quò tenderent? Auditque eſſe Beatos è D. Franciſci inſtituto, qui delapſi è Cœli regia citato gradu pergerent ad excipiendam animam unius è fratribus, qui tum infirmus erat in Portiuncula.

In hoc porro Beatorum agmine quàm longiſſimo, unus eminebat, cui oculi, ceu bini ſoles, radiabant: hunc dum intentus aſpicit, rurſumque quærit. Ecquis ille? Ab uno horum accipit, eſſe fratrem *Bernardum à quinta valle.*

At cur, inquit, illi ſic nitent oculi? Stellas eſſe diceres; imò & binos ſoles. Et verò tales eſſe videbantur, cujus addita ea fuit ratio; quòd dum in vivis eſſet, illi ſimplex fuiſſet oculus, qui Deum unum aſpiceret, deſpiceret cætera: nec mirum quia illi oculi, erant veluti portæ ſolis; ſed divinioris, qui eum unum admitterent, alia omnia excluderent. Sed inſtitutum proſequamur.

III. Feneſtræ animi. Alexandro Peripathetico, *oculi* ſunt *feneſtra animi*; per quas ſcilicet inſpicitur quis ille ſit, & quo ducatur affectu; & hinc illa parœmia. *Hominis ingenium in tribus cognoſce: in poculo, loculo, oculo*: ſed in his melius, & certius; in iis enim elucent affectiones animæ propè omnes, amor, odium, mœror, gaudium, timor, audacia, commiſeratio, ſpes, deſperatio; imò ſanitas atque ægritudo: inde *Hippocrates*, aliique medicorum facilè Principes, ſuos diſcipulos monuêre, ut ægri oculos attentè intuerentur eò quod in illis etiam ſe proderet affectio corporis, bona, maláve.

Quod corporis affectioni ſunt oculi; hoc intentio eſt animo: aperit illa, qualis ſit hic, ſanus, an æger; ad ſpiritualia benè affectus, atque ad cæleſtia erectus: aut contra: an à peccato moribundus totus, atque in terrena pronus, & abjectus, aut alia quavis depravatâ paſſione infectus, atque corruptus.

Poëtæ Arabico, *oculi legati ſunt cordis.* Quia ſcilicet per oculos ceu interpretes, ceu cordis legatos ſolent illius ſenſa, atque affectiones explicari. IV. Legati cordis. Eſt *Cor* in homine princeps membrum, fons vitæ, principium micationum arteriæ, & tam amoris, quam odii, imò & omnium affectionum officina; in hac enim cuduntur, atque excuduntur illæ.

Et talis animæ, ceu Principi hominis parti, eſt *intentio*: interpres eſt, & legatus animi; hujus enim mentem, ſenſum, affectiones omnes exprimit, atque aperit. Si ſapit hic, quæ Dei ſunt, oſtendit: ſi quæ mundi, quæ carnis, & illa exhibet. Talis enim quiſque eſt qualis ejus intentio, & omnis actio talis, qualis & fuerit intentio.

Orpheo rurſum, *oculus* eſt *ſpeculum naturæ*: uti V. *ſpeculum eſt artis*: ut enim in hoc ſeipſe videt homo, Speculum & ſi quæ in facie ſit macula, ſi quis nævus, illico de- naturæ. prehendit: ſic & *Intentio*, ceu *ſpeculum animi*, aperit, atque exhibet quidquid in hoc maculoſum, fœdum, diſtortumve eſt; ſi quid à Deo, aut propter Deum ſit; an è contrario ad creaturas malè inclinatum, atque a cæleſtibus averſum. Nec mirum quia eſt *animo ſpeculum* cujus eſt repræſentare fideliter quidquid in illo eſt.

Ariſtoteli purioris Philoſophiæ ocello, *oculus eſt* VI. *ultimum vivens, & primum moriens.* Quod enim Ultimum in hominis, & corpuſculi fabrica ultimum vivit, eſt vivens & oculus; & quod in eodem primò moritur, eſt ille primum ipſe oculus: & in animo, qui ſpiritus eſt, pura, ſim- moriens. plex & recta intentio, ultimo donatur ſpirituali vita, & primò moritur, primò privatur eadem gratiæ, ceu animæ vita.

Ratio eadem eſt, quæ in oculo: hic enim ultimum vivit in homine, quia ejus fabrica ut pote difficillima, & majoris in natura moliminis, ultimo abſolvitur, ac perficitur, & hinc primò etiam moritur, quia primò deſtituitur ſpiritibus ad vitam neceſſariis: ſic & *Intentio* in homine, qui ſpiritu regitur, non carne, ultimò vivit, quia difficillima, & magni omninò moliminis; in omni enim cogitatione, verbo, opere puram ac ſimplicem habere intentionem (quæ ſcilicet unum Deum ſpectet, atque attendat, & nunquam ad ſe, aut creaturas inclinet) id eſt longè difficillimum; uti & etiam eam retinere; & inde etiam primò moritur, primò & occidit.

Incarnatæ Sapientiæ oraculo, *oculus eſt Lucerna* VII. *corporis*; ſic enim aliquando. *Lucerna corporis tui,* Lucerna *eſt oculus tuus.* corporis. Luc. c. 11. v. 34.

In denſis tenebris, adultaque nocte lucerna lumen effundit, greſſus regit, hominem ducit, oſtendit que, quæ ineunda ſemita, quæ & declinanda, hac ſi deſtituatur, ut erret, ut ceſpitet, ut offendat, eſt neceſſe.

Quod in tenebris viatori eſt lucerna; id corpori eſt oculus, id animo eſt *Intentio*; hæc illi de ſuperis lumen affundit, pedem, id eſt affectum, regit, docetque, quæ tenenda virtutis via, quæ cœli adeundi ſemita: ſi tamen pura fuerit, & ſimplex, nullo vitiorum, aut cupiditatum humore malè affecta, aut aliò vocata, & diſperſa in multa: utique ea ſit, una ſit oportet, non multiplex, uti & oculus unus, id eſt ſimplex.

Quis

INDEX
TRACTATUUM, QUÆSTIONUM ET PARAGRAPHORUM.

TRACTATUS I.
DE IUSTITIA. pag. 1

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Sapientis verba Parabolæ Salomonis: *Ad ſuſcipiendam doctrinæ juſtitiam, & judicium, & æquitatem.* Proverb. c. 1. v. 3.

§. 1. *Quid ſit Iuſtitia?* ibid.
§. 2. *Quæ antiquioribus fuerit Iuſtitiæ ſpecies, atque imago?* 3
§. 3. *Quotuplex ſit Iuſtitia?* ibid.
§. 4. *Quæ ſint Iuſtitiæ leges?* 4
§. 5. *De Iuſtitia Vindicativa, ejusq́ legibus.* 6

TRACTATUS II.
DE PURA INTENTIONE 7

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Matth. c. 6. v. 22. 23.

§. 1. *Ecquis ille oculus ſimplex, quis & nequam?* ibid.
§. 2. *Cur intentio dicatur & ſit oculus animi?* 8
§. 3. *Quem in ſcopum dirigi debeat pura mentis oculus, id eſt pura intentio?* 9
§. 4. *Quàm utilis homini bona Intentio, & è contrario quàm noxia ſit Intentio mala, aut ſaltem non bona?* 11
§. 5. *Rationes nonnullæ, quæ puram illam intentionem vel faciunt, vel ſuadent.* 13

TRACTATUS III.
DE GRATITUDINE 14

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Apoſtoli verba: *Grati eſtote.* Ad Coloſſ. c. 3. v. 15.

§. 1. *Quid ſit Gratitudo?* 14
§. 2. *Quæ ſint Gratitudinis ſymbola?* 15
§. 3. *Exempla magnarum mentium quæ Deo pro acceptis beneficiis gratiſſima.* 17
§. 4. *Gratitudo debita, pro beneficiis etiam iis, quæ in ſolo ordine naturæ.* ibid.
§. 5. *Gratitudo, vel maximè debita pro beneficiis, quæ ſunt in ordine Gratiæ.* 19
§. 6. *Quid ſit ingratitudo, & quantum in homine, maximè autem Chriſtiano vitium?* 21
§. 7. *Quæ, & quam horrenda ingratitudinis pœna?* 22

TRACTATUS IV.
DE RESIGNATIONE IN MALIS QUÆ NOBIS OBVENIUNT. 22

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Si erit malum in Civitate quod non fecerit Dominus.* Amos c. 3. v. 6.

§. 1. *Quod illud malum, quod & fecit Dominus.* 22
§. 2. *Reſignatio in malo culpæ, quod nobis aliquando accidit.* 23
§. 3. *Reſignatio in malis, quæ nonniſi aliena culpa, vitioq́ nobis eveniunt.* ibid.
§. 4. *Reſignatio in malis corporis, aliisq́ afflictationibus.* 25
§. 5. *Reſignatio in ultima vitæ linea, hoc eſt in morte.* 26
§. 6. *Reſignatio etiam in iis quæ mortem ſequuntur.* ib.

TRACTATUS V.
DE DUPLICI SOLITUDINE. 27

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Singulariter ſum ego donec tranſeam.* Pſalm. 140.

§. 1. *De ſolitudine corporis.* 27
§. 2. *De ſolitudine mentis, eaq́ duplici.* 28
§. 3. *Solitudinis illius, & ſacratioris ſeceſſus neceſſitas.* 29
§. 4. *Solitudinis illius magna variaq́ utilitas.* 30

TRACTATUS VI.
DE SOCIETATE, EIUSQUE VI IN UTRAMUIS PARTEM, SEU BONAM ſeu malam. 31

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Sapientis verba: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Prov. c. 13. v. 20.

§. 1. *Sitne conveniens homini humana ſocietas?* 31
§. 2. *Quæ ſit mala ſocietas, & quæ ab illa homini damna?* 32
§. 3. *Quæ potiſſimum fugienda mala ſocietas?* 34
§. 4. *Occurritur tacitæ objectioni, bonos ſubindè verſari cum malis, etiam innoxiè; imò & bonorum bono.* 35
§. 5. *Quid ſit bona ſocietas, & quæ ab illa homini obveniat felicitas?* 37
§. 6. *Quædam Regulæ obſervandæ in delectu ſociorum.* ibid.

* Aa 2 TRA-

TRACTATUS VII.
DE EXEMPLO, EIUSQUE VI IN VTRAMVIS PARTEM, SEV bonam, ſeu malam. 38

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Sapientis verba: *Exemplo didici diſciplinam.* Prov. c. 24. v. 32.

§. 1. *Quid ſit exemplum potiſſimum verò bonum?* 38
§. 2. *Quid ſit exemplum malum?* 40
§. 3. *Quæ & quanta ſit vis boni exempli?* ibid.
§. 4. *Quæ, & quanta vis mali exempli?* 43
§. 5. *Quibus potiſſimum incumbat exemplo bono alios prætre?* 44

TRACTATUS VIII.
DE CONSCIENTIA. 47

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Statera doloſa, & pondus æquum.* Prov. c. 11. v. 1.

§. 1. *Quæ ſit illa ſtatera, & quod pondus?* 47
§. 2. *Quid ſit Conſcientia?* ibid.
§. 3. *Quàm varia & multiplex Conſcientia?* 48
§. 4. *Quid ſit Conſcientia bona, quæ ab illa pax & tranquillitas?* 49
§. 5. *Quid ſit Conſcientia mala, & quæ ab illa turba, qui & tumultus?* 52

QUÆSTIO II. MORALIS.

De tribus Aſſeclis malæ Conſcientiæ: Timore, Dolore, Pudore. 54

§. 1. *DE TIMORE.*
Ad illa Sapientis verba: *Cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis, ſemper enim præſumit ſæva perturbata conſcientia.* Cap. 17. v. 10.
Quis ille Timor, & quantus? ibid.

§. 2. *DE DOLORE.*
Ad illa verba: *Ecce parturiit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Pſal. 7. v. 15.
Quis ille dolor, & quantus? 56

§. 3. *DE PUDORE.*
Ad illa verba: *Operiantur confuſione, & pudore.* Pſal. 70. v. 13.
Quis ille pudor, & quantus? 58

§. 4. *DE EXAMINE CONSCIENTIÆ.*
Ad illa verba: *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in teſtimonia tua.* Pſal. 118. 60
Primò ſuadebitur illud exemplo atque authoritate, etiam profanorum. ibid.
Suadebitur ſecundò SS. Patrum vel authoritate, vel exemplis. 61

TRACTATUS IX.
DE RECIDIVA IN PECCATUM, EIUSQUE GRAVITATE, DAMNIS, periculis, pœnis, & remediis. 63

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Chriſti verba ad Paraliticum: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Joan. c. 5. v. 14.

§. 1. *Recidiva hominem abjicit; imò dejicit infra belluas.* ibid.
§. 2. *Recidivus in peccatum Deo vel maximè injurius.* 64
§. 3. *Recidivus, in Dei Matrem, & Sanctos injurius.* 65
§. 4. *Recidivus in peccatum ſibi vel maximè noxius.* 66
§. 5. *Recidiva vel maximè damnoſa, ob eam, quam inducit peccandi, conſuetudinem, & propè neceſſitatem.* 67
§. 6. *Recidivo aut nulla omninò pœnitentia, aut bonè inanis, & vacua, certè ut talis extimeſcenda.* 68
§. 7. *An, quâ, & quomodo recidiva impleat menſuram peccatorum?* 69
§. 8. *Primus in peccatum lapſus vix Cœlo vindice punitur, relapſus plerumque, & quidem gravius.* 70

TRACTATUS X.
DE OPPORTUNIS RECIDIVÆ REMEDIIS. 72

§. 1. Primum remedium recidivæ ceu periculoſæ ægritudinis:
Spes ardua conjuncta cum juſto timore. ibid.

§. 2. Secundum remedium.
Celer, & feſtina mali curatio. 73

§. 3. Tertium remedium.
Cita quidem curatio; ſed non immodica; ſed non violenta. 75

§. 4. Quartum remedium.
Fuga periculi & occaſionis peccandi. 76

§. 5. Quintum remedium.
Fuga periculi, & occaſionis, maximè vero contra relapſum in materia Caſtitatis. 77

§. 6. Sextum remedium.
A frequenti exomologeſi. 78

§. 7. Septimum Remedium.
A frequenti SS. Euchariſtia perceptione. 79

JACOBI

Quis ille, ſi quæris, audies ex Gilberto: *ſimplex eſt oculus, qui unus eſt, unus autem, qui ad plura non eſt, qui directus in unum, non fiſſus, non diffuſus, non ſparſus in multa.*

Et is fuit oculus ſponſæ, de quo ſponſus illius amantior:

Cant. c. 4. v. 9. *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum.*

Rectè in *uno oculorum tuorum*, quia ſponſæ id eſt animæ ſanctæ, unus eſt oculus, quia in unum intentus, eumque ſponſum, ut annotat D. Anſelmus.

Et is debet eſſe oculus bonæ mentis, ea quoque & intentio; ſpectet ille, ſpectet & hæc Deum unum, neque per creaturas vagâ, & noxiâ licentiâ ſpargi ſe patiantur, neque mundi curis, ſæculique voluptatibus diſtrahi. Ne porrò patiatur unquam, explicandum nobis erit enucleatius, quid ſpectare, quóve collimare debeat ille mentis bonæ oculus, id eſt intentio.

§. 3.

Quem in ſcopum dirigi debeat puræ mentis oculus, id eſt pura intentio?

In Pſal. 31. BEnè dixit, benè monuit D. Auguſtinus: *Non valdè attendas quid homo faciat; ſed quid, cum facit, aſpiciat.* Aſpicit, inquam, mentis oculo, hoc eſt intentione, quæ ut recta ſit, ſimplex eſſe debet; uti & ſimplex oculus, ut bonus ſit. At quomodo, inquies, ſimplex? A Theologis, ac Philoſophis dicitur illud ſimplex, in quo compoſitio nulla, mixtura nulla: ſed unitas ſumma, ſumma & ſimplicitas.

Ut hæc, & illa ſit in intentione, eo oculo, videamus quid ſpectare debeat, quid non debeat: plurimùm enim intereſt, ut in quadam epiſtola, longiſſima quidem; ſed verè aurea luculenter declarat

Epiſt. 95. Seneca; qui ſic inquit, *non in facto laus eſt; ſed in eo quemadmodum fiat. Eadem enim res ſi gula detur, turpis eſt, ſi honori reprehenſionem effugit. Amico ægro quis aſſidet? Probamus. At hoc, ſi hæreditatis cauſa facit, vultur eſt, cadaver expectat. Sic eadem & turpis, & honeſta.* Si turpis, aut honeſta ſit intentio; ideoque refert quàm maximè quæ ſit illa, quidve ſpectet.

In periculis ſubeundis, aut rebus magnis aggrediendis, (non tam ipſa facta, quàm cauſæ factorum conſiderandæ, inquiebat S. Iſidorus Peluſiota; ſic enim *mortales non tam pericula, quàm cauſas; non tam fructus, quàm ſemina; non tam ramos, quàm radices eorum perpendere conſueverunt*: ſi modo benè cauti, ac prudentes) cujus effati rationem producit in exemplis.

Multi quippe latrones, & ſicarii pro ſui ſimilibus dimicantes, mortem oppetiverunt, nec tamen eos quiſquam laudaverit, quippe pro ſcelere dimicarunt. Multi contrà pro patria, & parentibus, ac liberis morti ſe objecerunt, nec tamen propterea quiſquam eos reprehenderit; ſed potius laudaverit, ut qui pro jure naturæ decubuerint. Quo etiam fit ut illi quidem vituperentur, hi autem publicis præconiis celebrentur, ac ſtatuis donentur.

Quod ipſum aperit D. Bernardus, cui in intentione duo neceſſaria requiruntur. *Res, & cauſa, id*

Serm. 40. in Cant. *eſt quid intendas, aut propter quid.* Quod ut exemplo fiat illuſtrius. *Intendat*, inquit, *quis animum inquirendæ veritati, atque id ſolo veritatis amore, nonne is tibi videtur & rem, & cauſam habere honeſtam? Me-*

Cant. c. 1 *ritoq; ſibi vindicare, quod dicitur, Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis, quippe, cui in neutra genarum nævus reprehenſionis appareat.*

Quod ſi minimè quidem veritatis deſiderio; ſed aut inanis gloriæ, aut alterius qualiſcumque commodi temporalis obtentu in veritatem intenderit, jam etſi unam genarum videatur habere formoſam; non tamen dubitabis, ut arbitror, judicare vel ex parte deformem, cujus alteram faciem cauſa turpitudo fœdaverit.

Hactenus D. Bernardus, qui genas ſponſæ pulchras componit cum intentione pura, & ſimplici; ſed ne longius: ad rem propius accedamus, videamuſque quid potiſſimum ſpectare debeat puræ mentis oculus, aperiet illud oblata quondam Deo favente ſpecies.

Perſona in paucis religioſa, & altioribus Cœli luminibus illuſtris, vidit Dominum, qui dextera circulum aureum tenebat, in cujus medio, viſebatur cor, undique catenulis aureis è circumferentiâ circuli appenſum. Infernè ſpectabantur longè plurimi, qui ſagittariorum in morem, ſagittas emittebant in circulum & in cor, veluti ſcopum. S. Iuan de Cognit. & Amore Dei.

Porrò, ex iis aliqui ita ſagittas jaciebant, ut vix medium viæ ſuperarent, reciderentque illæ prono lapſu in terram.

Alii circulum ſagittis tangebant, feriebantque, & quidem eo niſu, atque impetu, ut ex eo elicerent veluti quaſdam ignis ſcintillas, quæ etiam in eos decidebant.

Poſtremi emiſſis valido ex arcu ſagittis, cor ipſum attingebant, penetrabantque, & eò quidem ut ex illo copioſum ſanguinem educerent, unaque etiam cæleſtia quædam lumina, cæleſtes radios, atque ignitos, qui deinde mixti ſanguine in eorum capita depluebant, & partim ſanguine irrorabant, partim radiis illuminabant, partim incendebant cæleſti illo igne. Et hæc fuit tum illi objecta de cœlo ſpecies.

Hanc dum oculo, animoque legit non ſine amabili quodam ſtupore, ſupplex à Domino quærit, ecquid in eo latentis myſterii, & ſimul audit. Circulum illum aureum, repræſentare divitem, atque auream Dei in homines miſericordiam, quæ ſeſe in orbem effundit, aliis, atque aliis ejuſdem donis.

Cor autem illud, referre cor ipſum Chriſti, & cordis illius amores atque æſtus ardentiores; catenulas autem aureas, quibus hinc, & hinc ſuſpenditur, atque tenetur medio in circulo, exhibere infinita illius merita, merita utique vitæ, ac mortis per extrema ſupplicia illatæ.

Denique ſagittarios illos, qui diſtentis arcubus & circulum, & catenulas, & cor ipſum veluti ſcopum impetunt, eſſe tria hominum genera, qui deſtinato conſilio vitæ melioris ac ſanctioris ſtudia ſequuntur.

Ex his primi, quorum ſagittæ vix intervalli medium attingunt, & mox fracto velut impetu, prolabuntur in terram, ſunt ii, qui opera ſua ſine ulla intentione faciunt, quaſi ex conſuetudine, & diuturnæ aſſiduitatis uſu, & hi ut vix promovent; ſic & nihil à Deo impetrant, quod ſaluti eſſe poſſit.

Secundi ſunt illi, qui actiones ſuas, bono quidem fine, bona intentione probatas exhibent: ſed tamen in hac, & illo aliquid quod ſua etiam interſit, ſectantur, & quærunt, & hi ideo non attingunt Cor Chriſti, & puros illius amores; ſed tantum circulum aureum divinæ miſerationis, à qua & impetrant, vel omninò quod enixè poſtulant, vel certè illius aliquid, cujus indicio ſunt ſcintillæ illæ in eos deciduæ.

Denique poſtremi ſunt illi, qui & ſeipſis & creaturis omnibus ſuperiores, non ſua quærunt; ſed quæ Dei ſolius, unamque illius gloriam, unum & amorem, præterea omninò nihil; nec quod in terris ſit, nec quod etiam in cœlis.

Et hi cor ipſum Chriſti, ceu ſcopum, tangunt, penetrant, pervaduntque; & inde ex eodem recenti quaſi vulnere, elicitus ſanguis in eos defluit, unaque etiam divina lumina, divini & ardores: ab illis lucet intellectus, ab his autem calet, ardetque voluntas. Et hi longè ſanctiſſimi, longè & beatiſſimi.

Quotquot in hac mundi arena degimus, & certamus, ſagittarii ſumus, ſi & cogitationes elicimus è ſinu mentis, ſi amores è gremio voluntatis, ſi verba ex ore fundimus, ſi opera è manibus ducimus ſine

fine, atque ex uſu quodam diuturno; nihil facimus, in caſſum laboramus, in vanum, in vacuum & aëra ſagittas jacimus, quæ mox refractæ in terras recidunt.

Sin autem propoſito bono fine, bona & intentione, ea omnia in cœlum emittimus, in orbem & circulum divinæ miſericordiæ, ab ea in nos depluent & aliqua cæli miſerentis dona quæ poſtulamus.

Quod ſi meliore ſorte, altiore & animo nobis, ceu cœli ſagittariis, Deus unus pro ſcopo ſit, ejusque unius gloria pro fine: tum in nos Chriſti ſanguis, omnia & merita ubertim defluent, & cum his, & illa cæleſtia lumina, cæleſtes & ardores, atque ignes.

Ex his porrò ſagittariis fuit S. Ignatius Societatis JESU parens, & author, cujus hoc fuit ſolemne lemma: *Ad majorem Dei gloriam*; hanc ſcilicet unam ſpectabat, atque ad hanc collimabat totus.

Ex his quoque S. Tereſia, quæ etiam voto ſe obſtrinxit & faciendi quod eſſet perfectiſſimum, & quod magis conduceret ad Dei gloriam, quæ una illi erat in primis curis, & amoribus.

Ex his etiam fuit *B. Magdalena de Pazzi*, quæ inter æſtus divini amoris, quibus ardebat tota, dicere erat ſolita, Si ſcirem me vel uno verbulo quod non eſſet è majore Dei gloria, aſſequi poſſe eos beatitatis ardores, quibus æſtuant in cœli regia Seraphini, nequaquam illud mihi elabi ſinerem.

Addebat etiam mirari ſe, nec poſſe capere, quî fieri poſſet, ut animus alio fine laboraret, ſudarétve, quàm pro Deo, Deique unius gloria: adeo hæc illi in oculis erat, atque puris amoribus.

Ex his & S. Franciſcus Xaverius, quem nec ſpes præmii, nec gehennæ metus in Dei ſui obſequia & amores vocavit: ſed purus, putus illius amor: quod liquidò apparebit ex oratione ab eodem fundi ſolita, quam hîc ex Autographo tranſlatam referre viſum eſt. ea porrò eſt ejuſmodi:

O Deus! ego amo te,
Nec amo te ut ſalves me:
Aut quia non amantes te
Æterno punis igne.
Tu tu, mi IESV, totum me
Amplexus es in Cruce.
Tuliſti clavos, lanceam,
Multamq; ignominiam,
Innumeros & dolores,
Sudores, & angores;
Ac mortem. Et hæc propter me,
Pro me, inquam, peccatore.
Cur igitur non amem te?
O IESV amantiſsime?
Non ut in cælo ſalves me,
Aut ne æternùm damnes me:
Nec præmii ullius ſpe.
Sed ſicut tu amaſti me:
Sic amo, & amabo te.
Solùm quia Rex meus es,
Et ſolùm quia Deus es. Amen.

Faſti Mariani 7. Martii. Ex his etiam & *D. Thomas Aquinas*, qui quod in unam Dei gloriam mentis oculum conjecit, prætereaque ſpectavit nihil; à morte, ſtellâ pectus inſignis apparuit, & hanc pura animi intentione meruiſſe ſe dixit.

Sed antiquiora ſunt iſta: demus unum aliud, quod noſtra ſuſpexit, atque amavit ætas.

E minima JESU Societate fuit *P. Iacobus de Saura.* Is è parte pectoris, quæ cordi proximè incumbit, inciſa carne ſanguinem excivit, eoque hæc exaravit ſanguineis notis.

Nieremberg. Primò, facturum ſe in omnibus, quod eſſet perfectiſſimum.

Secundò, nullo ad rem ullam affectu occupandum niſi in quantum ad Deum duceret, aut pro Deo eſſet.

Tertiò, nihil unquam amaturum ſe præter Deum.

Denique, acturum ſe quantum in ſe eſſet ut perennis, & continuus in ſe eſſet actus amoris Dei.

Et hæc grandes animæ, quibus pura in Deum intentio, & purus amor, purusque zelus Divinæ gloriæ, quo mirum quantum arſit *D. Birgitta.* *Blosius in ejus vita.*

Argumento ſit illud: Hæc in exceſſu mentis, æſtuque orationis Deo dicere ſolita: Ut tibi, ô Deus meus, ô amor meus! acquirerem vel unicum gloriæ gradum, quo niteres magis, atque apud Superos inclareſceres; parata omninò eſſem tota æternitate quanta quanta eſſet, ad inferni pœnas damnari, mihique ducerem in bonis; imò & quadam beatitate, ſi tot, ac tantis cruciatibus, vel minimum gloriæ gradum adjicere poſſem, aut unicam guttulam beatitatis, gloriæque tuæ oceano affundere. Et hæc *Birgitta* ad Deum, amores utique ſuos, finem, ac ſcopum unicum illius, de quo agimus, puræ ac ſimplicis intentionis, cui ſuppar fuit ea, quam in Dei matrem exhibuit: patebit hæc ex oratione, quam & ipſa legere ſolita, & hîc etiam attexere viſum eſt ſtylo ſimplici, ſed candido:

O Domina mea, Regina Cæli, in tantum gaudet cor meum ex eo, quòd altiſsimus Deus te prælegit in matrem, & tantam dignitatem conferre dignatus eſt, quod ego magis eligerem in inferno æternaliter cruciari, quàm quod tu vel uno minimo puncto de tam excellenti gloria, & tua cæleſti dignitate careres. *In Revelat. extravag. 63.*

Hæc *Birgitta* divæ matris amantior, quàm ſui, & illius gloriæ ac dignitatis avida magis, quàm ad inferni cruciatus pavida.

Et hic puræ intentionis primus, ac ſummus eſt gradus, in quo ut ſtetit D. Auguſtinus; ſic & eum illius affatu finem inveniet. Eſt porrò illud ejuſmodi:

Tanta te, ô Rex gloriæ, dilectione proſequor, ut ſi (quod eſſe nunquam poteſt) ego Deus forem, & tu Auguſtinus eſſes, omninò vellem ego fieri Auguſtinus ut tu fieres Deus. Et hic eſt exceſſus amoris, hic & terminus puræ intentionis, qui ſeipſum etiam gloria divinitatis exueret, ut eadem Deum indueret. *Roſsignol. de diſcipl. Chriſt. l. 6. c. 20.*

Ut ad eum quoque intentionis gradum aſcendas, Amice Lector, excipe, quæ etiam natura & ratione duce ſuaſit Seneca. ſic inquit,

Proponamus oportet finem ſummi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum noſtrum, dictúmve reſpiciat: Vt enim navigantibus ad aliquod ſidus dirigendus eſt curſus; ſic & viventibus.

At, quod illud ſidus? Seneca judice eſt *ſummum bonum*, hoc eſt Deus, ad hunc dirigendus omnis vitæ curſus, quia, ut addit. *Vita ſine propoſito vaga eſt*; addo ego & mala. Ne ergo vaga ſit, ne mala; Deum unum ſpectet, atque ad eum omnia referat, puro mentis, id eſt intentionis oculo.

Ideoque caveat primò, ne ſeipſa aſpiciat: id enim ſi fecerit, nec rectus erit, nec bonus: ut enim ſuccinctè & preclarè Publius Mimus, *malus eſt vocandus, qui ſua cauſa eſt bonus.*

Secundò, nec ſua ſpectet commoda, nec lucra; ſi enim hæc attenderit, nec bonus erit, nec beatus, ut enim diſertè Seneca. *Non poteſt quiſquam beatè degere, qui ſe tantùm intuetur, qui omnia ad utilitates ſuas convertit; alteri vivas oportet, ſi vis tibi vivere.* *Epiſt. 48.* Quod ſi alteri, id eſt proximo, multò magis Deo; cui uni vivere eſt beatè vivere.

Tertiò, ne in opere aliàs bono, ſibi nomen, famamque quæritet, ne populi plauſus & acclamationes; hoc enim & vanitati datur, & vitio: quod ſi incurreris aliquando, vide ne in poſterum incurras.

D. Auguſtinus meminit cujuſdam Comœdi, cui nomen *Archinus.* Hic prima ætate, omnique juvenilibus, coram populo ludere, plauſumque & ambire, & referre etiam ſolitus: ita nimirum eo plauſu, & acclamationibus ebrius erat, ut etſi coram Diis luderet; non tamen à Diis approbationem

expectabat,

expectabat & gratiam: ſed potius à conferta hominum multitudine. Verum jam ſenex, ac decrepitus, melius ſapere, *& quotidie in Capitolio Mimum agere cœpit, quaſi libenter Dii ſpectarent, quem homines ſpectare deſierant*: ſic enim apud ſeipſum inquiebat.

De Civit. Dei l. 6. c. 10. *Luſi prius hominibus, non Diis: jam verò Deis, non hominibus ludo, & ſcenam apparo.*

Benè ille quidem, ſi Deo vero luſiſſet, non inanibus Deorum ſimulacris.

Quod ille errore deviæ mentis & dixit, & fecit; hoc Chriſtianus ex veritate, ac virtute & dicat, & faciat, dicat inquam ſibi in aurem, dicat & ad animam. Uni Deo ludo, uni vivo, uni ſpiro, in hac vitæ mortalis ſcena: atque ab hoc uno ſpectari, probarique volo. Et hoc vult mens bona, mens recta, quæ etiam cavet.

Quartò, ne ſui operis licet optimi mercedem unquam quærat, aut præmium; hoc enim nec aſpicit puræ intentionis oculus, nec patitur etiam virtus ipſa, ſi pura ſit. Audi quid de illa Sapiens Romanus:

Lib. 4. de Benef. c. 1. *Inveniantur*, inquit, *qui honeſtatis mercedem colant, quibuſque non placeat Virtus gratuita, quæ nihil habet magnificum, ſi quicquam habet venale; cum Virtus nec lucro invitetur, nec abſterreatur damno, adeoq́, neminem ſpe, ac pollicitatione corrumpat.*

Supra c. 4. Quod ſi habet illud. Virtus omnis, ut *gratuita* eſſe debeat, non mercenaria, ut *venalis* non ſit, ut lucro non invitetur, ut non abſterreatur damno, ut neque ſpe quemquam, neque pollicitatione corrumpat, multò magis Deus omnis Virtutis author, ac parens, qui ſui ſolius causâ & amari & quæri debet, non præmii ullius ſpe, aut pollicitatione mercedis.

Quod, ſi *Virtus* (ut ille ipſe Seneca) *non recipit ſordidum amatorem*, quî recipiet Deus ſordidos illos amatores, qui licet extrinſecus eum amare, ac quærere videantur, intrinſecus [illegible] ſeipſos amant, & ſua quærunt; *ſi ad virtutem, [illegible] ſinu veniendum eſt, ſoluta*, inquam, hoc eſt, qui nihil capiat, retineat nihil; non autem contracto, qui & avidè capiat, & tenaciter retineat, quæ ingeruntur.

Quomodo ad Deum veniendum erit? Certè etiam *ſoluto ſinu*, id eſt affectu, qui nec velit, nec amet impleri re ullâ alia, quàm Deo. Ecquid enim ſi ſpe ſe impleat, aut mercedis pollicitatione lactet, nec Deo ſerviat, niſi pro hac aut illa, quid aliud facit quàm canis, qui Domino ſuo pro arido oſſe, pro pinguiore offa ſervit?

Abjiciamus igitur ſervile iſtud, ac mercenarium, & demus Deo, quod amantis eſt, quod & filii, gratuitum ſcilicet obſequium. Daremus profectò, ſi ii eſſemus, quos natura & ratio eſſe volunt, Dei ſcilicet, & pro Deo. At proh dolor alii ſumus.

Raymundus Lullus cœleſti revelatione hæc didicit.

Carolus Bovillus in vit. PP. Occident. l. 6. Primùm è mille vix centum eſſe, qui aliqualem habeant Dei ſeu timorem, ſeu amorem.

Secundum, ex illis centum, facilè nonaginta Deum timent adacti pœnarum & inferni metu.

Tertium, ex illis nonaginta, vix duos eſſe, qui Deum amarent niſi illecti ſpe præmii, ſpe paradiſi.

Denique, è mille, vix unicum inveniri, qui Deum diligeret purè, propter ipſius bonitatem, & majeſtatem.

Hæc ubi cœlo revelante accepit vir Dei, totus abiit in ſuſpiria, in gemitus, in lacrymas, in querelas, vel ex eo tantum quòd Deus non amaretur ſui ſolius ergo.

Et verò quidni ſic excederet: Chriſtus aliquando ſeſe ſpectandum obtulit *B. Angelæ*, & hæc illi:

Primò. *Ama me quantum potes; quantum, quantum fuerit in me tuus amor, nunquam erit tantus, quantus in te eſt meus.* Tum blandè, & quaſi expoſtu-

Annal. Minor. lans addidit: *O Angela, filia mea, vix credi poteſt vix & dici, quàm pauci in terris me ament mei ſolius causâ.* Tum etiam adjecit exoptantis illud: *O filia, quàm amarim, & optarim tales mei amatores.* Ubi hæc ſua vota aperuit Servator optimus, tum ex illa quæſivit: *Ecquid me non amant mortales, qui ſolus, & ſuper omnes ſum amabilis?* Qui ſolus, & principium, & finis amoris.

Quæſivit, inquam, & videri, & loqui deſiit: non deſiit, tamen amare *B. Angela*. Utinam nec deſinamus ipſi. Ne porrò deſinamus unquam, hic aſcribendæ videntur Maximæ amoris, & puræ intentionis datæ à Deo *S. Brigittæ*.

Ex his fuit prima, nullum tibi in hoc mundo ratum conſilium, nullum & animi decretum, quod non ſit Dei conſilium, & decretum.

Secunda primæ affinis. Plenè velis quod vult Deus, & nihil velis, quod non vult Deus.

Tertia velle, quod vult Deus, & hoc purè, quia vult, & quia ſibi in eo complacet: non autem, quia tibi vel amori, vel ſolatio, vel etiam honori.

Quarta, Deo uni ſatisfacere; uni & placere, tibi ſit pro præmio, & aliud nihil.

Quinta, Deo ſubdi, Deoq́ue ſervire, non quia parata tibi in Cœlis merces; ſed etſi nec eſſet parata, nec Cœlum tibi ſedes, nec paradiſus locus tuæ quondam beatitatis, velles nihilominus & illi ſubdi, & illi uni ſervire quàm maximè.

Sexta, etſi jam eſſes in profundò infernæ ſtygis, è quo tamen evadere poſſes in cœleſtes auras, vel dicto unico *Pater & Ave*. Nec hoc tamen velles, niſi & vellet ipſe Deus, quod ſi nollet, nolles & ipſa. Imò in tota, quanta eſt æternitate, ne cogitares quidem, nec deſiderares ex inferno elabi niſi & cogitaret, & vellet Deus ipſe.

Et hoc, quia tibi melius eſſe cenſeres eſſe in inferno ex Dei voluntate & beneplacito; quàm ſine hoc, aut illâ eſſe in Cœli regia, ſinuq́ue beatitatis. Voluntas enim Dei vel unica, ſummum eſt beatitatis; ſummum & amoris, adeoq́ue & votorum etiam ſummum.

Et hoc fuit votum, hæc ad Deum ſupplex oratio viri in paucis religioſi, de quo *Cæſarius*.

Hæc ille quondam, mente ac cogitatione ex ipſis Lib. 10.
inferis: O mi Deus ne patere ut in tota æternitate c. 6.
animum ſubeat, vel una cogitatio exeundi ex inferis; melius enim mihi eſt in ipſo inferno eſſe, cum tua voluntate, quàm in Paradiſo cum propriâ.

§. 4.

Quàm utilis homini bona intentio, & è contrario quàm noxia ſit Intentio mala, aut ſaltem non bona?

SAnctus Franciſcus de Sales, intentionem com- De Amore
ponit cum moneta, quæ ut alicujus ſit valoris, Dei l. 12.
ac pretii: Primò debet eſſe *proba*, puta auro puro, & c. 7.
non adulterino, ſi aurea ſit. Secundò, debet eſſe *juſti ponderis*. Tertiò, *legitimæ note*, id eſt notata ſigna regio, ſigno principis, ſi horum trium vel unicum deſit, rejicitur moneta ut illegitima.

Quod monetæ; hoc & omni operi noſtro. Ut apud Deum, ac Superos ſit in pretio ac valore, neceſſum eſt, primò, ut ex ſe bona ſit, ſaltem non mala in ſua natura, ac ſpecie: deinde ut & ſit juſti ponderis: denique ut intentio bona ſit; hæc enim eſt quaſi nota, & cœleſte ſignum eidem impreſſum, ut monetæ ſolet. Quod explicat, & oculis quaſi ſubjicit exemplo familiari; ſic enim inquit:

Jejunet unus aliquis, ut parcat ſumptibus ſtudio ſcilicet ſordidæ parſimoniæ, jejunium illud non eſt in bona ſpecie, non eſt virtutis; ſed potius vitii.

Quod ſi jejunet, & quidem ex temperantia, alicujus quidem virtutis eſt; at ſi peccato mortali infectus eſt, non eſt jejunium illud æqui apud Deum ponderis, quia deeſt charitas, quæ omni operi noſtro dat pondus.

Denique, ſi jejunet ex ſocietate, ut aliis quibuſcum agit, ac verſatur ſeſe accommodet, quia deficit bona intentio, deficit & nota legitimi jejunii.

Quod ſi contrà jejunet unus aliquis ex ſtudio, amoreque temperantiæ, & ſit gratia ornatus ac caritate, nec alia intentio, quàm Deo placendi, jejunium omni parte eſt legitimum, atque apud Superos, veluti proba, ac legitima moneta, qua etiam Cœlum emi poſſit.

Et hæc prima beato Præſuli fuit comparatio. Alia petita fuit à ſtomacho, his valentiore ac calidiore, iſtis autem debiliore, ac frigidiore. Homines inter non paucos videris, qui liberaliter; imò & prodigè comedunt, ac vorant; helluones eſſe crederes, & ex verò ii ſunt, & tamen, ſemper macilenti, exſucci, extenuati. Alii contrà, ſobriè, & parcè veſcuntur, nihiſominus valentes ſunt, & pleni ſucco, ac robore. Quæ cauſa? Ea eſt in promptu. His quidem vis digeſtiva, quæ in ſtomacho reſidet, & innatus illi calor, valens eſt, ac potens, cibum optimè digerit, concoquit & ſpargit in venas in membra, in corpus omne, Et hinc illi eſt quàm optimè. Aliis ex adverſo, eadem vis digeſtiva debilis eſt, debilis, atque exiguus in ſtomacho calor; & hinc in vultu deformis macies, in corpore languor, & ſubinde etiam tabes.

Quod illis in genere naturæ: hoc & aliis in genere moris. Ex his quoſdam videris, qui multa præſtant, & quidem in ſpeciem bona; at quia illis exiguus, aut nullus à charitate ignis, nullus & calor, quia ex naturæ impetu, atque inclinatione magis operantur, quàm ex gratia, & virtute; quia ex conſuetudine potius, quàm deſtinato conſilio, rectaque intentione, hinc in ſpiritu emarcidi, & languidi toti; cùm è contrario, valentes alii, vividi, ac vegeti in ſpiritu, quia & valens charitatis ardor in illis eſt, & pura ad cœlos, ac Deum Intentio; quæ omnia etiam minima in bonum convertit, ſuccumque virtutis, ac gratiæ.

In Serm. Aſcetico de Pœnitentia. Quod & advertit S. Ephrem Syrus: *Iuſti*, inquit, *parvis actionibus magis Deum flectunt, ac placant, præ nonnullis, qui multa faciunt: Non enim ad actionem reſpicit Deus; ſed ad propoſitum voluntatis; & non intuetur quod ſit, ſed quo quid ſtudio, ac propenſione peragatur.*

Quod ut in aperto ponat, & clara luce, aliis atque aliis exemplis probat, & ſic ait.

Vidua paupercula ſolvet dubii jam dicti quæſtionem, quoniam duobus obolis ſuperavit divites auro abundantes; & in tabernaculo teſtimonii, qui caprarum pilos obtulerunt, ſimul cum opulentis benedictionum acceperunt, & qui byſſum cum auro nebant, ſimiles iis erant, qui pilos ad operimentum tabernaculi texebant.

Puſilli mortales, qui ea ferè tantùm, quæ oculis parent, æſtimare ſolent, oblata ſuperis dona ex pretio ponderant. At non ſic Deus, qui ad interiora hominis evadit, ex affectu, atque intentione is judicat, atque ex his metitur doni pretium, ac præmium, & laboris adhibiti pondus, aut inanitatem; quod ſanè probabit, atque liquidò oſtendet illud quod aliquando ſuis referre ſolitus *Arſenius*, Arcadii Imperatoris olim præceptor.

Quidam ſenex monachus, inquit, *audivit vocem ſupernè dicentem: Adeſdum, ut oſtendam tibi quomodo ſe habeant opera hominum.* Nec mora ſurrexit, abiit è cella, & Ducem Angelum ſecutus per àvia, atque invia perrexit, & dum pergit, inter alia, quæ ſubjecit illius oculis, hoc facilè primum ac princeps.

Oſtendit unum aliquem, qui è patenti lacu aquam hauriebat copioſam, ingentique niſu infundebat in canalem perforatum, è quo mox effluebat omnis aqua, & huc atque illuc effundebatur, labore ſanè multo, ſed utilitate nulla: neque enim imbuebat aut prata virentia, aut fertiles agros, aut molles areolas; ſed per dumeta, per ſaxa, per ſteriles arenas longè lateque ſpargebatur; fructu nullo, proventu nullo.

Dum hæc ſpectat ſenex, & ſtolidum laborem incuſat, ac damnat, ſic illi Angelus:

Qui fundit aquam in canalem perforatum, is eſt, qui bona quidem facit opera, jejunat, orat, eleemoſynas ſpargit: ſed cùm ea nolit ita facere, ut fiant ſolum coram oculis Dei; ſed ſtudet etiam videri ab hominibus, ſtudet & laudari; ideò in caſſum laborat, fruſtra operatur, privaturque debita aliàs mercede. Et hæc bono ſeni Angelus. Surius Tom. 4.

Ex illius genio, ſtudioque fuere quondam ſcribæ ac Phariſæi, qui facturi eleëmoſynam, in publicis vicis, ac Synagogis tubicinem præmittebant, qui tubam inflaret, & illius clangore populum excitaret, acciretque frequentem, vel etiam ipſimet cornu canebant, ſpecie quidem, ut eo, ſeu clangore, ſeu etiam ſonitu pauperes turmatim evocarent in publicum, re tamen ipſa ad vanam eleëmoſynæ oſtentationem, famamque liberalitatis, plauſumque populi, laudes, acclamationeſque colligendas.

Et quæ his merces? *Suam* (inquit Chriſtus.) *Receperunt mercedem: ſuam*; non autem Cœli, non Matth. c. 6.
Dei, non beatæ æternitatis: ſed *ſuam*, hoc eſt, ſibi, v. 2.
ſuæque vanitati congruam: & qua ſola digni. At rurſus ecquænam illa? Popularis aura, vapor evanidus, gloriolæ fumus, umbra vanitatis, verbo uno nihil.

Ne tibi eadem merces accidat, Amice Lector, audi & ſerva illud Servatoris tui ſeu monitum, ſeu etiam oraculum.

Te faciente eleëmoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua; hoc eſt fuge eleemoſynæ, virtutiſque tuæ oſtentationem, fuge & videri, & eò quidem, ut ſi ſiniſtra tua (quod eſt adynaton) haberet oculos lynceos, videre ta[illegible]on poſſet quod feciſſet dextera tua, quáſv[illegible] eleëmoſynas, erogaſſet; adeò amaret abſcondi, amaret & non videri ea quæ ex virtute feciſſet. Nec mirum, quia & hæc amat latere, amat & abſcondi. Ut enim ſcitè D. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ: *Celata virtus Deo judice gaudet.* Et quia eo judice, & quidem ſolo; ideo aliorum oculos fugit, & judicium horret, contenta unius Dei, ceu judicis, oculo, atque conſpectu. Verſ. 3.

Et ita contenta fuit *S. Catharina Senenſis*: ab hac aliquando Chriſtus pauperis nudi ſpecie primò tunicam, mox induſium, mox ſubuculam, tum etiam manicas petiit, dedit illa liberaliter, & quidem ſecretò, nemine conſcio, præter eum, qui acceperat. Quid deinde? nocte proximè ſequenti, et ſe viſendum obtulit Chriſtus, oſtentans tunicam iſtam auro, gemmiſque conſpicuam: ſcilicet & auri pretium, & gemmarum lucem addiderat effuſa Virginis charitas, atque in pauperem miſeratio, à quo & illud pro præmio accepit, veſtem ſcilicet inviſibilem, quæ impoſterum omnem ab ea frigoris injuriam arceret, & verò arcuit; exinde enim nullum unquam perſenſit frigus, etſi aliàs acre eſſet gelu, & hæc in terris illi decreta merces; alia deinde in cœlis, publica ſcilicet gloria, publicus & honos, & hoc quia ex puræ intentionis genio, ſua omnia faciebat *Catharina*, non in publico, ſed in ſecreto; contenta Deo uno & teſte, & judice. Et ita facias oportet, mi Lector, memor illius, quod ex antiquis nonnemo: Raymundus in ejus vita.

Intentio, & dictis præſidet & factis. Et tam his, quàm illis pretium addit, aut demit: addit, ſi bona; demit autem, ſi mala: addit ſi Deum ſpectet, ut ſcopum, ſi in eum omnia dirigat; demit autem ſi aliò mentis oculum declinet, ſi deflectat à Deo ſuo.

Ne porrò deflectat imitetur ſagittarium: hic primò habet propoſitum ſibi ſcopum: deinde paululum ſubſiſtit, quaſi meditabundus, & ſe ſibi reddat: tum ſiniſtrum oculum claudit, & dextrum aperit,

ut uno

ut uno oculo rectè collineet: denique è tenſo arcu, directo limite in deſtinatam metam contendit.

Et ita contendit Sponſa, de qua cœleſtis Sponſus: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.*

Pro ſcopo illi fuit, *Cor ſponſi*, Cor amabile, cœleſte, divinum: in illud ut libiaret certius, unum clauſit oculum, id eſt ſiniſtrum; clauſit, inquam, terris; & alterum, hoc eſt dextrum, cœlis aperuit, ut in Cor ſponſi rectiùs intenderet, & ſua tela, hoc eſt omnes amores ſuos illi infigeret.

Et verò pro eâ, quâ erat jaculandi peritiâ infixit. Ut & tu ſic infigas, Amice Lector, age, pro ſcopo Deum tibi ſtatue, tum paululum ſubſiſte, & te collige, ut ſagittarius ſolet, quid dicturus, quidve facturus ſis, cogita: tum ſiniſtrum oculum claude, ne terram, ac terrena aſpiciat; & dextrum aperi, atque ad Cœlum ac cœleſtia, ad Deum ac divina ſuſtolle. Tum ſagittas emitte, ſagittas utique amoris; ſed Dei.

Sic emiſit *Eſther* Regina, quæ hæc aliquando in meliores auras: *Tu ſcis quod nunquam lætata ſit ancilla*
C. 14. v. 18. *tua, niſi in te Domine Deus.*

Non in coronâ, & ſceptro, non in regno, ad quod propè è cinere evaſi; non in Regiis amoribus, non in aulæ pompâ ac deliciis, aliiſque regiæ fortunæ phaleris exultavit ancilla tua; ſed in te uno, Domine Deus.

Ecce *Eſtheris* ſcopus, ecce quo & ſe, & ſua direxit omnia, ecce ut in Deum rectà contendit.

Et ita contendit ex Antiquis Patribus unus aliquis. Hic ad initia ſingulorum operum paululum
Rodriguez. de perfect. hærere ſolitus. Rogatus autem cur id faceret? Reſpondit, facio quod ſagittarii, ſolent: *Collineo* ut in ſcopum id eſt Deum meum, quodcumque molior opus, rectà dirigatur, ejuſque unius gratia fiat. Quod illi; hoc & aliis in ſpirituali palæſtra ſagittariis, in uſu fuit.

Gradu 12. *S. Ioannes Climacus*, quæſivit aliquando ex quodam Fratre, qui coquum agebat, & ducentis triginta, eóque amplius monachis in coquina ſerviebat; unde in eo officii genere, adeò gravi, & laborioſo, illi tanta animi quies? tanta & vultus hilaritas, atque amœnitas? ex illóque mox audiit: *Quia Deum aſpicio, ad Deum contendo, eiq; uni in Fratribus ſervire me credo, ei uni cibos coquere, cibos & parare me puto.*

Quod ille in coquina, hoc in Roſtris, & Curia Advocatus, cauſas agat, tractétve; ſed quaſi Dei, & Dei cauſa. Hoc & mercator in ſua officina; merces congerit, diſtrahit, vendit; ſed & ipſe Deo, Deique gratia. Hoc & miles in pulvere Martio, clangit tuba, ſtrepunt tympana, expediuntur arma, itur in hoſtem, eatur bonis avibus, felici omine, & grandibus animis; ſed eatur Dei cauſa, Deo militet, quiſquis militat. Studiis incumbit alius, menſæ incubat, & totus chartis impalleſcit; bonum factum, modò factum uni Deo, uni illius obſequio, & gloriæ. Et ita dictum, ita factum velim in quovis gradu, vitæque genere, in quo te natura, te fortuna, aut verius Dei providentiâ locarit, in eo Deum quære, Cœloſque ſpecta; & ſic tibi purus, ac ſimplex erit bonæ mentis oculus, purior & animus puriore ac cœleſti luce aliquando donandus in tota quanta quanta eſt æternitate.

P. Franciſcus Ribera è Societate JESU, notus à calamo, & doctis ingenii monumentis, tertio poſt mortem die propè Dei ſolium in cœlo viſus eſt glo-
Nadaſi in An. Dier. memor. 30. Nov. rioſus, pectore lucis divinæ radium excipiens ab ipſo Dei pectore prodeuntem, à quo & pulchritudine mirabili, & ſummo gaudio perfundebatur, quod intentionis rectæ præmium fuit. Nempe cùm chartis impalleſceret, cùm libris incubaret & menſæ, cùm diceret è pulpito, cùm doceret è cathedra, cum ingentia volumina tranſmitteret in poſteros, non alium ſibi præfigebat ſcopum, quàm unius Dei obſequium, unius Dei gloriam; & hinc illi ea cœlo reddita beatitas, & lucis æternæ radius, quem & excipient illi, qui eodem puræ mentis oculo Deum aſpexerint, eúmque unicum.

§. 5.

Rationes nonnullæ, quæ puram illam intentionem vel faciunt, vel ſuadent.

PRima petitur à Deo ipſo, ter Opt. ter Max. qui I.
rerum omnium eſt finis ultimus & cujus gratia A natura.
ſunt omnia, maximè verò ipſe homo: nec enim eum creavit Deus, niſi ſui cauſâ, atque ut ſuus eſſet totus. Quod ſi à natura Dei eſt totus homo: certè omnis illius actio, ut Dei quoque ſit, ac pro Deo, neceſſum eſt.

Hic enim unicus eſt illi finis, etiam à natura, à II.
gratia quoque is etiam eſt: Eſt enim ab hac *Dei Filius*, A gratia.
adeoque illi debet, quod Patri quàm optimo Filius. Eſt *Spiritus Sancti ſponſa*, ideoque quod ſponſa ſponſo; hoc & Deo reddat eſt neceſſe. Eſt cœli hæres, proindéque & ſe, & ſua omnia Deo aſcribere debet, velut illi, à quo uno ſcriptus eſt hæres.

Et hinc debet illi reverentiam, ut Patri, fidem & amorem, ut ſponſo; ſe & ſua omnia velut omnium largitori munificentiſſimo: Et hinc petitur alia quoque ratio, quæ eſt ejuſmodi.

Etſi Deus omnia fecerit ſui cauſâ, tamen & fecit
gratiâ hominis, ut illi quoque ſervirent, illius & III.
eſſent: & inde homini ſol ſurgit & lucet, ſurgunt A creaturis
& lucent alia ſidera, & illi quoque volvuntur Cœli, aliis.
illi, ſerviunt elementa, calet ignis, friget aqua, liqueſcit aër, ſtat terra, & genituræ vacat tota: illius quoque ſunt animantia, ſeu illa, quæ terris adrepunt, ſeu illa, quæ aquis innatant, ſeu denique, quæ liquidò volant in aere: hominis ergo ſunt omnia, ut & homo Dei ſit totus, ſecundùm quem, illius ſunt cætera omnia.

Et hanc rationem propoſuit D. Auguſtinus, ut & ſibi, & aliis animos adderet ad Dei obſequia: ſic enim ait:

Vt tibi totus ſervirem, omnia quæcumque feciſti, in In Soliloq.
meum ſervitium tradidiſti. c. 19.

Alia ratio ducitur à mirabili quadam vi, ac virtu-
te, qua pollet intentio recta: hæc enim non ſolùm IV.
dat novam gratiam rebus à natura pulchris, atque Ab inſita vi
alicujus dignitatis; verùm etiam, quod mirandum, ac virtute
res communiſſimas, & quotidianas actiones, quarum rectæ inten-
aliquæ nobis ſunt cum brutis communes, attollit ad tionis.
excellentem quandam rationem, qua & ſuperos, & Deum ipſum oblectat.

Quid in vita humilius, quid abjectius, quàm comedere, bibere, dormire, ludere? Et hæc tamen omnia, ſi ex bona intentione fiant, illius acceſſione, ceu altiori quadam luce, ac nitore veſtita aſſurgunt ad eximiam quandam pulchritudinem, & copiam meritorum.

Fuit Antiquis *Virga Chemica, aut magica*, cujus contractu omnia vertebantur in aurum, unde & natum commune proverbium, ut olim quod ad opulentiam evenerat fæliciſſimè, id *divina Virgula*, contractum diceretur.

Commentum fuit illud; ſed ingenioſum, è quo tamen ad inſtitutum noſtrum, ex veritate, deduci poteſt iſtud:

Intentio recta, eſt illa *Virga*, *Virga divina*, quæ quidquid attigerit, mutat in aurum: clariùs explico, & rem evolvo. Quid egenius quàm pauperculo, dare potum aquæ frigidæ, quæ & pecori daretur, ac jumentis? Et tamen ſi datur in nomine Domini, & gratiæ augendæ ſervit, & cœlo etiam emendo, & charitati, id eſt auro comparando. Imò & ipſa quodammodo aurum eſt; non è terræ gremio, ſinu-

que hauſtum; ſed è Cœli gazis opulentioribus.

Miranda fuit Virga Moyſis, quæ Cœlum aperiebat, dividebat maria, & è ſicca rupe eliciebat fontes aquarum. Ne virgam illam tibi quære, alia eſt ad manum, utique recta intentio, quæ tibi viam aperiet ad Superos, & per medios aquarum, id eſt tribulationum vortices, ſemitam dabit ſicco alveo, & fontes effundet cæleſtium conſolationum, etiam unde minimè reris, ex arido, duroque ſaxo.

Minervæ attributa quondam à Poëtis virga, cujus attactu Ulyſſem efficiebat juvenem atque ad elegantiam formoſum, eundemque cùm vellet ejuſdem virgæ vi deformabat in ſenem rugoſum, pallidum, invenuſtum.

Fabella eſt è Poëtarum arcanis eruta. At hæc pro illa dabitur veritas. Recta in Deum intentio, virga eſt, non Minervæ; ſed Cœli, cujus attactu animo juveneſces totus, & Deo, Superiſque pulcher apparebis, pulchra & opera, aliàs ſine illa deformia. Dormire, comedere, bibere, ludere, ut ante dixi, opera eſt naturæ; & ſæpius etiam gulæ, ſocordiæ, petulantiæque inſolentioris: at rectæ intentioni, aurum eſt, gemma eſt, & ſi quid his pretioſius cogitare lubet.

V. A Dei voto. Tranſeo ad aliam rationem, ea petetur à Dei voto, quo & in nobis amat & quærit purum illum bonæ intentionis oculum; quo ipſum ſuſpiciamus, deſpiciamus cætera.

Quæſtus olim Deus, & hæc *B. Margareta Contracta*, auditus eſt dicere. Nemo eſt qui velit abnegare ſemetipſum: ſed omnes quaſi pro pretio volunt mihi ſervire, ut & in hac mortali vita, multas obtineant Cœlo benigniore conſolationes, & in altera immortali mecum in regno meo ſedeant honorati. *In ejus vita M. S.*

Hæc ubi dixit de hominum quaſi vulgo conqueſtus, tum addidit altius aliud. *Me unum aſpice, te deſpice, tota mihi vive; & tibi morere, de me cogita, non de te, me dilige & non te. Quære me, & te minimè.*

Et ſic tibi puriſſimus erit intentionis oculus puriſſimus dico, qui ſcilicet nihil aſpiciet niſi Deum.

S. Clara de Montefalco, miram à Deo acceperat cæleſtis ſolatii gratiam, & miram cum Deo, beatiſque ſpiritibus familiaritatem, cujus illecebris, blandaque dulcedine capta, dum ſeipſam aſpicit, neſcio quid gloriolæ irrepſit. Quid inde? cœlo quaſi vindice, quindecim annorum ſpatio, omni conſolatione privata, etſi pro ea recuperanda nec lacrymis parceret, nec jejuniis, nec corpuſculi afflictationibus: adeò noxium eſt etiam in Cœli gaudiis ſeipſum amare, & quærere.

Ne porrò ſeipſam aliquando ſic aut amaret, aut etiam quæreret. *D. Catharina Senenſis*, hæc illi Chriſtus. *Filia mea, cogita de me, & ego cogitabo de te, mihi uni ſervire ſtude, & ne dubita, tuo ego commodo, & ſaluti, & gloriæ ſtudebo.* VI A Chriſti deſiderio.

Et hæc paucis dicta ſint pro ea, qua de agimus recta intentione.

TRACTATUS
DE GRATITUDINE.

IN epiſtola, quam ad Coloſſenſes ſcripſit Apoſtolus, primò pro ipſis Deum, ac Superos orat, ut in ſuſcepta fide firmi ſint, ac conſtantes: tum monet ut caveant à captioſis Philoſophorum argumentis. Denique ducit ad ardua virtutum, miſericordiæ, benignitatis, humilitatis, modeſtiæ, patientiæ maximè verò gratitudinis, quæ eſt veluti coronis donorum Dei: ſic enim olim ad illos. *Grati eſtote* ſic & hodie ad nos. Ut Apoſtolo bene monenti pareamus, unam movebo quæſtionem, & in alios, atque alios paragraphos dividam. *Ad Coloſſ. c. 3. v. 15.*

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Apoſtoli verba: *Grati eſtote.* Ad Coloſſ. c. 3. v. 15.

Quid ſit gratitudo?

Gratitudinis definitio. ANgelico Doctori, *gratitudo eſt Virtus ſpecialis reddens gratiam benefactori.* Et hæc eſt definitio preſſius ſumpta, ex ſeverioris Philoſophiæ legibus.

Ea porrò gratitudo originem ducit, Ipſumque nomen à *Gratiis*, quæ apud veteres tres effingebantur. 2. 2. Q. 106. art. 1.

Uni nomen *Aglae*, Alteri *Euphroſyna*. Tertiæ *Thalia*. Virgines erant, quòd ſine ſpe conceptionis, id eſt retributionis, dari debeat, quod datur. *Nuda* pingebantur, quia beneficia ſine fuco eſſe debent, nec ullo tegi velamine. *Iuvenes* erant, quia non debet beneficiorum memoria ſeneſcere. *Hilares* erant, & vultu ſubridenti, quia & in dante, & in reddente, ſua debet eſſe hilaritas, ſua & amœnitas. Denique inter ſe *connexæ*, quia inſolubiles eſſe decet gratias. His pro Patre dabatur *Iupiter*, Deorum Summus, eo quod à Deo ſit omnis gratia. Pro Matre fuit *Eurynome*, & ipſa Antiquioribus Dea, ſic dicta, quòd abundanter daret, abundanter & retribueret.

Et hæc in altâ Antiquitatis nocte finxere Poëtæ veteres; è quibus tamen ea, quam aperui apparet lux veritatis. Uti & ex illo, quod & probavit, & laudavit *Ariſtoteles*, ut in medio, & pulcherrimo civitatis loco referendæ gratiæ templum extrueretur. 5. Ethic. c. 5.

Eo certè conſilio, ut incitarentur omnes, ad beneficia, tum apud alios collocanda, tum etiam agnoſcenda, & prædicanda.

Quod & factum apud Cherroneſitas prodit orator è Græcia Princeps Demoſthenes, qui & ipſi gratiæ aram ſtatuerunt, eâ mente, ut docerentur omnes, ſupremo Numini gratos eſſe debere, ob accepta ab ejus liberali manu ingentia, & quotidiana beneficia: ſed de his alias fuſius. Orat. de Corona.

Venio ad aliquas ejuſdem gratitudinis deſcriptiones, ex quibus & illius natura, & proventus videbuntur latius explicari. Gratitudinis deſcriptiones.

Latino Oratori *Gratitudo*, eſt veluti fœcunda parens Virtutum omnium: ſic enim ille aliquando in oratione pro Plancio: I. Virtutum mater.

Etenim, Iudices, cum omnibus Virtutibus me affectum eſſe cupiam, tum nihil eſt quod malim, quàm me & gratum eſſe & videri.

Hæc ubi de ſe extulit, tum rationem hanc ſubjicit. *Hæc eſt una Virtus, non ſolum maxima, ſed etiam mater Virtutum reliquarum.* Quod ut evincat, elabitur ad alia, atque alia Virtutum genera.

Quid eſt pietas, inquit *niſi voluntas grata in parentes? Qui ſunt boni cives, qui bello, qui domi de patria bene merentes,*

merentes, niſi qui patriâ meruerint. Qui ſancti, qui religionem colentes, niſi qui meritam Diis immortalibus gratiam juſtis honoribus, memori mente perſolvant?

II. Et auctrix cuſtos beneficiorum. Hom. 25.

D. Chryſoſtomo, aureo Oratori. *Gratitudo cuſtos eſt beneficiorum*: ſic enim ille in Mathæum.

Optima beneficiorum cuſtos eſt & ipſa memoria beneficiorum, & perpetua confeſſio gratiarum.

Cuſtos, inquam, imò & auctrix. Et hoc eſt, quod eleganti emblemate notatum voluerunt ex antiquioribus Poëtis nonnulli, qui Cœlo parente editas finxerunt *gratias*, & quidem quatuor, quas inſigni puellarum ſchemate expreſſerunt.

Verda lib. de imag.

Ex his prima coronabatur vernantibus roſis, ac floribus, ſeconda ſpicis; Tertia uvis matureſcentibus, pomis & fructibus omnis generis; Quarta ſertum in capite geſtabat ex olivis benè contextum.

Et hæc fuit illius emblematis ſpecies, quam ſic evolvi, explicarique voluere ſapientes. Quiſquis in primo ætatulæ vernantis flore Cœlo gratus erit, pro collatis in ſe beneficiis, ſibi polliceri poteſt in reliquum omne totius ævi ſui, & fructus uberes, & gazas opulentiores, & bonorum omnium abundantiam, & tandem cœlo propitio, etiam coronam pacis, coronam æternæ beatitatis, cujus ſymbolum eſt oliva.

III. Virtus Chriſtianorum. Cap. 5. v. 20.

Tranſeo ad aliam ejuſdem gratitudinis deſcriptionem: ea petetur à D. Hieronymo, qui ſic aliquando in illud D. Pauli ad Epheſios:

Gratias agentes ſemper pro omnibus.

Hac, inquit, *Chriſtianorum propria Virtus eſt, etiam in his, quæ adverſa putantur referre gratias creatori: in beneficiis Dei, quæ nobis accidunt, gratulamur: hoc & gentilis facit, & Iudæus. Sed juxta Apoſtolum, hæc Virtus eſt maxima, ut in ipſis miſeriis, atque periculis Dei gratia referantur, & ſemper dicamus: Benedictus Deus.*

Minora ſcio ſuſtinere, quàm mereor, hæc ad mea peccata parva ſunt; mihi dignum redditur. Hic animus Chriſtianus eſt, & hæc etiam vox: Deo gratias.

Probat D. Auguſtinus & commendat impenſius morem veterum Religioſorum, quibus in ore frequens erat illud *Deo gratias*, quo etiam cùm fierent obvii ſeſe mutuò conſalutabant, uti etiam hodie faciunt alii: quos inter minima JESU Societas, cui ſolemnis illa ſalutatio, cùm ſibi invicem occurrunt ſocii: *Deo gratias*. Et hæc quoque manaſſe

D. Bonav.

primò creditur à Diva Virgine Dei Matre, quæ omnes ſe ſalutantes reſalutabat, his voculis, *Deo gratias*. Contra hunc morem declamaſſe auditi Circumcelliones, quos impugnat, ac refellit D. Auguſtinus dum ſic adverſus illos:

In Pſ. 132.

Qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo. Vide ſi non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem ſuum: num enim non eſt locus gratulationis, quando ſe invicem vident, qui habitant in Chriſto?

Hæc ubi dixit pro Chriſtiano illo more, qui manavit jam inde ab ipſa Eccleſiæ infantia, tum exclamat:

Epiſt. 77.

Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc, nec dici brevius, nec audiri latius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt.

IV. Cœleſte profluvium.

Deſcendo ad aliam gratitudinis deſcriptionem, quæ erit D. Bernardi, cui ea dicitur & eſt *cœleſte quoddam profluvium*; dum enim inſiſtit urgetque, ut toti eamus in gratiarum actiones, ſic, opportunè admonet.

Ad locum unde exeunt revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Remittatur ad ſuum principium cœleſte profluvium, quò uberiùs terris refundatur.

Alludit S. Præſul ad flumina, quæ noſtris alluduntur oculis, eòque refluunt, unde effluxerunt. Fluunt illa ex oceano, & in eundem refluunt: ſic & gratiarum cœleſtium flumina, cùm à Deo, ceu bonorum oceano, exeant, ad Deum, per gratitudinem, & gratiarum actionem, redeant eſt neceſſe, ut rurſum cum fœnore, majoreque proventu, refundantur.

Et ſic nos probè doctos voluit *D. Baſilius* in oratione, quam poſteris reliquit in laudem Martyris Julii, ubi hæc inter cætera: *Accumbens menſæ, ora eſitans panem, largitori gratiam rependito. Tunicam indueris? Gratias agito benigno Largitori. Amictus pallio? Fac in te augeſcat interior erga Deum charitas, qui indumenta gratuitò largitus eſt, hyemi æſtatique accommoda, quibus & vita conſervetur, & obvelatur turpitudo.*

Tibi dies expletus abiit? Illi referto gratiam, qui ſolem nobis ad diurna operationis miniſterium … *Tibi dies expletus abiit? Illi referto gratiam, qui ſolem nobis nil tale commeritis indulſit, in diurna operationis miniſterium.*

Si in Cœlum ſuſpexeris, cùm in eximiam ſiderum pulchritudinem, oculorum aciem defixeris preſſius, procide Deo, & cole eum, qui cuncta hæc in ſapientia condidit.

Ubi illam beneficiorum cœleſtium ſeriem contexuit, pro eâque exegit fuſam gratiarum actionem, tum etiam & hanc poſtulat in adverſis, ſeu in ea inciderimus, culpa noſtra, ſive non.

Sic enim inquit: *Nullo tuo merito plecteris? Gaudium tibi inferat futurorum ſpes. Iuſto es ſupplicio addictus? Gratias age, quòd hic potius luas pœnas, quam in futuro.*

Hactenus pius Præſul, quo cum finio ea, quæ ad gratitudinis notionem ſpectant.

§. 2.

Quæ ſint Gratitudinis ſymbola?

Symbola Gratitudinis.

MOyſes Dei ſervus, & ſcriba, cùm in Univerſi fabrica deſcribenda, calamum explicat, meminit infimi elementi, id eſt terræ: ſupremi verò, hoc eſt ignis; nuſquam meminit. Quæ cauſa? Ne crede id caſu factum, ne oblivione, ne imperitia; ſed deſtinato conſilio, & certa Dei Conditoris providentia; quæ nobiliſſimum elementum alto ſilentio involvi voluit, & abjectiſſimum quaſi in fronte poni: ſic enim ait ſacer Hiſtoriographus.

In principio creavit Deus Cœlum & terram. Meminit primò Cœli, tum terræ. Ignis autem minimè. quæ ratio? Gen. c. 1.

Hanc affert *Rupertus Abbas*, quia ignis ſterilis eſt, atque infœcundus; nihil enim in ſe, vel ex ſe gignit. Propterea, inquit, *de hoc elemento non injuriâ ſiletur.* Et de terra multus eſt ſermo, quia ea vel maximè fœcunda eſt; ex ſe enim, & in ſe propè omnia gignit, & Deo, ſeu Largitori munificentiſſimo, quæ accepit, reddit, multo cum fœnore multoque proventu.

I. Terra.

Et hinc eſt ſymbolum gratitudinis, uti è contrario, ignis ſymbolum ingratitudinis.

Et quia nos Deo gratos eſſe vult, D. Ambroſius, ideo evocat ad imitandam terræ fœcunditatem, in eaque etiam gratitudinem: ſic enim inquit, *Imitanda nobis eſt natura terrarum, quæ ſuſceptum ſemen multiplicatiori ſolet numero reddere, quam acceperit.* Quod ut uberius explicet, ſubjicit illud: *Terra, aut ſpontaneos fructus germinat, aut creditos uberiori cumulo refundit.* Lib. offic. c. 31.

Hæc ubi de terra extulit, tum delabitur ad homines (quos Clemens Alexandrinus appellat agros animatos) & ſic ad illos:

Utrumque debes, quodam hæreditario uſu parenti, hoc eſt terræ, quæ omnium eſt communis parens. Eſto tamen, ut aliquis excuſare poſſit, quod non dederit, quomodo excuſare poteſt, quod non reddiderit: non dare cuiquam vix licet; non reddere, non licet. Lib. 9. Exam. c. 8.

Hæc ubi pro gratitudine dixit Orator Melleus, tum in ingratos ſic declamat.

Fœneratum terra reſtituit, quod acceperit, & quidem uſurarum cumulo multiplicatum. Homines ſæpe decipiunt, & ipſa fœneratorem ſuum ſorte defraudant ſæpe.

Terra

Terra fidelis manet, & ſi quando non ſolverit, alio anno ſuperioris anni damna compenſat; ita ut nullam unquam diſpendium ſuo inferat creditori.

Non ſic ingrati mortales, non ſic: ſteriles hi ſunt, atque infœcundi. & Deo bonorum omnium largitori, aut parum, aut omninò nihil rependunt, in hoc certè ingratiſſimi: ſi enim Seneca judice *Ingratus eſt qui beneficium reddit ſine uſura*, Profectò, qui non reddit, ingratiſſimus eſt: & tales ſunt ex hominibus plerique, ſimiles rubo illi Moſaico, qui flammis quidem obſeſſus, ſed ſentibus horridus fuit, & fructibus vacuus. Ita & ingrati mortales, excipiunt hi Divina Beneficia, ceu cœleſtia quædam ſemina, & nullos reddunt ſubinde fructus, circumdantur undique, ac veluti obſidentur Divinæ charitatis flamma, verius incendio, & ne ſcintillam concipiunt: atque eructant ſui in Deum amoris.

Epiſt. 81.

Eleganter de hoc rubo D. Chryſologus: *Deus* inquit, *daturus legem, ignem præmiſit in rubos ſed divinum rubus portavit: non concepit incendium: jam tunc aculeis malitiæ plenum, & ingratum cultura legis populum præfigurans*: præfigurans & ingratos omnes perſimiles & illi rubo & igni, ingratitudinis utique ſymbolo; quos ideò ad terram animo & ſenſu vacuam remitto & ad bruta, animantia ſeu ea, quæ aëra, & cœli tractus occupant, ſeu ea, quæ terris inſident: ad hæc, & illa, vade, ô ingrate! *Interroga jumenta, & docebunt te, volatilia agri & indicabunt tibi. Loquere terra, & reſpondebit tibi*; inquiebat olim Jobus.

Serm. 164.

Iob c. 12. v. 7. 8.

Terra quidem dum fertilem & gratam Authori ſuo ſe exhibet, & ſterilitatis te damnat, & ingratitudinis, tum etiam volucres cœli, dum cœli Domino accinunt, & te incuſant, & condemnant: de his Ambroſium audi:

Surgente, inquit, *& occidente, ſuos cantus inſtaurare conſueverunt, ut decurſi, vel adoriendi temporis laudes, ſuo referant Creatori.*

Hæc ubi de volucrum genere S. Præſul, tum ad hominem delabitur; & ſic ait:

L. 5 Exam. c. 12.

Quis ſenſum hominis gerens, non erubeſcat, ſine Pſalmorum celebritate diem claudere; cùm etiam minutiſſimæ aves, ſolemni devotione, & dulci carmine, ortus dierum, ac noctium proſequantur.

Ab aviculis, quæ libero, & patenti volitant æthere, deſcendit ad animantia terræ, ſuopte ingenio craſſiora. atque inprimis ad canem, de quo hanc adjicit quæſtionē. Cur olim juniori Tobiæ, comes additus?

II. Canis.

Angelus Raphael, delapſus è Cœli regia, Tobiam ducebat in *Ragats*, Medorum Civitatem, tum ad fugandum dæmonem, ceu malum hoſpitem, tum ad firmandum conjugium.

Et hæc, & illa gravis erat cauſa. Sed cur unicus Tobiæ comes acceſſit canis? Reſpondet, quia canis typus erat gratitudinis, cui addiſcendæ optimo juveni, ceu præceptor, adjunctus eſt canis. Juvat illum audire ſuavi ut aſſolet eloquentia etiamnum ſpirantem in ſcriptis; ſic in illis:

Muta ſpecie beſtia, S. Raphael Angelus Tobiæ juvenis, quem tuendum ſuſceperat, ad relationem gratiæ, erudiebat affectum.

L. 6. Exam. c. 4.

Et hoc primum à cane fideli viæ comite, gratiarum actio. Alterum ſubjicit. *Canem*, inquit, *non otioſè ſibi, & Tobiæ filio adjungendum putavit, memoris enim affectus gratiâ, & pellitur dæmonium, & ſtabilitur conjugium.*

Ecce, quæ ab una gratitudine Tobiæ juveni acceſſêre beneficia; ut hæc quoque ad nos, ſic urget, inſtatque ille ipſe S. Doctor.

Quis non erubeſcat, gratiam benè de ſe merentibus non referre, cùm videat beſtias etiam refugere crimen ingrati? Et illæ impertita alimonia ſervant memoriam, tu non ſervas ſalutis acceptæ. Et quia non ſervas, crimen incurris, quod & ipſa horrent, atque averſantur animantia bruta.

Ne porrò incurras aliquando, Pſaltem regium audi, ſic ad te, ſic etiam ad nos: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus?* at cur inquies, *ſicut mulus?* Reſpondet Cardinalis Toletus. Pſal. 31. v. 9.

Mulus ſymbolum eſt ingratitudinis, generatur enim & non generat, ideoque ingratum hominem refert, eum potè, qui gratiam accipit, nec rependit.

Non ſic canis, qui ut ait Pierius, eos, qui de ſe benè meriti fuerint, nunquam oblivioni tradit; ſed quà poteſt de iis ſtudet mereri quàm optimè; è variis, quæ produci poſſent, unicum propono.

Tito Sabino mancipium fuit, & huic etiam canis, comes in omni fortuna fideliſſimus; in carceres ducitur, & eò pervadit canis, dominoque aſſidet. Rapiatur deinde ad ſupplicii locum, & in eundem venit canis, & qua latratu, qua gemitu omnia complet: Occiditur, & in nuda humo cadaver relinquitur exanime; & huic adhæret canis, nec vi, nec minis, nec fuſtibus abduci poteſt à domino. Obtruditur illi buccella panis, vel, ut ea paſcatur, vel ut allatrare deſinat: panem accipit, nec abſumit, etſi famelicus; ſed ad os heri ſui objicit, obtruditque, quà poteſt etiam mortuo. Crederes eum fame enecari velle, ut dominum paſceret. Abjicitur corpus in Tybcrim, & in eum præcipiti curſu ſe canis abjicit, domini cadaveri ſeſe ſupponit, ſubſternitque, tandemque dum illud, qua poteſt ſuſtinet, erigitque in altum ex imis aquis, his mergitur, abſorbeturque ipſe. Quid fidelius? Quid gratius?

Accepti quondam beneficii, hoc eſt acceptæ boccellæ panis etiam ſubnigri, etiam mucidi, ingeſti oſſis etiam aridi: adeò memor eſt canis, ut ſui ſit immemor.

Quod cani animali domeſtico, hoc & aliis quantumvis efferis, è multis unum: alterúmve producam.

Sedebat in aula *S. Macarius Alexandrinus*, Deo, & orationi intentus: cùm ecce hyæna oſtium aulæ capite pullat, aperit, & catulum, quem effuderat cœcum, ante Macarii pedes abjicit. Senſit vir Dei, quid poſtularet hyæna, catulum extulit, prenſavit, in oculos inſpuit, oravit; & ecce, mirum dictu, viſuque, catulus vidit. Lactavit deinde mater, & quaſi geſtiens exceſſit. Bollandus in ejus vita 2. Ian. c. 8.

Vidiſti collatum à viro ſancto beneficium: gratitudinem accipe. Die proximè ſequenti rediit cum Catulo hyæna, & pellem grandioris oviculæ detulit, abjecitque ad Macarii pedes veluti munus, pro acceptâ gratiâ.

Quid hic pius Abbas? Sic ad hyænam, *Unde tibi illa pellis, niſi ab ove per vim laniata? Ego quod vi & injuria acquiſitum eſt, minimè accipio*: Hyæna quaſi audiens, & dicto obediens, capite demiſſo annuit, abjicitque ſe ad illius pedes, quaſi rea, & pellem raptam deponit. Cui rurſum Macarius: *Quod dixi verba, reipſa præſta, pellem non accipio, niſi ſpoponderis, juraris te in poſterum ſimile nihil tentaturam, rapiendo, laniandoq; à pauperculis, ſuas oves,*

Ad quæ Hyæna etiamnum inclinato capite annuere viſa, & relicta pelle, veluti gratitudinis depoſito, exceſſit, atque effugit in nemora.

Hanc pellem *Melania*, ancilla Chriſti à Macario dono accepit, ſervavitque ſeros in annos, & appellavit *munus Hyenæ*.

Quod Macario Hyæna; hoc Abbati *Geraſimo* repoſuit Leo. Ad Jordanis ripas fors inambulabat, cùm ecce adeſt Leo, ſuſpenſo gradu, ſuſpenſo & pede uno, cui ſcilicet infixus erat arundinis aculeus, & hinc plaga tumens, & fœdum ulcus. Quid hic Leo? Quid & *Geraſimus*? Pedem ulceroſum oſtentat ille, hic autem ulcus incidit, ſpinam educit, ſaniem exprimit, & purgato probè ulcere obligat illud etiam probè. Quid deinde Leo? Beneficii memor, ac retinens, *Geraſimum* ubique comitatur, Moſchus in Prat. Spirit. c. 10.

adhæretque

adhæretque in omni vita tenaciſſimè, ſervitque illi, ut animal domeſticum ſolet. Quid deinde, *teraſſime vita functo irrugit*, ingemiſcitque noctu, diuque, imò & ſepulchro inſiſtit tenaciſſimè, atque immoritur.

Omitto alia his affinia, ne longius quàm par ſit calamum ducam in argumento ſatis obvio, venio
III Cocepha avis. ad aliud gratitudinis ſymbolum. Illud eſt *Cucupha*, *avis* Ægyptia, cujus gratitudo in eo mirè eminet, quòd genitoribus gravioribus graviore ſenio jam confectis, eandem gratiam rependat, quam accepit. In eodem enim loco, in quo à parentibus educta, atque enutrita fuit, iiſdem nidum parat & mira arte conſtruit, tum pennas vellicat inutiles, tum cibum ſedula importat, & uſque eò ſuſtentat, dum reſumptis pennis ſibi ſufficere poſſint, & annonam ſibi comparare. Et hoc in avicula quodammodo pietatis, & eximiæ gratitudinis, exemplum eſt: cujus æmula videtur *Ciconia*, & ipſa vel ſymbolum, vel emblema gratitudinis, de quo ita cecinit Poëta non ignobilis.

Aeria, inſignis pietate, Ciconia nido.
Implumes pullos, pignora grata fovet.
Taliaq, expectat ſibi munera, mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit avum.
Nec pia ſpem ſoboles fallit, ſed feſſa parentum
Corpora fert humeris, præſtat & ore cibos.

Habes, Amice Lector, quod in animalibus illis, & mireris, & ames; & verò etiam imiteris.

Eſt enim in illis gratitudo, vel ipſo ſolius naturæ ſenſu: & in te non erit rationis ductu ac lumine, gratiæ favore, ac cæleſti luce? Erit certè ſi naturam audias, ſi rationem ſequaris, ſi gratiæ divinæ obtemperes. Quod ni feceris, eſt tibi quod metuas quàm peſſimè: ut enim D. Bernardus & piè monet, & urget.

Epiſt. 107. *Studete potius gloriam veſtram referre ad illum, à quo eſt; ſi non vultis eam perdere, aut perdi ab ea.* Hic ſtylum fige, & lege perdendum te à gratia, niſi ei, à quo illa eſt, gratus extitas.

§. 3.

Exempla magnarum mentium quæ Deo pro acceptis beneficiis gratiſſimæ.

NOn petam illa à *Davide* Regum propè maximo, cui ſolemne illud adſcribitur lemma, ſolemnis & vox. *Benedicam Dominum in omni tempore; ſemper laus ejus in ore meo.*

Non etiam ab aliis antiquioris ævi: ſed ab iis quæ recentioris, id eſt ferè, noſtræ ſunt memoriæ; erunt
Ferdinan. II. illa gratiora, quia noſtra. Initium ducam à *Ferdinando II.* Imperatore Auguſto, pio, felici, in quo ut magna præcelſarum Virtutum decora; ſic & magna, & præcelſa in Deum enituit gratitudo. Potiſſimum autem adepta de tribus Regibus, Bohemiæ Daniæ, & Sueciæ victoria, déque aliis Principibus proteſtantibus, qui in ſe moverant adverſis armis.

Fortè cum R. P. *Lammermanno* (qui illi erat à confeſſionibus) familiarius colloquebatur, & inter colloquendum incidit hic ſermo; etiam piis Regibus grave impendere periculum à ſuperbia & animo elatiore, maximè verò in rebus proſperis, illis timendum eſſe magis in portu, ſalva nave, quam fracta: in malacia, quàm in tempeſtate: cujus conſcius, & propria experientia edoctus *David* ſic meritò ad Dominum, *non veniat mihi pes ſuperbiæ.*

Ad hæc à Religioſo Patre, injecta colloquia, reſpondit Cæſar; Omninò futurum credo, & ſpero nihil ſimile eventurum mihi. Tum ut ſolebat ingénuè, & candidè, rationem addidit.

Ubi primùm proſperè aliquid accidiſſe nuntiatur, flexo genua, Deo gratias ago, ejus id opus eſſe profiteor, non meum:

R. P. Lobbetii Tractatus Aſcetici. Tom. VI.

Quod dixit, fecit ubi cognovit de victoria ad Nordlingam obtenta, inter lacrymas hæc etiam addidit. Anno 1634

Magna Deus in nos contulit; at ego pergam in ſimplicitate mea, ero in oculis meis humilior, quam ante. Hic Auguſto tum animi ſenſus, hæc & vox fuit. quam & hauſerat à majoribus ſuis, à *Carolo V.* Imperatore ſemper Auguſto, qui parta de hoſtibus ſuis celeri victoria, adjecit pium illud: Caroli V.

Veni, vidi, vicit Deus, quod in eo modeſtiæ fuit, & in Deum gratitudinis; uti contra in alio ſuperbiæ, & faſtus inſolentioris, iſtud *veni, vidi, vici*: ex vero enim dicere debuiſſet, vicit Deus, à quo ſcilicet uno eſt omnis victoria, qua & donari ſolent grati, privari tandem ingrati, & quandoque etiam & ipſi occidere.

Carolus Audax, Burgundiæ Dux potentiſſimus, & *Caroli V* Imperatoris proavus, poſt alia, atque alia bella, intra octennium, plerumque feliciter geſta, tandem apud Nanzæum exercitu ſuo partim cæſo, partim in fugam verſo, ſuperatus & ipſe, in acie, miſerè occubuit, Anno Domini 1477. 5. Januarii, ætatis dumtaxat 44.

De eo ſic *Philippus Cominæus*, illi perfamiliaris. Hic fuit exitus potentiſſimi Principis, quo majorem ad vicinos Reges, ac populos authoritatem nemo habuit. Qua potiſſimum re, Deum in ſe vehementius concitarit, non facilè dixerim, niſi quod omnem, qua fruebatur, fœlicitatem, à ſuo pendere putabat ingenio, ac virtute.

Hactenus ille, à quo diſcedo, atque ad alios tranſeo, qui & ipſi ſuæ in Deum ingratitudinis pœnam ſenſère.

Hieronymo interprete, ex communi Hæbreorum traditione, *Ezechiæ* Regis morbus. qui cum ad extrema deduxit, fuit ea ipſi in Deum ingratitudo, poſt adeptam illam de Aſſyriis victoriam, in qua Angelo vindice, una dumtaxat nocte ceciderunt ex illis centum & octoginta millia, In cap. 39. Iſaya.

Debuiſſet & Angelo, & Deo gratus accinere canticum laudis, canticum gratitudinis, uti tum moris erat: at nec in hoc, nec in illud abiit, & inde illi Cœlo vindice immiſſa letalis ægritudo.

Sed ne longius: redeo ad principes animas, Principiſſa & Deo benefactori gratas; ex his fuit Principiſſa Parmenſis. Parmenſis, quæ per ſingulos dies Deo quinquies gratias agere ſolita, etiam poſito in terram genu.

Venerabilis & piæ memoriæ *Ioanna D'Antillon* Religioſa in Alpharo, nobili Virginum Aſceterio in Joanna d'Antilon. Regno Caſtiliæ. Hæc etiam intempeſta nocte, ſurgere de lectulo ſolita erat, & quoties horologii pulſum audiſſet, de genu Deo immortali gratias agere, eximio pietatis ſenſu, quem & perſenſit, & extulit in ipſo mortis articulo, quem & abſolvit dicto ſibi ſolemni, *Deo gratias.*

B. Felix Capucinus, cui ſemper, ut in corde, ſic B. Felix. & in ore erat illud, *Deo gratias*, in quas voculas abire jubebat & infantulos, ſibi in plateis fortè obvios; ut non ipſe ſolus; ſed & infantium lingua ſonaret illud Cœlo ſuperiſque amabile, *Deo gratias.*

§. 4.

Gratitudo debita, pro beneficiis etiam iis, quæ in ſolo ordine naturæ.

IN prima hujus univerſi molitione, cùm cœlos explicaſſet Author naturæ Deus, cum ſole, & luna, ceu geminis oculis, cùm ſtellis, ceu gemmis, Beneficia naturæ. ornaſſet, cùm aquas liquidum illud elementum quaquaverſus effudiſſet, cùm terram, ceu univerſi centrum, in medio locaſſet, cùm virentibus herbis, & plantis ditaſſet, aliaque hominis ergo condidiſſet omnia; tandemque & ipſum hominem, ceu parvum mundum, cui ſervire oportebat omnes alias creaturas. Hæc ad illum tribus dumtaxat voculis: *Accipe, redde, cave.*

 Accipe

Accipe quas condidi creaturas, ceu liberale divinæ meæ manus beneficium; ac deinde *redde* amorem amori, & beneficio gratias, debitaque obſequia.

Ad extremum *cave*, ne iis utaris malè; ne fortè ab iis tibi ſit quàm peſſimè.

Et hæc tria primò homini dicta cenſet *Hugo de S. Victore*. *Accipe*, *redde*, *cave*.

Lib. 6. de Arcan. Moral. c. 4.

Ego in præſens ex iis unum exigam. Nempe *redde*; redde memores & gratos animos pro tot in te collatis à Deo beneficiis, quorum memoria, ut perennis; ſic & gratitudo perennis ſit, oportet.

Apud Antiquiores celebratior fuit nomine, quàm pretio *Batti annulus*. Battus in Africa Cyrenen urbem condiderat. Cives, ne ingrati viderentur & eſſent urbis Conditori, Silphium, unaque etiam annulum, in quo ea herba erat, inſculpta, obtulerunt. Munus certè non magnum: ſed magni & grati animi teſtimonium.

Silphium, herba erat, quæ à Pharmacopolis *Laſerpitium gallicum* dicitur, nobis autem *Angelica*, cujus ſuccus *Laſer* appellatur, eſtque miræ virtutis ad morbos propè omnes depellendos è corpore, & conciliandam ſanitatem: & cum vino modico hauſtum, fœtum in utero materno jam emortuum expellit, incolumi matre.

Plin. l. 22. c. 23.

Et hanc herbam annulo inſculpi placuit, atque offerri: quid enim potius? Videri poterat ea planta, ſymbolum adeptæ ſanitatis, annulus autem æternitatis Hieroglyphicum, quo indicatum voluerant æternam eſſe oportere beneficii accepti memoriam.

Quod illi in cæca gentilitatis nocte, nos in amœna fidei luce, dieque. Quod Deo offerimus, id omne exiguum eſt, niſi addatur annulus, hoc eſt æterna memoria, & gratitudinis ſymbolum: & hanc, & illam, à te depoſco, Amice Lector, imò & ſuo jure depoſcit Deus, & primò quidem pro collatis in te beneficiis, in ordine, graduque naturæ, qui etſi infimus eſt, tamen & magnus.

I. Creationis.

In hoc genere primum eſt creatio, qua nos Deus eduxit ex abyſſo nihili, in qua latueramus æternitate totâ; ex hac nos extulit in auras, & eſſe dedit homines; hoc eſt Princeps naturæ opus, propè dixi miraculum: non lapides, non ſaxa eſſe, nos voluit, non plantas, & genus vegetabile tantum, non etiam animalia bruta, ſenſu quidem prædita: at rationis expertia: ſed homines, id eſt rationis compotes, cæleſtibus Intelligentiis proximos, & capaces Dei ter Opt. ter Max. Quod beneficium quantum ſit, intelliget is, qui ſeipſe intelliget, ſeipſe norit. Et pro hoc, ſua Deo Authori debita eſt gratia.

Hanc vel duce naturâ, vel etiam comite ratione reddidit *Plato* Philoſophorum antiquioris ævi facilè Princeps.

Is naturæ (verius ejus Authori) gratias agebat. Primò, quòd hominem ſe feciſſet. Secundò, quod marem. Tertiò, quod græcum, id eſt non barbarum. Quartò, quod Athenienſem. Quintò, quod tempore Socratis, à quo inſtrui potuiſſet.

II. Conſervationis.

Alterum Dei Conditoris beneficium eſt noſtra Conſervatio. Hæc perenni quodam fluxu eſſe hominis, quod primò dedit, ſervat, ac tuetur contra omnia, ſeu naturæ intus fatiſcentis damna, atque detrimenta, ſeu deforis etiam illatas, atque illabentes injurias, ut eſt Cœli inclementia, & malorum vis omnis, quæ ad nos appellit.

Hoc Conſervationis beneficium eſt à Deo nobis nihil cogitantibus, nobis & profundum dormientibus,

Ludovicus Galliæ Rex, hujus nominis undecimus, cùm fortè miſſam audiret, monitusque eſſet canonicum illius ædis diem ſuum obiiſſe, vidit in ſacello vicino, ſacerdotem, hominem aliàs bonum; ſed ſimplicem indormiſſe, tum & addidit illud. *Da illi præbendam, ut ex vero deinceps dicere poſſit, beneficia ſibi obvenire dormienti.*

Quod regio dictum joco; hoc & ſeriò dici poteſt, ac debet Dei ter Opt. ter Max. beneficiis nobis obvenire dormientibus. Potiſſimum autem, de quo agimus *Conſervationis*, ad quod accedit & aliud, *annona quotidiana*, quam idem Deus Author naturæ abundè nobis ſubminiſtrat.

III. Annona quotidiana.

Quod ipſum elatè ut aſſolet exponit Tertullianus, Deum nobis *oſtendens ut patientiæ exemplum*, addo ego, etiam ut beneficentiæ, *ut qui florem lucis hujus, ſuper juſtos, & injuſtos æqualiter ſpargat, qui temporum officia, elementorum ſervitia, & totius geniture tributa, dignis ſimul & indignis patiatur ſimul occurrere.*

Lib. de Patientia c. 2.

Hunc *florem lucis hujus*, id eſt ſolis, videt homo ſibi quot diebus ſurgere, & vidit omnis retrò antiquitas, videbit & poſteritas omnis, in futura longè ſæcula.

Et hoc Dei beneficium, ſine quo omnia rerum natura marceſceret, ac ſenſim deficeret: ſi enim lucere, ſi ardere ſol deſineret, & plantæ omnes flaceſcerent, & animalia paulatim langueſcerent, & tandem & ipſe deficeret homo, animantium princeps, quia deficeret ſol ipſe, orbis oculus, & rerum animatarum vita, ac ſecundùm Deum fons vitæ. Quod porrò non deficiat, illius eſt beneficium, à quo & conditus ipſe, uti & illud, *temporum officia*. Ea quadruplici ordine diſtinxit.

In primo eſt amœna *veris* viriditas, & floſculi amœniores. In ſecundo *Æſtas*, quæ fructus calore ſuo excoquit, ſementemque ad maturitatem educit. In tertio *Autumnus* fructibus gravis, & fœcundus. In Quarto triſtis quidem *hyems*, atque ut videtur ſterilis, atque inamœna; ejuſmodi tamen, quæ damna reparet, quæ in plantis, in arboribus ſuccum foveat, ſervetque in vernam auram, in æſtatem, in Autumnum. Et hæc ſunt *temporum officia*; partita in quatuor anni tempeſtates, ad quas etiam veniunt *elementorum ſervitia*.

Terra quidem, quæ hominem portet, ac ſuſtentet, ut communis omnium Mater. *Aqua*, quæ calorem temperet in æſtu ardentiore. *Aeris* autem, qui reſpirationi ſerviat. *Ignis* denique, qui rigeſcentia à frigore membra foveat, ac recreet: & iſta ſunt *elementorum ſervitia* quibus adjunguntur totius *Genituræ tributa*, ſeu ea peti velis à plantis, ſeu etiam ab animalibus, gignuntur enim & hæc, & illæ, & homini annuè quoddam veluti genituræ tributum pendunt.

Et hoc eſt Dei beneficium, cui homo debet, quod alatur, quod vivat, non ſecus ac matri infantulus, qui dum ab illius uberibus pendet, lac exſugit, & unà etiam vitam. Et ita à Deo ſuo, & pendet totus, & totus nutritur homo. A quo enim potius?

Habuerunt olim Hebræi decem Dei nomina, auguſta quidem illa, ſumma, divina; inter quæ nonnulla majeſtatem oſtentabant, alia commendabant bonitatem, hoc autem maximè quod hebraica voce, dictus eſſet Deus *Saddai*; id eſt *mamma*, & *mammeus*, eò quòd eſſet homini, quod infanti *mamma*; imò tantus, quantus erat *mammeus*.

Et hoc eſt beneficium, cujus memoria & gratia cum omni vita duci debet, nec finiri, niſi cum illa.

Hebræis Dei nutu, ac voluntate, fuit *Thymiama*, ſive maſſa compoſita opere unguentarii, ex his aromatibus, *ſtacte*, ſive pinguedine recentis myrrhæ, *Onycha*, *Galbano*, & *Thure*, quæ omnia & probè commiſceri, & in tenuiſſimum pulverem contundi, ac deinde poni ex eo coram tabernaculo teſtimonii, denique & incendi in acceptum Deo benefactori ſacrificium, & hoc quidem tam manè, quàm veſperi.

Exod. c. 30. v. 34.

Et hæc eſt figura, ac veluti umbra illius Sacrificii, quod Cœlo, Deoque litare debet fidelis anima, pro

iis

iis quæ dixi elementorum ſervitiis: hæc enim ſymbola, ceu muta quadam voce, indicant ea, quæ ſacrum illud Thymiama componebant.

Lib. 3. de vita Moſis. Et quidem *Stacte*, elementum aquæ. *Onychon* terræ, *Galbanum* aëris, *Thus* denique ignis, ut ſcitè notavit Philo Iudæus, quo interprete jubemur, Deo, ceu bonorum largitori, offerre ſacrificium laudis, & gratiarum actionis pro iis elementorum, & quæ ex illis conflantur obſequiis.

IV. Veſtium copia. Venio ad aliud ejuſdem ſupremi Numinis beneficium; eſt illud à veſtibus, quibus & tegimur contrà omnes aëris injurias, atque etiam ornamur ad luxum & pompam, cui parandæ etiam adlaborat natura, & Author naturæ Deus. Terra quidem linum effert, unde & linea ſupellex qua involvamur, cætera nobis ferunt, parantque animantia: oves vellera non ſibi; ſed nobis efferunt. Bombyces ſeſe exenterant, eviſcerantque, ut byſſum efforment, alia aliud, atque aliud quo induamur ſubminiſtrant, vel ut obtegatur pudenda nuditas, vel ut arceantur cœli auræque inclementioris injuriæ, vel denique, ut à ſerico, byſſo, murice, purpura, niteamus & ſplendeamus toti: & hoc naturæ Deique beneficium eſt, cui ſua debetur quoque gratia.

V. Divitiæ. Mitto gemmas, & uniones, aliaque ejuſmodi, quæ nobis effundunt maria. Mitto argentum, & aurum, meliora utique terræ parentis viſcera, & pretioſos partus, quos nobis liberaliter donat, ut ex iis levetur paupertas noſtra, & augeantur, excreſcantque propè in immenſum opes ac divitiæ.

Mitto Regna, Imperia, Coronas, Diademata, ad quæ ſubinde mortales è pulvere erigit ille ipſe, per quem Reges regnant & jura decernunt, populiſque longè lateque dominantur. Mitto, inquam, ea omnia quæ naturæ beneficia ſunt; aſſurgo ad alia, quæ ſunt gratiæ, pro quibus ſit

§. 5.

Gratitudo, vel maximè debita pro beneficiis, quæ ſunt in ordine Gratiæ.

EX his ſunt aliqui veluti fontes, & origines aliorum omnium. Cæteri tanquam rivuli, qui ab illis effluunt, atque in nos emanant.

I. Incarnatio & Redemptio. Fontes appello Incarnationis beneficium, in quo ſe Deus, ſe Verbum Dei dedit in hominem, ſe fecit & hominem. Redemptionis gratia, & amor immenſus, in quo ſe Deus ſe Verbum Divinum dedit in pretium.

II. Euchariſtia. Euchariſtiæ myſterium, in quo etiam, & Deus & Verbum incarnatum in cibum obtulit, quo & reficeremur, & viveremus, vita altiore ac propè divina.

III. Gloria. Gloriæ cœleſtis immenſitas, ac beatitas, in qua ſe Deus, quantus quantus eſt, offert in præmium, & hoc tota quanta eſt æternitate.

Ad hæc divini amoris in genus noſtrum beneficia, dum ſtupet, ardetque *Margarita Lotharingica, Duciſſa Alançonia*: hæc ſecum meditari, ſecum etiam loqui.

In hoc orbe aſpectabili, nihil eſt, quod totum uni donarit Deus.

Terram quidem dedit, ſed eam diviſit, diſtraxitque in Imperia, in Regna, in Provincias, & nemo unus omnium totam terram poſſidet, hi partem unam, alii aliam.

At in beneficio Dominicæ Incarnationis, Redemptionis, Euchariſtiæ, & Gratiæ totum ſe donavit Deus, Deus-homo, & hoc quidem omne, etiam uni. An non illud beneficentiæ miraculum? An non amoris prodigium? Enimverò & miraculum, & prodigium.

Homines inter, qui Imperia tenent, qui Regna, nemo unus omnium eſt, qui omnia uni concedat. His una dignitas, unum officium cedit, alii aliud, omnia nemo poſſidet, ex æquo in hos & illos dividuntur omnia: non ſic Numen æternum, non ſic. Se totum donat, & quidem uni, totum inquam, ut hominem, ejuſdem naturæ conſortem, totum illi redimendo in pretium, totum illi alendo in cibum & potum: totum illi beando, in præmium & mercedem.

Ecce quæ Largitoris gratia, quæ vis, quis & amor, gratia infinita, vis immenſa, amor interminus. Et iſta ſunt, quæ aliquando ſecum ſereniſſima illa Heroina; quæ etiam & nos ipſi, in quos eadem cadunt beneficia, & quidem omnia, etiam in unum; beneficia, dico, valoris pretiique infiniti, quia tanta, quantus & Deus. Ea æſtima, ea pondera, ſed æqua lance, mi Lector, & quà potes redde, quod illis debes. Redde, inquam, te unum, & quidem totum, quia uni iis titulis te totum debes, & cùm id dederis, propè nihil dediſti; quia ad Deum nihil es.

Ab illis beneficiorum divinorum fontibus & cœleſti quodam oceano deſcendo ad rivulos qui ex hoc effluunt, & largiter in nos emanant.

Iſti porrò ſunt alii, atque alii, ex his primùm eminet gratia, quæ eſt veluti quædam participatio divinæ eſſentiæ, particula divinioris auræ, animæ vita, ſed ſpiritalis, quæ eam Dei filiam facit, Chriſti ſponſam, Cœli ac beatitatis æternæ hæredem, & divinæ conſortem naturæ. Gratia.

Ut hanc ſub ſenſus quodammodo poneret ſcriptura, & divi Patrès, eam aliis atque aliis nominibus, veluti totidem ſymbolis, notatam voluere.

Jeremiæ vati, dicitur *aurum primum.* *Filii Sion*, Thren. 4.
inquit, *incliti, amicti auro primo*, hoc eſt gratia, quæ appellatur, & eſt, velut aurum primum, id eſt præſtantiſſimum, numeriſque ſuis perfectum.

Apoſtolo, ſignaculum divini Spiritus, quo ſcilicet imprimitur in anima veluti quædam divinitatis ſpecies, atque imago, ſpiritali charactere, ſpiritualibus & lineamentis, ut ex iis intelligas animam gratia ſignatam, rem eſſe Dei, quia divinitatis ſpecies, atque imago eſt.

Signati eſtis, inquit, *Spiritu Sancto*: ſic enim ad Ad Epheſ. c. 1. v. 13.
Epheſios, quibus etiam adjicit, eandem gratiam eſſe *pignus hæreditatis* noſtræ, vel ut græca vox habet, *arrha*: eſt enim gratia animæ, cui inſidet, veluti pignus, velut arrha quædam æternæ ac beatæ hæreditatis.

Prophetæ regio: *Gratia Ros* eſt, & divinus quidem; Cœli, inquam, Ros, à quo & ubertas ſumma & affluentia bonorum omnium in anima: ſic enim aliquando de Meſſiæ gratia. *Ante Luciferum genui* Suarez. 3. Parte.
te. In Hebræo eſt *Ros generationis tuæ in ſumma decore.* Ros, id eſt gratia generationis tuæ eſt in ſummo decore.

Quod meſſiæ gratia; hoc & aliis ſuppar meſſiæ gratia; *Ros* eſt Cœli, qui animam imbuit, perfundit, fœcundam reddit, & in pulcherrimos, atque uberrimos Virtutum fructus explicat.

D. Petro, Apoſtolorum Principi, *Gratia* eſt *Lu-* 2. Pet. c. 1. v. 19.
cifer; ſic enim aliquando in epiſtola ſua ad nos, *donec Lucifer oriatur in cordibus veſtris.*

Lucifer, id eſt gratia, & veluti lux aurea; Cœleſtis, divina; quæ in cordibus noſtris oriatur, eaque perfundit, illuſtratque altiore cæli luce, gratiæ decorem, & pretium, petierunt alii ab auro, gemmis & margaritis, quæ Tertullianus appellat, *minutalia terræ.* At D. Petrus è Cœlo gratiæ ſymbolum educit, & quod in eo pulcherrimum eſt, evocat, & *Luciferum* appellat.

D. Auguſtinus altiùs aſſurgit, & gratiam & cœlis omnibus & ſideribus (quæ illorum veluti gemmæ ſunt) anteponit, imò & ipſis Angelis, cæleſtibus, illis Intelligentiis; ſic enim aliquando ad Boni- Lib. 2. c. 6.
facium.

Gratia Dei non ſolum omnia ſidera, & omnes cœlos, verùm etiam omnes Angelos ſupergreditur. Sicque hominem collocat in beatiſſimo quodam ſtatu ſupra omnem hunc mundum aſpectabilem.

Et hoc eſt, quod aliquando, extulit, pronuntiavitque Doctor Angelicus, cùm diait :

4. 2. Qq. 113. art. 9 ad 2. *Bonum unius gratiæ majus eſſe bono naturæ totius Univerſi.*

Quod ſi ea eſt *Gratia*, ſatis liquet, quæ, quantáve pro eâ, Deo illius Largitori debeatur gratitudo, quam etiam ſuo quaſi jure exigunt & aliæ Virtutes, veluti nobiles gratiæ partus, atque imprimis eæ, quæ dicuntur, & ſunt Theologicæ.

Fides. Fides quidem, quæ etiam in cœlos, Deumque ipſum evadit, & velut altiore quodam mentis oculo, & ipſius ſummi Numinis eſſentiam, & perſonarum Triadem, aliaque myſteria ab humanis ſenſibus, quàm remotiſſima pervadit, oſtenditque ſubobſcurè licet; ſed tamen certò.

Hæc D. Ambroſio dicitur veluti *baſis, ac fundamentum*, cui virtutes cæteræ innituntur; atque ea ea aſſurgunt in altum.

B. Laurentio Juſtiniano, eſt velut *aurea porta*, per quam ad nos quodammodo ingreditur Auguſtum Numen, & animi ſubit intima. *Porta* etiam *ferrea*, quæ malum dæmonem excludit, & arcet à penetralibus humani cordis.

Eidem, *Columna* eſt; ſed ſolis æmula, quæ Iſraëli, id eſt Dei populo, eſt pro duce in deſerto hujus ævi mortalis. Eſt *Stella matutina*, veluti prænuntia ſolis, id eſt Dei, ad quem ducit. Eſt & *Corona* divini cujuſdam ſplendoris, à quo veluti lucis fonte, emanant ſeptem dona divini Spiritus, ceu totidem à ſole radii.

Spes. Huic veluti ſocia, & germana ſoror, adjungitur Spes, quâ velut animæ manibus, & brachiis beatam prenſamus æternitatem, & ſummum bonum, id eſt Deum, amplectimur.

Ad Hebr. c. 6. v. 9. Hæc D. Paulo, Gentium Apoſtolo, eſt veluti *firma* quædam animæ *anchora*, qua retinemur inter fluctuantes, adverſaſque maris hujus, id eſt vitæ mundique procellas.

S. Iſidoro, eſt *turris fortiſſima*, ac veluti quoddam *inexpugnabile propugnaculum*, adverſus omnes, etiam inferorum aſſultus.

S. Joanni Climaco, eſt animæ quies, & velut *animata* quædam *tabella*, quæ bona æterna, & futura, quantumvis remotiſſima, oculis ſubjicit, & ſubjiciendo, mirum quantum fovet, ac recreat, etiam in turbulentis quibuſvis hujus vitæ motibus.

Charitas. Ad extremum jungitur *Charitas*, veluti virtutum omnium coronis, atque, ut cum D. Laurentio Juſtiniano loquar, *initium, medium, & finis cæterarum virtutum*; vel, ut cum Richardo de S. Victore, *virtutum Regina, atque Imperatrix*; vel denique, ut cum D. Thoma, *virtutum omnium forma*.

A forma ſuum cuique pretium, ſua laus, ſuaque gloria. Ferri, æris, argenti, auri, gemmarumque communis eſt, eademque materia, ac proinde his ab ea, non majus eſt pretium, quàm illis.

Unde igitur? Utique à formâ, quæ in argento auro, gemmiſque, eſt pretioſior. Sic & in Virtutibus, ſuum à gratia pretium eſt emendo Cœlo: da Fidem, da ſpem, ſine Charitate, nec hæc, nec illa valet, ac ſervit, comparando cœlo ſine Charitate, quia hæc & illius, & iſtius eſt forma, adeoque & pretium.

Quod ſi ea eſt Charitas, liquidò apparet, quæ Deo illius Authori debeatur gratitudo.

Virtutes morales. Mitto cæteras virtutes, quas vulgò morales dicimus, & Charitatem ſequuntur, ut Reginam ſolent pediſſequæ. Eæ ſunt *Juſtitia*, æqui, rectique tenax. *Temperantia*, quæ paſſionibus velut equo indomito eſt pro fræno. *Prudentia*, quæ dictat, quid hic, & nunc agendum ut magiſter diſcipulo. Denique *Fortitudo*, quæ ad ardua vim addat, & ſuum robur.

Mitto alia Virtutum decora, quæ ſunt, quod in annulis gemmæ, ornamenta ſcilicet illuſtris animæ, pro quibus à Deo donatis, debentur immortales gratiæ. Hæ porrò in tribus ſeipſæ explicant, ut ſcitè Doctor Angelicus.

Primùm in *Corde*, amoris ara, amoris & officina, *2. 2. Qq. 107. art. 2.*
quæ aperitur, atque effunditur per æſtus quoſdam ardentis in Deum Charitatis, ob accepta ab illo liberali manu beneficia.

Alterùm eſt in *Ore*, & lingua, quæ tota ſeſe explicat in Dei ſui laudes, atque ſacratiora encomia.

Poſtremum eſt in *Opere*; nec enim Deo, ceu ſupremo Benefactori, ſatis eſt cordis gratia, oris honos, niſi accedant & opera manuum, quæ pro Deo magna audeant, atque moliantur.

S. Aldegondis, ut genere; ſic & animo nobilis, ſic tota ibat in Dei ſui ceu Benefactoris gratias, ut op- *Bivet ejus*
taſſet tota eſſe *Cor*, tota *Os*, tota & manus. Tota qui- *vita c. ult.*
dem *Cor*, ut Deum ſuum, amores ſuos, delitias ſuas amaret.

Tota *Os*, ac lingua, ut Deum loqueretur tota, tota & laudaret, denique tota & *Manus*, ut eidem domino obſequeretur, ac ſerviret tota.

Luce quadam amœniore, cùm eadem Virgo, æſtu quodam Divini Amoris, & à ſe diſcederet, & in Deum abiret tota, uſurparetque illud Prophetæ Re- *Pſal. 15.*
gii: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Adfuit illi è Cœlo delapſus Angelus, & hæc ei: *Retribue*, inquit, *amorem, retribue, & grates pro cœleſti in te amore.*

Dixit, & videri deſiit. Non deſiit tamen amare *Aldegondis*, non deſiit de Deo loqui, non deſiit pro Deo & agere, & pati fortia. Totam ſe ei reddidit, à quo & omnia. Quid enim potius?

Margareta Lotharinga, Duciſſa Alançonia & ſic *Paire in*
aliquando cum ſeipſa meditari, ſic & colloqui, non *ſcientia 58.*
ſine lacrymis:

Ecquid enim (inquiebat) ô anime mi, ecquid eſt in mundo extra Deum, quod ſe totum tibi donet?

Sol ille aſpectabilis, & orbis oculus una tantùm ſui parte nos illuminat, eâ ſcilicet, quæ & infima eſt, & nos aſpicit, deſpicitque alia quæ ſuperna eſt, in Superos orbes effundit lumen, atque in Lunam, & ſidera, ſe quodammodò partitur, ſicque & hæc, & illa bonam illius jubaris portionem decerpit, mihi certè propè minima relinquitur.

Aër ipſe, in quo & ſpiramus, & reſpiramus, ſui quoque partem vel modicam nobis expandit, atque infundit; illam haurimus, alias aliis relinquimus.

Aqua verò, liquidum illud elementum, pœnè totum aliis effluit, nobis paucæ vix ſervantur guttulæ, ad illum aquarum cumulum, qui aliò atque aliò volvitur.

Terra ipſa, quam calcamus vivi, & quam ingredimur mortui, quantula ſui parte nobis cedit? Certè ad omnem terræ molem, atque ambitum, vix punctum ſervatur nobis. Et ex ea, quam pedibus vivi terimus, mortui vix ſex, ſeptémve pedes nobis concedet; in quibus mœſti condantur cineres. Ecce quàm pauca, quàm avara in nos elementa.

Non ſic Divinum Numen, totum ſe dat, & totum vel uni, ſicut & omnibus. Et hæc ſecum tractabat, ſecum & agebat Sereniſſima illa Heroina: tum deinde etiam & iſta.

Ecquid, ô Anima mea? Ecquid illud erit? Deus, nec ſe in alios dividit ipſe, nec dividi patitur; ſed totum ſe tibi donat: & tu, ô infelix animula, te dividi in alios patieris? amores tuos, curas tuas, cogitationes tuas, in alios diſtrahes? at quos alios? in creaturas, quæ vix minima ſui parte, ſe tibi credi- tas volunt. Non facies profectò, non facies, ſi rationem,

tionem, ſi Cœlum, ſi Deum audias. Totam illi te donabis, totam & illi ſervabis, qui totum ſe tibi & donavit, & ſervavit.

Hæc Sereniſſima Margareta: hæc & tu, mi Lector, ſi ſapis. Ecquid enim adeo expers eris omnia ſenſus, expers & rationis, ut ſequaris, & teipſe donea creaturis, quæ ſe nonniſi parcè, nonniſi parte modica ſe tibi donant: & Deo tuo, qui ſe totum tibi, etiam uni, concedit, non dabis omni tui partem unam? certè non dabis; ſed potius te totum, totus quantus eris; ut te poſſideat ipſe, quem & prius poſſediſti, amoris miraculo, beneficentiæ miraculo; cui, ut quà poſſet reſpondere videretur B. *Magdalena de Pazzi*, unica de JESU illi erat cogitatio, unus & amor, una & cura, ut ſe totam illi redderet, & ſe ream pronuntiabat, ſi fortè vel momento de JESU non cogitaret, deque illius in ſe beneficiis. Eadem ipſe, & animo volve, revolveque, *Amice Lector*, & illud à Philone etiam homine Judæo diſce: *Ut Creatoris proprium eſt benefacere: ſic & creaturæ gratias agere.*

§. 6.

Quid ſit ingratitudo, & quantum in homine, maximè autem Chriſtiano vitium?

Ingratitudo DIvi Patres, atque Scripturæ ſacræ Interpretes ingratitudinem alia, atque alia appellatione, veluti ſtigmate notarunt.

Prima culpa. *Ruperto*, ingratitudo eſt prima in homine culpa, & prima à peccato ruina.

Adamum Deus formarat è limo terræ, tum ei vitæ halitum inſpirarat, eo certè conſilio, ut primum ſpirans, Deo ceu Authori ſuo reſpiraret, & gratias ageret: at ſecus omninò accidit: *Pertinaciter a Creatoris laude mutus perſtitit, obſtinatis labiis, ab omni gratiarum actione, abſtinuit, & ingratum Domino Deo ſilentium dedit. Formante enim Deo, & inſpirante ſpiraculum vitæ, non ſuſpiravit eodem ſpiraculo vitæ accepto in Plaſte ſui faciem; ut adoraret, & glorificaret, ut ei gratias ageret.*

Lib. 2. in Geneſ. c. 39.

Hactenus Rupertus, quo interprete, & Judice, hæc prima hominis culpa, cui mox acceſſit & ſecunda. *Poſitus* enim *in paradiſo voluptatis, nullas ei gratias egit, & taciturna ingratitudine, tantum, tamq; felicem delitiarum locum, quaſi rapinam arbitratus, occupavit.* Et hinc ſibi gradum fecit ad eam, quæ deinde ſecuta eſt inobedientiam, à qua illi, & poſteris immanis illata clades, & ruina, ſub qua gemit, & gemet univerſus Orbis, per omnia retrò ſæcula.

Hom. 51. in Cant. A Ruperto tranſeo, ad D. Bernardum hic ingratitudinis vitium, aliis, atque aliis appellationibus, veluti totidem coloribus depingit. Et quidem, Primò *ingratitudo*, inquit, *inimica eſt animæ.*

II. Inimica animæ. Habet corpus, & lutea illa moles, qua tegitur immortalis animus, ſuos inimicos, habet hoſtes; ii ſunt infeſta morborum agmina, & alia quæ nos circumſtant mala, calor immodicus, acre frigus, fames, ſitis, & alia, quorum ferax eſt hæc vita. Habet & anima, immortalis licet, ſuos inimicos, quibus impetitur, quos inter ingratitudo, quæ facit, quod parta victoria ſolet inſolens miles: hic devicto hoſte, ſpolia detrahit, impedimenta diripit, ſuppellectile nudat; imò & veſte, atque ad pudendam nuditatem, maximasque rerum omnium anguſtias reducit.

Quod miles victoria tumidus, & marte ferox, & domibus, & corporibus; hoc ingratitudo facit animis. His pro ſuppellectile cæleſtique theſauro, erant parta priùs merita, virtutes omnes, & collata liberali Dei manu beneficia, & his omnibus animum expoliat ingratitudo, quæ ideo dicitur, à D.

III. Exinanitio meritorum. Bernardo, *exinanitio meritorum.*

Da mihi ſi voles alterum in terris Hilarionem, qui ſeptuaginta, eóque amplius annis Chriſto ſervierit, in avia, atque invia ſolitudine, quanta illi, & quàm dives exurget meſſis meritorum? Quanti ab illa proventus, æternos in annos? Si tamen is in extremo vitæ limine, in aditu, ut ita dicam æternitatis, ſibi præfidens, & non Deo, ingratus ſit, & immemor Benefactoris ſui, omnis illa meritorum ſeges, tot annis collecta, tot empta ſudoribus, tot parta laboribus, penitus exareſcet, & in nihilum ibit; nec illa tantum; ſed & virtutes omnes, ceu nobiles animi partus, ceu parati Cœlo theſauri; IV.
eſt enim *ingratitudo virtutum diſperſio.* Virtutum diſperſio.

Sit nobis aliquis *Arſenio* non abſimilis, qui aulâ relictâ, pompis mundi valere juſſis, abjectâque propè purpura, in ſacco & cinere, vitam reliquam exegerit, à paupertate dives, excelſus ab humilitate, à Caſtimonia Angelicus totus, atque ab aliis, ſi voles virtutum omnium ornamentis, ſpectandus in paucis; ſi & hic divitem illam animi ſupellectilem ſibi aſcribit, non Deo; illi omninò ingratus atque inviſus, illicò omnem illam Virtutum pompam exuit, atque diſpergit; neque hanc tantum, ſed & omnia Cœlo propitio, ſibi collata beneficia peſſundat & perdit, V.
& meritò, quia *ingratitudo eſt beneficiorum perditio.* Beneficiorum perditio.

Uti è contrario, gratitudo, eſt veluti fœcunda parens novorum beneficiorum: qui enim pro acceptis jam ante beneficiis eſt gratus, dignus omninò eſt, qui alia atque alia deinceps accipiat.

Hinc illud Plinii in Panegyrico Trajani. *Efficaciſſimum genus eſt rogandi, gratias agere:* Qui enim beneficii memor, gratias agit, docet donare, & antiqua benefacta novis cumulare: uti contra, qui ingratus eſt, docet negare nova, & antiqua etiam detrahere.

Inde a D. Bernardo appellatur ingratitudo ventus urens ſiccans ſibi; fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Supra.

Quæ Dei miſeratio eſt, aperitur puſillo homini VI.
fons divinæ pietatis, qui perenni ſcaturigine fluat; & Ventus
hunc exareſcere facit ingratitudo. urens.

Demittitur è Cœlo *ros miſericordiæ*, quo madeſcat, & fœcundetur anima molli cæleſtis illius roris illapſu; & hunc quoque rorem detergit ingratitudo.

Laxantur, miſerente Deo, *gratiarum fluenta*, quæ animos irrigent, & largo influxu fœcundos reddant, & bonorum operum feraciſſimos; ſed & hæc perdit ingratitudo, nihilque relinquit, præter ſpinas, & tribulos peccatorum. Ecce ingratitudinis vitia, ecce damna, ecce probrum, magnum ſanè in quovis homine, majus in Chriſtiano, longè maximum in religioſo, quia in hoc & illo ingratitudo etiam longè maxima: Hanc D. Bernardus vocare ſolebat *Iudaicum opprobrium*, ſic enim aliquando ad ſuos; ſic etiam modò è cælis ad nos.

Nolo vos judaico notari opprobrio, de quibus Scriptura Serm. 11.
teſtatur, quod non fuerint memores benefactorum ejus, in Cant.
& mirabilium ejus, quæ oſtendit eis.

Erant Hæbraico populo in oculis Divinæ bene- VII.
ficentiæ miracula, & multa, & planè inſignia: erat in Judaicum
oculis Erythræum mare, quod ſicco veſtigio tranſierat, opprobrium
erat Columna nubis & ignis, erat deciduum è Cœlo manna, ſcaturiens rupes, Tabernaculum Debir, Arcæ gloria, Pontificum majeſtas, Lex ignea victoriæ, & triumphi, terra lacte & melle manans, aliaque In[illegible]rsbilia Dei in eum benefacta, & tamen horum [illegible]mnium oblitus inexpiabili crimine, & perfidioſiſſima malitia ad impuri dæmonis cultum, atque idola contulerat ſeſe, inaudito poſt homines natos opprobrio: quo ne etiam notentur Chriſtiani, néve Religioſi, monet, urget, inſtatque S. Præſul.

Sic enim ad unum aliquem è ſuis; ſic etiam ad unumquemque noſtrum, qui à ſæculi vanitate ad religioſa clauſtra, fidamque ſtationem tranſierit; ſic, inquam, ad illum:

Ser contra vitium ingratitudinum. *Diligenter conſiderare non negligat, non modo unde erutus; ſed ubi ſit conſtitutus; non ſolum quid evaſerit; ſed & quid acceperit; non tantum unde revocatus ſit, ſed etiam quò vocatus.*

Ubi porrò conſiderarit, *unde erutus*, penſabit in eo *miſeriæ pondus*, *ubi* autem ſic *conſtitutus*, *inveniet in eo cumulum divinæ miſericordiæ.*

Ubi viderit *quid evaſerit*, periculum agnoſcet; ubi *quid acceperit*, beneficium prædicabit.

Ubi denique attenderit, *unde revocatus*, nempe ex ipſo mortis limine, ex inferni propè faucibus, damnum, quod imminebat, æſtimabit; & ubi quò vocatus, videlicet in ſalutis portum, benefactum ſuſpiciet, atque amabit, ſicque Dei ſui, Benefactoris ſui memor, & prò acceptis beneficiis gratus, & *Judaïcum opprobrium* evitabit, & perenni ſe gratia muniet, atque ornabit; atque ad extremum etiam cæleſti gloria, quæ non conceditur niſi gratis.

§. 7.

Quæ, & quam horrendæ ingratitudinis pœna?

ATthenienſes, ut litteris exculti, & probis moribus; ſic & in ſontes ſeveri ac rigidi fuere.

Hinc factum ut publicis tabulis, ac legibus ſua cuique malefactori decreta ſupplicia; his majora minora aliis, prout cujuſque culpa tuliſſet. Sed (quod ſanè mirum accidit) nulla contrà ingratos ſtatuta pœna, ſupplicium omninò nullum. Quæ cauſa? An fortè ingratitudo inter crimina locum non invenit? An pœnam non meruit? Minimè gentium. Cur igitur? Hæc ab Authoribus illius ævi ad poſteros emiſſa ratio, vel, quòd nullos in ſua republica futuros ingratos ominarentur, vel certè (quod vero propius eſt) quod nulla ſupplicia ingratitudini paria, eſſe poſſe cenſuiſſent, ideóque, ea Judicis arbitrio ac ſeveritati decernenda reliquiſſent, cùm patia illi non inveniſſent, adeò grave apud illos ſcelus ingratitudo.

Quod ſi tale eſt, videamus quæ Cœlo Judice illata ei pœna. Hæc certè erit ut prima; ſic & longè maxima, quod ingrati à Deo non cognoſcantur; à Deo, inquam, qui ut omnia norit, ingratos certè non novit: ſed penitus ignorat, quod ſummum eſt ingratitudinis malum.

Hujus porrò ignorantiæ exemplum illuſtre habes in Chriſto, & à Chriſto, Deo homine. Oblati quondam illi ſunt decem leproſi, quos primùm emiſit ad ſacerdotes, dein & in via ſanavit.

Ex illis novem erant Judæi, adeóque etiam Chriſto populares, unus alienigena: hic, ut ſe ſanatum ſenſit, illicò ad Chriſtum rediit, ſtitit ſe Benefactori ſuo, & impensè gratias egit.

Quid deinde? Ad hunc ſic Dominus: *Nonne decem mondati ſunt, & novem ubi ſunt?* Qui id *Lucæ c. 17. v. 17.*
quærit? Cui proinde ut nota erant omnia; ſic & probè notum, ubi eſſent illi novem. Cur igitur inquirit ubi ſunt? Subjicit interlinealis Gloſſa. *Sic habet ingratos, quaſi ignotos*, ideóque *ubi ſunt, inquirit Dominus.*

Nimirum à Deo non cognoſcuntur, qui beneficiis acceptis fuerint ingrati. At quantum illud malum? Quanta & pœna? Accipe ex eo, quod olim Iſraëlitico populo, populo beneficiis ingrato, contigiſſe ſcimus, vel ex ipſis Scripturæ ſacræ oraculis.

Meretrici *Gomer*, cùm natus eſſet filius, ſic de illo Deus ad Oſeam: *Voca nomen ejus non populus meus.* Sed ecquid iſtud? Cur infantulo, & innoxiæ animulæ imponitur id nominis? Ecquid ille commeruit, qui vix natus, jam & damnatus, & notatus eo nomine, ceu infami ſtigmate? *Non populus meus.* Certè ut eſſe, ac dici Dei populus felicitatis eſt immenſæ; ſic & appellari à Deo, *non populus meus*, ſupremæ eſt infælicitatis

Cur igitur illud in infantulo? Referebat ille populum Iſraëliticum, ideóque illi inditum nomen, quod huic, *non populus meus.* Sed rurſum, quorſum & illud:

Erat Iſraël à natura, erat & à gratia Dei populus, & quidem electùs in paucis; ſed quia tot ac tantis Dei ter Opt. ter Max. beneficiis ingratus extitit, electus eſſe deſiit, deſiit & eſſe Dei populus, audiit- *Oſee c. 1. v. 9.*
que funeſtum illud, ac fatale. Quia jam *vos ô populus meus, & ego non ero veſter.*

Ecce fulmen divinæ vocis, quod vibratur in ingratos. E contrario, populus gentilis, qui etiam multò imparibus Dei ſui beneficiis memor, & gratus futurus erat, audiit Dei populus, & blandum illud, atque amabile excepit vel ipſo divinæ vocis oraculo.

Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam. Vides, Amice Lector, gratos aſcribi Dei populo, Dei electis, dilectiſque. Et contra ingratos expungi.

Hoc ſummum eſt bonum, illud ſummum malum; *In vitis PP. l. 5. libello 10. num. 46.*
ad quod ut nos impellat præcipiti impetu cacodæmon, ceu juratus generi noſtro inimicus, tres Anteceſſores præmittit, ut docent SS. Patres. Ex his primus eſt *Oblivio* beneficiorum Dei. Secundus eſt *Negligentia*, quæ generatur ex oblivione, *ut mali corvi malum ovum.* Tertius eſt *Concupiſcentia*, quæ naſcitur, & aſſurgit ex negligentia, & hominem dejicit, ac protrudit in barathrum vitiorum, & ex hoc in chaos inferni, æternaque incendia.

Ecce quæ ab oblivione beneficiorum Dei in nos mala, ecce quæ ab ingratitudine ruina.

TRACTATUS
DE RESIGNATIONE IN MALIS QVÆ NOBIS OBVENIVNT.

ERIT fortaſſis unus a[illegible]is, qui in primo limine hujus T[illegible]tatus ſe ſiſti volet, obtrudetque antiquum illud: *Actum agis.* Ecquid enim neſcis eſſe longè plurimos, qui in hoc ipſum argumentum calamum duxerint, & fusè, & doctè & piè? Scio equidem: at ſcio etiam, oppono que illud: *Nunquam ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur*: quod quia veriſſimum, patieris, Lector benevole, etiam à me pauca notari in hiſce pagellis.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Si erit malum in Civitate quod non fecerit Dominus.* Amos 3. v. 6.

§. 1.

Quod illud malum, quod & fecit Dominus.

MAlum, quod nobis evenire poteſt in hac aura mortali, aliud eſt *culpæ*; aliud pœnæ. Nec hoc,

hoc, nec illud in nos incurrit, ſine divina voluntate: alia tamen, atque alia.

Malum culpæ obvenit quidem ex Dei voluntate; ſed permiſſiva tantùm, quæ & à Theologis dicitur *voluntas ſigni*.

Malum autem pœnæ infligitur ex Dei voluntate, quæ dicitur, & eſt voluntas beneplaciti; vult enim illud Deus; imò & in eo ſibi benè placet, & hoc quis ex amabili providentiæ ſuæ lege, ex eo bonum elicit, atque, expectat.

Et hoc eſt fundamentum, & veluti baſis illius reſignationis, quam exhibere debet mens fidelis, quæ in omnibus, quæ illi accidunt, Deum aſpicit, & unicàm Dei voluntatem, aliud præterea nihil.

Sic aſpexit *B. Magdalena de Pazzi*, quæ dicere ſolita. Omnis mihi pœna dulcis, omnis afflictatio ſuavis, & amica, vel ob hoc unum, quia ſuprema illa mens ita intelligit, quia & ſumma, primæque voluntas ita vult, ita diſponit, atque ordinat. Et ita velle, ita diſponere, atque ordinare, docuit *Amos*, cùm extulit illud. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?*

Prophetavit enim Iſraëlem Aſſyriis, & Deo quaſi Leoni rugienti, dandam in prædam. Et hoc eſt malum, quod eò loci, ac temporis fecit Dominus, & quod etiamnum facit, & faciet ævum in omne. Malum, inquam, pœnæ, qualia ſunt rapinæ, incendia, ſtrages, calamitates, afflictiones, tum publicæ, tum privatæ, quas impiis, & peccatoribus infligit Deus, ceu Gubernator Univerſi, ceu Judex, & Vindex omnium, ceu etiam miſericors Pater, qui ex illis quoque bonum elicit, ſi minus corpori, luteæque illi moli, at ſaltem animæ; ut enim D. Baſilius, *Caro percutitur, ut anima ſalvetur. Peccatum perimitur, ut juſtitia vivat.* Et hoc occulto mortalibus oculis, Dei Judicio. *Ut enim amnes quidam ſe condunt ſub terram, nihilominus eò perferuntur, quò tendunt; ita nimirum ira, licet occulta; tamen in extremas calamitates auferunt aliquando nocentes*; imò ſubinde etiam innocentes, alio tamen, atque alio conſilio, appulſúve: nocentibus enim ſunt ad pœnam; innocentibus autem ad virtutis exercitium; in hoc, & illa, ſua voluntati humanæ cum divina debet eſſe conſenſio; quod hic oſtendere eſt animus.

Bas. Quod Deus non eſt author malorum.

Plutar. in moral.

§. 2.

Reſignatio in malo culpæ, quod nobis aliquando accidit.

BEata Margareta Recluſa, ſibi deinde ac Deo reddita per vitam meliorem, atque ab omni hominum conſortio remotam, memor tamen vitæ anactæ, memor & admiſſorum aliquando criminum, eò uſque indulſit dolori, ut per duos annos nihil omninò ſolatii admitteret, adeo omnes animæ aditus occuparat mœror, & incumbens cordi triſtitia, cui dum plus æquo indulget, ei ſeſe videndum obtulit Chriſtus, & hæc illi.

Quid doles, ô dilecta mihi filia; tantum mihi gloriæ fuit intoleranda tua amentia, culpáque licet enormi; quantùm ſi eam nunquam incurriſſes.

Dixit, & videri, audirique deſiit. Deſiit & Margareta impotentiùs dolere, deſiit & lugere, & eò quidem ac ſi culpâ caruiſſet, ac ſi vel ex ipſo matris utero ſanctificata fuiſſet; tanta deinceps illi cum divina voluntate, gloriaque conſenſio, quæ ex eo firmata, auctaque, quod deinde didicit, permiſſam eò loci, ac temporis, in ea culpam cæleſti conſilio, tum ut humilitatis, ac demiſſionis eſſet retinentior, tum ut aliis compati, ac condolere diſceret, tum quod per illam magna moliri cœlum vellet, magna & mundo ſpectante oſtendere, tum denique quòd in Dei regia longè maximam eſſe vellet. Nimium eſt ille ludus divinæ providentiæ. *Mali ideo ſunt mali, ut ſint beati*, quod ſcitè notavit D. Auguſtinus.

B. Margaritæ Contractæ dixit aliquando ipſe Chriſtus, Salvator optimus. *In cruce tam benè minora peccata deleviſſem, quam majora: ſed ideo omiſi, ut per illa humilitas in homine conſervaretur*, tum & rationem hanc addidit: *Homo quamdiu eſt in hoc mortali corpore, ita à me remotus, ita ſejunctus eſt, ut ſi nihil infirmitatis pateretur, nihil admitteret & culpæ; neceſſariò ſuperbiæ vitio ſubjaceret: Et inde ex ejus bono, etiam majore, permitto in aliqua labi peccata, ut in eo ſervetur ea, quam amo, animi demiſſio.* Hæc illi Chriſtus, qui etiam idipſum obſervatum voluit in diſcipulis ſuis, quos (ut rectè obſervavit *B. Franciſcus Sales*) paſſus eſt, etiam poſt vocationem ad Apoſtolatum; paſſus, inquam, eſt etiam implicari, etiam & ſubjici indomitis adhuc quibuſdam animi paſſionibus, affectionibusque à recta ratione & virtute apoſtolica alienis, & hoc ad aliquem indubiè majorem in perfectione progreſſum.

Imò (quod etiam mireris, ac doleas) in ipſo Apoſtolorum Principe *Petro*, quem & graviſſimè labi paſſus eſt, deinde penitus concidere. à trina illa negatione, in qua, & ſibi, & Apoſtolico Senatui injurius fuit, & Domino etiam perfidus, ut qui eum noſſe ſe negaverit etiam juratus, quod & mendacium fuit, & ingentis perfidiæ: at quorſum & hæc & illud? Utique ad illius, & aliorum bonum, ut benè cauti ſint, atque alterius malo probè docti, ut in ſe magis, ac magis abjecti: nihil enim animas Deo gratas, atque à virtute ſublimes, ſic dejicit ac culpa; nihil deinde & magis erigit, ac firmat.

Anima (inquiebat, D. Gregorius Pont. Max.) *infirmitatem propriam agnoſcens, ipſa melius humilitate veſtitur, & robuſtius, quàm ſteterat, jacet.* L. 11 Moral. c. 19.

S. Gertrudis Saxonica, leviuſculis imperfectionibus obnoxia, rogavit impenſiùs piam aliquam, & Cœlo gratiorem (ut rebatur) perſonam, ut ad Deum pro ſe ſupplex accideret. Fecit illa enimverò quàm ſtudioſiſſimè: quid deinde? Seſe ei videndum obtulit Chriſtus, & hæc illi. *Electa mea Gertrudis, qui illi videntur, & ſunt defectus, erunt aliquando profectus*: tum & addidit. *Ingens illa cæleſtium donorum affluentia, quam ejus animæ liberalius infundo, non eſſet immunis ac libera à vento vanæ gloriolæ, niſi tegeretur cinere, ſimóve earum imperfectionum, quas in illa, & in aliis electis meis, patior, ut majores inde atque uberiores fructus edant: quod ut oculis ſupponeret magiſter optimus*, adjecit & hanc ſimilitudinem.

Ut ager impinguatus fimo, uberiorem ſegetem fundit, redditque: ſic & anima ab illo culparum ſuarum veluti fimo, illius benè conſcia, ſurgit animoſiùs, & dum ſeipſam magis ac magis deſpicit, me aſpicit, & à me ſperat, expectatque meliora omnia. Et hinc illi Fides altior, Spes firmior, Charitas quoque amplior.

Et hæc illi Chriſtus, cui acquievit *S. Gertrudis*, & totam ſe commiſit divinæ voluntati, nec immodicè triſtis, ſi (quæ eſt humana infirmitas) aliquando illi conniveret, ac caderet; nec effusè lætior, ſi, ſibi, Deoque ſtaret. Et ita facias oportet, Amice Lector.

§. 3.

Reſignatio in malis, quæ nonniſi aliena culpa vitioq; nobis eveniunt.

ERit aliquis, qui leviùs feret ſibi obvenire mala, etiam longè graviſſima, modò obveniant illa ſine Dei offenſa; at cùm hæc minimè. Si mala in nos incurſent ex aliquo deerrantis naturæ vitio, ſi ex fortunæ adverſæ caſu, ſi ex auræ Cœlique inclementia, ſi ex malignis aſtrorum influentiis, aliiſve non abſimilibus cauſis, quas Dei providentia exercere volet, non adeo difficilis erit cum divina voluntate conſenſio;

conſenſio: at ſi ex culpa, offenſaque ſupremi Numinis, certè non erit; Quis enim culpam illam volet? Quis & probet? Nemo certè, nemo unus omnium.

Et in hoc tibi aſſentior; nec enim culpam volo, nec probo: ſed quod ex ea ſequitur malum, & velle te, & probare pervelim. Et ita voluere magnæ mentes, & virtuti, Cœloque natæ.

Revoco te, mi Lector, ad priſca ſæcula, ad ipſa *Davidis* tempora. Fugiebat ille ab Abſalone rebelli filio, occurrit Semei, maledicus in paucis, & hæc
2 Reg. c. 16. verſ. 7. Regi. *Egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saül, quoniam invaſiſti regnum pro ea, & dedit Dominus regnum in manu Abſalon filii tui, & ecce premunt te mala tua, quoniam vir ſanguinum es.*

Hæc Semei improba fronte, & ore impudenti obtrudit, ſervus Domino, ſubditus Regi, & Regi hominum mitiſſimo.

Quid David? Quid illius aſſeclæ?

Verſ. 9. *Abiſai* è ducibus facilè Princeps hæc Regi. *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput ejus.*

Ita virum ſe præſtabat *Abiſai*, & Regis obſervantem in paucis; ſed quid illi David? Num ferrum ſtringi mandat? Num caput impium amputari? Num malidicam linguam exeri, & abſcindi? Num & canibus objici canem mortuum? Enimverò canis videri poterat *Semei*, ut qui Domino, qui Regi allatraret, qui & morderet ferociſſimè. Nihil tamen horum admittit, nihil patitur mortalium manſuetiſſimus. Sed iſta ad *Abiſai*. *Quid mihi, & vobis filii Sarvia? Dimittite eum ut maledicat.*

Sed cur ita? Non attendit ad probra petulantis linguæ, non ad famam, quæ eis læditur, non ad canem, & cane pejorem, non ad homuncionem de trivio, non ad conviciatorem impudentiſſimum; ſed altius aſſurgit meus *Davidis*, altius elabitur regius animus; ad Deum ſcilicet, & ad divinam voluntatem.

Hanc aſpicit, hanc ſuſpicit, hanc amat, & illi uni caput regium inclinat; ait enim:

Verſ. 10. *Dominus præcepit ei, ut malediceret David, & quis eſt, qui audeat dicere quare ſic fecerit.*

Perſuadebat ſibi David Deum, ut pote Dominum omnium, iſto *Semei*, velut inſtrumento, uti voluiſſe, ut illi in faciem objiceret, admiſſa olim crimina homicidium in Uria, adulterium in Berſabee, hoc enim à Domino, ceu juſto Judice præcipi potuit, at malevolus *Semei* animus, depravata intentio, convitia nova, quæ ingerebat de ſuo, nec præcepta erant, nec verò præcipi poterant à Deo, omnis, boni fonte, ſed dumtaxat permitti: & hanc quoque permiſſionem ſpectabat *David*, præterea nihil. Et hinc illi tanta cum divina, ſeu voluntate, ſeu permiſſione conſenſio.

Quæ *Davidi*, eadem & aliis notæ ſanctitatis viris, eadem & *B. Henrico Suſoni*, ordinis prædicatorum imprimis illuſtri.

Hic à precibus matutinis in exceſſo mentis, vidit ad ſe adventantem juvenem, amœna, ac velut angelica ſpecie, à quo & audiit. *Age, mecum perge, te ducam in Gymnaſium, & quidem in Academia ſpiritali Princeps.* Surrexit lætus, & abiit duce bono genio, à quo & deductus in pædagogium, cui ſpecies erat cœnobii, in quo & cœnobitæ ſpirituales in paucis viri.

Ut intravit in Gymnaſium, viſus eſt ſibi videre illius præſidem (is erat Chriſtus) à quo & audiit illud; eſſe, & dici *Abnegationis, & Reſignationis ſcholam*, in quam ſi recipi, vellet neceſſe eſſet ut inprimis Abnegationi ſuipſius, & Reſignationi perfectæ daret operam, quod hactenus non fecerat.

Spopondit pro *Suſone* Angelus: tum illi ſcholæ illius Præſes, id eſt Chriſtus.

Hactenus, teipſe exercuiſti, carnem maceraſti afflixiſtique, & quidem dirum in modum. Ego in poſterum te exercebo, atque ab aliis exerceri patiar, affligi, conterique modis innumeris, ut in ſchola reſignationis magiſter evadas, & Cœlo probè doctus. dixit, & duplici quaſi ſymbolo edoctum voluit, quî fieret iſtud.

Primùm fuit virguncula, quæ in amœna prati viriditate carpebat roſas, & quidem liberali avidaque manu, alias, atque alias: ſic ut non eſſet carpendi finis; nec enim expleri poterat in illa carpendi amor ſtudiumque. Tum ſic *Suſoni* Chriſtus: Ut illa roſas; ſic & tu cruces carpe, nec carpendi ſit finis; nec dixeris unquam, ſatis aut plus ſatis: ſed contra, Amplius Domine, amplius Dixit, & oſtendit, quæ illi à Chriſto cruces. Cap. 22.

Prima fuit, ut decem omninò annis abſtineret ab omni cùm aliis colloquio, & familiaritate, ſuæ amans, ac tenax ſolitudinis: & verò abſtinuit, nec cellulæ, & ſacelli limitibus exceſſit.

Secunda fuit, cogitationes aſſiduæ & permoleſtæ adverſus omnia fidei capita, quæ viro avitæ fidei tenaciſſimo, fuerint pro gravi cruce. Et ſub hac gemuit annis omninò novem.

Acceſſit deinde tertia, ingens ſcilicet triſtitiæ moles, quæ ejus animo ſic incubuit, ut neque noctu, neque interdiu quietem caperet. Et hæc crux eam oppreſſit annis octo.

Addita, etiam & quarta, eaque longè graviſſima; cogitationes videlicet deſperationis, quibus ita cœpit agitari, quaſi jacta jam ſalutis alea, quaſi actum, & conclamatum de æterna forei ſalute. Et ea Crux illum mirè exercuit, cruciavitque annis decem, eoque amplius.

Et hæc illi exercitatio fuit in ſchola reſignationis ab ipſomet illius præſide, ac magiſtro Chriſto, ſub cujus diſciplina ita profecit, ut deinde ſit redimitus corona vernantibus contexta roſis; hinc albicantibus, inde rubentibus; quibus enim potius? cruces collegerat ut roſas, & cœlum pro crucibus roſas rependit in præmium perfectæ illius cum Divina voluntate conſpirationis. Hanc vidimus, & ſuſpeximus: attendamus, quæ illi erit ab aliis afflictionibus, quæ deforis advenient, tum à fratribus, tum ab aliis inſigni, & ſtupenda malevolentia. Et hanc oſtendit illi Deus alio Symbolo:

Canis erat, qui per medium Cœnobii curſitans, Cap. 2.
partem panni veteris, ac detriti modò tollebat in altum, modò ad ima trahebat, modò lacerabat ungue, modò dente mordebat diſtringebatque.

Hæc dum oculis uſurpat *Suſo*, hæretque anxius, quid eo oſtento Cœlum portendat, audit ea ipſa verba: *Eodem plane modo tu quoque fratrum tuorum ore tractaberis.*

Prædictioni reſpondit eventus, qui *Suſoni* uberem illuſtremque reſignationis materiam ſubminiſtravit.

Fuit enim è fratribus converſis unus aliquis, iſque itineris ſocius, qui per ſummam perfidiam eum accuſavit, quod fontes omnes Alſatiæ veneno inficere voluiſſet ad immanem incolarum ſtragem.

Ea calumnia apud vulgus fidem invenit, imò & è compitis, agroque excivit ruſticanam turbam, & veluti undas populorum, quorum pars fuſtibus, pars ligonibus, pars etiam ferro armata, in virum Dei incurrit, & tantum non oppreſſit.

Certè oppreſſiſſet, niſi miſerens ſervi ſui Deus malum avertiſſet etiam miraculo.

Et hæc prima, eaque domeſtica patientiæ ac reſignationis exercitatio fuit, cui acceſſit alia deforis, quæ famam illius impetebat, uti altera vitam.

Perfrictæ frontis muliercula, quam ab infami corporis proſtitutione, & meretricio quæſtu avertere ſatagebat,

ſatagebat, eum incuſavit quaſi ſibi vim intuliſſet, cujus fœtus proles erat, quam ad monaſterii fores abjecit.

Quid hic *Suſo?* inuſtam ſibi videbat; imò & Ordini univerſo ignominiæ notam, & labem infamiæ vix unquam eluendam, a qua & foris, & domi erat illi quàm peſſimè, nam & hic dicteriis impeti, & iſtic digito oſtendi quaſi reus admiſſi ſceleris, & violati per ſummum nefas pudoris. Tacet nihilominus infantulum ſuſcipit, dat alendum nutrici, cætera Cœlo, Deoque committit, raro ſanè reſignationis exemplo: quod dum probant ſuperi, illius deinde innocentiam oſtenderunt.

Vidiſti, *Benevole Lector*, quomodo ea in tantis, & tam enormibus calumniis reſignatio honori deinde fuerit: accipe aliam, quæ & ſaluti.

In Palæſtina ſenex fuit, cui nomen *Anthonius* probatæ virtutis, ac ſanctitatis. Is cùm eſſet in ſuo Eremo, vaſtaque ſolitudine, obvium fortè habuit Saracenum, efferum hominem, & Chriſtiani nominis hoſtem infenſiſſimum, qui ut Senem vidit Eremicolam in eum ſtricto gladio irruit. Quid hic ſenex? In fuga nulla ſalus, in manibus, & viribus etiam nulla. Quid enim inermis contra armatum? Quid ſenículus contra juvenem? Cœlum ſuſpicit, & hæc ad Chriſtum.

Domine IESV Chriſte, voluntas tua fiat.

Dixit, & ſtetit immotus, uni Deo præfidens, & ſe, vitamque credens, quod & illi ceſſit quàm optimè: mox enim Cœlo Vindice diſceſſit terra, ingentique hiatu Saracenum abſorbuit, bonumque ſenem, eo periculo liberavit.

Tanti refert, ſe, ſuaque omnia Deo committere inſigni, atque perfecta reſignatione.

§. 4.

Reſignatio in malis corporis, aliiſq; afflictationibus.

Est corpus altera pars hominis, eaque vel maximè ſenſibus immerſa, cui proinde, ſi à morbo, aut alia aliqua ſimili affectione malè ſit; eſt & homini malè, adeoque in hac opus quàm maximè conformatione cum divina voluntate. Et hanc oſtenderunt illuſtres animæ, quo in genere ſcitu digniſſimum illud, quod de *S. Gertrude* narrat *Ludovicus Bloſius*:

L. 4. divin. inſinuat. c. 23. *Huic aſpectabilem ſe exhibens Chriſtus, hac manu*, aiebat, *ſanitatem fero; illa morbum.*

Elige filia, utrum placet. Quid hic *Gertrudis?* *Sanitatem* eligat? Amoris erit proprij. *Morbum?* Erit immodicæ moleſtiæ, & doloris: Quid igitur? Neutrum eligit; ſed plicatis in crucem manibus ad præcordia, & in genua procumbens. O mi Domine, inquit, id ego votis omnibus à te contendo, ut non meam, ſed tuam attendas voluntatem: ego ad utrumque parata, neutrum eligo. Tuum eſt mi Domine diſcernere; utrum hoc, an illud mihi relinquas. Quod reliqueris erit acceptiſſimum. Dixit, & caput, animumque Chriſto ſubmiſit. Hæc nimirum illi reſignatio, cui non abſimilis eſt ea, quam aliquando extulit *B. Franciſcus de Sales.*

Ab hoc aliquando quæſivit nonnemo, utrum mallet: An ſanus, ac valens vitam omnem exigere? An morbidus, & lecto malè affixus, reliquum brevis ævi conſumere? Cui ille *neutrum*, inquit.

Nec hoc volo, nec illud: *ſed unum illud quod vult Deus*. Cui ille, eccur ita? An non in ſanitate plus Eccleſiæ, & Deo ſervire poſſes, & Epiſcopalibus vacare muniis, quàm in ægritudine? In hac certè ab omni prorſus in proximos officio, ut ceſſes, eſt neceſſe: in illa minimè. Cui B. Præſul, *Parum intereſt*, inquit, *ut Deo ſerviam, plurimum ut ejus factam voluntatem, in hoc momentum eſt omne*: in hoc

R. P. Lobletiu Tractatus Aſcetici. Tom VI.

vertitur cardo Chriſtianæ Virtutis, ac perfectionis.

Dixit, & hominem attonitum reliquit à tanta cum divina voluntate conſpiratione; quam etiam duce Chriſto didicit *B. Margareta de Sabaudia.*

Hæc è Marchioniſſa Ferrarienſi in D. Dominici familiam aſcripta. Deum aliquando rogavit impenſius, ut daretur videre nomen ſuum ſcriptum in libro vitæ: dum ea vota fundit in ardentiore orationis æſtu, ecce derepentè apparuit ipſe Chriſtus, cœleſtium geniorum corona ſeptus, manu geſtans tres lanceas, quibus ſingulis nomina ſingula legebantur inſcripta. *Seraphin. Razzini.*

Uni illud, *Injuria*. Alteri iſtud, *Morbi*. Poſtremæ hoc, *Perſecutio*. Tum ei Chriſtus:

Elige. Stupet illa, hæretque anceps, quam è tribus eligeret. Hærentem, dubiamque, ut videre beati illi genii, illicò ſuaſerunt ut nullam eligeret: ſed arbitrium ſuum omne, Dei ſe amantis arbitrio committeret.

Paruit illa, & benè monentes audiit, ſicque ad Chriſtum, Servatorem ſuum: *Ego illam eligo, quam mihi ipſe elegeris.*

Sic ex oculis abiit objecta illa ſpecies, & *Margareta* non ita multò poſt ſenſit ſe peti tribus illis lanceis. *Injuria, morbis, perſecutionibus.* Et quidem perſecutiones in eam incitavit malus dæmon. Mundus *injurias* & calumnias injecit. Denique ipſe Deus ingentia *morborum* agmina in illius corpuſculum immiſit, & ſingula ferè membra quàm peſſimè affecit.

Dum ergo modò ſub his, modò ſub aliis morbis gemit, & tamen non faiſcit, in ſummo doloris æſtu, & maximè in lenta, ac moleſta podagræ chyragræque alluvie, ſic ad cœlos.

O mi Deus aliquid ſaltem levaminis, aliquid & ſolatii.

Dum hæc ad Deum vota fundit, ecce ſe ei viſendam obtulit Diva Virgo, & hæc etiam illi.

Ea eſt filii mei voluntas, ut hos chyragra, podagraq; dolores, atque aſtus patiaris uſque ad mortem.

Dum & videri, & loqui deſiit, eumque *Margareta* patiendi ardorem, eam & patientiam reliquit, ut deinceps nec queri, nec gemere fit audita, ſed unum dumtaxat illud, *Voluntas Dei in me impleatur.* Cumque etiam in maximis morborum anguſtiis, rogaretur, ecquid valeret? Semper reſpondere ſolita. *Benè, benè*: quia ea Dei nutu, ac voluntate, cui uni acquieſcere docta, & à qua illi benè. Qui enim malè eſſet ei, cui omnia Deus, cui vita, cui ſalus, cui & beatitas?

In eadem patientiæ ac reſignationis ſchola probè doctus fuit *R. P. Ioannes Plaza.*

Hic in omni vita tot incommodis, tot & morbis exercitatus fuit, ut meritò à multis diceretur ſocietati donatus, ut olim Orbi *Iobus*, ut ſcilicet poſteris daretur exemplum patientiæ.

Hanc vel maximè prodidiſſe viſus tribus extremis vitæ annis, quibus continenter lecto affixus jacuit, ita membrorum omnium, præſertim autem articulorum doloribus oppreſſus, ut ne leviter quidem tangi poſſet, ſine maximo doloris ſenſu, in quo ſublatis in cœlum oculis (qui ferè ſoli erant liberi) hæc dicere ſolitus: *Tu Domine verbera impange, ego interim percurram Pſalmum miſerere.*

Sentiebat nimirum morbos, non ſolum Dei nutu immitti: ſed & manu infligi; & hinc illi eximia, & planè ſingularis in ejus manibus reſignatio. Et inde etiam ab eadem tanti in virtute progreſſus.

Quæſivit aliquando Seneca: *Quid tibi opus eſt, ut ſis bonus?* reſpondit *velle*. Ego addiderim *velle* quod vult Deus. *Epiſt. 80.*

Anno quingenteſimo vigeſimo-tertio, in Concilio Uzecenſi, fuit Epiſcopus cui nomen *Quod vult Deus*; fuit & alius Carthaginenſis Pontifex vir ſanctiſſimus, ejuſdem etiam nominis, ejuſdem & virtutis. *Baron. Tom. 7. An. 523.*

tutis. Hic unà cum Clero, à *Genſerica* Rege Ariano, fractis navibus, abſque remigiis & velis, præter omnem ſpem Neapolim appulit, ibique & vitæ portum invenit, & beatitatis.

Quem enim inveniſſet, qui in omni vita nil aliud voluit, *niſi quod vult Deus*; adeo tam Sancto Nomini, conſona fuit & vita. Ut ea in Chriſtiania omnibus ſit, optarim omnibus, id eſſe nominis, *Quod vult Deus*, id & virtutis: ut tandem aliquando id in Cœlo beatitatis.

§. 5.

Reſignatio in ultima vitæ linea, hoc eſt in morte.

Epiſt. 90. Dixit aliquando Seneca: *omnia ad quæ gemimus, quæ expaveſcimus tributa vitæ ſunt.* Quod ſi omnia; certè mors vel maximè, vitæ tributum, naturæ debitum eſt: pendendum illud ubi, quando, & quomodo voluerit Deus. Nec obitus optandus, nec diuturna vita expetenda aliter eſt, quàm dari Deo, vitæ, & mortis, arbitro viſum fuerit.

Vita noſtra comœdia eſt, exeundum è ſcena cùm choragus evocaverit.

Militia eſt, excedendum ex acie, cùm receptui ſupremus Agonotheta cecinerit.

Navigatio eſt, ſubeundus portus, cum Gubernatori placitum fuerit.

Denique, circulus eſt, ad perfectionem circuli nihil intereſt, ſitne magnus, aut parvus. Eum ducere, ac deſcribere, eſt altioris manus, id eſt divinæ. Ejus ductum ſequamur oportet, & quidem

Primò ut parati ſimus, tam mori quàm vivere: ſi vitam ultra donet Deus, benè eſt; mortem ſi exigat, etiam benè: ad utrumque prompto animo accedendum.

Et ita acceſſit Turonenſis Præſul, *Martinus*, qui jam animam acturus, ſic ad Deum. *Domine ſi adhuc populo ſum neceſſarius non recuſo laborem, fiat voluntas tua.* Ecce ut illi vita, uti & mors in manu Dei, quod ſuſpiciens Eccleſia inclamat illud: *O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec vivere recuſavit.* Sic nimirum decuit, ſic & decet: utrimque firmandi ſumus, ne nimis amemus vitam, & ne nimis oderimus.

Et ita nec oderunt, nec amarunt ſancti: ſed ejus momenta omnia Deo commiſerunt, parati excedere è vivis ſi annueret; parati manere, ſi renueret. Et hæc prima reſignatio.

Altera, ut cùm fatalis urſerit neceſſitas, eam admittas etiam volens, & hoc quia vult Deus.

Bollandus 12. Feb. in ejus vita, c. 9. Ita admiſit *S. Benedictus, Aniana, & Iada Abbas.* Hic in extremo propè ſpiritu, cùm ia deficeret, languidula quidem voce; ſed animo forti, ſic ad Deum. *Fiat voluntas tua, fac cum ſervo tuo Domine ſecundum miſericordiam tuam.*

Dixit & grandem ſuam animam cœlo tranſmiſit, Dei miſericordiæ fretus, & ejus voluntati ſubnixus. & hæc ſecunda reſignatio.

2. Febr. in ejus vita, c. 7. Tertia, ut abeas è vitæ ſtatione etiam exultans, & hoc quia vult Deus. Et ita abiit *S. Hadeloga* Virgo. Hæc in vita ſolita ſemper flere, in morte audita eſt ſuaviſſimè canere. Contra quam faciunt mortalium plerique. Hi enim in vita ridere, jocari, ludere, canere. Nihil lætius; at in obitu, alia obire omnis, gemere, ſuſpirare, & ſatis ſuis allacrymari. Nihil triſtius. Non eſt ea reſignatio, quam cœlum exigit iſto in articulo, nec ea, quam dedere illuſtres animæ, quibus mors in votis atque amoribus, vita in faſtidiis & propè in odiis.

3 Febr. in ejus vita, c. 17. Quarta reſignatio eſt, ut naturæ concedens totus eas in Dei laudes: & ſic iit *S. Auſcharius*, Archiepiſcopus Hamburgenſis. Circumſtabant illius lectulum mœſti fratres & hymnos de more recitabant, quales ſolent moribundis, cùm reſumpto ſpiritu monuit pius Præſul, ut læto animo, lætiore etiam voce, accinerent, ſolemne illud Ambroſianum. *Te Deum laudamus.*

Parent illi pio Præſuli, ac parenti, & ecce inter Dei laudes, & ſacratiora encomia, terris vivere deſiit, & cœlis cœpit, & hoc victoris in modum, triumphantis in morem.

Certè Ambroſianum illud non auditur, niſi in communi lætitia, in victoriis, ac triumphis & quia ſic in morte vincebat, ſic & triumphabat *Anſcharius*, inde & in ea non auditum illud, *Miſerere*, quod pœnitentis eſt, ac gementis: ſed hoc, *Te Deum*, quod lætantis, quod exultantis, quod & triumphantis eſt.

Et hic fuit exitus ſancti illius Præſulis, cui non abſimilis & ille *S. Oſwaldi*, Epiſcopi Vigornienſis. Hic diebus omninò ſingulis, ſolitus erat duodecim pauperibus lavare pedes, manibus tergere, exoſculari, & interea dum illud obiret officii, quindecim pſalmos recitare, atque ad extremum addere illud: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Addidit, & in extremis illis voculis, *& Spiritui Sancto*, Spiritum emiſit, iturum utique in Cœli regiam duce illo Spiritu, cui *Gloria*; duce & ſanctiſſima Triade, cui & *Gloria*; ut & tu ſic eas, Amice Lector: attende ne è vitæ hujus ſtatione diſcedas invitus: ſed valens, ſed exultans, ſed Deo gratias agens, qui te ex hoc corporis ergaſtulo educit, ceu vinctum è carcere, ut te donet ea libertate, quæ poteſt eſſe maxima in beatorum regione, in qua neque labor, neque dolor, neque mors erit unquam: ſed perennis, ſed æterna vita.

§. 6.

Reſignatio etiam in iis quæ mortem ſequuntur.

Qui ſe Deo commiſit in vita, extremoque illius periodo, neceſſum eſt, ut eidem ſe quoque committat à morte, ratumque habeat, & gratum quidquid de ſe ſtatuerit.

Et ita ſe commiſit *B. Franciſcus Sales*, rogatus aliquando ab amico ſibi in paucis familiari, quid mallet à ſuo obitu, an ſtatim Cœlo donari, ac beatitate; an ſiſti in ignibus expiatoriis? Nihil habeo, quod ex me ſtatuam, nec hoc nec illud eligam: ſed unum illud, quod volet Deus, id ego & velim, & quidem perlubenter.

Tum adjecit & iſtud, quod fuit miræ conſenſionis cum divina voluntate. Cùm è corpore exceſſerit anima, locum illi deſignet Deus, quiſquis is erit, mihi erit gratiſſimus, ſi purgatorium erit illud mihi inſtar paradiſi, alias Cœlum erit pro purgatorio, ſi illud non concedatur ea divina voluntate. Hæc enim pro paradiſo, quodvis aliud pro purgatorio.

Sed rurſus objecit amicus ille. Si recto tramite in cœlos ieris, Deum laudaveris, Deum amaris, & quidem quàm citiſſimè, quàm perfectiſſimè. Cui *Franciſcus.* Nec illud ſpecto: ſed hoc unum ut voluntas Dei à me, & in me fiat, præterea nihil. Satis laudavero, ſatis & amavero, ſi tam hoc, quàm illud, ex ipſius voluntate. Hoc enim Deo acceptius, imò & acceptiſſimum. Virgo quæpiam in paucis Deo cara, cùm in æſtu orationis quadrageſies repetiiſſet & illud: *Fiat voluntas tua*; ſeſe illi viſendum obtulit Chriſtus, & hæc ei. Nihil melius orare, nihil gratius mihi offerre potuiſti, quàm hæc paucula verba: *Fiat voluntas tua.* Et quia id notum piis illis mentibus, ideo & nihil uſurpatum magis: quo in genere magis mirandum illud, quod de *B. Angela de Fulginio* legimus. Hæc dicere ſolita nullum ſe Dei cauſa tormentum detrectare, ne inferni quidem, ſi Deo ita videretur; nullum optare P. Thalon. in ejus vita.

ſe

ſe ſolatium, nullam beatitatem, ne paradiſi quidem, niſi Deo ſic placitum eſſet: imò & malle ſe cum Dei ſui voluntate eſſe in inferno, quàm ſine illa in paradiſo. Tanta illi erat, & tam arcta cum ea conſenſio. Et hæc etiam à vita: audi etiam quid in hac.

Sibi aliquando propoſuit durum illud, & æternum: Quid ſi eſſem aliquando tandem damnanda? Quid ſi inferis mancipanda? Quid ſi tradenda dæmonibus, tartareis illis monſtris, atque tortoribus? An ideo in Dei amore intepeſcerem? Abirem ab ejus obſequiis. Minimè, inquiebat; imò & amarem jam ardentius, ſervirem & liberius, atque fidelius, neque me dolor modo occuparet ullus, neque triſtitia dejiceret ulla, vel ob unum illud, quia ſcirem eam eſſe Dei voluntatem. Et hæc mihi, etiam in inferno, eſſet pro paradiſo, & in ignibus pro refrigerio, & in tormentis pro ſolatio, & in æternis miſeriis pro beatitate. *Bollandus in ejus vita.*

Ejuſdem ferè genii fuit Adoleſcens monachus, de quo hæc in vitis Patrum. Serviebat ille ſeni, & quidem in paucis difficili, ac moroſo, ſerviebat tamen ea ingenuitate, alacritate, charitate, quæ poterat eſſe maxima. Et hanc, & illam primò mirari ſenex, dein & amare, & prædicare, & æſtimare in paucis: nec mirum, magnæ quippe ſunt in virtute amoris illecebræ, & potens omninò telum eſt amor. Hunc dum non fert malus dæmon, ſeſe viſendum offert monacho ſeni; ſed Angeli ſpecie, lucida illa, ac cæleſti, & hæc illi.

Miraris, Pater optime, & amas juvenem illum, qui tibi tot annis obſequia detulit, illum habes in oculis, habes & in amoribus, habes & in pretio: ſed alia judicia Dei, alia & hominum: quod his altum eſt, illi abominabile; quod his pretioſum, atque acceptum, illi vile atque abjectum.

Et is eſt juvenis ille monachus, quem ſtultè deperis, eſt enim in reproborum claſſe, & æternis aliquando addicendus incendiis. Dixit, & evanuit. Quid deinde? Senex ut juvenem vidit, alta ſuſpiria ducere, gemere, illacrymari, dolere, queri. Quid hic juvenis? *Ecquid*, ait, *eſt mi Pater?* Ecquid illa ſuſpiria, gemitus, lacrymæ, querelæ? Ecquid hæ volutæ? Ecquid & illa omnia? Cui ſenex: Ne quære fili, eſt quod ſcire noles. Tum juvenis, ecquid illud Pater optime? Eloquere, non imparatum malis pectus gero. Hic, ſi unquam aliàs effuſi gemitus, ſuſpiria, & manantes ex dolore lacrymæ, quibus ubi datum eſt plus ſatis. *O fili*, inquit, *ò fili!* cætera dixere lacrymæ, vocem quippe dolor intercluſerat. Ubi hic paululum reſedit, tum ad juvenem ſenex: *O miſerande*, inquit, *adoleſcens, qui & de numero es reproborum, & æternus tandem mancipandus incendiis.* Dixit, & altùm ſuſpirans, ſiluit.

Quid hic juvenis? Deſine, inquit, venerande Pater, deſine gemere, & queri. Si ea de me Dei voluntas eſt, fiat enimverò, fiat illa. *Ego interim, dum illam expecto, amo, veneror, amplectorq́, & tibi, ut aliàs ſerviam, & totus in Dei mei amores, totus ibo & in laudes?* Ecquid enim? Si tota æternitate nec amare detur, nec laudare, ſaltem eo omni, quod reliquum eſt brevioris ævi, à me & ametur & laudetur Deus

Aſtupuit ſenex, agnovitque mali dæmonis malos dolos, ac fraudes, & juvenem arctè complexus. *Agnoſco*, inquit, *fili*, *agnoſco te eſſe de numero Electorum, & beatæ tandem adſcribendum æternitati.* At unde agnovit? Ex illa utique cum Dei voluntate conſenſione. Quæ ſi & in te ſit, Amice Lector, eris ut ille ſcriptus in libro vitæ, eris & beata donandus æternitate.

TRACTATUS
DE DUPLICI SOLITUDINE.

DIvo BERNARDO duplex eſt *ſolitudo*, *Corporis* una; altera *Mentis*: de hac, & illa, mihi brevius erit diſceptatio; eaque ad mores ritè formandos accommodata, pro qua ſit

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Singulariter ſum ego donec tranſeam.* Pſal. 140.

HÆc aliquando de ſeipſo Regum fortè maximus, cùm eſſet in via hujus ævi mortalis, *ſingulariter* erat, hoc eſt, interprete D. Chryſoſtomo. *Solitarius vivebat.* At quomodo ſolitarius in urbe? in Regia? Inter populi, aulicorumque turbas? Inter æſtus, ac tumultus negotiorum? Inter arma bellicoſque ſtrepitus? Et in his tamen omnibus adhuc ſolitarius. At qua, inquies, ſolitudine? Una *Corporis*, cùm ſe ſubducebat à turbis. Altera *Mentis*, cùm ſibi mens reddebatur, ſecum loquebatur, ſecum agebat. De hac & illa ſolitudine mihi erit quæſtio

§. 1.

De Solitudine Corporis.

HAnc amaſſe hanc quæſiviſſe videtur ipſa naſcentis Eccleſiæ infantia, in qua plerique omnium ſeceſſerunt à tumultu populorum, in avias atque invias ſolitudines; Deum ibi quæſituri, quem rebantur in hominum frequentia difficiliùs inveniri.

Hanc amavit *S. Procopius*, inter Eremicolas nominatus, qui & floruit ipſo ævo D. Chryſoſtomi: & quem etiam viventem, atque abſentem imploravit *S. Porphyrius* Gazæ in Paleſtina Epiſcopus, & hoc quidem in periculoſa irati maris tempeſtate, in qua & ab illo præſens auxilium, & pacata maria, & ſedati ventorum turbines. *Surius Tom. 1. p. 1065.*

Hanc *Euthymius*, *Geraſimus*, *Theoctiſtus*, ſub tempora Conſtantini Magni Imperatoris.

Hanc *S. Marcius*, de quo & illud celebre, quod nunquam à cellula ſua longiùs diſcederet, quàm ferret longitudo catenæ, qua ſe eidem cellæ ſuæ obligatum voluerat. Ad quem ſic & D. Benedictus: *Si ſervus Dei es, non te teneat catena ferri, ſed catena Chriſti.* Paruit illicò benè monenti, catenam depoſuit, nec tamen unquam deinceps ſtatutum ſibi ſpatium, tametſi liber, exceſſit. *Faſti Marian.*

Hanc *S. Quiriacus* ſub Leone Magno Imperatore, cui radices paucæ, & rami arundinum erant pro obſonio, uti & herbæ amariſſimæ, quæ tamen & Crucis ſigno, & Dei gratia, viſæ non ſemel dulceſcere. *Sur. Tom. 1. p. 429.*

Hanc innumeri propè alii, quos in præſens taceo, ne pluribus, quàm par ſit, chartam onerem in argumento ſatis noto, atque obvio.

Hanc & monaſteria *Acœmetorum*, ſive *non dormientium*, in quibus ſcilicet noctu diuque à Monachis

ſibi per vices ſuccedentibus, canebantur Divinæ laudes, & ſacratiora officia.

Hanc & ſedulò quæſierunt à doctrina, & ſanctitate viri perilluſtres, è quibus

S. Hildulphus, Trevirenſis olim Epiſcopus, qui abjecta Infula, Pedoque, in ſolitudinem abiit.

B. Petrus Damianus, quem & vita loquitur, & ſcripta prædicant.

S. Cæleſtinus, poſita Tiara Pontificia, & ſpirituali totius Orbis Principatu: tantus eos invaſerat occupaterque ſolitudinis amor, ſtudiumque, nec mirum: magna quippe in ea gratia, & potentes illecebræ.

Audi, quid ad *Ruſticum Gallum* Monachum D. Hieronymus. *Videris* inquit quid alii ſentiant; *mihi oppidum carcer, & ſolitudo Paradiſus eſt.*

Tom. 1. epiſt. 4.

Epiſt. 5.

Audi, quid ad Heliodorum: *O deſertum*, inquit, *Chriſti floribus vernans, ô ſolitudo in qua naſcuntur illi lapides, de quibus in Apocalypſi civitas Magni Regis extruitur! ô Eremus familiarius Deo gaudens!*

Ubi iſta de deſerto, ſolitudine, Eremo protulit, tum æſtu quodam ſeu amoris, ſeu ardoris excitus, inclamat: *Quid agis frater in ſeculo, qui major es mundo? Quamdiu te tectorum umbra premunt, quamdiu fumoſarum urbium carcer includit?* Hæc ad Heliodorum Hieronymus, ut eum à mundi turbis, & ſtrepitu, ad ſolitudinis quietem evocaret, transferretque ab urbibus, velut à ſpecioſo carcere; ad Eremum, ceu alterum in terris Paradiſum.

Quæ D. Hieronymo mens fuit; eadem & D. Bernardo: excipe quæ ille de ſolitudinis bono; ſic enim, exclamat:

Homil. de negotiatore quærente bonas margaritas.

O ſolitudo beata! ô eremo mors vitiorum, & vita virtutum! te lex & Propheta mirantur, & quicumque ad perfectionem venerunt, per te in paradiſum introierunt. O beata vita ſolitaria. Quid ultra de te loquor? Ipſe Dei filius, Salvator, & magiſter noſter, exemplum dedit nobis fugiens in deſertum, & manſit in ſolitudine, ubi ſunt roſa charitatis, quæ ſemper flammeſcunt, quæ ſemper in ſancto odore vivunt. Hæc Bernardus, ſeu amore, ſeu ſtupore illius boni, quod eſt à ſolitudine.

Neque mihi obtruſeris hunc ſenſum eſſe dumtaxat Sanctorum, eorumque qui in monaſteriis innutriti ſeros ad annos: audeo dicere, & illorum quoque eſſe qui vel in ſtrepitu negotiorum occupati, vel etiam in pulvere Martio glorioſè ſordidi. Ex his & illis duos in medium adducam.

Primus erit *Carolus* hujus nominis *Quintus*, Imperator Auguſtus. Hic in ſenio, & propè ultima brevioris ævi meta id ſtatuit, id fecit, quod tota laudabit commendabitque poſteritas. Abiit ab aulæ ſtrepitu, ſeceſſit ab æſtu negotiorum, ab armis, & caſtris, in quibus à prima ferè ætate conſenuerat; ſeceſſit, inquam, relictoque Regno, & Regni curis, in ſolitudine ſe totum & ſibi, & Deo dedit; ut de illo merito dixerit *Sacchinus*, Societatis noſtræ Hyſtoriographus. *Carolus major fuit in ſua eremo, quàm in Imperio.*

Alter erit *Philippus III.* & ipſe Hiſpaniarum Rex. Hic in ultimo vitæ limine, ex quo propius ſpectatur quæ nos manet, æternitas, auditus eſt de ſe queri, & dicere.

Optarem enimverò nec coronam unquam capite geſtaſſe, nec purpuram induiſſe: ſed potius ſaccum, & cinerem, nec vitam egiſſe in ampliſſimorum regnorum negotiis, & aulæ regiæ faſtu, ac palatiis: ſed potius in aliquo eremi angulo, procul à mundo, procul & à mundi curis. In illo certè & ſecurius & beatius è vita excederem, quàm modò in auratis regiæ tectis, ac laquearibus.

Et hæ fuerunt, ut ultimæ, ſic & regiæ voces, & hæc quoque vota, quæ ut mirari diſcet, ſic & imitari omnis retro poſteritas; quæ in Rege potentiſſimo, Chriſtianæ ſapientiæ ſenſum & excipiet, & commendabit.

Sed audio, mihi in aurem obſtrepis, & objicis iſtud; ut ſit illud Chriſtianæ ſapientiæ: quæ ſua de Cœlo, deque altiore in Deum fide, ſua trahit principia: non tamen eſt profanæ: quæ ſola ratione ducitur. Imò & profanæ.

Attende quid de illa ſapiens Romanus: ſic olim ad Lucilium, quem inſtruebat ut diſcipulum. *Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum. Non invenio cum quo te malim eſſe, quàm tecum. Recede in te ipſum quantum potes.* Epiſt. 10.

Quod Senecæ: hoc & Philonis. *Vir bonus*, inquit, *vitæ quietæ amantior, ſeceſſum quærit, & ſolitudinem, latere cupiens, non odio hominum (eſt enim ſi quis alius eorum amans) ſed quia fugit, & proculcat vitia, quibus vulgus delectatur.*

Verùm ut ea ſit vita ſolitaria, ut tantum illius bonum, non omnibus tamen æquè convenit, ideoque ſpectandum ſedulò, quæ, & cui. D. Hieronymus, utpote veteranus in hac palæſtra miles, edocet qui ad illam evocandi; ſic enim in epiſtola, *ad Ruſticum monachum. De ludo monaſteriorum hujuſmodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, qui ſpecimen converſationis ſuæ multo tempore dederint, qui omnium fuerunt minimi; ut primi omnium fierent, quos nec eſuries aliquando, nec ſaturitas, ſuperavit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, ſermo, vultus, inceſſus, doctrina virtutum eſt.* Lib. 2. Ep. 10.

Et hos ad ſolitudinis avia, & vitæ ſolitariæ fines ultimos, educi vult D. Hieronymus; alios minimè, & hoc quia eſſet illos objicere periculis ſalutis, & immittere in apertas mali dæmonis inſidias, qui ſcilicet in vita ſpirituali tirones, ut pilas habet. Et hoc eſt malum, quod aliè deplorat D. Bernardus dum agit de nonnullis ævi ſui monachis.

Quantos, inquit, *ex monaſteriis ſpiritu ferventes eremi ſolitudo ſuſcepit, & aut tepefactos evomuit, aut retinuit contra eremi legem, non modo remiſſos, ſed etiam diſſolutos.* Serm. 64. in Cant.

Tria hic attingit S. Præſul. Primum eſt, quoſdam ſpiritus fervore, & æſtu quodam eductos ex monaſteriis in amicam ſolitudinem: ſed quia is fervor tironis quodammodo fuit, & in ſpiritu non ſatis exercitati, elanguit ille. Et quid inde, aut illos tepefactos eremus evomuit; atque in hominum turbas abjecit, aut ſi retinuit contra ſolitudinis leges, & pacta, non modo remiſſos habuit; ſed quod peſſimum fuit, etiam diſſolutos.

Ne illos aliquando habeat ſolitudo, in eam non facilè quis veniat, nec ſe abripi ſinat impetu quodam animi: ſed maturo conſilio, multaque deliberatione, nec enim omnibus convenit vita eremitica, ſine teſte, ſine arbitro, ſine duce, in quam ideo liberiùs incurrit tentator; ut ſcitè oſtendit D. Hieronymus, dum ſic de illius damnis, ac periculis:

Malum, quod nemo videt, nemo arguit; ubi autem non timetur reprehenſor, ſecurius accedit tentator, & licentius perpetratur iniquitas.

Et hæc de ſolitudine corporis paucis notaſſe ſit ſatis.

§. 2.

De ſolitudine Mentis, eaq; duplici.

Eſt una ſolitudo mentis, etiam inter ipſas turbas, atque in medio urbium fremitu, ea ſcilicet, in 1. Solitudo Mentis.
qua animus ſibi eſt intentus, ſibi vacat, ſibi loquitur, ſecum agit, & licet omnia foris reſonent, intus nullæ cogitationum inter ſe rixæ, nullæ affectuum inter ſe pugnæ; ſed alta quies, & profunda veluti mentis ſolitudo.

Et hanc in S. Philippo Nerio eſſe voluit Chriſtus, cùm ei dixit illud: *Philippe, vivendum tibi Roma, quaſi in deſerto.* Deſerto, inquam, non loci: ſed animi. Antiſthenes Philoſophus videtur inveniſſe umbram aliquam illius ſolitudinis. Rogatus enim, quid è ſua

Philoſophia

Philoſophia feciſſet lucri? Reſpondit. *Poſſe mecum loqui, mecum verſari.*

Quod ille è profana ſua Philoſophia videbatur aſſecutus: hoc & melius, & uberius è ſacratiore Philoſophia S. Nerius, & S. Ignatius. Hic certè etiam in æſtu negotiorum, quæ afferebat ſocietatis univerſæ cura, & in tumultu, undiſque populorum, quibus circumcingi neceſſe erat, adibat ipſe nihilominus ſuam illam ſolitudinem; quot enim horis ſibi reddebatur mens ſancta, ſecum loquebatur, ſecum agebat, ſecum verſabatur, non ſecus ac ſi in avia, atque invia fuiſſet ſolitudine. In ea ad rationes vocabat dicta, facta, cogitata, ſiſtebatque ante tribunal mentis, uni illi negotio intentus, cæteris vacuus.

Hæc porro ſolitudo Aſceticis dicitur *Converſatio interior.* Interior quidem, quia eſt in intimo corde. Converſatio autem, quia religioſæ mentis homines nunquam ſoli ſunt, etiam cùm ſoli ſunt. Primò enim ſunt cùm Deo.

In Pſ. 38. *Non eſt autem ſolus, cui Deus præſens eſt*, ut ſcitè D. Ambroſius: deinde ſunt cum ſeipſis, & comites habent ſuas cogitationes. Denique qui is eſt, *habet ſecum omnes, qui ſunt, & qui unquam fuerunt boni, & animum liberum quocumque vult transfert, adeóque* Lib. 1. in Iovin. *nunquam minus ſolus, quàm cum ſolus*; ut rectè D. Hieronymus.

Eadem ſolitudo Prophetæ Regio *eſt medium cordis*; ſic enim de ſeipſo. *Perambulabam in innocentia* Pſal. 100. *cordis mei*, hoc eſt, conſiderabam meipſum, & cogitationibus meis quaſi ambulabam in medio cordis, ut viderem an ei conſtaret ſua virtus, ſua & innocentia.

Lib. de Noe c. 10. Dicitur etiam à D. Ambroſio *Anima principale*; exponens enim illud Geneſeos: *Intra tu, & omnis domus tua. Hoc*, inquit, *dicit Dominus juſto. Intra tu,* Gen. c. 7. *hoc eſt, intra teipſum, intra tuam mentem, in tuæ animæ principale. Ibi ſalus eſt, ibi gubernaculum; foris diluvium, foris periculum.*

In Pſal. 28. D. Baſilio ea ſolitudo appellatur *Aula ſancta*, in qua mens inambulat.

Denique, ne longius vager in nominibus. D. Auguſtino eſt, *ſecretarium conſcientiæ*: ſic enim aliquando è pulpito ad ſuum auditorem. *Intra te vi-* Serm. 43. de verb. Dom. *de, ſi habes illic aliquod ſecretarium dulce conſcientiæ tuæ, ubi non perſtrepas, ubi non litiges, aut pares lites.*

Et hæc ſolitudo mentis haberi poteſt etiam in urbibus, & frequentia populi, & hanc in Demetriade optabat, amabatque D. Hieronymus, dum ſic ad illam:

Adhibe etiam tibi in urbe ſolitudinem, & remota pau- Epiſt. ad Demetr. *liſper ab hominibus, propius Deo jungere*, cogitatione ſcilicet, & pio in Deum affectu, quo jungi quis poteſt etiam in populi frequentia.

Et hæc de prima mentis ſolitudine.

II. Solitudo Mentis, & Loci. Altera eſt juncta cum aliquo receſſu, etiam corporis, etiam & loci: & hanc amarunt, hanc & ſtudioſè quæſierunt & Prophani, & Sacri: ex his, & illis paucos producamus.

Romanus Orator Tullius. non cenſebat eum eſſe liberum, qui non aliquando ſecederet à turba, & negotiis; & illi otio vacaret.

2. de Orat. *Mihi*, inquiebat, *is liber eſſe non videtur, qui non aliquando. nihil agit.* Et hinc in Tuſculum ſuum excedere ſolitus, ut qui Romæ in Curis, & Roſtris, Reipublicæ quodammodo fuerat, in Tuſculo & receſſu ſuus eſſet. Sic enim de ſeipſo: *Moror in Tuſculo meo ſemiliber*; quaſi a Reipublicæ curis, bona pars libertatis illi periiſſet.

Ciceroni conſenſit Seneca, & ipſe Romanus ſapiens, qui ſic etiam de ſe.

Epiſt. 8. *Seceſſi, non tantùm ab hominibus; ſed etiam à rebus, & primùm à meis*: Quid autem in illo ſeceſſu ageret, paucis exponit, & ait. *Poſterorum negotium ago, illis aliqua, quæ poſſint prodeſſe, conſcribo.*

Audiant Chriſtiani, audiant & Religioſi, atque erubeſcant, qui in amœna, claraque fidei luce non agunt, quod ille in obſcura idololatriæ nocte.

Poſterorum ille negotium agebat; ſcribebat, & prodeſſe ſtudebat poſteris (quod fortè vanitatis erat) nos, non agimus æternitatis negotium, in quo tamen uno & ſalus & beatitas. Hoc porrò negotium agimus in ſolitudine, ſeceſſuque ab hominibus, & negotiis, & hoc agebat etiam Seneca, dum ea ſcribebat, quæ poterant prodeſſe poſteris; melius nos ea, quæ etiam nobis.

Quod Seneca dixit, & fecit; hoc & Lucilium diſcipulum ſuum facere docuit, cùm ſic ad illum: *Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti, nemo ad* Epiſt. 53. *illam pervenit occupatus.*

Salutare planè monitum, & verum, neminem poſſe vacare bonæ menti inſtituendæ atque exornandæ, qui non ſe ultrò ab hominum ſocietate, atque negotiorum tumultu abduxerit.

A prophanis hominibus, ad ſacros venio, & hi ſolitudinis iis paucis amantes fuere: & hos inter ex antiquioribus *Rechabitæ*: Ii ſingularem vitæ ſanctimoniam ſectantes, & à vino abſtemii, & ſeceſſus adeo ſtudioſi, ut iis civitas eſſet pro carcere.

Hinc Propheta Regius iis inſcripſit pſalmum ſeptuageſimum, cui & titulum hunc fecit: Pſalmus *David filiorum Ionadab, & priorum captivorum*: At quæ illis captivitas? quis & carcer? non alius quàm urbis frequentia.

Filii Ionadab, inquit Hieronymus, *Ieroſolimam intrare compulſi, hanc primam captivitatem ſuſtinuiſſe dicuntur, quòd poſt ſolitudinis libertatem, urbe quaſi carcere ſint recluſi*: Hic oculum fige, mi Lector, & obſerva etiam antiquum illud, quod in ſolitudine libertas utique animi, & in urbe, populique frequentia, captivitas etiam animi, & hanc fugis, dum illam fugis, in amica ſolitudine & ſacratiore illo receſſu, in quo, & à quo vera & ſpiritalis animi libertas: Hanc dum amat *S. Carolus Borromæus*, primùm quot annis ſemel *S. Ignatii* exercitia obire ſolitus, per octo, decémve dies; deinde ultimis vitæ ſuæ annis, eadem ſecundò uſurpare, eo animi ſenſu, qui poteſt eſſe maximus, ea ſanctitate, quam & ſuſpicit, & veneratur orbis univerſus: Fatendum enim, quod & obſervarunt vitæ illius ſcriptores, quod prima vice qua iis vacavit, & in viſum alium mutatus ſit, & deinde ad eum ſanctitatis gradum evaſerit, quem poſteritas vidit, & amavit univerſa. Mitto alios, hic enim mihi erit inſtar omnium: Unum addo, quod ex D. Ambroſio, aliiſque antiquioribus colligo, eum olim à ſacerdotibus uſurpatum fuiſſe morem, ut ſubinde venirent in eam ſolitudinem, quam & appellabant *fugam ſacerdotum.*

Illius meminit D. Ambroſius, dum ſic ait: Hæc Lib. de fuga ſæcul. c. 2. eſt fuga ſacerdotis, *Abdicatio domeſticorum, & quædam alienatio cariſſimorum, ut ſuis etiam ſe abneget, qui ſervire Deo geſtit.*

Hanc porrò fugam ſacratiore appellatione, *Pietatis* Epiſt. 5. *ſilentium* vocavit *S. Paulinus*, cum ea de *Severo* prædicavit: *Confugiſti ad pietatis ſilentium, ut evaderes iniquitatis tumultum; muteſcere voluiſti mortalibus, ut ore puro divina loquereris.*

Duo hîc annotat S. Præſul, quæ in ea ſolitudine, ſacroque receſſu; commendari ſolita, videlicet & *ſilere*, & quaſi *obmuteſcere*, ut cum Deo uno loqui diſcas, ad cætera mutus.

§. 3.

Solitudinis illius, & ſacratioris ſeceſſus neceſſitas.

HAnc peto maximè ex duplici capite. Primùm ex natura hominis, & inſita quodammodo illi in malum inclinatione, de qua D. Chryſoſtomus pronun-

Ad Theodor. lapſum. pronuntiavit iſtud, velut ex aureo tripode: *Lubricum genus eſt natura hominis, & celerrimè decipitur*, & quia lubricum facilè concidit, tum ſponte quaſi ſua, & tum vel maximè ſi accedat deforis impulſus aliquis, qualis eſt à populi frequentia, à ſocietate, exemplisque peſſimis, quæ videntur in publico, & quæ non vitabis niſi in ſolitudine: & inde mihi, ſecundum objicitur hujus neceſſitatis caput, ſeceſſus ſcilicet *à turba*, de qua, & illud Seneca chriſtiano auditorio digniſſimum.

De vita beata. *Argumentum peſſimi turba eſt*, quia quod peſſimum eſt objicit, ſcilicet vitis propè omnia, quæ in turba ſunt, dum hic uno vitio laborat, alter altero, alius alio quæ ſpectantibus, facilè allinit.

Hinc D. Hieronymus, cùm religioſæ mentis virum à communi hominum colluvie revocare vellet, *Epiſt. 2.* hæc illi: *Quid facis in turba?* quaſi diceret, tu qui ſanioris vitæ es candidatus, qui aſpiras ad altiora, ad cœleſtia, *Quid facis in turba?* in hac nihil ſublime, elatum nihil, nihil ſanctum; ſed abjecta omnia, profana omnia, à quibus proinde neceſſe ſit, illum, qui in ea eſt, abjici, atque infici: ut enim bene mo- *Serm. 4. de Quadrag.* net S. Leo, Pont. Max. *Neceſſe mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere.*

Dic enim, amabo te, mi Lector, adulta ætate & ſpirantibus Euris, nubemque pulveris excitantibus, quis viator in aperto campo, eo pulvere non tegetur? Quis non propè obruetur? Nemo certè, nemo unus omnium, niſi à via declinet: Sic eſt in hominum ſtrepitu, ac tumultu, dum hic vanitatis pulverem excitat, ille luxuriæ, iſte avaritiæ, alius invidiæ, alius aliud in oculos, in animum injicit, ac velis, nolis intrudit; & hoc quidem aſpirantibus aliarum, atque aliarum paſſionum Euris; quorum afflatum dum in aliis timet, horretque D. Gregorius Nyſſæ Epiſcopus, liberè pronuntiat difficillimum eſſe hominem in vulgaris vitæ ſocietate occu- *Præfat. de Virg.* patum, *placito & quieto animo, in divinioris vitæ inſtitutis Philoſophari.* Qui enim Philoſophari poſſet? Eſt Philoſophia illa, de quâ agit, non profana; ſed ſacra: eſt de Deo, de divinis rebus, altiſſimaque illarum contemplatione, qui eam aſſequeretur, qui in turba eſt, qui in hominum tumultu, in ſtrepitu negotiorum? Certè, *qui à medio communium rerum ſtrepitu non recedit, & otium non agit, Dei cognitionem aſſequi minimè poteſt*, ut rectè Iſidorus Peluſiota. Quod ſi cognitionem non aſſequetur, certè nec amorem, qui tamen homini, ut ſalvus ſit, eſt neceſſarius, ut & illa. *Divina, ac ſilenti requie, oblectantur*, ut eleganter D. Dionyſius: *Quod ſi oblectantur requie, neceſſum eſt ut turbulento, & inquieto motu fatigentur.*

D. Bernardus cùm omninò metueret, ne & ſic fatigaretur Eugenius Pont. Max. (quem olim diſcipulum, & filium habuerat; tunc ſuſpiciebat, & amabat ut patrem) ſic ad illum de mentis ſolitudine, & amanda, & quærenda etiam in Petri Cathedra.

Lib. 1. Eugen. c. 5. *Cùm omnes te habeant, eſto etiam tu ex habentibus unus. Quid ſolus fraudaris munere tui? Vſquequo vadens ſpiritus, & non rediens? Vſquequo non recipis te, & ipſe inter alios vice tua, ſapientibus, & inſipientibus, debitor es, & ſoli negas te tibi,*

Hæc ubi, meliore ſtylo Bernardus, tum familiari ſimilitudine monet urgetque, ut qui aliis ſe impendit in illa negotiorum turba, & cura totius Univerſi; ſeipſum ſibi ſervet in amica mentis ſolitudine, ſeipſum ſibi reddat.

Participant, inquit, *de te omnes, omnes de fonte publico bibunt, hoc eſt de pectore tuo, & tu ſeorſum ſitiens ſtabis? Derivantur aquæ tuæ in plateas, homines, & jumenta, & pecora bibunt ex iis, & inter cæteros bibe tu de fonte putei tui.* Quidni enim bibas? Si homines (ex humanitatis lege, & rationis præſcripto viventes) ſi & jumenta, & pecora (id eſt pecudum more vitam in ſordibus, ac luto ſcelerum ſuorum degentes) bibunt nihilominus de fonte tuo, & purioris ſapientiæ hauriunt aquas, easque ſalientes in vitam æternam; quidni & ipſe bibas priusque te ipſe iis reficias? Hæc ubi dixit, tum breve, & ſalutare monitum ingerit: *Memento interdum reddere teipſum tibi. Ecce mensis ſolitudinem, in qua*, inquit, *utere tu quoque te, inter multos, aut certè poſt multos.* Quidni enim utaris? Id profectò natura poſtulat, id requirit ratio, id tua ſalus vehementer efflagitat, ut qui aliis omnibus te donas in illo negotiorum ſtrepitu, teipſum tibi dones, & reddas in illa mentis quiete, ac ſolitudine, quæ ſi nulli neceſſaria, certè vel maximè iis, quibus incumbit aliorum cura ſalusque, quam ita ſervare debent, ac tueri, ut interim non negligant ſuam. Ne porrò negligant, ad eam (de qua jam dixi) ſolitudinis illius neceſſitatem, adjiciam & utilitatem, pro qua erit

§. 4

Solitudinis illius magna variaq; utilitas.

NOn eſt hujus exiguæ pagellæ omnes recenſere: è multis paucas delibabo.

Prima hæc erit, quod pudori ſervando pluri- *Prima.* mum ſerviat ſolitudo, etiam ea quæ eſt corporis ac loci.

Decet ſolitudo verecundiam, & gymnaſium pudoris ſe- *In exhortio ad Virg.* *cretum eſt*, ut ſcitè D. Ambroſius, & inde ea, quæ olim D. Hieronymus, ad Euſtochium, de cuſtodia Virginitatis. *Sempre*, inquit, *te cubiculi tui ſecreta cuſtodiant. Audies ab ſponſo. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Cave pro- *Epiſt. 22.* inde *ne domo exeas, & velis videre filias regionis alienæ. Dina egreſſa corrumpitur. Nolo te ſponſum quærere per plateas. Nolo te circumire angulos civitatis; foris vagentur Virgines ſtultæ. Tu intrinſecus eſto cum ſponſo.*

Ibi eum invenies, eum ſervabis, alibi fruſtra quæſitura. Et hæc prima ſolitudinis utilitas cui accedit

Secunda: Unio cum cæleſti ſponſo, in ipſo ora- *Secunda.* tionis æſtu, cui inprimis apta ſolitudo. Appello D. Bernardi fidem, atque experientiam, ſic ille aliquando ad *Henricum*, quem invitabat ad amicam illam ſolitudinem, ejusque in Chriſto delitias. *Ex-* *Epiſt. 106.* *perto crede*, inquit, *aliquid amplius invenies in ſylvis, quàm in libris;* imò quàm & in Academiis. Teſtis erit vel ipſa Synagoga, quam cùm Deus erudire poſſet in Academiis frequentibus, & nobiliſſimis, maluit eam vocare, atque transferre in ſolitudinem ut ſcholam orationis, in qua & ad cor loqueretur. Sic enim inquit, *ducam eam in ſolitudinem, & loquar* *Oſee c. 2. v. 14.* *ad cor ejus.* Septuaginta ad rem meam aptiùs: *Ponam eam quaſi deſertum*; ſic animam contemplationi addicendam, non tantùm ducere amat in ſolitudinem; ſed eam quaſi transformat in deſertum, in quo & liberius Deo fruatur, & gaudeat uberius cœleſtibus alloquiis, & Dei ſit tota.

Et hæc ſecunda ſolitudinis utilitas, cui affinis eſt *Tertia.* tertia, quam bellè expreſſit B. Petrus Damianus, dum ſic de illius encomiis.

Solitaria vita cæleſtis doctrinæ ſchola eſt, ac divina- *Opuſc. 11. c. 19 de laudibus vitæ Eremit.* *rum artium diſciplina: illic enim Deus eſt totum quod diſcitur, via, quâ tenditur, per quam ad ſummæ veritatis notitiam pervenitur.*

Quid amplius dici potuit? Illud certè, quod deinde ſubjicit, quod ut ſolitudinis quidem ille ſit *habitator; ſed ejus inhabitator ſit Deus.*

Quid divinius? Iſtud profectò, quod Deum quodammodo efficiat, non natura, ſed quadã imitatione.

Audax, inquies, effatum, quod efferre omninò *Quarta.* timuiſſem, niſi prius illud extuliſſet D. Gregorius Nazian-

Nazianzenus, qui ſolitudinem illam mentis (de qua *Orat. 2.* in præſens agimus) vocat *Deum ex homine efficientem.*

Vocat deinde *velati ſociam, & adminiſtram, divinæq́; aſcenſionis matrem*, aliàs quoque *munitam arcem*, in quam ſeſe recipiat animus, & in qua ſe tueatur adverſus omnes mali dæmonis aſſultus: & verò quidni *Quint.* tueatur, omni propè virtutum genere, ceu armatura ſpiritali, inſtructus. At unde tam hæc quàm illæ? Utique ab honeſto illo otio, & ſeceſſu ab hominibus, quem D. Chryſoſtomus conſimili elegan*In Pſal. 50.* tia, ac venuſtate dixit eſſe *collactaneam, contubernalemq́; virtutis. Iſaias ſabbathum delicatum*, ac tene*Cap. 58.* rum, in quo & amica captetur quies, procul à mundi turbis, & ſtrepitu, & cœleſtes veluti delitiæ guſtentur, ab affluentia, atque ubertate divinarum voluptatum, quæ ſuavi ac molli lapſo in animum influunt, cumq́ue mirum quantum reficiunt, atque recreant.

Ad has porrò animi delitias, & caſti amoris æſtus, bonam mentem, ceu turturem invitat D. Bernardus, dum ſic ad illam:

Serm. 40. in Cant. *O ſancta anima ſola eſto, ut ſoli omnium ſerves teipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis & intimis, etiam & ab illo, qui tibi miniſtrat. an neſcis te verecundum habere ſponſum, & qui nequaquam ſuam velit ſibi indulgere præſentiam præſentibus cæteris? Secede ergo: ſed mente, non corpore: ſed intentione, ſed devotione, ſed ſpiritu*: hic enim eſt ſeceſſus, quem amat, quem & requirit cœleſtis ſponſus; ſeceſſus, inquam, ſaltem in amica cellæ ſolitudine. In hanc recipiebat etiam lubens *Thomas à Kempis*. Hic ſi ſubinde, vel urgente charitate, vel negotiô cauſa cum aliis egiſſet, imò & cum fratribus, ut ſe ſibi redderet, & cellulæ, ſic ad illos: *Chariſſimi fratres oportet me recedere, eſt enim in cella, qui me expectat.*

Cum illo mihi agendum eſt negotium grande, negotium æternitatis, cœli negotium; quod enim in illa potius? Nempe ea D. Bernardo didicerat Vir omninò pius, quid eſſet cella, & quæ in illa cœleſtes delitiæ: ut & tu quæ ſit illa diſcas, Amice Lector, pauca ea D. Bernardo accipe, atque altè in animum admitte. Sic olim ille ad *fratres de monte Dei.*

Cœli, & cellæ habitatio cognata: cella, & Cœlum ut cognationem habent nominis, ſic & pietatis. Cœlum dicitur a celando, & quod celatur in cœlis; hoc & in cellis: quod quæritur in cœlis, hoc & in cellis; nempe vacare Deo, frui Deo. Angeli Dei cellas habent pro cœlis, & æquè delectantur in cellis, ac in cœlis, à cella in cœlum aſcenditur, cella terra ſancta eſt, & locus ſanctus, ubi anima Deo jungitur.

Hactenus D. Bernardus, quo cum & finio.

TRACTATUS DE SOCIETATE,

EJUSQUE VI IN UTRAMVIS PARTEM, SEV BONAM, SEV MALAM.

CONCINNAVI brevem tractatum de exemplo, ejusq́ue vi, in omnem omninò partem: ei affinis eſt alius, iſq́ue de ſocietate humana, ejusq́ue momento, ſeu in bonum, ſeu in malum, ideoq́ue de illo, hic etiam paucis.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Sapientis verba: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur.*

Prov. c. 13. v. 20.

EST illud Sapientis oraculum, quo monemur eum, qui cum ſapientibus, & prudentibus ambulat, qui colloquia miſcet, qui agit familiarius, ad ſumma prudentiæ, ac ſapientiæ gradum ſibi facturum: ut enim vertunt Complutenſes, ab iis quaſi *circumfertur*: tanta vis poſita eſt in ea ſocietate; uti è contrario *amicus ſtultorum ſimilis efficietur*: vel ut Syrus *lædetur*, & immanem, ac periculoſam animo plagam altius admittet; vel ut legit Rabbi Salomon, *effringetur, & collidetur*: omne quippè animæ robur, aut emollit, aut effringit prava ſocietas; imò etiam & conterit: ut enim explicat Pagninus, *qui amicus eſt ſtultis contereretur*: illi quippe eveniet, quod alicui miſello, cui incumberet ingens moles à qua & obrueretur, & contereretur totus, adeò magnum eſt malum, mala ſocietas: quod, ut fuſius explicetur ſit

§. 1.

Sitne conveniens homini humana ſocietas?

CONvenientem eſſe docuit jam inde à mundi cunis illud Authoris naturæ. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* *Gen. c. 2.*

Adami corpus è limo terræ formarat, finxerat q́ue, eiq́ue infuderat grandem animam: tum ne ſolus eſſet, *Evam* eduxerat ex ejus coſta, ut ei eſſet in adjutorium, & vitæ ſocia, comesq́ue individua. Et hæc prima ſocietas, à prima hominis, id eſt parvi mundi, molitione; cui lapſu ſæculorum additæ aliæ, atque aliæ, vel ea eo quod homo ex natura ſua eſſet animal ſociale, appetensq́ue conſortii, & amicitiæ; ſive ut bonum ſuum cum aliis communicaret ipſe; ſive ut ab alio participaret illud, cujus ipſe eſſet indigus.

Et hinc ortæ Reſpublicæ, hinc enata oppida, hinc ſtructæ magno molimine urbes, hinc inſtituta mercimonia, hinc peregrinationes in exteras regiones, quia nec homo ſibi ſufficiens, nec regio ulla, etiam ſibi ſatis eſt; eget & hæc, & ille alieno.

Nemo ſibi ſatis eſt, eget omnis amicus amico.

Quod non tantum in magno illo mundo aſpectabili apparet; ſed & in microcoſmo, id eſt homine, parvo utique mundo; cui naturæ molitor Deus ideò dedit plures ſenſus, ut quod percipere per unum non potuiſſet, per alterum perciperet: de ſonorum dulcedine, de concentu muſico, non poteſt homo per oculos judicare, ideoq́ue datæ aures. Non poteſt auribus colores diſcernere, & amœnam, miramq́ue illorum varietatem diſtinguere, ideoq́ue dati oculi: ſimiliter nec odorum ſuffimenta, nec ciborum guſtum, ac condimenta per aures, aut oculos haurire poteſt,

poteſt, & ideo attributæ pro illis nares, pro his lingua, & palatum, ita ſibi invicem opitulantur, ſibi invicem ſerviunt ſenſus: uti & pedes bini, binæque manus, quas dedit naturæ artifex Deus, ut mutuum ſibi ſuppeditarent auxilium: quod certè ſi deſit, deeſſe propè omnia, neceſſum eſt. Ita ſi pes unus deficit, ut alter brevi deficiat oportet, ſimiliter una manus, & minus & debilius res apprehendit quàm duæ, & plurium digitorum connexione, atque concurſu res fortius tenetur: unova, ac ne via quidem; adeò neceſſaria mutua opera, mutuumque auxilium. Quod etiam ex alio capite oſtendit Seneca.

Lib. 4. de Benefic. c. 18. *Fac*, inquit, *nos ſingulos, quid ſumus? Præda animalium, & victima, ac viliſſimus, & facillimus ſanguis.* Cujus rationem reddit petitam ex diſcrimine, quod eſt hominem inter, & alia animalia; ſic enim ait:

Quoniam cæteris animantibus, in tutelam ſui ſatis virium eſt. Quæcumque vaga naſcuntur, & acturа vitam ſegregem, armata ſunt. Hominem imbecillitas cingit; non unguium vis, non dentium, cæteris terribilem facit.

Ubi extulit, quæ hominis imbecillitatem, & inerme nudumque pectus oſtendunt, tum ea producit, quæ ab aliorum conſortio ſunt bona.

Nudum, inquit, *& infirmum ſocietas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium cæteris validiſſimum facerent, Rationem, & Societatem. Itaque qui par eſſe nulli poſſit, ſi diduceretur, rerum potitur. Societas illi, Dominium omnium animalium dedit. Societas terris genitum in alienæ naturæ tranſmiſit imperium, & dominari, etiam in mari juſſit. Hæc morborum impetus arcuit, ſenectuti adminicula proſpexit, ſolatia contra dolores dedit. Hæc fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare.*

Hanc tolle, & unitatem generis humani, quâ vita ſuſtinetur, ſcindes. Hactenus Seneca de bono humanæ ſocietatis, quæ eo uſque neceſſaria eſt, ut qui ea caruerit, aut nequam ſit oportet, aut plus quàm homo.

Teſtem volo, teſtem amo Ariſtotelem purioris Philoſophiæ, id eſt Sapientiæ, ocellum; ſic ille aliquando in Politicis.

Lib. 1. *Qui abſque civitate eſt propter naturam, & non propter fortunam, aut nequam eſt, aut potior quàm homo.*

Ita ſimiliter ab Homero nequam increpatur *ſine tribu, ſine jure, ſine domo.*

Hæc ubi dixit, tum ad extremum duo conficit. Primum *hominem eſſe animal ſociale.* Deinde eum, *qui in communi ſocietate nequit eſſe, quique nullius indiget, propter ſufficientiam, nulla is civitatis pars eſt. Quare aut beſtia, aut Deus.* Hæc Philoſophus, ex quo liquet homini convenientem, imò & neceſſariam eſſe ſocietatem; videndum modo erit, ecquænam illa?

§. 2.

Quæ ſit mala ſocietas? Et quæ ab illa hominis damna?

Appellationes variæ: DIvi Patres, & ex antiquioribus ſcriptores maximè nominati, pravorum ſocietatem, aliis atque aliis appellationibus, ceu infami ſtigmate, notarunt.

Eccleſiaſticus *picem* appellandam eſſe cenſuit, ſic enim ad ſuos, ſic ad poſteros omnes.

I. Pix. *Qui tangit picem inquinabitur ab ea, & qui communicat ſuperbo induet ſuperbiam.* Pice nihil facilius, tenacius nihil adhæret: ſi vel extremo digito tetigeris, inquinaris: ſic & ſocio malo ſi vel leviter junxeris, eodem cum eo vitio laborabis.

Epiſt. 104. *Hærebit tibi avaritia, quamdiu avaro, ſordidoque convixeris: hærebit tumor, quamdiu cum ſuperbo converſaberis, nunquam ſævitiam in tortoris contubernio pones, incendent libidines tuas adulteriorum ſodalitia:* ideoque *ſi velis vitiis exui; longè à vitiorum exemplis recedendum eſt. Avarus, ſævus, corruptor, fraudulentus multum nocituri, ſi propè te fuiſſent; magis autem, ſi intra te ſunt amicitia & familiaritate.* Hactenus ſapiens Romanus multâ doctus experientiâ.

Ita nimirum, ut ſcitè D. Bernardus. *Inter bonos bonum eſſe ſalutem habet, inter malos verò & laudem. Illud tantæ felicitatis eſt, quantæ & ſecuritatis; hoc tantæ virtutis, quantæ & difficultatis. Quale nempe eſt iſtud. Tangere picem, & non inquinari ex ea: in igne ſine læſione verſari, & in tenebris abſque caligine.*

Hæc olim ad Hugonem Rhotomagenſem Epiſcopum Bernardus, & hæc modò etiam ad nos, ut ſocium malum ne vel extremo digito tangamus; ſicut nec picem: ſicut nec ignem, huic enim, etiam ſimilis mala ſocietas, quo aduréris, ſi tantùm tetigeris; imò ſi aſſederis. Appello tua tempora, tuam fidem, ô Petre. De te ſic aliquando Ioannes, Chriſti diſcipulus, & ſcriba. Epiſt. 25.

II. Ignis.

Cap. 18. *Stabant ſervi & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe: erat autem Petrus ſtans, & calefaciens ſe.* Quid deinde? Improba turba, nefarii ſatellites, frigidiſſimum anhelitum odii & criminationum in Chriſtum ſpirabant, cumque ſacrilegus ille focus infidelitatis fumum exhalaret, opplevit etiam anhelitus ora fidelis diſcipuli, obſcuravit, & denigravit ejus pulchritudinem, & fidei lucem, fumus ex igne, & favilla de ſacrilegio. Ac ne mihi tantum ſit fides, Ambroſium audi de hoc ipſo igne, ac fumo: ſic ille:

Lib. 10. in Lucam. *Conſideremus in quo ſtatu neget. Frigus*, inquit, *erat: ſi tempus conſideremus, frigus eſſe non poterat: ſed frigus erat, ubi IESUS non agnoſcebatur, ubi non erat, qui lucem videret, ubi abnegabatur ignis conſumens: frigus ergo erat mentis, non corporis. Mala flamma Iudaica uſit, non calefacit, malus focus, qui quandam etiam Sanctorum mentibus fuliginem erroris aſpergit.*

Hactenus Ambroſius ex quo habes malorum conſortia flammam eſſe, focum eſſe, & inde etiam fuliginem, qua involvantur, obſcurenturque etiam olim à gratia lucidæ mentes: & hinc mihi in manus venit alia appellatio, ex qua, pravi ſocii *Fuligo* ſunt. III. Fuligo.

De viris ſuo ævo etiam ſanctiſſimis, ac puriſſimis hæc olim, triſti nænia Jeremias. *Candidiores Nazaræi ejus, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphyro pulchriores. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* At unde, & ubi denigrata? Utique *in plateis*, in populi frequentia, in malorum conſortio, in nimia cum illis familiaritate: ab hac periit candor innocentiæ, nitor caſtimoniæ, rubor ingenui pudoris, & pretioſa lux virtutum omnium.

Quod Nazaræis, id eſt religioſis illius ævi; hoc & noſtræ ætatis evenire ſolet, cùm hi, ut illi in plateis, hoc eſt in ſæcularium frequentia, ac familiaritate.

Accipe, quæ de his venerabilis Abbas Gilbertus. *Magna certè* (inquit) *collaudatio; ſed miſera commutatio. Candor nivis, lactis nitor, eboris rubor, pulchritudo Sapphyri, & puritas carbonis obducitur nigredine.* Ubi hæc ex illis, non ſine dolore, ſtupore, gemitu, tum, *ſilebo*, inquit, *de aliis.*

Ordinis noſtri ſenuere viros, quàm admirabile erat nomen eorum in univerſa terra: in initiis, quando vix erant in plateis. Nunc autem, nullo religionis diſcrimine, privilegio converſationis, aut nullo, aut pene ſunt diſtincti, & ſignati ſunt à cæteris. At unde ea morum, vitæque in malum inclinatio? Unde & fuſcus vitiorum color? Eundem audi. *Frequentia platearum decolorat Nazaræos, & peregrinam ſpeciem inducit.* Nec mirum, quia ut diſertè Seneca:

Fieri non poteſt, quin, qui verſetur, & adhæreat fuligine tincto, & ipſe fuliginem ab eo participet. Uti & locum, qui in aëre eſt infecto. Et hinc occurrit Epiſt. 7.

& alia

& alia ejuſdem mali, id eſt depravatæ ſocietatis notio. Eſt enim ea veluti *Lues* quædam animi.

IV. Lues.

Quemadmodum corpora ſæpe à corrupti aeris lue infecta pereunt: ita etiam anima ſæpe damnũ accepit ex malorum congreſſione, inquiebat ore aureo Chryſoſtomus.

Et hæc etiam ratio fuit, qua uſus aliquando Tertullianus, ut fideles avocaret à ſpectaculis & ludis theatralibus, in quibus neceſſe erat gentilibus miſceri, & haurire cum illis communem aerem eorum vocibus, atque acclamationibus infectum, ſic enim ad illos.

Lib. de ſpecta. ul. c. 27. *Non ergo fugies ſedilia hoſtium Chriſti? illam cathedram peſtilentiariam? Ipſumq́; aerem, qui inſuper incumbat, ſceleſtis vocibus conſtupratum?*

Quod ſi aerem ipſum, ſic infici, ſic conſtuprari, neceſſum eſt impiis vocibus; quantò magis animos (qui unà cum illo luem illam hauriunt) neceſſe erit infici, & quaſi conſtuprari, atque ad extremum etiam à malo dæmone, ſeu aucupe, capi, & hoc, mala ſocietate, ceu laqueo. Et inde etiam mihi alia illius nomenclatura; quam ut tradat *S. Ephrem* utitur opportuna ſimilitudine, quæ petitur ab aucupe.

V. Laqueus.

Hic perdice capta, & cavea probè clauſa, alias allicit in caſſes, & laqueos: quod ille, hoc & improbus dæmon, malus utique auceps; qui per animas, quas in laqueis ſuis implicuit, & quaſi captivas tenet, aliarum animas minus cautas, in eoſdem caſſes evocat, audi, quid de illis, mali aucupis fraudibus *D. Ephrem* ſtylo quidem ſimplici, ſed candido:

Homil. de vita vivendi ratione. *Quæ primùm capta fuerit anima, ad alias decipiendas, fit quaſi laqueus, ut voluntati inimici obſequantur, ſicut perdix comprehenſa pro eſca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ ſunt: circa illam auceps laqueos figit, ut voce ſua perdix reliquas circumvolitantes ad eos pelliceat.*

Neque mihi dixeris his laqueis tantum intercipi perdices, & alias avicolas, quæ minus libero, altoq́ue volant æthere; non autem aquilas, quæ in ſublime tolluntur, & propè ad ipſam Solis, aſtrorumq́ue regionem.

Ne, inquam, id dixeris: falleris enimvero falleris, & his etiam capiuntur aquilæ, hoc eſt grandes animæ, quæ in cœlis ſuum quaſi nidum poſuere.

An non Aquila *Auguſtinus*? & his tamen laqueis captus eſt, & captum ſe fatetur, ac plorat: dum enim adoleſcentiæ ſuæ vitia recenſet, ſimul & indicat abreptum ſe malo conſortio, in ea incurriſſe.

Lib. 2. Conf. c. 2. *Neſciebam*, inquit, *& præceps ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quam audiebam eos jactantes flagitia ſua, & tantò gloriantes magis, quantò magis turpes eſſent, & libebat malum facere, non ſolum libidine facti: verùm etiam laudis. Quid dignum & vituperatione niſi vitium? Ego ne vituperarer, vitioſior fiebam, & ubi non ſuberat, quo admiſſo æquarer perditis, fingebam me feciſſe, quod non feceram, ne viderer abjectior, quò eram innocentior, & ne vilior haberer, quò eram caſtior.*

Hæc ubi de ſe *Auguſtinus*; tum de ſociis iſta:

Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, & volutabar in cœno ejus, tanquam in Cynamomis, & unguentis pretioſis, & in umbilico ejus, quo tenacius hærerem, calcabat me inimicus inviſibilis, & ſeducebat me, quia ſeductibilis eram. Hactenus Auguſtinus, qui ingenuè fatetur, ſeductum ſe à malo dæmone, inimico inviſibili, quia prius ſeductus, à malis ſociis, hoſte utique viſibili, quaſi ab illo vinci non potuiſſet, niſi prius ab hoc. Quod ipſum declarat in furto à ſe olim commiſſo, & hoc ſociorum impulſu, ceu violento quodam turbine. Sic enim de illo ſuo furto.

VI. Turbo violentus.

Cap. 9. ſupra. *Solus non facerem furtum illud, in quo me non libebat id, quod furabar; ſed quia furabar, quod me ſolum facere prorſus non liberet, nec facerem.* Hæc ubi protulit, tum æſtu quodam ſeu doloris, ſeu pudoris excitus, inclamat.

O nimis inimica amicitia! ſeductio mentis inveſtigabilis, ex ludo, & joco nocendi aviditas, & alieni damni appetitus, nulla lucri mei, nulla ulciſcendi libidine: ſed cùm dicitur. Eamus, faciamus, & pudet non eſſe impudentem.

Ecce vim adverſam, ecce turbinem violentum, ecce inſanos impetus ſociorum, quibus concutiantur, abriplanturq́ue, etiam innocentes animæ, etiam ſolidæ rupes, & petræ.

An non Petra erat *Petrus*? An non Petræ erant Apoſtoli, grandes animæ, firmiſſimæ columnæ Eccleſiæ: & tamen & hi, & illæ concuti potuerunt, atque agitari, etiam vel unius mali ſocii malo turbine.

Quæſivit aliquando D. Ambroſius, cur ea navicula qua portabantur diſcipuli, & portabatur ipſe Chriſtus, & ventis concuti, & fluctibus operiri cœpta, non ſine aperto naufragii diſcrimine? Quæſivit, inquam, ecquænam illius ratio, & reſpondit.

Hæc eſt cauſa periculi. *Erat ibi Simon Petrus;* Serm. 82. *ſed erat pariter & proditor Iudas.* Quid inde? Adjicit: *Quamvis illum fides fundaret naviculam, hujus tamen perfidia eam conturbabat. Tranquillitas eſt ubi ſolus Petrus navigat, Tempeſtas ubi Iudas adjungitur. Licet eſſet Petrus firmus ſuis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris.* Hæc ubi dixit. Tum conficit illud. *Unius igitur delicta cunctorum merita quatiuntur.* Ecce malignam pravæ ſocietatis vim, ecce turbinem planè violentum, quem etiam latius aperit, ea comparatione duarum navicularum, qua olim vecti Apoſtoli. Una fluctuat, & gemit ſub immani tempeſtate; cujus meminit *Matthæus*; Cap. 14. v. 22. altera ſereno utitur aere, & tranquillo mari; imò & piſcium multitudinem capit omninò copioſam, & hujus mentionem Lib. 4. in Luc. c. 5. facit *Lucas*. Quæ cauſa diſcriminis?

Hanc affert ille ipſe Mediolanenſis Antiſtes, quia in una navi aderat proditor Judas, in altera non. Et hinc inquit, *non turbatur illa, quæ Petrum habet, turbatur illa, quæ Iudam habet. Etſi multa illic diſcipulorum merita navigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque Petrus; ſed qui ſuis meritis firmus eſt; turbatur alienis.*

Hæc ubi dixit, tum ſubjicit monitum illud, dignum Cedro.

Caveamus perfidum, caveamus proditorem. Ne per unum plurimi fluctuemus. Et certè quidni fluctuemus, cùm hujus, etiam unius, conſortium, & pacem Apoſtolorum turbarit, & ipſius etiam Chriſti gloriam impedierit: hæc enim non patuit diſcipulorum oculis, niſi cùm è cœnaculo exiit infamis magiſtri proditor, Dixit enim JESUS. *Nunc clarificatus filius hominis* Ioan. c. 13. v. 31.

Sed cur nunc primùm? Cur non & prius? Reſpondet D. Auguſtinus. *Exiit Iudas, & clarificatus* Tract. 63. in Ioan. *eſt IESVS, exiit filius perditionis, & clarificatus eſt filius hominis.* Sed rurſus cur tunc primùm? Rationem hanc adjicit ille ipſe Hipponenſis Præſul, quia *exeunte immundo, omnes mundi remanſerunt.* Diceres, præſente uno illo Tenebrione, nec Chriſtum (qui tamen lux erat mundi, & ſplendor gloriæ Patris) corporis ſui claritatem exhibere potuiſſe, nec Apoſtolos ea recreari, & quodammodo beari; adeo nocebat vel unius mali malum conſortium.

Et certè quidni noceret in terris, cùm & nocuerit olim, vel ipſis in cœlis?

Redeamus ad ipſa mundi naſcentis incunabula: ſenſerunt hæc Luciferi rebelles ſpiritus etiam in cœli regia, & hinc neque in hac pax ulla, neque requies, neque ſalus, neque beatitas, niſi dejecto è cœleſtibus ſedibus Lucifero.

Teſtem appello Chriſti ſcribam, & diſcipulum, quem diligebat JESUS. Quid ille? *Nunc* inquit, hoc eſt cùm ad inferni ima dejectus eſt Lucifer, *nunc demum facta eſt ſalus, & virtus, & Regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus, quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum.* Apoc. c. 12. v. 10.

Crederes nec cœleſtibus intelligentiis ſalutem, nec ſuperis virtutem, nec in illos Dei regnum, nec poteſtatem Chriſti ejus eſſe poſſe in ipſa cœli regia, niſi cùm ab illa exul Lucifer, exules & illius aſſeclæ: adeo noxia etiam cœlis, etiam ſuperis mala ſocietas: nec mirum, quia illius vitio, propè neceſſe eſt abire à virtute, à Deo, æternaque beatitate. Eo quippe ducit, eò trahit pravorum ſocietas, ut ſubinde malit quis eſſe etiam in inferno cum immani illâ damnatorum colluvie quàm in paradiſo cum cæleſtibus beatarum mentium choris: quo in genere mirum illud, & ſanè deplorandum, quod ſubjicio.

S. Wulfrandus Senenſis Archiepiſcopus, & Friſonum Apoſtolus, cùm fortè officii gratia adiiſſet Radbodum, Friſonum Ducem, adhuc idololatriæ vitiis implicitum, ab eoque impetraſſet facultatem annuntiandi ſuis in ditionibus Evangelii, eò ſucceſſu id fecit, ut ipſe *Radbodus*, baptiſmi gratiam expetierit.

Petenti annuit pius Præſul, & jam eò deducta res erat, ut pedem unum *Radbodus* in ipſo baptiſterio fixiſſet: ſed, ô grande malum inconſtantiæ! hac certè victus, ab Archiepiſcopo petiit, quo in loco plures eſſent è ſuis majoribus, quò plures ex avitâ Friſiæ nobilitate, an in Cœlo? an in ipſo inferno? Cumque ex illo audiſſet, longè plures eſſe in inferno, pedem illicò è baptiſterio retrahens, petulanti ſanè, impioque joco addidit. *Malo eſſe in inferno cum meis majoribus, & avita nobilitate, quàm in tuo paradiſo cum pauperum Chriſtianorum grege.*

Dixit, abiit, exceſſit oblitus ſui, & ſalutis jam propè adeptæ prodigus. Verùm poſtea facti ſui pœnitens, ad ſe evocavit *S. Willebrordum*, Friſonum Archiepiſcopum, ut ab eo ſacræ regenerationis gratiam acciperet: verùm eam negavit Deus: prius enim exceſſit è vivis, quàm adeſſet S. Præſul: adeò periculoſæ plenum opus aleæ, cum ſacris Deoque ludere; ne porrò ſic aliquando ludas, tibique illudas improbè, Amice Lector; adjiciatur: hîc

§. 3.

Quæ potiſſimum fugienda mala ſocietas?

ETſi omnis celeri pede fugienda, tamen aliqua magis: quod ut in aperto ſit, quærendum nobis erit, quæ potiſſimum ſit illa?

Quatuor ſunt malorum ſociorum genera, quæ vitanda vel maximè.

I. Venerei. Primi ſunt *Venerei*, cupidinis amaſii, quibus pro Numine venus eſt, & amor pro ara, in qua ſeipſi immolent infelices victimæ.

Clemens Alexand. in protrep.

Ex his olim fuit *Charmus*, qui cùm fœdis amoribus, ſeſe implicuiſſet totum, iiſdem implicare, polluere, perdereque voluit Academicam juventutem: quod ut faceret in ipſo Academiæ aditu aram extruxit *Amori* dicatam, ut in primo quaſi limine, & Amorem diſceret, & illi ſeſe immolaret.

Hunc imitati deinde Sophi obſcœniores, à quibus *Amor*, velut Auguſtum quoddam Numen, in Academiam, ex Helicone deductus, coronatus, ornatusque invectus eſt, cum multis amicitiæ, ſocietatisque bigis, afflatu indubiè diabolico, ad perdendam omninò juventutem.

Et hos etiam ſecutus eſt *Ariſtippus*, qui cùm ſæpe ad *Laïdem* meretricem famoſiſſimam commearet, non ſine gravi bonorum omnium offenſione, *docere libidines cœpit, & mores ſuos de lupanari ad ſcholam tranſtulit*, immani damno juventutis; ex ejus quippe Licæo, tot prodiere impuri ganeones, quot diſcipuli: adeo noxia vel unius *Doctrina*, quæ ut ait

Lib. 3. c. 15. Lactantius, *Execrabilis eſt, & pudenda, nec in corde Philoſophi; ſed in ſinu meretricis nata.*

Hanc ergo averſare, mi Lector, averſare & impuros illos amaſios, ſi tibi vita, ſi ſalus, ſi beatitas in amoribus eſt.

Quæſivit aliquando *Clemens Alexandrinus*, cur inter præcepta legalia, æqui juſtique arbiter Deus, juſſerit Iſraëlitas, à certis quibuſdam animalibus abſtinere, ut à ſuilla carne? Et addidit, eo mandato innuere voluiſſe eos qui Deum invocant, ut veri Iſraëlitæ, non debere verſari cum impuris hominibus, qui porcorum inſtar volutantur in volutabro luti; hoc eſt in obſcenis voluptatibus, & maligniore veneris colluvie, qua & alios inficiunt.

Certè Legifer Deus, cum in eorum menſas, & ora immitti noluit ſuillam carnem, altiora ſpectavit, & ea quæ inquinabant animas. Quid enim intererat ſuillâ veſci, an ovina, cùm hac, & illa corpus refici, ſaginarique potuit? at multum interfuit non paſci fœdis voluptatibus, & luto venereo, cujus ſymbola ſunt ſues & porci, animalia nata ad ſaginam & lutum.

Eodem ſpectavit & alia Lex Teſtamenti veteris, qua impuri, & polluti habebantur ii, qui vel cadaver hominis attigiſſent, vel funeſtam domum ingreſſi fuiſſent: imò & polluta ea haberi omnia, quæ ipſi attigiſſent.

Quid enim aliud id denotet, quàm peſſimam mali conſortii contagionem, qua cadaver hominis tangunt, id eſt hominem venerea, adeoque letali lue mortuum attingunt; dum vel agunt cum illo, vel in illius domo verſantur, vel aliquid etiam attingunt quod illius ſit.

Et hæc etiam eſt Legalis immunditia, atque impuritas, quam ipſe *Philo Judæus*, à corpore transfert ad animam. Certè corpora pollui, Deo, Cœloque parum fuit: at multum animas contaminari, uti contaminantur ab illa labe, tabeque venerea. II. Ebrioſi.

Hi ergò primum fugiendi, deinde ebrioſi, quibus templum eſt coquina, & venter Deus; & à ventre etiam libido, & venus, cognata quippe ſunt illa vitia Luxuria, & Gula: ut illa nocet; ita & hæc quam maximè. Et verò quidni noceret, cum ſit exitialis animæ morbus. D. Baſilius acriore ſtylo eos pungit, qui ut conceptum animæ mœrorem, aut demulceant aut ſedent, vino largiùs indulgent. *Hi*, inquit, *malam permutant malo, & improba quadam contractu, ac permutatione exitiali, pro corporis morbo, morbum in ſe recipiunt animæ.* Homil. 5. in Martyr.

Et dum vinum impotenter hauriunt, hauriunt & venenum: ſic enim ebrietatem, quæ eſt à vino immodicè ſumpto appellandam cenſuit D. Ambroſius; dixit enim eſſe *venenum inſanabile*, & rationem hanc addidit: *Multi enim reliquorum ſerpentium venena curantur, arma ebrietate.* Lib. de Helia c. 14.

Qui enim ab hac ſanaretur, cùm ea aut peſtis ſit, aut filia peſtilentiæ.

Annam, Magni Samuelis deinde matrem, ebrietatis arguebat *Heli*. Cui illa, *Ne reputes ancillam tuam quaſi unam de filiabus Belial.* Septuaginta vertunt: *ne des ancillam tuam in filiam peſtilentem*, vel ut D. Chryſoſtomus *in filiam peſtilentiæ*, quaſi ebrietas, aut peſtis ipſa ſit, aut certè *filia peſtis*, *filia peſtilentiæ*. *Mali corvi malum ovum*, quo accepto, homo quiſquis is eſt à ſeipſo deficit, ac degenerat, etiam quod mirere, propè in belluam, certè in rationis expertem, quod belluinum eſt. Quid enim magis bellua quàm animal impos rationis. 1. Reg. c. 1. v. 6.

Et hæc ratio fuit cur Clemens Alexandrinus ebrium appellarit *Acephalum*, hoc eſt, monſtrum ſine capite, *in quo*, ut ait, *ratiocinandi facultas non in capite; ſed in inteſtinis collocatur*, quod ſanè monſtruoſum eſt; imò & monſtrum, quod D. Chryſoſtomus graviore voce uſus, appellare voluit *Dæmonem voluntarium*. Præſul Ravennas, *dæmonem blandum*: quo quid turpius dici, quid excogitari poſſit non video. Hom. 1. ad popul. Serm. 26.

Quod ſi ea eſt ebrietas, ii quoque & ebrii, ſatis liquet qui fugiendi ſint, ut ſcilicet Animæ morbi, ut peſtes, ut monſtra, ut dæmon ipſe.

Secun-

Secundùm hos planè vitandi detractores, & de alieno nomine famâque maledici. Qui enim potius?

III. Detractatores.

Sunt veluti *Canes*, qui & alios allatrant ore linguâque petulantiore, & ſimul etiam dente mordent; imò canibus pejores: hi enim ferè tantum oſſa rodunt, illi carnibus inhiant, & quidem vivis, atque animatis; imò & humanis.

Cap. 19. v. 22.

Hinc illæ querelæ Jobi aliàs patientiſſimi: *Quare perſequemini me, & carnibus meis ſaturamini?* Ita nimirum amici Jobi, caninis quaſi dentibus, ſemper ringentes, & inſultantes mordebant, comedebant, & quaſi abſumebant illius exiſtimationem, & famam.

Quod illi Jobo: hoc & aliis detractores, quia ut ſcitè D. Gregorius Pont. Max. *Qui aliena vita detractione paſcuntur, alienis procul dubio carnibus ſaturantur.*

Hos ergo fuge, hos vita, hos deteſtare, ut canes: imò & *ericios*.

Ericius marinus plenus eſt aculeis, quibus pedum loco utitur, & hinc piſcibus omnibus eſt timori, atque horrori. Et detractor *Ericius* eſt, intus, & foris aculeatus improbè, quacumque tetigeris inuncaberis, ideóque cave.

Eſt & *Scarabæus*, ut qui ſtercore, & alienis vitiis; ac malis, quaſi ſordibus alitur.

Eſt & *Porcus*; ut enim hic, ſi in alienum agrum fortè irrueris, non incurrit in flores; ſed in fimum: ſic & detractor; non obſervat quod boni eſt exempli; ſed quod mali, non attendit nitentes in alio Virtutum floſculos, ſed ſi quis ſit vitiorum fimus, nec odoribus illorum paſcitur; ſed fœtore, & horum graveolentia.

Eſt & *Leo*, hoc eſt velut fera immaniſſima. Appello Theocriti fidem, atque authoritatem. Rogatus hic aliquando, quæ eſſent crudeliſſimæ feræ. Reſpondit: *In ſylvis Leones & urſi, in oppidis detractores.* Plura non addo. Videri poteſt Drexelius de detractione ubi multa fusè, & doctè. Deſcendo ad ultimum genus ſociorum, quod vitari velim quàm maximè: ii ſunt *Hæretici*.

Cap. 17.

IV. Hæretici.

At quinam illi? Satanæ prodromi, Satanæ contubernales. Sanè ſic eos appellandos eſſe cenſuit S. Ignatius martyr, Apoſtolorum hæres, qui & rectè monuit hæreticum, quiſquis is eſſet, *contubernalem habere draconem apoſtatam*, id eſt malum dæmonem. Quod ſi eum habet contubernalem, quis ei velit eſſe contubernalis? Profectò, nemo unus omnium, ſi modò homo ſit, id eſt rationis compos.

Ep. ad Philadelphios.

Si in eorum mentes, animoſque evadas, invenies in illis *mentem tenebroſam, plenam doli, & verè caligine diabolica refertam*, ut rectè Cyrillus Alexandrinus.

In Abacuc num. 29.

Si ſpiritum, ſi afflatum percipias, ſenties eſſe *ab impuro ſpiritu, ab afflatu diabolico*, ut ſcitè Juſtinus Martyr in dialogo cum Triphone.

Si denique ad eorum ora, os applices; ſimul excipies *ora diaboli in illis latrare*, ut disertè D. Paulinus, omni ex parte mirandus Pontifex: Sin autem aurem admoveris, audies eſſe *dæmonum organa*, ut ſcitè D. Damaſcenus.

Orat. de Tripl.

Quod ſi is eſt hæreticus, ea & illius mens, is ſpiritus, is afflatus, ea & vox, iſque ſonus, quis non ab hoc, & illis horreat? Quis non fugiat?

Fugit certè D. *Ioannes*, Chriſti amor, & delitiæ de quo illud D. *Polycarpus* ipſius diſcipulus, & Smirnæ Epiſcopus.

Irenæus l. 3. adverſus hæreſes c. 3.

Fortè in balneum deſcenderat, in quo cùm *Cerinthum* hominem hæreticum vidiſſet, derepentè è balneo exiliit non lotus, adjiciens & iſtud plenum timoris, plenum & horroris. Timere ſe ne balneum concideret, ſuaque mole obrueret vel ex eo tantùm, quod intus eſſet *Cerinthus*, inimicus veritatis.

Hujus porrò ſeu timoris, ſeu etiam horroris æmulus D. *Polycarpus*, cùm aliquando Marcioni occurriſſet, dicenti ſibi. *Cognoſcis nos?* Reſpondit; *cognoſco te primogenitum Satanæ.* Dixit, & effugit, ne vel ipſius unius aſpectu contaminari videretur: tantus Apoſtolos, tantus & eorum diſcipulos horror inceſſit eorum, qui ab orthodoxa fide defecerant.

Quod illis; hoc & poſteris. *Tertullianus*, gravis author, & ſeverus morum cenſor, in os intuens hæreticorum, ita ab illis fugit quaſi emicantem inde videres Satanam, & ſordes evomentem. Sic enim exclamat. *Horreo planè ſpurium blaſphemiæ afflatum de hæretico ore fœtentem.*

In Scorpio. c. 7.

D. Auguſtinus, qui & in eorum laqueos aliquando inciderat, ab eis miſerentis Dei beneficio, ereptus, ſic de illis. *In quorum ore laquei diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarum nominis tui, & Domini IESV Chriſti.*

Lib 3. conf. c. 6.

Laqueos appellat falſa Manichæorum dogmata, quibus capiaris ni fugias, & *viſcum* perperam commixtum è Sacroſancto Dei, JESUque nomine, cui ſi adhæreas vel momento, pereas eſt neceſſe: ne porrò ſic aliquando adhæreſcerent, ſic & perirent orthodoxi; publico contrà Novatianos edicto benè cavit Auguſtus Cæſar, *Conſtantinus magnus*, dum ſit omnes oportere ab eorum verbis, ac doctrinis, *aures abducere, oculoſq; avertere*, ne ſcilicet iis, tam bi, quàm illæ inficiantur. Quod dum timet, hortetque *Vincentius Lirinenſis*, ſic olim ad ſuos, ſic etiam modo ad nos de hæreticis.

Euſebius de vita Conſtantini c. 62.

Devita illos quaſi viperam, quaſi ſcorpionem, quaſi baſiliſcum, ne te non ſolum tactu, ſed etiam viſu, afflatuq; percutiat.

Adverſus hæreſes.

§. 4.

Occurritur tacitæ objectioni, bonos ſubinde verſari cum malis, etiam innoxiè; imò & horum bono.

ERit unus aliquis, qui ſibi inde præſidium petet, quod inter improbos probus eſſe, & videri poſſit, ſi modò ab illis, & eorum moribus ſeſe ſubducat, non loco, & tempore; ſed animo; ſed voluntate.

Et ita ſeſe ſubduxit *David* Regum maximus, qui hæc de ſeipſo. *Singulariter ſum ego donec tranſeam*, hoc eſt ſolitarius vivo, dum verſor in hac mortalis vitæ via, in qua & tranſeo.

At quomodo ſolitarius in tumultu, fluxuque populorum? Quomodò ſolitarius in aula, æſtuque negotiorum? Quomodò ſolitarius in armorum ſtrepitu, ac turbine? Audies enimverò ſolitarium eſſe potuiſſe, ſi & audieris, aliam eſſe ſolitudinem mentis, aliam corporis. Davidi in medio populi concurſu, ſolitudo fuit mentis; ſibi enim hæc reddebatur etiam in ea hominum frequentia.

Et hoc eſt, quod ore aureo prædicat D. Chryſoſtomus, dum ait; *Solitudo non facit eſſe ſolum: ſed mens, quæ tenetur amore & ſtudio ſapientiæ.* Et ita teneri potuit David; ita & alii deinceps, ſi modò eam ament, ac quærant mentis ſolitudinem, ſi etiam inter impios ſui eſſe velint, hoc eſt pii. Et certè quidni velint?

In illud Pſal.

Et ita voluit Noëmus, de quo illud ſcripturæ oraculum. *Noë vir juſtus, atque perfectus in generationibus ſuis.*

Omnis caro corruperat viam ſuam; & hinc immiſſa illa aquarum eluvies, qua & obrutus, & ſepultus orbis, quia obrutus, ac ſepultus immani vitiorum omnium eluvie, in qua tamen intactus fuit Noëmus: quidni ſubinde & alii?

Is fuit *Iobus*, ut patientiæ miraculum, ſic virtutum aliarum norma, ac ſpeculum. Si terram aſpicias quam incolebat, ea fuit *terra Hus*, hoc eſt regio idololatriæ. Si homines, quibuſcum degebat; ii

Iob c. 1. v. 1.

 non

non tam homines à ratione, quàm belluæ à vitiis. Cap. 5. v. 29. Et hinc de ſeipſo oſtendat illud: *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum*, hoc eſt hominum, qui à felle vitiorum, à feritate atque immanitate morum, erant inſtar draconum, & ſtruthionum: & tamen in his, & illis, & hominem ſe præſtitit *Iobus*, & in paucis pium. Quidni ergò & alii?

Ex his fuit parvus *Samuel*, qui inter noxios innocens, inter impios pius, inter filios *Heli*, hoc eſt violatores, profanatores ſacrificiorum, totius denique religionis everſores, pietatis ac religionis retinens fuit. Quid etiam & alii?

Ii certè fuerunt nominati illi Dei famuli, *Abraham*, *Loth*, *Moyſes*, juſti omnes, pii, ac ſuperis Deoque accepti, quorum pietas, eximiaque virtus eo eminere viſa eſt magis, quod in medio depravatæ nationis; inter dura & rebellia Cœlo capita. Hinc & probata magis, & commendata ex virtus ardua.

Propterea, inquiebat, olim D. Chryſoſtomus, *admiramur Abraham, propterea Loth, propterea Moyſen, quod veluti in profunda nocte ſtella apparebant, & tanquam roſa inter ſpinas, & ovis inter lupos innumerabiles.* Et hinc ſtupor, amor, admiratio, & tantæ, tamque ſingularis virtutis commendatio, ad poſteros quoque tranſiit, & tranſibit in ævum omne: nec abnuo, nec inficior fieri ſubinde poſſe, ut inter improbos, injuſtos, impios, ſit unus & probus, & juſtus, & pius. At illud pronuntio, ut rariſſimum ſic & longè difficillimum, atque ejuſmodi quod ſibi polliceri vix quiſquam audeat, certè vix poſſit ſine periculo, ſine nota temeritatis, ſine aliquo præſumptionis nævo, niſi adſit vis altior ac divina.

Ecquid enim (ut utar alia, atque alia ſimilitudine, qua & uſi in hoc argumento DD Patres) ſit rivulus, qui levi lapſu influat in mare, eoque cingatur, mergaturque totus, retinebit ille dulces aquas? enimvero minimè.

Sit palea cincta undique flammarum vorticibus, ignem non concipiet illa? non ibit in cineres? ibit profectò, & quidem quàm citiſſimè. Sit facula levis, & gracilis, quam afflent undique ventorum turbines, in quam influant graviores aquis nubes, & denſi pluviarum nimbi: an non extinguetur illa? certè extinguetur vel ad primam aſpirantis Aquilonis auram, aut Eori afflatum, etiam leviorem.

Sit propugnaculum è terra, & ceſpite malè compactum; quod cingant ferratæ acies, in quod detonent ingentia tormentorum bellicorum tonitrua, & denſiores globorum nimbi depluant. Quamdiu, *amabo te*, ſtabit illud? ni fallor, ad primos hoſtium incurſus, cedet, defluet ad primam globorum grandinem, & ibit in materiam temerè congeſtam: ſic & nos.

Rivuli ſumus, ſocii mare, & mirum quàm ſalſum; iis cingimur, iis & mergimur; retinebimus illam, quam à natura, quam à virtute accepimus morum dulcedinem, ac ſuavitatem? Minimè gentium; quin potius ſalſis eorum moribus, id eſt vitiis, imbuemur toti.

Palea ſumus, ſocii flammæ, & flammarum vortices, ut iis abſumamur eſt neceſſe.

Facula ſumus, ſocii ventorum turbines, qui nos afflant vehementius, nubes gravidæ, quæ nobis incumbunt, denſiores nymbi, qui in nos impluunt; & non ſuffocabitur, quæ in nobis eſt, flammula divini amoris? Sanè ſuffocabitur, & quidem celerrimè.

Propugnacula ſumus, ſed terrea, ſed malè materiata; ſocii velut emiſſæ ex erebo turmæ, in nos incurrunt, in nos involant, & non expugnabunt? Non evertent? Expugnabunt indubiè, evertentque, & ſolo æquabunt.

Ecquid enim? Quot ab illis verborum jacula? Quot irarum fulmina? Quot minarum tonitrua; & his non cedere, virtutis eſt divinæ, non humanæ poteſtatis: quod ut pateat magis, addo & aliud, tibique ſub oculos pono, quis ſis, & qualis? Qui & quales tibi ſocii? Si modo mali.

Is es, qui Chryſoſtomo judice, fuit *Iobus* inter malos videlicet, *columba in medio accipitrum, ovis in medio luporum, ſtella in medio nubium, lilium in medio ſpinarum.*

Quod ſi is es inter malos, dic age, quid te fiet? Certè quod huic, quod & illis.

Sis candicans *columba in medio accipitrum.*

Quid illa fiet? Lacerabitur unguibus, roſtro pungetur, nec evadet niſi cruenta tota, niſi lacera, atque emortua. Quod illi, hoc & tibi inter malos: tu enim es velut innocens *columba*, & mali velut *accipitres*, qui te invadunt, abripiunt, & animam tuam, ceu prædam, lacerant, laniantque, totque infigunt vulnera, quot impellunt in peccata.

Sit & *ovis in medio luporum*, dic, quid illa fiet? Stringetur unguibus, mordebitur dentibus, lacerabitur; laniabitur tota. Quod illi, hoc & tibi inter malos: tu enim *ovis* es, hi lupi: in te incurrent illi: te rapient, raptabuntque & per avia, inviaque vitiorum fœdè abreptum, mactabunt ut victimam; ſi minus corpore, ſaltem animo, quæ tui pars potiſſima.

Sit & *ſtella in medio nubium.* Quid illi accidet? etſi non ideo occidat; at ſaltem nube tegetur, involveturque tota; ſic, ut & nec lucem ſpargat, nec ardorem, nec ſuas in ſubjecta corpora deducat influentias. Quod illi, hoc & tibi inter malos. *Stella* enim es, dum luces à fide, & cœleſtium rerum altiore intelligentia; dum ardes à calore caſti in Deum amoris: at mali, *nubes ſunt*; obtegent illi te, ne luceas ab exemplo bonorum operum, ne caleas à Dei amore, ne in alios quicquam effundas boni.

Sit & *lilium in medio ſpinarum.* Quid in illo ſpectabis? An niveum candorem? An folia ſtricta, & ſeſe paulatim laxantia effigie calathi? An reſupina illius labra? An tenui filo, & ſemine ſtantem in medio crocum? Minimè, nec illa videbis omnia; imò nec ſpirantem aliàs ex illo odorem perſenties. Cur ita? Quia cingitur ſpinis, arctatur, ſuffocatur, obruitur.

Quod lilio, hoc & tibi inter malos: Tu *Lilium es*, illi *ſpinæ*. Quidquid in te eſt candoris ab innocentia vitæ, quidquid & odoris à bona fama exemploque bonorum operum, illud omne ſuffocabunt, obruentque mali, quos inter agis, ut lilium inter ſpinas.

Neque mihi dixeris: *Iobum id fuiſſe, quod tu: Columbam in medio accipitrum, ovem in medio luporum, ſtellam in medio nubium, denique & lilium in medio ſpinarum. Et tamen in his, atque illis innoxiè.* Non inficior: ſed aſtruo, unicum fuiſſe tot inter millia, tot inter hominum myriadas: tu ne ſolus audeas tibi polliceri, quod ille? certè non audeas, neque enim es Jobus, neque tibi quod Jobo Cœlum eſt, & ſuperum favor, ac gratia.

Time proinde, cave, fuge. Ecquid enim? (ut rurſum argumenter à ſimili) Quis unquam benè ſanus ac valens, converſans cum ægris ſanitatem ab illis hauſit, firmioremque valetudinem? quis non potius morbum, atque ægritudinem contraxit? Certè ſano ab ægris nil boni ad valetudinem, plurimum autem mali ad ægritudinem, accedat neceſſe eſt.

Nazianzenum audi, *Facilius eſt*, inquit, *vitium contrahere, quàm virtutem impertire: quemadmodum etiam facilius eſt morbo infici, quàm ſanitatem largiri.* Hæc S. Præſul in oratione funebri de D. Baſilio; cui pro coronide adjicio & hoc D. Cypriani, Magni Præſulis, atque invicti Martyris. Sic inquit in libello cui titulum fecit de ſingularitate Clericorum:

Mala converſatio corruptionem ſeminat, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam,

furiam, laſciviam paſcit, petulantiam nutrit, caſus exaltat, ruinas ædificat, perditione gaudet, interitum fovet, confuſionem mercatur, theſaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accuſationes inflammat, & catervatim glomerans indagines captionum, per infinita dedecora mortes invehit in perniciem perditorum.

Et hæc depravatæ converſationis diſcrimina, quæ velut in unum cumulum coëgit pius Præſul, ut deinceps ab illis benè ſibi caveant aliàs malè cauti mortales.

§. 5.

Quid ſit bona ſocietas? Et quæ ab illa homini obveniat felicitas?

Suprà. DIvus Gregorius Nazianzenus Athenas cùm veniſſet ſtudiorum causâ, felici omine, & nomine D. Baſilium invenit, eoque uſus eſt familiariter, ut ſodali, ut amico, de quo deinde mirè ſibi gratulatus, quaſi in eo, etiam unico, & felicitatem inveniſſet, & regnum: ſic enim de illis.

Athenas mihi verè aureas, ac ſi cuiquam alii, bonorum parentes.

At cur illi *aureas?* cur & parentes? ne crede à divite, pinguique ſolo, ne ab aura, Cœloque amœniore, ne à lycæo, & doctioribus exedris, ne ab ingeniis, quorum illæ fœcunda parens, ne à concurſu, fluxuque, magnorum virorum, altiorisque ſapientiæ, cujus Athenæ vel mater, vel nutrix. Vnde igitur aureæ? unde & bonorum parentes? non aliunde quàm à *D. Baſilio* in quo ut ſodalem, & amicum invenit: ſic & fœlicitatem, & regnum, & bonum propè omne.

Juvat illum audire. *Quia*, inquit, *illæ mihi hominem non illum quidem ante ignotum; ſed plenius noſcendum præbuerunt, ac doctrinam exquirens, beatitudinem reperi: mihique diſpari modo, idem quod Sauli accidit, qui patris aſinas quærens, regnum invenit.*

Componit ſeipſe cum Saüle, quærebat hic parentis, id eſt ſenis optimi, aſinas, & regnum invenit, utique in Samuele, & à Samuele. Sic & Nazianzenus. Quærebat Athenis doctrinam, & beatitudinem reperit, utique in Baſilio.

Quærebat aſinas, hoc eſt profanæ ſcientiæ magiſtros, & regnum in Baſilio reperit, quia reperit pleniùs noſcendum, cum quotidiana illa cum eo familiaritate. Ecce quod, & quantum à bona ſocietate bonum eſt, beatitas utique & regnum.

Serm. 11. Dom. 6. Pentecoſt. D. Bernardus Senenſis alios adjicit eosque inſignes ſocietatis bonæ fructus.

Primum eſt illuminatio intellectus. Alter *affectus inflammatio.* Poſtremus *conatus roboratio.* Primum probat, ut plura vident oculi, quàm oculus; ſic & plures intellectus melius diſcernunt, quod ſit bonum, ut ſequaris, quódve malum, ut fugias. Quod ipſum docet experientia rerum magiſtra. In ſcholis, & lycæo, dum plures inter ſe contendunt, magis eluceſcit atque aperitur veritas, quæ aliàs latet; quod enim hic non capit, capit alter. Deinde in tecto, domoque ſi quid fortè aut perditum, aut abſconditum ſit, faciliùs invenitur, ſi plures accendantur candelæ, quàm ſi unica. Quod corporis oculo, hoc & mentis: & hic primus à ſocietate fructus, *Intellectus illuminatio.*

Secundus eſt *affectus inflammatio*, quam probat duplici ſimilitudine. Sit, inquit, unicus carbo, etſi probè incenſus, facilè tamen extinguitur; non ſic, ſi juncti plures, mutuò enim & foventur, & incenduntur. Sic & equi, ſi eundem benè juncti trahant currum, & facilius, & levius trahunt, quàm ſi vel unicus, vel diviſi: Quod carbonibus, quod equis, hoc & ſociis, ſi benè juncti ſocietate quàm optimâ; à qua hic ſecundus eſt proventus.

Tertius eſt *conatus roboratio*, quam & in equis eodem in curru copulatis probat, animantur enim mutuo conjugio, mutuo & auxilio, atque conatu.

Et hi D. *Bernardino* judice bonæ ſocietatis ſunt fructus, quibus alium addo ex Seneca, Romano ſapiente; is eſt *imitatio morum illius, quo cum agas.*

Cum placidiſſimo, inquit, *& facillimo, minimèque anxio, moroſoque, vivendum eſt. Sumuntur à converſationibus mores. Et ut quædam in contactos, corporis vitia tranſiliunt: ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus convictores in amorem vini traxit, impudicorum cœtus, fortem quoque, & ſiliceum virum emollit. Avaritia in proximos virus ſuum tranſtulit.* *Lib. 3 de Ira, c. 8.*

Ubi hæc de vitiis, quæ in alios facilè transfunduntur, tum iſta de Virtutibus. *Eadem*, ait, *ex diverſo ratio virtutum eſt, ut omne quod ſecum habent, mitigent. Nec tam valetudini proficit utilis regio, & ſalubrius Cœlum, quàm animis parum firmis in turba meliorum verſari.* Quod ut evincat, probat à fortiori, & ſic inquit,

Quæ res quantum poſſit, intelliges, ſi videris feras quoque convictu noſtro manſueſcere, nullique immani beſtiæ vim ſuam permanere, ſi hominis contubernium diu paſſa eſt. Retunditur omnis aſperitas, paulatimque inter placida dediſcitur.

Hæc Seneca de irâ, quæ inſolens eſt animi paſſio, & quæ ipſa ferinum in morem ſævire ſolet, niſi diuturno cum manſuetis conſortio miteſcat.

Quod de illa, hoc & de turbulentis aliis animi motibus, qui & deferveſcunt, & mitigantur, ipſo eum bonis uſu, atque familiaritate.

Quod ut oſtendat in epiſtola nonageſima quarta ad Lucilium; quem ut diſcipulum habet, atque inſtruit:

Nulla res, inquit, *magis animos honeſto induit, dubiosque, & in pravum inclinantes, revocat ad rectum, quàm bonorum virorum converſatio. Paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aſpici frequenter. Occurſus, me Hercule, ipſe ſapientium juvat: & eſt aliquid, quod ex magno viro, vel tacente proficias. Nec tibi facilè dixerim, quemadmodum proſit: ſicut illud intelligam profuiſſe.* Quod oſtendit, & probat à ſimili, & ait.

Minuta quædam, ut ait Phædon, animalia, cùm mordent, non ſentiuntur, adeo tenuis illis, & fallens in periculum vis eſt: tumor indicat morſum, & in ipſo tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in converſatione virorum ſapientium eveniet. Non deprehendes quemadmodum, & quando tibi proſit, profuiſſe deprehendes. Hactenus Seneca.

§. 6.

Quædam Regulæ obſervandæ in delectu Sociorum.

EAs petam ex Antiquioribus, & quidem profania, ut intelligas, quid ſenſerint, vel ſolo impulſu naturæ, vel ductu rationis.

E Philoſophis unus aliquis diſcipulum olim ſuum deprehenderat inter adoleſcentes malæ notæ, malæ & famæ, cumque is quaſi ſceleris admiſſi conſcius erubeſceret, ut eum vidit, adjecit illud Sapientis: *Fili cum his age, cum quibus inventus non erubeſces.*

Et hæc prima ex illo erit Regula in habendo ſociorum delectu, videlicet ut ii ſint cum quibus inveniri non erubeſcas.

Eſt rubor à natura datus, ut ingenui pudoris indicium: eſt & datus, ut argumentum animi ſibi malè conſcii: ne te hic invadat aliquando, eos ſocios aſciſce, qui tibi nec rubori, nec pudori ſint.

Sapiens Romanus, duas alias proponit, velutì Regulas, ubi enim ſuaſit, ut in ſeipſo, & cum ſeipſo quis eſſe velit, non cum aliis, niſi quantum ratio, & neceſſitas exegerit; tum iſtud adjicit, *Recede in teipſum quantum potes*, & ſi cum aliis agendum,

Cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt. Et hæc Senecæ prima eſt Regula.

Altera eſt. *Illos admitte, quos tu potes facere meliores*: tum rationem adjicit. *Mutuo iſta ſiunt, & homines dum docent, diſcunt.*

Quod Senecæ monitum, hoc fuit ante & Pythagoræ, cujus hoc effatum. *Ex aliis eum tibi fac ſocium, fac & amicum, qui virtute eſt optimus.* Hæc ille inter aurea ſua carmina.

Et hæc in eligenda ſocietate, adhibenda eſt opera, quam ut perſuadeam, duplici utar ſimilitudine.

Prima petetur à mercatoribus, quibus nummis turget burſa, quibus & pretioſæ ſunt merces. Hi iter facturi haud temerè omnibus ſe viatoribus credunt; ſed prius explorant, qui ſint ii, qui ſe viæ comites, præbent, ſociosque itineris; ne fortè pro amicis latrones offendant, à quibus & pecunia ſpolientur, & fors etiam vita.

Quod illis: hoc & tibi, Amice Lector, mercator es, merces porrò tuæ Virtutes ſunt, quibus cœlo dives ſis, & cœlum emas: das te in viam æternitatem verſus; vide quibus ſociis te credas: ſi boni ſunt, benè habet; tutus eris: ſin autem mali, latrones ſunt, à quibus, nec departâ jam virtute ſecurus eris, nec de vita.

Et hoc tibi, oſtendit prima illa ſolitudo; altera eſt illi proxima, à peregrinis deſumpta. Sit peregrinus aliquis, qui pergat in terram ſanctam, is ſi de via ſocios offendat, ſedulò inquirit quorſum hi, & illi tendant, nec ſi lateri ſeſe applicent, quaſi in viâ ſocietatem poſtulantes, ſtatim illos admittit: ſed prius explorat, qui ſint? Et quò pergant? Et ſi inveniat, non in terram ſanctam, ſed in contrarium viam tenere, illicò abit ab illis; ſic & nos. Iter in cœlum intendimus, vide ſi quis nobis aſciſcendus eſt comes, ſi quis ſocius, is ſit oportet, qui etiam cœlos petat, non qui infernum verſus abeat: ſi enim is ſit, contrarium iter ingreditur, ideóque ab illo abeundum eſt, quàm longiſſimè.

Et hæ pro diligendis in via hujus vitæ ſociis tibi ſint Regulæ. Eas ſerva quiſquis es viator, & benè tibi erit.

TRACTATUS
DE EXEMPLO,
EJUSQUE VI IN UTRAMVIS PARTEM, SEV BONAM, SEV MALAM.

DE Exemplo quæri poteſt, Primò quid nominis? Deinde quid rei? Tum quæ vis ejus, & quanta, vel ad impellendos animos in ardua virtutum, vel in ima vitiorum? Pro his, & illis publico dandis, ſit

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Sapientis verba: *Exemplo didici diſciplinam.* Prov. c. 24. v. 32.

DUm huc, atque illuc excurrit Sapiens, fortè per agrum hominis pigri tranſiit, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ.

Quid deinde? quæ mens, quæ cogitatio. Sapientis? quæ & conſilia? illum audi, pro ſe loquatur ipſe, d catque quidquid didicerit ex agro vineaque pigri illius, & fatui cultoris, ſeu agri, ſeu vineæ.

Prov. c. 24. v. 32. *Quod cùm vidiſſem*, inquit, *poſui in corde meo, & exemplo didici ſapientiam.* Hoc eſt ut vidi urticas, ut ſpinas, mala utique germina, & agri, vineæque damna, altè in cor admiſi, atque exemplo illius ſtatui ſapere, & animum ſtrenuè expurgare, à vitiis (quæ bonæ menti ſunt, quod urticæ agro, quod vineis ſpinæ) & virtutibus apprimè excolere, quod probi cultoris, quod & ſapientis eſt: & hoc illi fuit exemplo didiciſſe diſciplinam, etiam à pigro, etiam à ſtulto. Ita nimirum rectè Cato:

Stulti multum ſapientibus proſunt, quia eorum exemplo ſapere diſcunt.

Ut & ipſe diſcas, *Amice Lector*, pauca luci dabo de exemplo, ejusque natura, vi, damnis, aut provẽtibus.

§. 1.

Quid ſit exemplum potiſſimum verò bonum?

Lib. 2. Rhetor. LAtino Oratori, *Exemplum eſt alicujus facti, vel dicti, cum certi authoris nomine propoſito*, quæ ubi admiſſa fuerit in oculos; vel aures, per eos veluti quoſdam internuntios, etiam admittitur in animos, & in iis miros excitat motus, ſeu in bonum ſeu in malum, ſeu in virtutem, ſeu in vitium; ideoque multum intereſt, quod & quale ſit illud. Definitio. Cujus probè conſcii veteres, Majorum imagines, unà cum titulis ſuis, in prima ædium parte exponere ſolebant, eo conſilio, ut dum illos poſteri oculis ſibi objicerent; ſimul & animis objicerent eorum virtutes, & præclarè geſta, atque ad eorum imitationem inducerentur.

Quod illi in ædium ſuarum fronte: hoc Athenienſes in Curia, in qua & proſtabant eorum effigies, qui ſe vel in ſago, vel in toga fortiter geſſiſſent, ſubjecta hac epigraphe: Valer. Max. l. 5. c. 8.

Si feceritis ſicut illi; eritis ſicut illi.

Quod hi in Curia foroque; hoc alii etiam in conviviis, merum inter & fercula.

Scripſit Portius Plato, in originibus, ſolitos eſſe in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus; cujus rationem hanc reddit Cicero in Tuſculanis: Lib. 2.

Quorſum, inquit, *hoc, niſi ut audientes eorum exemplo incitarentur ad virtutem:* Unde enim potius?

Philo Iudæus libro, quem inſcripſit de Abrahamo, cenſet viros, qui innoxiè, & rectè vitam exegerunt, *eſſe generales quaſdam atque exemplares benè vivendi leges;* ſic enim ſcribit: Deſcriptiones.

Generaliores, & quaſi exemplares leges; Primùm diſquiremus. Hæ ſunt, viri, qui rectè ac ſine culpa vixerunt, quorum Virtutes publicatæ ſunt in ſacris litteris; non modo ad ipſorum laudem: ſed etiam ad Lectores in æmulationem provocandos. In hos verti poteſt illud D. Epiphanii. I. Benè vivendi leges.

Per actionem vos ipſi primùm docuiſtis, ut etiam alios doceretis: ſtitiſtis enim tacentes ſolis in morem, qui etiam ſilens omnes ubique docet: ſtatim enim ubi exoritur, etiam tacens artes omnes exſuſcitat. II. Mundi ſolem & ſidera.

Hactenus Epiphanius, & rectè: ſiquidem ſol oriens, quodammodo tacendo clamat; & vos homines,

mines, exurgite, lucem vobis affero, quâ ad opus utamini operamini dum lucem habetis, & orbis oculum, qui & vos ducat, ſe dirigat.

Cum D. Epiphanio conſpirat D. Gregorius Pont. Max. cui magnorum virorum exempla ſunt velut aſtra Eccleſiæ cœlo altè infixa: ſic enim inquit.

Præfat in libros Moral. c. 9.

Divina diſpenſatio, quot juſtos exhibuit, quaſi tot aſtra ſuper peccantium tenebras ad Cœlum miſit.

Spectaſti aliquando concubia nocte, nitentia Cœlo ſidera; ut lucent, ut ardent illi ſuperioris mundi ocelluli; ut viam monſtrant, ut noctem quodammodo fugant, aut ſi non fugant; at ſaltem quaſi diem faciunt dum lumen viatorum oculis affundunt.

Quod ſidera; hoc & exempla. Eſt quis in nocte peccati, eſt in voluptatum cœno, eſt in profundis errorum tenebris: oculos ille erigat, Cœlos aſpiciat, & ſidera, illis infixa contempletur, hoc eſt virtutum exempla; ſeu tua, ô caſtiſſime *Ioſeph*, ſeu tua avitæ fidei Pater *Abraham*, & ecce mox, & caſtimoniæ nitor apparebit in oculis, in vultu, & omni corporis compoſitione, & amœna fidei lux affulgebit animo. Verbo uno omnis illa virtus, quæ fulſit in ſole, fulſit in ſidere, hoc eſt in Virtutum exemplis. Erunt hæc nôn modo nitori & gratiæ;
III. Vitæ gubernacula. ſed & vitæ deinceps ineundæ gubernacula. Sic enim ea appellanda cenſuit Gregorius alter, iſque Nyſſæ Pontifex.

Lib. de vita Moyſis.

Quemadmodum, inquit, *qui tempeſtate, aut vi ventorum, longè à recta ſua navigationis via in pelagus exacti ſunt: ſi vel ignem vel cacumen montis proſpexerint, facilè ſe ab errore in tutum reducunt. Sic quicumque hujus vitæ fluctibus oppreſſi, à Virtute aberrant, exemplo Abrahæ, ac Saræ, quaſi quodam gubernaculo ad divinæ voluntatis portum revocantur.*

Duo proponit antiquæ legis ſidera, in quæ oculos jaciant, quicumque in hoc vitæ pelago navigant; *Abraham* ſcilicet & *Sara*, illuſtriora virtutum exempla, quibus utantur ut gubernaculis. Et verò, tam neceſſaria ſunt illa, quàm hæc. Eſt navis in oceani medio, jactatur inſanis fluctibus, & aquarum montibus, tantùm non tegitur, non obruitur. Quî evadet? Quî tolletur in altum? Quî portum intrabit? Non alio adminiculo quàm gubernaculi. Hoc uno maris iras, æſtuſque franget, hoc uno domabit, ac vincet etiam indomitos fluctus, & obvios, quoſque ventorum turbines & ſuſtinebit, & excutiet.

Quod navi eſt à gubernaculo, eſt id vitæ ab exemplis. Illius jactaris æſtu, ô! homo, & modò irarum motibus, fluctibuſque tolleris in altum, nec teipſe ſuſtines; modò puſillanimis, abjectuſque mergeris in profundum. quî emerges? Sit tibi pro gubernaculo manſuetiſſimus mortalium David; ſit & exemplar patientiæ *Iobus*, & omnea irarum, vindictæque inſolentioris motus, impetuſque compoſueris, & puſillanimitatis abyſſum illicò repleveris, & hujus victor, atque illius, portum intraveris optatæ dudum tranquillitatis.

Et ita Iſraëlem, duræ cervicis populum, & Cœlo propè indomitum, intrare docuit Iſaïas qui ſic olim ad illos.

Cap. 51. v. 2.

Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos. Attendite, & hoc ad ſanctam, ad tranquillam, ad beatam vitam erit ſatis, quia & hujus, & illius exempla erunt vobis & pro gubernaculo, in eo, quo jactamini vitæ pelago, atque etiam pro ſcuto, clypeoque in ea mundi militia, cui & nomen dediſtis.

IV. Scuta, & clypei. Certè ſic appellanda cenſuit Sapiens, qui militantem Eccleſiam compoſuit cum turri David, *quæ ædificata eſt, cum propugnaculis, & è qua pendent clypei mille, & omnis armatura fortium.*

Cant. c. 4. v. 4.

At quæ propugnacula? Qui & clypei? Ne multus hîc ſit interpretum labor, mihi unus erit inſtar omnium, iſque *D. Gregorius*, & nomine, & re etiam ipſa *Magnus*.

Huic propugnacula ſunt miracula; clypei verò ſanctorum exempla.

At rurſum exempla cur clypei? Cur ſcuta? Inter ſcuta, & propugnacula, hoc intereſt, quod propugnacula ſua mole ſtent, nec à nobis verſari poſſint partem in omnem pro libitu: at verò ſcuta ex arbitrio noſtro flectimus, & verſamus, huc, atque illuc. Ita miracula, nec in noſtra manu ſunt, nec à nobis fieri poſſunt, cùm lubet; at verò Sanctorum exempla, & nobis in oculis ſunt, & in manibus; Iis, enim utimur cùm volumus, iis hoſtium noſtrorum tela excipimus, retundimus, frangimus. Et hi quidem ſunt clypei *D. Gregorio* interprete.

Aliud omninò *D. Ambroſio*, Doctori melleo.

Hic enim pro *mille clypei pendent ex ea*, legendum cenſet, *mille oſtia.* Ita nimirum virorum V. Oſtia.
illuſtrium exempla *oſtia* ſunt, quæ ſubimus ipſi, quæ ingredimur, & per quæ ducimur, primùm ad culmen eximiæ ſanctitatis, tum etiam in intima beatitatis adyta.

Ad hæc porrò oſtia venit aliquando D. Auguſtinus; hæſitque dubius, atque anceps, an intraret: hinc enim retinebatur vinculis jam inolitæ conſuetudinis: inde alliciebatur candidarum mentium, exemplis, ceu potentibus illecebris; illum audiamus, & hærentem, & intrantem per illa exemplorum *oſtia*, ſic ille aliquando de ſeipſo.

Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & ſubmurmurabant. Dimittis ne nos, & à momento iſto non erimus tecum ultra in æternum? Et à momento iſto, non licebit tibi, hoc & illud ultrà in æternum? Putaſne ſine iſtis eſſe poteris?

Ecce ut hæret, & hærere quodammodo cogunt antiquæ illius amicæ. Malum omninò factum: ſed optimum illud. *Aperiebatur*, inquit (ecce oſtium) *aperiebatur, ab ea parte, quò intenderam faciem, & quò tranſire trepidabam, caſta dignitas, continentia ſerena & hilaris, honeſtè blandiens, ut venirem, nec dubitarem, & extendens ad me ſuſcipiendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa, & omnis ætas, & graves viduæ, & virgines, & anus, & in omnibus ipſa continentia, nequaquam ſterilis; & aiebat tu non poteris, quod iſti, & illæ?*

Ecce exempla, ecce & oſtia, per quæ intravit Auguſtinus, & celeri pede conſcendit in eum, quem in ipſo, & amamus, & miramur ſanctitatis gradum.

Iis & ipſi oſtiis, ingrediamur, & in via virtutis pergamus alacres, ut *& nos quoque aliquid faciamus animosè, ſimus inter exempla, quare deficimus? quare* Epiſt. 68.
deſperamus? quidquid fieri potuit, poteſt, inquiebat Seneca. Et rectè. Si potuit virguncula annis in tenellis, ſi anus decrepita, ætatis pondere tantùm non oppreſſa; quidni & vos adoleſcentes? quidni & viri? poterimus enimverò, ſi ii ſimus quos natura, quos ratio, quos Deus eſſe voluit, maximè verò tot exemplis provocati.

Sunt hæc & *ſpecula*, quæ & inſpiciamus ipſi, & VI.
in quibus nos ipſos inſpiciamus oportet. Quod ſi Specula.
fecerimus, videbimus illicò, & qui ſimus, & qui eſſe debeamus.

Ita porrò fecit Sueciæ Rex *S. Ericus*, qui Divorum Regum imagines, ante oculos ſuos veluti ſpeculum ponere ſolebat, ipſe Regum oculis hodie proponendus: fuit enim & patriæ, & pauperum Pater, Faſti Mariani 18. Maii.
& caſtimoniæ clarum exemplar, ut qui libidinis æſtus glaciali aqua ſuffocarit. Et hæ ferè ſunt appellationes exempli boni, quibus veluti totidem coloribus illud depinxerunt D. Patres.

§. 2.

Quid ſit Exemplum malum?

Deſcriptiones.

I. Frigora nivis.

DIvus Auguſtinus, pro ea, quâ eſt diſertæ mentis ſolertia, mala exempla compônit cum *frigoribus nivis*: bona verò cum ignitis *carbonibus*: ut enim nivis frigus calorem expellit, & affuſo frigidiore elemento, ignem extinguit; ſic & exemplum malum, conceptum ignem divini amoris, facilè præfocat, & calorem omnem, qui à bonis exemplis erat inditus depellit, maximè autem cum dicitur (uti advertit D. Auguſtinus) *Tu hoc facturus es quod nemo facit? & tu ſolus eris Chriſtianus? certè non eris. non poteris hoc, & hoc implere; multum eſt quod aggrederis*, profectò nec implerunt alii, nec verò aggreſſi ſunt.

Ecce frigora nivis ſuperinfuſa bonæ menti, ecce prava exempla, quæ ut diſſipet ille ipſe D. Auguſtinus, expedit ſagittas potentis acutas, incendit carbones etiam deſolatorios; & quidem in bonum: illum audiamus:

In Pſal. 119

Sagitta, inquit, *ſunt cùm agimus verbis; carbones autem vaſtatores ſunt exempla Sanctorum: utpote incipit tibi Dominus dicere. Tu non potes? ille potuit: nunquid tu delicatior es illo Senatore? fœmina potuerunt, viri non poſſunt? Delicati divites potuerunt, pauperes non poſſunt?*

Cùm ergò fuerint iſta numerata, & nominatim dicti fuerint homines, qui potuerunt, ille accepta ſagitta in corde, accedentibus etiam carbonibus deſolatoriis, deſolatur in illo cogitatio terrena, quæ ingerebat frigidum illud *non poteris*.

Et ita deſolatam in ſe ſenſit aliquando D. Bernardus; ita depulſum, & illud frigus nivis: ſic enim ingenuè de ſeipſo.

Frequenter ego ipſe (quod non verecundor) maximéque initio converſionis meæ, corde durus, & frigidus, & quærens, quem vellet diligere anima. Cùm ergo eum quærerem in quo recaleſceret, nec nlla parte occurreret per quem pruina rigens, quæ ſenſus ſtringebat internos diſſolveretur, & vernalis illa ſuavitas ac ſpiritalis amœnitas, reverteretur; tum magis, ac magis langoebat, & tædebat & dormitabat anima mea præ tædio, triſtis & pœnè deſperans, & muſſitans ſecum illud: *A facie frigoris ejus quis ſuſtinebit?*

Hæc Bernardus de ſuo illo frigore, tepore, torpore. At unde ei calor? Unde & fervor, & æſtus divini amoris? Eum edicat ipſe.

Cùm ſubitò, inquit, *ad affatum vel etiam aſpectum cujuſpiam ſpiritualis, perfectiq́; viri, interdum & ad ſolam defuncti, ſeu abſentis memoriam flabant ſpiritus, & fluebant aquæ, & erant mihi lacrymæ illæ panes die, ac nocte.*

Hæc candidè de ſeipſo Bernardus, cui frigus omne mentis diſcuſſum ab exemplis Sanctorum, quibus vel convivere, vel convixiſſe datum erat. Tantum boni, ab exemplo bono etiam vel unico. Videamus quantum mali ab exemplo malo, etiam vel unius.

II. Turbo ſpiritus.

De tribu Juda quæ Iſraëlem malo ſuo exemplo in ruinam traxit, ſic aliquando *Oſeas* Dei vice. *Ligavit eum ſpiritus in alis ſuis, ſeptuaginta. Turbo ſpiritus ſibilavit in alis ſuis*, vel ut biblia regia. *Turbo ſpiritus tu es in alis ejus.*

Vidiſti aliquando avem in aera ferri, aëraque tranare alarum remigio: quòd ſi fortè dum alas explicat, extenditque ad volatum, repentinus turbo, iſque vehementior inter alas ſeſe implicuerit, illicò eam deturbat, agitque præcipitem in terras. Sic & Tribus Juda, Iſraëliticum populum, aliàs in ſublime virtutis evolantem, depravatis ſuis moribus exemploque peſſimo, ad ima detraxit, atque in Idololatriæ barathrum præcipitem adegit. Ecce malum illius turbinis, hoc eſt exempli mali, de quo ita D. Cyrillus Alexandrinus. *Si hoc lapſus eſt Iſraël, tu Iuda, factus es velut turbo quidam venti, in alis volucris.*

Hujus porrò turbinis & malum, & vim inſolentiorem, agnovit ipſe, exinlitque Seneca, qui ſic ad Lucilium. *Unum exemplum, aut luxuriæ, aut avaritiæ multum mali facit. Convictor delicatus paulatim enervat, & emollit, vicinus dives cupiditatem irritat, malignus comes, quamvis candido, & ſimplici rubiginem ſuam affricuit. Quid? Tu accedere iis credes? In quos publicè factus eſt impetus?* Impetum vocat, vitiorum magno comitatu venientium, à quo non abripi, difficillimum & propè adynaton. Epiſt 7.

III. Laqueus & rete.

Sed tranſeo ad aliam deſcriptionem exempli pravi; hoc *Oſee* vati dicitur, *Laqueus & Rete*, quo capiuntur homines, ut laqueo feræ, & reti volucres. Et ita quondam captus eſt Iſraël, cui Regis exemplum, pro laqueo fuit, & ſacerdotum vita depravata pro retibus in quos ideo altè declamat Propheta, & ſic ad illos:

Audite hoc ſacerdotes & attendite domus Iſrael, & domus Regis auſcultate; quia vobis judicium eſt. at unde judicium? Unde & damnatio, & horrendum illud væ? Subjicit *Oſeas*, *quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor*, vel ut vertit Arabicus *ſuper Abyſſum*. Ita nimirum infelix ille Rex *Ieroboam*, infelices & ſacerdotes. quos Deus, ſeu in profana, ſeu in ſacra dignitate, velut in ſpecula conſtituerat, eo ſanè conſilio, ut depravatos aliorum mores, ac ritus, ex alto deſpicerent, atque à populo removerent; facti ſunt ipſimet & laqueus, & rete *expanſum ſuper abyſſum mundi hujus*, in quo malis exemplis eorum, capti ſunt ſubditi, ut feræ laqueis, ut retibus piſces. Et quid inde? Utique *Oſea* vaticinante, & Deo Vindice. Judicium, atque damnatio. Cap. 5. v. 1.

§. 3.

Quæ, & quanta ſit vis boni exempli?

VT eam demonſtrem, primò ratione certandum mihi erit, deinde authoritate, denique exemplis. Vis, atque efficacia docentis è tribus peti poteſt, ac debet. Primùm ab eo, qui docet, quiſquis demum ille ſit, deinde ab Auditoribus, denique à doctrina.

Qui docet, ſit is, qui non tam lingua doceat, quàm vita: hanc niſi exhibueris, nihil effeceris, quia ut ſcitè D. Diadocus Epiſcopus.

Nihil egentius illa mente, quæ de Deo extra Deum philoſophatur. At extra Deum philoſophatur, qui extra virtutum praxim; adeóque nihil exhibet, niſi egenum, exile, atque inane. De perfect. ſpir. c. 7.

Qui audit, is quoque eſt, qui exemplis ducitur, non verbis; ut enim diſertè Seneca. *Homines amplius oculis, quàm auribus credunt.* Epiſt. 6.

Denique doctrina ſit etiam ea, quæ exemplis oſtendatur, potius quàm verbis. Quia *doctrina operum umbra.* Ut rectè S. Iſidorus. Hanc ſi tantum dederis, dederis aliquod ſimulacrum manc doctrinæ, aliud nihil: quod ſi opus addideris, addideris & corpus ipſum, non umbram: hoc eſt doctrinam, quæ in ſolido conſiſtit, non in aliquo inani ſimulacro.

Ut igitur in docente, in audiente, in doctrina, ſua ſit vis, atque efficacia, illis omnibus ut accedat exemplum, eſt neceſſe: ut enim Seneca. *Longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla*, quod ut in aperto ponat, addit: *Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodò audiſſet.* Epiſt 6. ad Lucilium.

Vita ejus interfuit, ſecreta perſpexit, obſervavit illum, an ex formula ſua viveret. Plato, & Ariſtoteles, & omnis in diverſum itura ſapientum turba, plus ex

moribus,

moribus, quàm ex verbis, Socratis traxit. Metrodorum, & Hermachum, & Polyænum, magnos viros, non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit. Hactenus Seneca de Philoſophis illis, ac Lycæo, à quo tranſeo ad profanam militiam, ad caſtra, ad martium pulverem; nam & in hoc ſua vis exemplis ineſt.

Appello ad *Alexandrum*, & nomine, & rebus geſtis omninò *magnum*, de quo ita Curtius: Ventum erat ad iter perpetuis obſitum nivibus, quas frigoris vis gelu aſtrinxerat, locorumque ſqualLor, & ſolitudines inviæ, fatigatum militem terrebant, humanarum rerum terminos ſe videre credentem: omnia vaſta, atque ſine ullo humani cultus veſtigio, attoniti intuebantur, & antequam lux quoque, & cœlum ipſis deficerent, reverti volebant. Rex caſtigare territos ſuperſedit. Cæterum ipſe equo deſiluit, pedesque per nivem, & concretam glaciem ingredi cœpit. Erubuerunt non ſequi, primùm amici, deinde copiarum duces, ad ultimum milites, primusque Rex dolabra glaciem perfringens iter ſibi fecit. Exemplum Regis cæteri imitati ſunt. Tanti refert exemplo aliis præiviſſe, uti & præivit *Cato*, de quo ita Seneca. *Lib. 6.*

Inſigne militibus ſuis exemplum fuit Cato, qui tempore belli civilis inter Pompeium, & Cæſarem, per medias Africæ ſolitudines pedes duxit exercitum, qui in collibus arentibus ſine ullis impedimentis, victi exercitus reliquias trahens, inopiam humoris loricatus tulit, & quoties aquæ fuerat occaſio, noviſſimus bibit, ut vel hoc ſitim tolerare doceret; aliaque incommoda, quæ ipſa ſolitudo inferre ſolet.

Quod ſi in profana militia valet exemplum: idem & in ſacra. Romæ degebat annoſus ſenex in profeſſa ſocietatis domo: fuerat is aliquando probè notus, & familiaris ſummo Pontifici *Paulo V.* de quo cùm quæſiſſet, viveretne etiamnum bonus ſenex? Ubi vivere intellexit, ad ſe accerſitum excepit quàm humaniſſimè: cumque ex eo quæſiſſet multa, audiſſet & multa; hoc ad extremum. Ego, inquiebat, *beatiſſime Pater, jam annis gravis ſum, & mihi & aliis oneri: hinc precare, ut citò vivis excedam; Ecquid enim terram occupo?* Cui Pontifex: *Minimè verò, mi Pater, vive, & vale etiam ſeras in annos, ſi tibi videris gravis; at non nobis, non religioni, neque huic, neque illi, es oneri, ſed præſidio, ſed & ornamento*, tum velut è Cathedra, hoc fudit oraculum. *Melior eſt umbra ſenis, quàm corpus juvenis.*

Ita enimverò melior eſt; at unde inquies melior? Certè non aliunde, quàm ab exemplo religioſæ vitæ, patientiæ, demiſſionis, obedientiæ; & aliarum virtutum, quæ ut Ordini ipſi gloriæ ſunt atque decori; ſic & junioribus ſtimulo, atque incitamento: ut & ipſi imitari ſtudeant, ea, quæ in ſenioribus adverterint.

Eſt in juvene corpus vividum, ac valens, eſt vis ardua ad labores, ad ſudores, ad hos non eſt ſeni ſua vis: quid facias? Cedendum eſt tempori, cedendum ætati: ſed non ſemper, & ubique cedendum: eſt enim in nonnullis, adhuc cruda Deo, viridisque ſenectus, qualis fuit *Paulo Concordienſi* Aquileæ monacho, ad quem ſic olim D. Hieronymus.

Epiſt. 8. Ecce jam centenus ætatis tuæ circulus volvitur, & tu ſemper præcepta Domini cuſtodiens, futuræ beatitudinem vitæ per præterita exempla meditaris. Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa veſtigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidum, & ſucci plenum, cani cum rubore diſcrepant, vires cum ætate diſſentiunt. Non memoriæ tenacitatem, ut in pleriſque cernimus, antiquior ſenecta diſſolvit; non calidi acumen ingenii frigidus ſanguis obtundit; non contractam rugis faciem arata frons aſperat, non denique tremula manus per curvos ceræ tramites errantem ſtylum ducit. Futuræ nobis reſurrectionis vigorem in te Dominus oſtendit, ut peccati ſciamus eſſe; quod cæteri adhuc viventes præmoriuntur in carne: juſtitiæ, quod tu adoleſcentiam in aliena ætate mentiris.

Hactenus D. Hieronymus ad bonum ſenem: ſed pauciſſimis, inquies, ea ſenectus obvenit, pleriſque omnibus contraria, pugnantiaque accidunt omnia: ut enim utar mutuata D. Cypriani eloquentia, totius corporis habitu, ſenectute confectus homo ad interitum properat, dum oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapſi numero minuuntur, cutis areſcit, flatus non ſuaviter olet, pectus ſuffocatur, tuſſis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat, verbo uno, hæc omnia ruituram jam domum noſtri corporis citò prænuntiant. Hæc S. Præſul, cum quo ſentio ea pleſumque eſſe in ſenibus ætatis jam lapſæ vitia; verum ut ea ſint, audeo nihilominus dicere, indubitatum adhuc eſſe tanti Pontificis oraculum. *Melior eſt umbra ſenis, quàm corpus juvenis*, melior, inquam, ſi modò junioribus exemplo bono ſit, ſi ea magnarum virtutum documenta re etiam ipſa præſtet, quæ eam ætatem cohoneſtent: ac ne verbis meis tantummodo ſit fides, Senecam audi Chriſtianè, & propè religioſè in ſimili philoſophantem.

Nunquam inutilis eſt opera civis boni. Auditu enim, viſu, vultu, nutu, obſtinatione tacita, inceſſuque ipſo prodeſt. *L. de Tranquil. animi, c. 9.*

Tum rationem adjicit ex Virtutis natura petitam, quàm & à ſimili illuſtrat: ſic enim ait: *Ut ſalutaria quædam, citra guſtum, tactumque, odore proficiunt: ita virtus utilitatem etiam ex longinquo, & latens, fundit, ſive ſpargitur, & utitur ſuo jure, ſive precarios habet exceſſus, cogiturque vela contrahere, ſive otioſa, mutaque eſt, & anguſta circumſcripta, ſive adaperta, in quocumque habitu prodeſt. Quid? parum utile putas exemplum benè quieſcentis?*

Quieſcit ſenex, non abnuo; nec enim libris incumbit, nec impalleſcit chartis, nec in Lycæo diſputat, nec auditur in pulpitis, nec per pagos, & oppida curſitat, ſedulus animarum venator, nec alia obit Ordinis munia: quid facias? Ut non omnis fert omnia tellus: ſic nec omnis ætas, corpore infirmior eſt, & minus valens; ſed animo valet; ſed exemplis valet, dumque quieſcit, agit vel maximè; dumque tacet, loquitur, & vita ſanctiore altùm clamat; & ſic clamando multum proficit; nequaquam igitur inutile eſt exemplum, ſic benè quieſcentis, neque inutilis ejus opera: dum enim ſic quieſcit; auditu, viſu, vultu, nutu, inceſſuque prodeſt ipſo, & tacita quadam in bonum obſtinatione, atque conſtantia, ipſo annorum pondere roborata, atque firmata.

Exemplo erit ex Antiquioribus *Ariſtides*, qui vel ipſo aſpectu, aut contactu *Socratis*, miram ſe utilitatem percepiſſe ſolitum profitetur: ſic enim ad hunc:

Ego, ô *Socrates* nihil unquam à te didici, ut & ipſe noſti.

Proficiebam autem quoties tecum unà eram, etiamſi tantum in una domo eſſemus, quamquam non in eodem cubiculo. Magis tamen, ſi quando etiam in eodem cubiculo; & tum quoque magis ſi te dicentem intuerer, quàm ſi oculos in aliam ullam partem dirigerem; multò autem maximè, ac plurimùm proficiebam, ſi quando proximè te ſederem, tangeremque & hærerem tibi. Adeo verum eſt ſapientem prodeſſe, etiam ſolo viſu, tactúve. Nimirum ea eſt vis exempli boni, tantum præſentis, nec minor etiam præteriti. *E Platonis Theage.*

Tua appello tempora, tua conſilia, tuos & æſtus, ô Auguſtine. Sic enim in meliores auras, ſic in cœlum eos aliquando emiſiſti; dum ita ad Dominum:

Sagittaveras cor noſtrum charitate tua, & geſtabamus verba tua tranſfixa viſceribus, & exempla ſervorum

Lib. 9 Conf. c. 11. *vorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ, urebant, & absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus, & accendebant nos validè.*

Exempla porrò illa potiſſimum fuêre duo. Unum *Victorini Rhetoris*, cui, ut communi propè omnium magiſtro, ſtatuam in foro erexerant Romani cives, tanquam de Republica; propter ſingularem eloquentiam, optimè merito.

Hic (ut ejuſdem Auguſtini verbis utar) multos per annos, & ad decrepitam uſque ſenectam Deos ſuos, Neptunum, Venerem, Minervam, aliaque id genus monſtra, *ore terricrepo defenſitaverat.*

Tandem non erubuit eſſe puer Christi tui, & infans fontis tui, ſubjecto collo ad humilitatis jugum, & edomita fronte ad Crucis opprobrium

Et hoc primum exemplum, quo vel maximè commotus, ut & ipſe manus daret & fidei jugo colla ſubmitteret: & verò dedit; hoc enim excitatus, & quaſi alius à ſeipſo, quaſi entheus totus, ſic ad Deum.

Cap. 4. *Age Domine, & fac, revoca nos, accende, rape, flagra, dulceſce, jam amemus & curramus. Nonne multi ex profundiore tartaro cæcitatis, quàm Victorinus, redeunt ad te & accedunt, & illuminantur, recipientes lumen? Quod ſi multi, quidni & ego?* Et hæc ſecum Auguſtinus, ab illo Victorini Rhetoris exemplo, quod narraverat ei *Simplicianus.* Nec minora ab altero quod fuit *D. Antonii* Abbatis, de quo illi multa *Poticianus.* Primùm mirari cœpit & obſtupeſcere totus, ad illius vitam, & geſta, atque ad alios

Cap. 6. *monaſteriorum greges & mores ſuaveolentia tua, & ubera deſerta eremi, quorum,* inquit, *nos nihil ſciebamus.*

Tum etiam rodi intus, & confundi pudore ob vitam prius actam in cœno putidæ voluptatis, deinde poſt longam & grandem rixam interioris domus ſuæ, id eſt animæ, *tam vultu, quàm mente turbatus*, invadere *Alypium*, atque exclamare.

Cap. 8. *Quid patimur? Quid eſt hoc, quod audiſti? Surgunt indocti, & Cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris, ſine corde, ecce volutamur in carne, & ſanguine! An quia præceſſerunt, pudet ſequi? Et non pudet, nec ſaltem ſequi?* Hæc ſecum, hæc cum *Alypio* Auguſtinus, qui denique & exemplis illis ceſſit, & vocanti Deo, ſic enim ad ſeipſum. *Tu non poteris, quod*

Cap. 9. *iſti & iſtæ? An verò iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo. Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te ſtas, & non ſtas? projice te in eum, noli metuere, non ſe ſubtrahet ut cadas. Projice te, ſecurus, excipiet te, & ſalvabit te.* Projecit enimverò, & ſalvus factus eſt, tantum valuere, & *Victorini*, & *Antonii*, & aliorum exempla ſubjecta fidelibus oculis, & animo.

Et hæc una ratio cur ſacræ paginæ, & Sanctorum lapſus, & ſubſecutam deinde pœnitentiam exponant, ne fortè deſperet, qui lapſus eſt, néve etiam de ſe plus æquo præſumat, qui necdum cecidit. Et ita tam hoc, quam illud expoſuit in Davide: ſed proh dolor! pudorque, inquit Auguſtinus.

Multi cadere volunt cum Davide, & nolunt ſurgere cum Davide. Quid inquinis? Non cadendi exemplum

De modo bene vivendi Serm. 10. *propoſitum eſt; ſed ſi cecideris, reſurgendi. Attende ergò ne cadas, non ſit delectatio minorum, lapſus majorum; ſed ſit caſus majorum, tremor minorum.* Ut rectè Auguſtinus, à quo paululum abeo, ut veniam ad D. Bernardum, qui ſorori, cujus in ſpiritu erat amantior, exempla Sanctorum objicit, ut iis quaſi calceamentis induta viam ineat decorratque religioſæ perfectionis; ubi enim injecit illud amantium, illud Canticorum:

Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis. Quærit ecquænam illa calceamenta Eccleſiæ, quæ eſt filia Principis; & reſpondet eſſe *exempla Sanctorum*, quibus in via hujus ævi mortalis induimur, atque munimur.

Et ita ſe probè indutum, probéque munitum voluit ille monachus, Laicus licet, qui à vigiliis ad Divi Bernardi Præſulis ſui pedes accidens, hæc illi ſummo animi ſenſu. *Væ mihi,* inquiebat, *quia monachum in vigiliis unum conſideravi, in quo triginta Virtutes numeravi, quarum ne unam in me invenio.* *Serm. 1. ad Fratres.*

Hæc illi pio abjecta, qua erat, de ſeipſo opinione, cui tamen hæc una animi demiſſio D. Bernardo judice major fortè fuit, quàm illæ aliæ triginta Virtutes, quas in alio notarat ſedulus & pius obſervator fratrum, & contemptor ſui.

Et is ſis oportet Amice Lector, audiaſque illa D. Bernardi. *Eſto magis ſollicitus ut ſcias, quid deſit tibi. Et ea magis attende, quæ alius habet, tu non habes, quàm ea quæ tu habes, & alius fortè, non habet: Hæc enim ſtulta eſt cogitatio, ſapiens autem illa:* Ita Bernardus. Ecquid enim ut ejuſdem ſancti Præſulis verbis utar: *Si fortè laborare, aut jejunare plus illo potes; at ille te patientia ſuperat, præcedit humilitate, ſupereminet charitate.* Et hoc eſt quod tibi in oculis, in animo eſſe debet, ut is quoque ſis, quod ille, & ille, quod & boni omnes.

Commendatum illud Hircii ad Ciceronem: *An ego cùm omnes caleant, ignavus ero?* Quod & Chriſtianis, & Religioſis commendatum eſſe debet, quàm maximè. Dicant hi, & illi, ſibimetipſis: *An ego cùm omnes caleant, ignavus ero:* cùm humiles, cùm patientes, cùm mites, cùm fervidi ſint omnes, ego & elatus, & impatiens, & immitis, & præfrigidus ſum? minimè gentium: non erit iſtud, enimverò non erit. Et certè ne ſit, prohibent quæ ſub oculis ſunt, Sanctorum exempla, quorum vis major eſt, quàm & documentorum, imò & miraculorum. *L. 15. ad Atticum Ep. 5.*

De documentis extat illud S. Iſidori Peluſiotæ: *Vita ſine ſermone, magis prodeſſe nata eſt, quàm ſermo ſine vita: nam illa etiam tacens prodeſt; hic autem clamans turbat.* Cujus rationem ſubjicit D. Cyprianus: *Meliſſa l. 1. ſententiarum. Sent. 48.*

Quia efficacius vita, quàm lingua teſtimonium eſt; nimirum habent & opera, ſuam linguam, habent ſuam facundiam tacente lingua. *Lib. de duplici Martyrio.*

Et ita quidem, ut hæc longè minor, ſit illa: imò hæc non audiatur ſine illa, non moveat ſine illa. Nimirum vis tota eſt in opere, atque exemplo. adeò verum eſt exempla plus movere quàm documenta; imò & quam miracula.

Eliſæo Prophetæ ſeſe ſtiterat *Naaman* à lepra ſanandus, tum etiam pro adepta per miraculum ſanitate, pecunias obtulerat, in grati animi ſymbolum. Sed eas rejecerat Eliſæus, ut qui aurum non quæreret, ſed Deum, ſed proximi bonum.

Duo hîc non ſine amabili ſtupore viderat *Naaman*; videlicet hinc miraculum, inde opum deſpicientiam, atque contemptum, raro utique eò loci, ac temporis exemplo. Quod ex illis eum commovit magis? Excipe vel ipſis Scripturæ oraculis. Ad miraculum; intellectum (mentis utique oculum) fidei ſubjecit: ad exemplum etiam voluntatem Deo ſubdidit, quod longè majus fuit.

Ad miraculum adjecit illud: *verè ſcio quod non ſit alius Deus in univerſa terra.* Ecce nobilem fidei actum: ſed nihil ultra. *4. Reg. c. 5. v. 15.*

Ad exemplum autem addidit & iſtud. *Non faciet ultra ſervus tuus holocauſtum, aut victimam Diis alienis, niſi Domino.* Ecce fortem, ecce generoſum obedientiæ actum, ecce devotam ſuæ voluntatis cum divinâ conſenſionem, quam hauſit ex illo Eliſæi exemplo, quod ingenioſè ut aſſolet advertit D. Auguſtinus,

Mox, inquit, viſo exemplo Naaman divinam ſibi diſciplinam induit, ſuperſtitioſam abſcidit, continuò ſe Deum veneraturi teſlatur, & deteſtari idolum profitetur. Tanta apud eum exempli boni vis fuit; eritque apud omnes in ævum omne. *Serm. 207. de Temp.*

§. 4. Qua

§. 4.

Quæ, & quanta vis mali exempli?

Vis mali exempli: I. Ab uno.

VIs mali exempli ſeſe exerit atque in alios effunditur, modò ab uno, modò à pluribus & turba populi, modò à majoribus, & iis quos quia ſuſpicimus, facilè imitamur.

Epiſt. 7. ad Lucilium.

Qui ab uno id fiat, docet Seneca, *quia*, inquit, *nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut ſapientibus allinit*: quod ut oſtendat, elabitur ad unum, alterumque vitium, quod ſua luce etiam, ab uno hauſta alium inficit, ita (ut ſuprà dixiſſe me memini) *unum exemplum, aut luxuriæ, aut avaritiæ multum mali facit. Convictor delicatus paulatim enervat, atque emollit. Vicinus dives cupiditatem irritat. Malignus comes quamvis candido, & ſimplici rubiginem ſuam affricuit*, Cujus ea ratio, quam & alibi effert

Lib. de beata vita, initio.

Seneca; *quia nemo ſibi tantum errat; ſed alii erroris cauſa eſt, & auctor.*

II. A pluribus.

Quod ſi ab uno id mali, longè majus à pluribus à turba, ideoque rectè monet, non plurium exempla ſequenda; ſed meliorum.

Nulla res, inquit, *nos majoribus malis implicat quàm quòd ad rumorem componimur, optima rati ea, quæ magno aſſenſu recepta ſunt, quorumq; exempla multa ſunt, nec ad rationem; ſed ad ſimilitudinem vivimus. Inde iſta tanta coacervatio aliorum, ſupra alios ruentium. Quod in ſtrage hominum magna evenit, cùm ipſe ſe populus premit, nemo ita cadit ut non alium ad ſe attrahat. Primi exitio ſequentibus ſunt: nocet enim applicari antecedentibus, verſatq; nos, & præcipitat, traditur per manus error, alienisq; perimus exemplis.*

Cujus rationem hanc reddit, quia *pendemus toti ex alienis judiciis, & id optimum nobis videtur, quod petitores, & laudatores multos habet, non id quod laudandum, petendumq; eſt. Nec viam bonam, aut malam per ſe æſtimamus, ſed turba veſtigiorum, in quibus nulla ſunt redeuntium.*

Alludit eo loci ad ingenioſam Æſopi fabellam de leone, & vulpe, cùm is vulpem interrogaret cur ad ſe non veniret, reſpondit cauſam eſſe quòd multa animadverteret euntium ad illum veſtigia; ſed nulla redeuntium: quod & refert Horatius, dum ſic canit:

Quod ſi me populus Romanus fortè roget, cur
Non ut porticibus ſic judiciis fruar iiſdem,
Nec ſequar, aut fugiam, quæ diligit ipſe vel odit.
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit referam: quia me veſtigia terrent,
Omnia te adverſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Si quod leoni vulpes; hoc & præeuntibus, exemplo peſſimo, reſponderent qui ſubſequuntur, non ea foret pereuntium ſtrages; ſed proh dolor; pudorque! euntium veſtigia ſpectamus & ſequimur, nec attendimus, nulla eſſe redeuntium, quia pereuntium ſunt omnia; pereuntium dico ab exemplo peſſimo. Quid enim ab hoc aliud expectes, quàm perire. Certè cùm in te tantus factus ſit impetus à plurium malis exemplis, neceſſe eſt ut imiteris, adeoque optimè monet Seneca.

Epiſt. 7. ad Lucilium.

Recede in teipſum, quantum potes; cum his verſare qui te meliorem facturi ſunt. Illos admitte quos tu potes facere meliores. Mutuo iſta fiunt, & homines, dum docent, diſcunt.

Et hæc pauca de vi, atque periculo, quod homini eſt à malis plurium exemplis; attendamus quod,

III. A majoribus.

& quantum à Majoribus, à Principibus, à Magiſtratibus, & iis quorum magna in nos, & apud nos eſt authoritas.

In his primum occurrit illud quod aliquando; *Theodoricus* Italiæ Rex ad ſenatum Romanæ Urbis:

Caſſiodor. l. 1. variar. Ep. 44.

Nunquam majori damno periclitantur mores, quàm cùm gravitas Romana culpatur, id eſt, quàm cum digna reprehenſione admittit, & exemplo nocet, vitiiſque authoritatem facit. Et ita fecerunt olim Ethnici, ac Pagani recenſitis ſuorum Deorum flagitiis, de quibus dum ſermonem injicit Minutius Felix, ad extremum ſubjicit:

In Octavio.

Quid loquar Martis, & Veneris adulterium deprehenſum, & in Ganymedem, Iovis ſtuprum Cælo conſecratum: quæ omnia in hoc prodita, ut vitiis hominum quædam authoritas pararetur; his enim atque hujuſmodi figmentis, & mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum, & iiſdem fabulis inhærentibus, ad uſque ſummæ ætatis robur adoleſcunt, & in iiſdem opinionibus miſeri conſeneſcunt.

Et hoc immane quoddam malum eſt, quia & immanis ea vis exempli, quæ eſt etiam à Diis, cui ſuppar ea eſt à Regibus, qui Dei vice portant orbem.

1. Reg. c. 31. v. 4.

Infelix *Saul*, acceptæ cladis impatiens, arripuit gladium ſuum, & irruit ſuper eum, & ferrum toto pectore hauſit, unaque cruentam animam effudit, in quo ſanè Deo injurius fuit, quia cùm vitæ ſit Dominus, illius injuſſu non licet exire de vita; injurius & ſibi, quia vitæ cuſtos eſſe debuit fidelis, non prodigus; injurius denique & proximo, peſſimo ſui exemplo.

Ecquid enim inde non mali? Scripturæ oraculum excipe, & mirare vim exempli peſſimi.

Verſ. 5.

Quod cùm vidiſſet armiger ejus, videlicet quod mortuus eſſet Saul, irruit ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt, cum eo, & ipſe Deo, ſibique vel maximè injurius.

2. Paralip. c. 12. v. 1.

A Saule peſſimus fuit Roboam, *dereliquit enim legem Domini*, tum maximè cùm ſervare debuiſſet, ob accepta ingentia Cœlo annuente beneficia; nam & regno robur acceſſerat, & pluſquam regia opulentia, Dei utique gratia, cujus tamen immemor, Dei ſui ac Domini legem dereliquit, exemplo ſanè peſſimo, quod & ſecutus eſt *omnis Iſraël*: ita cum moribus *Principum corrumpitur converſatio ſubditorum*, ut obſervat Joſephus.

Lib. 8 Antiq. c. 10.

2. Paralip. c. 36. v. 12.

Quod illi, hoc & *Sedeciæ* Regi: fecit ille *malum in oculis Domini Dei ſui*. Quid deinde? Et univerſi Principes *ſacerdotum, & populus prævaricati ſunt*. *Ita ad malitiam Regis ſequuta eſt malitia in omnibus aliis*, ut advertit Lyranus. Nimirum ut ſcitè D. Bernardus.

Verſ. 14.

Epiſt. 127.

Principis error multos involvit, & tantis obeſt, quantis præeſt. Et tamen, ô malum! ô pudor. *Non præſumus, ut perdamus; ſed ut regamus.*

Verum quid facias? Illa eſt humanæ mentis in malum inclinatio, ut hoc magis imitari velit quàm aliud quodvis; maximè verò cùm à Principibus, ac Regibus emanarit.

Cap. 4 de fabulis antiqu.

Refert Diodorus Siculus Æthiopes olim adeò Regum ſuorum æmulos fuiſſe, ut ejus vitia, & adnatos corpori nævos, etiam in ſeipſos derivare vellent, ſtultâ ſanè, atque maleſana æmulatione. Hinc ſi balbus eſſet Rex, & ipſi balbutiem affectabant; ſi claudus, & ipſi claudicare ſatagebant; ſi cœcutiret, & ipſi ambiebant cœcutire. Adeo valida vis exempli, ut ipſam quoque naturam impetat, atque evertat.

Nemo enim natura duce, ratione comite eſt, qui non oderit, qui non fugiat vitia illa corporis; & tamen à Regis exemplo, nec odiſſe, nec fugere docetur; imò & amare, & quærere propè compellitur.

Ea quippe vis exempli etiam in malum. Quod ſi ea à Regibus eſt, qui corporibus dominantur; major à Præſulibus, & Sacerdotibus qui animis præſunt; & in ſpiritu ſunt, quod in corpore eſt caput. Et inde ut in hoc, ſi langueat caput, langueant & cætera membra: ſic in Eccleſia quæ vaſtum corpus eſt, ſi langueant capita, id eſt Præſules, ac Sacerdotes; & populos qui membra ſunt magni corporis, languere neceſſe eſt: quod è Petri Cathedra expendens *Innocentius* hujus nominis III. Pont. Max. *Si caput, inquit, infirmum, totum corpus languidum erit.*

Serm. 1. in Conſecrat.

Id eſt

Id eſt ſi Præſul ſi Sacerdos in ſpiritu languidus, atque infirmus; & populus omnis, qui corpus eſt, & languidus erit, & infirmus. exemplo quippè ſuo peſſimo, hunc ille in languorem in infirmitatem etiam vel invitum, ac propè reluctantem rapiet, imò & in ruinam, atque interitum.

Adeo verum illud D. Gregorii Pont. Max. *Cùm paſtor per abrupta graditur, conſequens eſt, ut ad præcipitium grex feratur.*

§. 5.

Quibus potiſſimum incumbat exemplo bono alios præire?

GEneratim id ſtatutum eſſe velim iis omnibus incumbere, quos vel natura, vel dignitas (profana ſit an ſacra, nihil intereſt) vel denique ipſa officii impoſiti ratio aliis præpoſuerit: & quidem ut à profanis initium ducamus, Regum ac Principum eſt, ſuis præeſſe, non tam ſceptro & purpura; quàm exemplo: & hoc vel à natura, vel ratione magiſtra, didicere etiam profani, etiam Ethnici.

I. A Superioribus.

Suet. in Nerone c. 19. *Nero* Imperator, aggreſſus in Achaia Iſthmum perfodere, primò prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus eſt: & quia exempla potiora verbis, tubâ dato ſigno, primus omnium raſtello, humum effodere, & corbulæ congeſtam, humeris efferre cœpit.

Veſpaſianus, & ipſe Imperator, cùm inopinato incendio conflagraſſet Capitolium, atque in cineres redactum eſſet, exemplo ſuo alios ad ejus inſtaurationem incitandos eſſe duxit. De eo ita Suetonius. *In Veſpaſiano c. 8.*

Ipſe reſtitutionem Capitolii aggreſſus, ruderibus purgandis manum primus admovit, ac ſuo collo quædam extulit.

Et hæc in Romana purpura Auguſti, à quibus tranſeo ad *Ageſilaum* Regem, de quo ita Xenophon. *Orat. de Ageſilao.* Quod ſi, inquit, egregium inventum eſt amuſſis, & regula, ad efficienda præclara opera; etiam mihi egregium exemplum *Ageſilai* virtus eſſe videtur iis, qui fortitudinem exercere volunt. Nam quis impius fiat, ſi hominem erga Deum religiosè pium imitetur? Quis injuſtus, ſi juſtum? Quis petulans, ſi modeſtum? Quis intemperans, ſi imitetur temperantem? Hæc ubi dixit, tum ad *Ageſilaum* relabitur, & ſic de illo. *Ageſilaus* non tam eo quòd aliorum Rex eſſet, quàm quod imperare ſibi poſſet, gloriabatur, neque tam quod adverſus hoſtes, quàm quod ad omnem virtutem civibus ſuis dux eſſet.

Et certè quidni dux eſſet, vel hoc ipſo, quòd ſit Rex, & Princeps.

In Panegyr. Plinio, *Rex & Princeps, eſt veluti anima Reipublicæ, cui proinde dat formam & vitam.*

Eſt quaſi vaſti corporis caput, unde totius corporis motus, ſenſusq; pendet: hinc ut in corporibus, ſic in imperio graviſſimus eſt morbus, qui à capite diffunditur in cætera membra.

Eſt *populi Regula*; hæc ſi recta fuerit, ea quibus admovebitur, recta faciet; ſin autem incurva, etiam eà, quibus applicabitur incurva reddet; ſic & populus, cui Rex eſt pro Regula, à virtute illius, exemploque bono rectus erit, ſi modo rectus, & ille; ſin autem ad vitia incurvus, ad eadem incurvus erit & populus.

Igitur, ut quæſtioni initio propoſitæ, fiat ſatis, exemplo aliis prælucere, primùm incumbit Regibus, Principibus, Magiſtratibus, aliiſque, quos vel natura, vel fortuna, vel populi ſuffragia, aliis præfecerint.

Deinde & Præſulibus, ac Sacerdotibus, qui divina ſorte, nutuque aliis præpoſiti. Audi quid de illis Salvianus.

Lib. 2. ad Eccleſiam. *Sacerdotes tantò antiſtare cæteris oportet devotione, quanto antiſtant omnibus dignitate. Nihil enim eſt turpius quàm excellentem eſſe quemlibet culmine, & deſpicabilem utilitate; Quid enim aliud principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honorum, titulus ſine honore? aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto!*

II. Præſulibus ac Sacerdotibus.

Hæc ubi protulit, tunc conficit illud. *Et ideò cunctos, qui ſancti altaris ſuggeſtu eminent, tantùm excellere oportet merito, quantùm gradu.*

Quantùm autem excellant gradu, inde liquet, quod ad Deum proximè accedant, divini ſint, imò quodammodo Dii.

Certè Deos appellandos eſſe cenſuit Regius Vates; dum ita cecinit Entheo afflatus ſpiritu: *Deus ſtetit in Synagoga Deorum*, in Synagoga id eſt in Eccleſia, ut explicat Tertullianus, *Congregatione*, ut vertit D. Hilarius; ſtetit inquam, quaſi medius in Congregatione *Deorum*, hoc eſt Sacerdotum. Quid auguſtius? *Pſ. 81 v. 1.*

Davidi concinit *Clemens Romanus*, qui eam quam hauſerat ab Apoſtolis Sacerdotum notionem, eodem modo expreſſit, dum appellavit *Terreſtres Deos.* Quæ nuncupatio plena dignitatis, ac majeſtatis manavit etiam ad profanos. *Conſt. Apoſtol. l. 2. c. 26.*

Hunni enim *Theotimum* Scythiæ Epiſcopum miraculis, & ſanctitate vitæ nobilem, & muneris amplitudine ſpectabilem, vocare ſoliti, *Deum Romanorum.* *Nicephor. l. 12. c. 45.*

Spectaſti, *Benevole Lector*, Eccleſiaſtici gradus ſublimitatem: ſpecta & exemplum, quo aliis omnibus prælucere debeant.

Ab hoc, vel ipſo primæ Veritatis oraculo dicuntur *Lux mundi.* Eſt ea in hoc Cœlo aſpectabili triplex, videlicet *Solis, Lunæ, ac Stellarum.* Et cum his tribus comparari poteſt Pontifex & ſacerdos, quiſquis is erit, ſi modo is ſit qui Dei munere, qui vocatione eſſe debet:

Erit ille clarior ſole, quia ſic virtutum radiis toto Orbe ſplendebit, ut faſcari ſe nulla vitiorum nocte patiatur. *Chryſolog. Serm. 120.*

Erit & lucidior Lunâ; quia tenebras has non tenuiore lumine temperabit; ſed totam ſæculi noctem pleno meritorum fulgore depellet, nec ſicut luna, quotidiana lucis detrimenta perſentiet; ſed jugi factorum lampade in ſuperni luminis claritate perſiſtet, nec menſtruo interpolabitur obſcuro: ſed in claritate Dei continua permanebit.

Erit & ſtellis æmulus; quia quot cœlum ſtellis, tot ipſe virtutibus elucеſcet, & in obſcura hujus ſæculi nocte, viam aliis oſtendet, qua ad Deum, Solis, Lunæ, ac ſtellarum conditorem, itur; viam ſcilicet virtutum, quam & verbo docebat, & exemplo.

Et ita docuit *S. Athanaſius*, qui ea, quæ docebat verbo reddebat exemplo: *Sigillo vita utens, atque obſignans*, inquit D. Gregorius Nazianzenus: ita nimirum doctrina qua pollebat erat illi pro patentibus litteris: vita autem pro ſigillo, quod fidem faceret, quod authoritatem conciliaret. *Orat. 21.*

Ita & docuit *D. Baſilius*, qui dum audiretur, dum tonaret è pulpito, miros faciebat animorum motus, non tàm verbo, quàm exemplo, ut proinde de illo magnificè dixerit illud Nazianzenus Præſul: *Tonitruum erat oratio, quia vita fulgur*; prius enim lucebat à vita, & ſpectantium oculos percellebat, quàm tonaret à lingua, aureſque multitudinis feriret. *Ibidem.*

Ita denique (ne omnes conſectet) docuit *S. Lucianus* Epiſcopus, & Martyr invictus. Hic apud omnes eſ fuit Virtutis laude; eâ modeſtia, & externi hominis compoſitione, quæ omnes caperet in ſui amorem, atque imitationem.

Inde factum, ut ſi foras prodiret in publicum, pars populi ad januas ſtare, pars è feneſtris proſpicere, pars in plateas exilire, ut de vicino ſpectare poſſet, & oculos paſcere, tam raro chriſtianæ modeſtiæ ſpectaculo, atque exemplo, de quo fortè monitus *Maximianus* Imperator, & ipſe ſpectator eſſe voluit, oculiſque uſurpare, quod auribus acceperat.

Et verò

Et verò uſurpaſſet ipſe, niſi aulicus unus aliquis, & is quidem idolorum cultor, omninò diſſuaſiſſet, adjiciens & illud dignum melioribus ceris, eam eſſe *Luciani* Præſulis modeſtiam, quæ vel oculis tantùm hauſta ſuaderet illicò fieri Chriſtianum, ideóque eam ſi videre eſſet animus, inter ſe & illum velum obtenderet, ne ſcilicet nuda quaſi atque aperta virtus, atque modeſtia, veniret in oculos, & inde in animum, cogeretque quodammodo, ad ſui etiam in Æthnico, imitationem; adeo potentes in virtutis exemplo ſunt illecebræ.

III. Doctoribus & Concionatoribus.

Quod ſi ea in Præſulibus, ac Sacerdotibus eſſe debent, certè illis ſuppares in Doctoribus, & divini verbi præconibus, quos ſubjectæ concioni in exemplum proponi, neceſſum eſt, ut ad illorum inſtar ſe formet, & dicta, factaque ſua componat.

Fuit illud prudens Epicteti conſilium. Cùm aliquis tibi conveniendus eſt, præſertim ſi ſit ille è Proceribus, propone tibi ipſi quid faceret, quídve diceret eò loci, ac temporis *Socrates aut Zeno?* Et non dubitabis, quid tibi facto, dictóve, ſit opus, ut convenienter, id, quod inciderit, & agas, & loquaris.

Socratem & *Zenonem*, Antiquioris Lycæi prima lumina, proponit in exemplum. Ego ævi noſtri Doctores, & Concionatores, ad id exhiberi velim, ut ii non tam verbo doceant, quàm loquantur exemplo. Exempla enim videntur, documenta audiuntur, ſegnius autem animos irritant, quæ demittuntur per aures, quàm quæ oculis ſubjiciuntur. Hine illud D. Gregorii Nazianzeni.

Orat. in plagam grandinis.

Præſtantior exiſtimanda eſt pulchritudo illa, quæ oculis cernitur, quàm quæ ſermonis penicillo depingitur, & ſapientia quæ operibus judicatur, quàm quæ verbis ſplendeſcit. Intellectus enim, inquit, *ille bonus, omnibus facientibus eum, non item prædicantibus.*

Pſal. 110. v. 10.

Componit S. Præſul pulchritudinem corporis, cum ſapientia, quæ eſt veluti ſpecies quædam, & pulchritudo animi; & ſicut illa melius exhibetur oculis, quàm auribus; ſic & ſapientia, quam in Auditorum animos immittit ſacer Eccleſiaſtes magis nitet, ſi per exempla ſupponatur oculis, quàm ſi per verba fundatur in aures.

Apoc. c. 19. v. 17.

D. Joannes in exceſſu mentis, *Vidi*, inquit, *unum Angelum ſtantem in Sole, & clamavit voce magna.* Quis ille Angelus? & cur è ſole, velut è pulpito clamat?

Mendoza in lib. Regum.

Angelus ille concionator eſt; at cur è ſole dicit? an quia ſol perpetuo eſt in motu nec quieſcit unquam. Sic & ille: an quia ut ſol omnibus beneficus: ſic & etiam ille; nec hoc, & illud improbo, imò & hoc, & illud amo.

Sed poſtremum iſtud magis, quia ut ſol omnibus lucet, ardet omnibus; ſic & Prædicator ac Doctor omnibus lucet exemplo, & vitæ altioris luce: ardet omnibus charitate, atque animarum Zelo: lucet omnibus, quia omnium intellectus doctrinâ ſuâ illuminat: ardet omnibus, quia omnium voluntates ſua charitate accendit; & hoc, quia & ſibi primùm ardet, dein aliis lucet, exemplo vitæ ſanctioris: utque ſic luceat neceſſum eſt. Ut enim ſcitè Ferrandius Diaconus, *Virtus prima eſt benè vivere, ſecunda rectè docere.*

In Paræn.

Prima, inquam, ex doctrina, quæ proponitur, quia ut diſertè D. Chryſologus: *Doctrina in dictis ſcientia eſt, in factis Virtus.*

Serm. 167.

Prima deinde ea eo qui docet; prima denique ex eo qui audit: ſi enim in illo vita cum voce non conſonet, nunquàm perſuadebit; quia ut D. Hieronymus: *Perdit authoritatem docendi, cujus ſermo opere deſtruitur*, & cujus vita non conſentit cum lingua; ne ille in vanum clamitat, ac docet, nec eſt quod præmium expectet, ſed vituperium.

Epiſt. 2. ad Nepoti.

Probanda eſt, ac mirè laudanda, ea Græcorum conſuetudo in ludis Olympicis, in quibus victores ita publicis inſigniebantur honoribus, ut dextram priùs, quàm caput coronarent.

Rebantur nimirum viri ſapientiſſimi præcipuam hominis laudem in actione conſiſtere, eique imprimis coronam deberi. Quod ſi verum in ludis illis, ut ita dicam theatralibus, qui hominum tantum ſerviebant oculis, longè veriſſimum in Pulpito, in Lycæo, in quo Sacer Eccleſiaſtes, ac doctor ſub Dei Omnipotentis oculo, & loquitur, & docet. In eo certè non coronabitur caput, etſi ſedes ſit & officina magnarum cogitationum; ſed dextera, quia bonorum operum effectrix ſedula illa illa, in Cœlo coronabitur; cujus probè conſcii divini verbi Præcones, in unum illud incubuerunt toti, ut non tam lingua docerent, quàm vita, nec ſe quærerent, aut aliquam ſui exiſtimationem, ſed animarum lucra.

Ioannes Ramirius è Societate noſtra, vir notæ probitatis, ac ſanctitatis, utpote cui ante pictam Virginis imaginem oranti, eadem Virgo Dei Mater capite modicè inflexo, bis annuiſſe viſa: adeò illi *Ramirius*, ceu cliens optimus, erat in amoribus. Et tamen ut is eſſet, ſupremis in morte verbis, veniam à Deo ſupplex petiit, quod quædam in ſacri Præconis officio curioſiùs ſibi dixiſſe videretur, ob quæ mirantibus fortè in tanto viro circumſtantibus, adjecit, id ſe dixiſſe, quod perſuaſum haberet multos damnatum iri Concionatorum, quod cùm Deus ab iis pendere voluerit ſalutem animarum, hujus tantæ rei, magis ad commoda ſua, ſuique nominis exiſtimationem, quàm ad fructum, ſalutemque animarum conciones accommodarent. Viderint illi, aliique qui toti ſunt in colligendis, ſpargendisque verborum floſculis, vel in doctrina reconditiore, ac remotiore à vulgo, vel in captanda aura populari, vanoque applauſu: viderint inquam, quid ſe futurum in decretorio illo judicii die, coram eo judice, qui cùm Deus eſſet & homo: *Cœpit tamen facere, & docere.* Primum *facere*, deinde *docere.* Illud certè debet eſſe primum, hoc poſtremum. Quid enim (inquit Auguſtinus) *quid prodeſt, quia hymnum cantat lingua tua*, ſi ſacrilegium exhalat vita tua? Quid prodeſt ſi Scripturæ oracula fundat lingua tua, ſi ſcelera interim effundat vita tua? — Hiſtor. Soc. l. 6 n. 206. — In Pſ. 102.

Origenes, cùm fortè è pulpito explicaret verſicum illum Regii vatis. *Peccatori autem dixit Deus. Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis, teſtamentum meum per os tuum?* Derepentè primò ſubſiſtere cœpit, tum ſolvi in gemitus, & uberes lacrymas, tum etiam effundi in lamenta, & propè ejulatus, nec ultra quicquam eloqui poſſe, non ſine aſtantium ſtupore, & lacrymis ad illum ſacri Oratoris vel ſtuporem, vel dolorem. — D. Epiphan. l. 2. contra hæreſes hæreſi 64. — In Pſal. 49. v. 16.

At unde is ſtupor? Unde & dolor? Ex hoc certè, quòd eo loci, ac temporis in memoriam recurriſſet ſe Alexandriæ paulò ante, non tam ſponte ſua, quàm tyrannorum minis, atque vi, paucula thuris grana, vanis Deorum Simulacris, incendiſſe. Et hunc illi etiamtum objicere Deus, & quaſi in cordis aurem obtrudere Davidis illud. *Quare tu enarras juſtitias meas*, qui injuſtitias tuas non ignoras? *Quare tu aſſumis teſtamentum meum*, legem utique meam *per os tuum*, qui manus tuæ ſcelera, & cultus impios apprimè calles? Nimirum iniquè patitur Deus, diviniora illa verba, & Scripturæ oracula effundi per os illius, cujus manus idololatriæ macula infectæ eſſent, atque contaminatæ.

Apud Lacedæmonios (qui ſermones actionum umbras eſſe non immeritò deſcripſerunt) ei, qui turpiter vixiſſet, ne probam quidem ſententiam pronuntiare licebat, ut ſcitè notavit Iſidorus Peluſiota. Exiſtimabant nimirum viri ſapientiſſimi, indecorum eſſe, ut qui vitam duxiſſet, improbam, proba loqueretur, aliudque verbis, aliud doceret exemplis. Quod ſi illis ea mens, ea quoque decreta: & eadem cœlo Deoque — Lib. 3. Epiſt. epiſt. 232.

ſint oportet: ſed ne longius. Venio ad parentes, qui prolibus ſuis; totique familiæ prælucere exemplo debent vitæ ſanctioris.

IV. Parentibus

D. Baſilius tenellos liberorum animos componit cum molli cera, quæ impreſſas imagines facilè recipit, & faciliùs retinet.

In regulis interrog. 15.

Teneri, inquit, *puerorum animi ſunt inſtar ceræ, in qua faciliùs imagines imprimuntur*, benè habet, ſi ex virtutis fuerint; peſſimè, ſi vitii alicujus. Hoc autem, & illud pendet à domeſticis exemplis, quæ ut oculis hauriunt pueri; ſic admittunt animis, & tenaciùs retinent, etiam ſeros in annos; ideoque opportunè Lætam monebat D. Hieronymus, ut nihil admitteret, quo poſſet in malum trahi tenellus filiolæ animus: ſic enim ad illam. *Nihil in te, & in patre ſua videat, quod ſi fecerit, peccet.*

Epiſt. 7. ad Lætam.

Ratio eſt in promptu, quia ut ille ipſe S. Doctor *proclivis eſt malorum æmulatio: & quorum virtutes aſſequi nequeas, imitaris vitia.* Ne porrò hæc imitentur filii, aut filiæ, prima parentibus ſit cura, primusque labor, anteire magnarum virtutum exemplis.

Ita præivit *Eleazarus*, & in ferrum, mortemque fortis ivit, ejusque exemplo ivere deinde ſeptem filii, quos D. Gregorius Nazianzenus oratione vigeſima ſecunda de Machabæis, ſic cum Anthioco Rege loquentes inducit.

Pater prior decertavit, decertabunt poſtea & filii: præceſſit ſacerdos, ſequuntur & victimæ. Nobiles victimæ, illuſtres victimæ pro patriis legibus, pro religione, proque Deo cadere doctæ, & hoc exemplo *Eleazari*, de quo ille ipſe S. Præſul, *Occurrit Eleazarus, fauſtum, ac lætum certaminis præludium, loquens pariter, ac tacens cohortatio. ſeptemq; inſuper filios offerens inſtitutionis ſuæ fructum.*

Hic pauca notari velim. Primò quod Eleazarus fuerit veluti *fauſtum, ac lætum præludium* illius *certaminis*, quod deinde ſpectante, plaudenteque cœlo, obtulerunt Machabæi, digni tanto parente filii.

Deinde, quod Eleazari mors pro patriis legibus obita fuerit, filiis *loquens pariter, ac tacens cohortatio* ad Martyrium. Exemplum enim eſt muta quædam adhortatio.

Denique, quod illi ipſi ſeptem filii fuerint veluti *fructus ſuaviſſimus inſtitutionis paternæ*, ſive *Eleazarus* natura fuerit pater, ut videtur opinari *Nazianzenus*, ſive tantum educatione, ut malunt alii: hoc enim excutere non eſt mei inſtituti; ſive enim pater fuerit natura, ſive educatione, parum intereſt, cùm ex hoc & illo conficiatur iſtud, quod hic probare contendimus majorum exempla plurimùm conferre ad filiorum ac poſterorum mores ritè formandos, ut & ipſi audeant, & faciant, quod parentes ſuos, & auſos eſſe, & feciſſe viderint, & hoc natura quaſi duce: ut enim ſcitè canit Poëta.

Fulonius in 2. Mach.

Sic natura jubet, velocius, & citius nos,
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis,
Cùm ſubeunt auctoribus.

Iuvenalis Satyr. 14.

Qui porrò ſunt illi auctores, ne quære: ſunt parentes, ſunt domeſtici; quibus ideo ex Dei Lege, ex rationis præſcripto, ex ipſius etiam naturæ dictamine, incumbat filiis, ac domeſticis exemplis virtutum anteire.

Ita anteivit *Anna*, magni Samuelis Mater, de qua illud illud ſacræ paginæ. *Et tunicam parvam faciebat ei mater ſua*; Ecce bonæ matris amabilem providentiam. *Et afferebat ſtatutis diebus, aſcendens cum viro ſuo, ut immolaret hoſtiam ſolemnem.* Ecce ſingularem in Deum pietatem, qua filiolo præivit exemplo, ut & ipſe in Deum ac Superos pius eſſet.

Ita præivit & Mater D. *Cytherii*, Præſulis Sanctiſſimi; quem D. Paulinus componit cum Samuele, & parentes ejus, cum *Anna* & *Elcana*; ſic enim de illo oratione ſuis numeris illigata:

Samuel & iſte crevit in templo Dei.
Nunc Agnus & Pallor: de hinc
Contexit illi, ſedula matris manus
Ephod ſtatura congruum.

Nimirum pia mater, *Cytherium* filiolum ſuum à teneris annis, templo addixit, Deo conſecravit, quod fuit pietatis, tum etiam tunicam, ſuis ipſa manibus contexuit, quod fuit providentiæ ſingularis. Ecce magnarum virtutum exempla, quibus tenellum filioli animum imbuit, inſtruxitque ad eam, qua erat in ſuperos, pietatem.

Et ita quoque imbuit inſtruxitque mater *S. Edmundi*, Archiepiſcopi Cantuarienſis. Hæc filiolo, dum eſſet in Academia Pariſienſi, cùm laneam, & & lineam ſuppellectilem tranſmitteret, immittebat & rude cilicium, quo teneros artus, & corpuſculum tegeret, affligeret, edomaretque. Et verò ita texit, afflixit, edomuitque, ut illibatum Virginitatis florem, quem à cunis hauſerat, retinuerit ad uſque ſepulchri noctem. Tantum apud illum valuit vel ipſa piæ parentis ſollicitudo, curaque, vel ardua virtus, & pietas, qua Deo uni, & ſe, & ſuos conſecrabat.

Sur. Tom 6. 16. Nov.

Vidimus quod, & quantum momenti habeat ad virtutem exemplum bonum, quod filiorum oculis opportunè pii parentes objiciunt: attendamus, quod & quantum ponderis ad vitium à malo exemplo, quod eiſdem obtruditur.

Cham à Noemo, parente optimo, malus filius, ut patrem ebrium, ac nudatum vidit, petulanter irriſit, & ex tunc vocatus *Pater Chanaan*. Quæ cauſa? necdum enim illi natus erat filius, necdum erat *Chanaan*, malus deinde filius, & mali corvi malum ovum. Reſpondent Interpretes, ut ex patris improbitate jam nota, & probata petulanti joco, prædiceretur improbitas futura filii, hæc enim ferè alius eſſe poterat ab exemplo Parentis peſſimo. Ita nimirum parentis improbitas, traducetur in filios, & omnem deinde generationem.

Gen. c. 9. v. 22.

Et hoc ipſum eſt, quod etiam de *Chama*, & Chanaan pronuntiavit D. Ambroſius: *Non poterat*, inquit, *fieri, ut bonum generaret filium, qui & natura, & eruditione degener extitiſſet.* Pronum enim eſt ut nati parentum vitia induant, & ii ſint qui & iſti. Et ita Chami improbitatem, ac petulantiam induit Chanaan, atque ex hoc etiam Chananæi, & quod illis, hoc & aliis.

Lib. de Noë & arca. c. 30.

Excipe, quæ Juvenalis Poëta Satyricus:

Si damnoſa ſenem juvat alea, ludit & heres
Bullatus, parvoq; eadem movet arma fritillo.

Ubi hæc cecinit, tum opportunè indicat, & monet, ut filios etiam ſuos, timeant ac revereantur parentes optimi, nec quicquam in eorum oculis ſceleris admittant, ne & inde ipſi quoque diſcant eſſe ſcelerati.

Maxima debetur pueris reverentia, ſi quid
Turpe paras, ne tu pueri contempſeris annos.
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

Neque mihi objicias jejunum illud, ac frivolum, pueros eſſe, mente vacuos, expertesque rationis,

Et pueri naſum Rhinocerotis habent.

Habent & oculos, quibus objecta ſibi uſurpent, & tranſmittunt in animos, habent & patulas aures, quibus excipiant maledica verba, obſcænas cantiunculas, ſuſurros mendaces, quos deinde memori mente recondant, exprimantque etiam ſeros in annos: ideoque cavendum vel maximè, ne ejuſmodi in eorum oculos, aures, aut ſenſus alios ingerantur. Etſi enim fortè, tum innoxiè ea videant, audiántve; at nec vident, nec audiunt innoxiè ſequentes in annos, in quibus ea memori recurrunt animo, eumque afficiunt quàm peſſimè.

TRACTA-

TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

CUM ad internam animæ pacem plurimùm intererſit, qui ſe habeat conſcientia, de illa pauca tractandum eſſe duxi.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Statera doloſa, & pondus æquum.* Prov. c. 11. v. 1.

§. 1.

Quæ ſit illa ſtatera, & quod pondus?

SI litteram ſpectemus, res in aperto eſt, & clara luce, jubet enim eò loci Dominus, ut in emendo, vendendoque ſuum cuique cedat, ſine fraude, doloque: ſic ut juſta ſit in rebus omnibus menſura, cui nec emptor addat, nec venditor demat. Et hoc, & illud exigit juſtitia æqualitatis amans.

At ſi ſpectetur hic ſenſus myſticus, is eſt in occulto, idcirco alius, atque alius, apud Interpretes, & DD. Patres.

Lib. 2. Prove.
Venerabili Bedæ, ea ſtatera, eſt Iuſtitiæ ſymbolum, eſt index æquitatis, quæ in judiciaria diſcretione poſita: hæc in una ſtateræ lance pœnam portat, in altera miſericordiam, & ſic tam hanc, quàm illam, ita temperat, ut per æquitatem corrigat, & per miſerationem etiam indulgeat. Hæc non aliter cauſam pauperis, aliter potentis, aliter ſodalis, aliter audit ignoti: & ſicut non aliter audit, nec aliter excuſat, aut damnat. Quod Præfectum Urbis probè doctum voluit *Trajanus* Imperator: cùm enim ei diſtrictum enſem porrigeret, addidit & illud Cæſare dignum.

Niceph. lib. 3. hiſtor. c. 23.
Cape ferrum hoc, & ſi quidem rectè Imperium geſſero pro me; ſin aliter, contra me hoc utere.

D. Baſilio ea ſtatera eſt ipſe hominis animus, in quo, bilances ſunt ratio, & ſenſus, quibus uſu venit, quod in ſtateris, In hac ſi unam lancem depreſſeris, aliam ut eleves eſt neceſſe. Ita ſi ſenſui plus æquo indulſeris, illum elevas, & rationem deprimis; uti è contrario, ſi rationem extuleris, ſenſum depreſſiſti. Et qui hoc facit, æqua utitur ſtatera, qui autem illud iniqua. Clarius loquor, qui rationem, ſupremam utique hominis partem, audit & ſequitur, profectò æquus ille eſt; & qui ſeorſum, infimam utique illius portionem, iniquus.

Hugoni ſtatera eſt judicium rationis, quod ſubinde rectum eſſe contingit, ſubinde etiam obliquum.

Rectum eſt, cùm eo judice vera falſis, honeſta turpibus, ſancta profanis præponderant; obliquum autem ac diſtortum, cùm pluria æſtimat profana quàm ſancta, turpia quàm honeſta, falſa quàm vera.

Eidem Hugoni ſtatera illa eſt Amor, in quo ſi recta ſit, & ſincera bilanx, Amor Dei præponderat amori mundi; ſin autem contorta & prava, amor mundi ſuperat amorem Dei.

L. 2 contra Donatum.
D. Auguſtino ſtatera illa eſt Scriptura Sacra, & fuſa per illam à Deo oracula. Hæc ſi audias, ſi intelligas ex Eccleſiæ, & SS. Patrum ſenſu, recta ſunt, & fidem generant, ceu nobilem altioris intelligentiæ fœtum; ſin autem ex inani tuo cerebello interpretari velis, ad hæreticorum & philoſophorum errores malè detorquebis, itaque ſtatera, quæ veritatis primæ oracula appendere debuit, ut potè recta atque ſincera, figmenta dabit, & ludibria falſitatis.

S. Iſidoro ſtatera eſt conſcientia, quæ recta erit, & vera, ſi Dei legibus, & rationibus æternis ſeſe inclinet; doloſa verò, & mendax, ſi fucata, & falſa putidæ carnis dictamina admittat, iiſque animum ſubmittat. Et huic D. Iſidori ſententiæ in præſens inhærebo, alteramque exinde movebo quæſtionem. *In cap. 12. Deuteron.*

§. 2.

Quid ſit Conſcientia?

CONſcientia apud Papiam, *eſt ſuiipſius cordis cognitio*: eam græci *ſuneidēſin* nominant *ſun* & *eidēnai* quod idem eſt ac *ſimul ſcire*. Hebræi autem appellant *Leb*, ideſt *Cor*, & *adoth haleb*, hoc eſt, *rationes* cordis. *Definitio Conſcientiæ.*

Eſt in homine cor membrum princeps, ſedes, atque officina nobiliſſimarum operationum, in qua, ut aliæ atque aliæ cuduntur affectiones; ſic & concurrunt rationes, diſceptationes, ac veluti quædam teſtimonia, quæ unumquemque vel nocentem accuſant, vel innocentem excuſant. Et hinc fit, ut cordis ſibi conſcii teſtimonium; vel pro ſeipſo, vel contra ſeipſum prolatum cõſcientia, dicatur, & ſit. *Iuſto Lypſio Conſcientia eſt reliqua in homine rectæ rationis ſcintilla, bonarum, malarumve factarum, index & judex. Origeni,* eſt ſpiritus, ſive mens hominis, & potior illius pars, quæ in rebus benè geſtis, gaudet, atque exultat; in malis autem dolet, arguit, ac reprehendit. Et hæc pro illa conſcientiæ definitione: deſcendo ad alias, atque alias illius deſcriptiones, ex quibus ejus natura, vis, atque effectus ponetur in aperto. *Deſcriptiones Conſcientiæ:*

I. *Lex naturalis.*
D. Dorotheo, Conſcientia eſt *Lex naturalis* nobis inſita, inſcriptaque ab authore naturæ Deo, itaque eam non formavimus ipſi, ſed habuimus unà cum ſpiritu, quo vivimus, & ſpiramus, unà cum natura, quàm induimus. *Lex*, inquam eſt, vel quia nos ligat, vel quia in ea muto charactere impreſſa legimus, quæ aliàs in animo occulta, & quia *naturalis* eſt, eſt & neceſſaria, & tam neceſſaria homini, quàm ipſa illius natura. *Lib. de Conſcientia.*

II. Ratiocinatio illuminans.
Eidem D. Dorotheo, *Conſcientia eſt Ratiocinatio illuminans mentem, & diſcernens bonum à malo, indita animæ à Deo, cùm hominem creavit.*

Ratiocinatio, inquam, cui nemo diſſentiat, cui omnes conſentiant oportet: vincit enim, & convincit etiam nolentem, & hoc quia, ut ait, eſt, illuminans: aperit enim atque in clara luce, ponit quod occultum, quod obſcurum erat, inſtar *ſcintillæ*, ut ait ille ipſe S. Pater; *ſcintilla* dico, quæ menti illapſa, etiam magnum ſubinde cauſat incendium.

III. Sedes Dei.
S. Diadocho, conſcientia eſt *ſedes Dei*; in illa enim reſidet Numen, atque ex eo oracula fundit, in ea habitat ut in domo quam ſibi adlegit in terris, in ea delectatur, ut in terreſtri quodam Cœlo, in ea conquieſcit, ut in ſede, locoque amœnæ quietis, & ſibi longè gratiſſimæ. Huic cùm invidet malus dæmon in eam jactare nititur, atque effundere, quidquid uſquam eſt ſordium, non alio conſilio, quàm ut Deum, qui peccatorum ſordes horret inde ejiciat, atque exturbet, ideoque benè monebat ex antiquis Patribus unus aliquis, ejiciendum eſſe foras, quidquid in eam deforis injecerit malus genius, & ita ſedulò purgandam eſſe conſcientiam, ut quæ Dei *Libello de perfectione c. 30.* *In vitis PP. L. 5. libell. 11. n. 48.*

Dei domus ſit, & ſedes, quam mundam eſſe neceſſe eſt.

IV. Teſtis. Hugoni de S. Victore, *Conſcientia eſt Teſtis*, qui in ſummo Tribunali, quod eſt Dei ter Opt. ter Max. vel pro nobis, vel contra nos teſtimonium dicat: & hic *Teſtis* à natura, verius ab authore naturæ, nobis eſt datus; ſic enim ut in libello, cui titulum fecit de de Clauſtro animæ Cap. 14.

Habet Lex Clauſtralium judices & teſtes atque conſiliarios ſuos: In Lege enim Domini duo teſtes ſunt, Vita & conſcientia. Duo judices, meditatio & ſcientia. Duo conſiliarii, Amor Dei, & amor proximi. Bonus teſtis bona vita; coram Deo teſtis eſt conſcientia, coram hominibus vita. Concordat autem in judicio ſcientia & meditatio, dum quod fit, aut dicitur, diligenti conſiderationе previdètur: tota verò juſtitia prædicta legis pendet ex duobus præcedentibus conſiliariis, atque ex his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.

Hactenus Hugo de S. Victore, cui ut dixi, conſcientia teſtis eſt coram Deo: & hic teſtis nobis eſſe debet inſtar omnium.

Epiſt. 43. Senecam audi licet gentilem, ſic ille quondam ad Lucilium, quem inſtruit ut diſcipulum.

Tu nunc in provincia licet contemnas ipſe te, magnus es, quid agas, quemadmodum cœnes, quemadmodum dormias, quæritur, ſcitur: eò tibi diligentius, vivendum eſt. Tunc felicem te eſſe judica, cùm poteris in publico vivere, cùm te parietes tui tegent, non abſcondent, quos plerumq; circumdatos nobis judicamus, non ut tutius vivamus; ſed ut peccemus occultius.

Hæc ubi dixit ex vulgi ſenſu; tum iſta ex ſuo: *Rem dicam, ex qua mores æſtimes noſtros. Vix quemquam invenies, qui poſſit aperto oſtio vivere.*

Janitores, conſcientia noſtra, non ſuperbia oppoſuit: ſic vivimus, ut deprehendi ſit ſubitò aſpici. Quid autem prodeſt recondere ſe, & oculos hominum, auresq; vitare? Bona conſcientia turbam advocat.

Mala etiam in ſolitudine anxia, atque ſollicita eſt: ſi honeſta ſunt quæ facis, omnes ſciant: ſi turpia, quid refert, neminem ſcire, cùm tu ſcias? Hæc ubi exſulit, exclamat:

O te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem. Ex iſta Sapiens Romanus, qui & hoc ex illis cenſecit, & rectè, & propè Chriſtianè.

L. de beata vita c. 20. ſub finem. *Nihil opinionis cauſa, omnia conſcientiæ faciam, populo ſpectante fieri credam, quidquid me conſcio faciam.*

V. Judex. Quæ ille ſibi; hoc & tibi dic, *Amice Lector*, & cùm omnia te conſcio facias, ſic facias, ut conſcientiam tibi non ſolum teſtem eſſe ſcias; ſed & judicem, qui te vel abſolvat vel damnet.

Suprà. Sic certè appellandam eſſe cenſuit D. Diadochus, qui cujuſque conſcientiam ſuam tribunal appellare ſolitus fuit.

Sic & D. Chryſoſtomus, orator aureus, cui conſcientia eſt pro curia, pro tribunali, in quo pronuntietur ſententia, & declaretur quiſque, ſive innocens aut nocens.

Quemadmodum, inquit, *ſeipſum nemo poteſt effugere, ita nec illam ejus Curiæ ſententiam: hoc enim tribunal, non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquieſcit, eò quod divinum eſt, & à Deo noſtris impoſitum mentibus.*

Expende, mi Lector, quod illud, & unde tribunal. Divinum inquit eſt, non humanum, nec à nobis erectum in Animæ foro, ſed à Deo illi *impoſitum*, ut ad illud ſeipſe evocet homo, ſeipſe illi ſiſtat, ab eoque ſententiam expectet, & ſi reum pronuntiari ſe audierit, pœnitere diſcat, dum adhuc licet. Quæ enim Dei miſeratio fuit, erectum animæ, dum adhuc mortali corpore tegitur hoc Tribunal, ut in eo etſi accuſetur, etſi damnetur ut rea, ſi tamen ſe & reum agnoſcat, & gemat, abſolvi poſſit; ſi tamen ab illo conſcientiæ Tribunali, ad aliud pœnitentiæ tribunal appellet. *In hoc enim*, anima ſeipſam judicans, ſe *ſuſpendit in patibulo pœnitentiæ, ne ſuſpendatur in patibulo gehennæ*, ut rectè, *Ugo Carenſis*. ſed ne longius: inſtitutum proſequamur.

Epictetus molliore voce uſus, Conſcientiam dicebat eſſe bonæ mentis veluti *Pædagogum*, & hunc nobis dediſſe Superos, ut blandè moneret primùm; dein & ſeverè plecteret, puniretve, ſi fortè quid à nobis in vita perperam actum eſſet. VI. Pædagogus

Parentes nos pueros pædagogo; Deus autem jam viros conſcientiæ cuſtodiendos tradit. Ita ex Epicteti ſenſu, conſcientia eſt veluti cuſtos, cenſor, & pædagogus adultæ jam ætatis, ne efferveſcat illa, néve abripiatur æſtu quodam impetuque inſurgentium paſſionum. Et certè qui abripiatur, cùm in oculis ſemper ſit pædagogus, id eſt conſcientia? Audaculus ſit adoleſcens, imò effrons, atque excors, qui ſub oculis & ferula ſui pædagogi indecora audeat, atque turpia: verebitur ille, atque ad primum illius conſpectum erubeſcet: ſic & bona mens, cui conſcientia eſt pro pædagogo, erubeſcet aut infanda loqui, aut nefanda facere. Audietque illud D. Ambroſii: *Nemo vel ſolus, vel cum altero turpe facit: & ſi ſolus eſt, ſeipſum præ cæteris, erubeſcat.* Sed ad aliam Lib. 7. Epiſt. epiſt. 44. ejuſdem conſcientiæ notionem deſcendamus. Erit illa ex D. Bernardo, cui conſcientia liber eſt. VII. Liber.

Unicuique, inquit, *liber eſt conſcientia, & ad hunc librum diſcutiendum, & emendandum omnes alii libri inventi ſunt.*

In hoc libro calamum ducimus in omni vita, eique inſcribimus bona, vel mala: ex hoc libro in ævo altero, petentur actorum omnium rationes: ex hoc libro feretur judicium, quod ipſam feret æternitatem: beatus, qui hunc librum exegerit, formaritque ad exemplar libri vitæ: Infelix, & mortalium omnium miſerrimus, qui ad exemplar libri mortis, ac damnationis.

Audiamus quid de illo D. Bernardus: *Anima*, inquit, *cùm de corpore egreditur nullum alium librum, præter librum conſcientiæ ſecum portare poterit.* Non Ariſtoteles ſuas de Philoſophia lucubrationes exportabit, non ſuos codices Bartolus & Baldus, non ſuos Juſtinianus, non Galenus ſuos. Libello de Conſcientia.

Unicum conſcientiæ librum efferent omnes ex hac vita in alteram, præterea nihil. Quid autem in illo, aut ex illo, docet ille ipſe S. Præſul.

In illo, inquit, *cognoſcet unuſquiſque quò debeat ire, vel quid debeat recipere, ex his, quæ ſcripta erunt in libris noſtris, judicabimur, & ideo ſcribi debent ſecundum exemplar libri vitæ, & ſi ſcripti non ſunt, ſaltem corrigantur.* Hæc ubi dixit, tum opportunè monet, & ſic ad ſuos; ſic & ad nos:

Conferamus itaque libros noſtros cum libro vitæ, ne fortè in illa ultima diſcuſſione abjiciantur; ſi emendati non fuerint.

Et hæc S. Bernardus de illo libro, & ingenioſè & piè, qui & tranſit ad aliam conſcientiæ appellationem, ex illius natura petitam. Ab hac *conſcientia* audit *Abyſſus*: ſic enim ait: VIII. Abyſſus.

Conſcientia hominis Abyſſus multa, cujus effari rationem hanc ſubjicit: *ſicut enim profundum abyſſi exhauriri non poteſt: ita cor hominis, evacuari non poteſt à cogitationibus ſuis.*

Quod, inquit, *bene noverat, qui dicebat. Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud?* Nemo certè, nemo unus omnium, niſi is, qui omnia novit Deus; Abyſſum ille pervadit, ac penetrat, ex eaque aliquando luci dabit, quod per ſæcula latuit. Benè erit, ſi ad laudem noſtram; malè, ſi ad probrum. Et hæc è multis attigiſſe ſit ſatis.

§. 3.

Quam varia & multiplex Conſcientia?

Divus Bernardus in Libello, quem inſcripſit de Conſcientia, agit de quatuor Conſcientiis, & ſic ait.

Conſcientia

Conſcientia alia bona eſt & tranquilla: alia bona & turbata; alia mala & tranquilla: alia denique mala & turbata; tum ſingulas ita deſcribit:

I. Conſcientia bona, & tranquilla.

Bona conſcientia eſt, quæ & præterita peccata punit, & punienda committere refugit. Tranquilla verò eſt cùm jam ipſe ſpiritui teſtimonium perhibet ſpiritus ejus, quod filius Dei ſit, cum omnibus dulcis eſt, nulli gravis: utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, omnibus ad benevolentiam, quibus poteſt ad beneficentiam.

II. Bona, & turbata.

Bona Conſcientia, ſed tamen etiam turbata, ea eſt, quæ nil molle, quæ nil fluxum recipit; ſed à mundi aſpergine, quantò poteſt, preſſius ſe detergit: non tamen in dulcedine; ſed in amaritudine multâ; cujus rationem hanc ſubjicit: *Dura enim ei videtur via rectior, & auſterior vita: ubique videt quod carni diſplicet: & hinc aliqua mentis perturbatio; ſed eam cohibet, & retinet ſe fræno timoris Dei, & in omni tempeſtate cordis ſui, ad hanc anchoram figitur, ne ultra fluctuare, ultra agitari contingat.* Ad hanc conſcientiam, hæc in aure cordis Deus Davidis ore, calamoque. *Eripiam eum, & glorificabo eum; eripiam ab amaritudine, glorificabo in voluptate, tum illa quæ prius faciebat timore, faciet tunc amore.* Et hæc illi indulgens Numen.

III. Mala, & tranquilla

Mala conſcientia & tranquilla, eſt illa, quæ nec Deum timet, nec hominem reveretur, quæ cùm venerit in profundum malorum, contemnit.

At quomodo tranquilla, ſi mala? Reſpondet S. Præſul, è duobus veluti fontibus eam manare tranquillitatem.

Primus eſt, cùm mundi proſperitas alludit, & illudit, cùm laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur, cùm peccantium favor, & peccare nolentium pavor, nolens, & dolens arridet ei, cùm non eſt qui arguat, ſed nec qui arguere audeat.

Et hæc eſt veluti origo, prima fucatæ illius tranquillitatis. Alteram aperit ille ipſe S. Bernardus, cùm ait.

IV. Mala & turbata.

Hanc tranquillitatem nutrit impunitas, ſecuritatis & negligentiæ mater, noverca virtutum, Religionis virus, tinea Sanctitatis. Denique eſt *conſcientia mala* atque etiam *turbata; & illa eſt, quæ in actu peccatorum ſuorum deprehenditur, & comprehenditur; nam dum paſci ſe voluptatibus credit, anxietatibus cedit, humanis pudoribus & confuſionibus reverberata.*

Quod ipſum exemplo declarat. Appetit quis adulterium ad voluptatem. ſed comprehenditur ibi ad anxietatem, & multò major eſt anxietas, quàm voluptas.

Et hæc è D. Bernardo per compendium duxi proferenda, quæ deinde ex eodem & aliis explicanda fuſiùs.

§. 4.

Quid ſit Conſcientia bona? Quæ ab illa pax & tranquillitas?

Conſcientia

ILle ipſe S Bernardus (quo authore hic utor) conſcientiæ bonæ & tranquillæ delitias, amores, divitias, ac voluptates in unum, veluti faſciculum cogit, ut vel ſic ſimul ſub aſpectum cadant, atque mentis oculos paſcant ac reficiant. Ita enim inquit:

Conſcientia bona titulus religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus delitiarum, reclinatorium aureum, gaudium Angelorum. Arca fœderis, theſaurus regius, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti, liber ſignatus, & jam clauſus, in die autem judicii aperiendus

I. Titulus Religionis.

Titulus eſt Religionis. Gaudent puſilli mortales, & gloriantur ſpecioſis titulis, non ſine nævo inanis gloriolæ, à qua vapulant apud poſteros.

Jarricus Tom. 1. de rebus indicis l. 4. c. 20.

Rex Biſnagenſis hos ſibi titulos fecit, & ſic ſeipſa epiſtolis ſuis inſcripſit.

Sponſus bonæ fortunæ, magnarum provinciarum Deus, Regum potentiſſimorum Rex, æquitatuum Dominus, Magiſter, & Doctor loqui neſcientium, trium Imperatorum Imperator, omnium, quæ videt conquiſitor, conquiſitorum conſervator, quem octo mundi partes, metuunt & formidant. Hæc ille inſolenti faſtu.

Nec inferiora *Sapores* Perſarum Rex, in epiſtola, quam dedit ad Conſtantinum Imperatorem, quam ita exorſus eſt.

Rex Regum Sapor, particeps ſiderum, frater Solis & Lunæ, Conſtantino fratri meo ſalutem plurimam dico. Et hæc in eo titulorum vanitas, quæ omnibus benè ſanis eſt ludibrio

Suppar in aliis titulorum inanitas, à qua ut longius abeat Chriſtiana mens, & bona conſcientia, hunc ei titulum inſcripſit D. Bernardus.

Titulus Religionis, hoc eſt virtutis inter morales facilè Principis, hoc eſt fidei inter Theologicas primæ, hoc eſt Chriſtiani ſtatus, quo altior nullus, ac ſublimior. Et ab hoc, & in hoc ſibi honoris gloriæque titulum fecit bona mens, & conſcientia, quam nemo nanciſcitur niſi in Chriſtiana, hoc eſt vera Religione, niſi in ſana fide, niſi in ſolida virtute, à qua & dicitur *Templum Salomonis*, hoc eſt *Pacis*. Ut perennis tot victoriarum memoria iret in poſteros; templum Pacis erexere Romani, impenſis urbis & orbis; prius tamen ex oraculis inquiſiere, ad quod ævi durare poſſet tam excellentis fabricæ operoſa moles. Reſponſum eſt, *donec Virgo pareret*. Illi nullis ſæculis ruituram ædem interpretati, æternum templum appellârunt. At ea ipſa nocte, qua Virgo peperit, hæc pacis & æternitatis domus corruit.

II. Templum Salomonis.

Nempe Deus homo, verbum infans, & Princeps pacis, aliam allaturus erat pacem, & aliud erecturus *Templum Pacis*, quod non eſſet ex opere lateritio, nec è marmore politiore; ſed è pura, tranquillaque conſcientia, quæ ex vero *Templum* eſt *Pacis*.

Glorioſiſſima *S. Ignatio* fuit illa vox *Ioannis Texeira*, viri è franciſcana familia clariſſimi, qui æquali, & nullis perturbationibus obnoxia ejus virtute compulſus, illum veriſſimo elogio, *Templum Pacis appellavit*. Et ita templum eſt pacis, templum & Salomonis, bona & tranquilla conſcientia.

Rho Hiſtor. Virtut. l. 1. c. 10.

Dum templi Salomonia erigitur fabrica, aſſurgitque vaſta illa, ac ſtupenda moles, pro miraculo fuit, quod ne vel ſemel auditus ſit malleus; crederes in quiete, altoque ſilentio fieri omnia; & verò etiam fiebant.

Et ita ſe res habet in bona conſcientia, nullus ibi ſentitur, nullus auditur malleus, qui eam tundat, contundatque, pacata, tranquillaque omnia, ut proinde meritò audiat *Templum Pacis, Templum Salomonis*, uti &

III. Ager benedictionis.

Ager benedictionis, in quem ſcilicet liberalius influit è Cœlo benedictio.

Dicitur, atque etiam eſt *terra fœnus optimum & honeſtiſſimum.* Optimum quidem, quia fructum etiam centeſimum reddit ingenti fœnore, honeſtiſſimum verò, quia innoxiè, & ſine ullo culpæ nævo. Prodiga licet ſit terra in fœtus ſuos, prodiga eſt etiam nullo prodigalitatis vitio; imò & cum laude; ſic & bona conſcientia ad inſtar agri cui benedixit Dominus, in alios, atque alios virtutum magnarum fructus effundit ſeſe, imò ad delitias uſque, indeque meritò appellatur & ipſa.

IV. Hortus delitiarum.

Hortus delitiarum. Vidimus unà cum orbe nato, natos eſſe hortos, quos Deus ipſe primo homini domicilium attribuit, & veluti ſedem beatæ vitæ.

Vidimus & Semiramidia hortos, aëreos illos, ac penſiles, in quibus conſtruendis trecenta hominum millia deſudarunt.

Audivimus & celebres Heſperidum, hortos in quibus, *Arborea frondes auro radiante nitentes*
Ex auro ramos, ex auro poma ferebant.

Hos, inquam, alioſque ſeu Alcinoi, ſeu Adonidis, ſeu etiam Tantali hortos, & vireta.

Sed apage, & hos & illos: nihil enim ſunt ad eum, qui in oculis eſt bonæ conſcientiæ hortum, hortum utique delitiarum; ſed Cœleſtium, quas decerpes, quas & colliges etiam ſine nævo: in eo naſci videbis, atque albeſcere Caſtitatis Lilia, rubeſcere purpurei roſas amoris, aperiri, atque expandi violas humilitatis, alioſque virtutum pulcherrimarum floſculos. Guſtabis in illis & poma aurea; ſed à divino amore aurea, guſtabis & vitæ fructus deciſos ex ipſa vitæ arbuſcula; ſed vitæ dico altioris, vitæ Cœleſtis, ac propè divinæ, quæ tibi erit à bona conſcientia, in qua ceu delitiarum cœleſtium horto, funduntur ii vitæ, id eſt gratiæ fructus. Ubi porrò liberalius eos fructus deguſtaris, ubi teipſe iis abundè refeceris, ſternetur tibi ab eadem bona conſcientia *Reclinatorium aureum*, in quo & recumbas molliùs, & quieſcas ſecuriùs.

V. Reclinatorium aureum.

Ferculum olim *ſibi fecit Rex Salomon*, *hoc eſt* lecticam geſtatoriam, qua ferretur & circumferretur ad pompam, ſuccollantibus viris Principibus, *columnas ejus fecit argenteas, & reclinatorium aureum*, cui ſcilicet incumberet. Et hæc ad litteram: ad myſterium iſta quæ ſubjicio.

Cant. c. 3.

Ferculum illud eſt anima ſancta, cui Chriſtus Salomone potior inſidet, & in quo fertur, & circumfertur, etiam ad Triumphum. *Columnæ* argenteæ, eſt candor animæ ab inſigni caſtimonia. Reclinatorium, eſt placida quædam tranquillitas, & pax bonæ mentis, atque conſcientiæ. Eſt illud *aureum*, ab ardenti in Deum amore, atque charitate, qua tota efferveſcit anima, dum in ſe & conſcientia bona ſuaviter conquieſcit: ubi enim potius quàm in illa?

Appello D. Auguſtini fidem atque experientiam: ſic olim ad illos, qui vel de ſe malè ſuſpicari, malè ſentire, malè loqui.

Sentit de Auguſtino quidquid libet: ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet. Hoc mihi plus ſatis ad pacem, & tranquillitatem.

Lib. 2. contra Iovinianum c. 8.

Appello etiam *Paphnutii* Eremicolæ authoritatem, & facinus illuſtre, dignumque melioribus ceris.

Ut longius abiret à ſæculi tumultu, & mundi pompis, in Scythiæ Eremum ſeceſſit, adhuc adoleſcens. Sed, ô grande malum invidia, & maledicentia! accuſatur ut furti reus, & gravem pœnam ſubire jubetur. Subit enimverò & tacet, nec verbulum effundit pro ſua innocentia. quid deinde? Conſcientia ſua ſe ipſe involvit eaque ſe tuetur, ac conſervat in alta pace, & verò etiam ſervaſſet ſeros in annos, niſi Cœlo judice, vindiceque Deo calumniatorem malus dæmon invaſiſſet.

Caſſianus collat. 18. c. 15.

Favit hic innocentiæ etiam invitus: ſed longè magis favent boni genii, & ſupremæ illæ Cœlorum Intelligentiæ, quarum gaudium eſt *Bona conſcientia.* Uti è contrario mala conſcientia inferis ac dæmonibus eſt gaudium atque exultatio: quod advertit, & disertè ſic explicuit Tertullianus.

VI. Gaudium Angelorum

In dominum peccat, qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentiâ renuntiaſſet, & hoc nomine illum domino ſubjeciſſet: verum eundem regreſſu ſuo erigit, & exultationem ſe ipſum facit. Hic duo potiſſimum ſtylo notari velim. primum quod dæmonem, quem malefacti pœnitens proſtraverat, regreſſu ſuo ad peccatum quodammodo erigat. Deinde quod ſeipſum illius exultationem faciat: cantat enim, & triumphat in mala conſcientia malus dæmon.

Lib. de Pœnitent. c. 5.

Uti contra in bona, bonus genius. Exemplo erit illud, quod Perpiniani eveniſſe legimus.

Sæviebat eò loci acerba fames, & inde etiam peſtilens lues, irati cœli flagella, quibus avertendis primò indictæ preces, tum etiam jejunia, aliaque pietatis opera, opportuna placando Numini. Denique à Patribus Societatis per pagos, & oppida inſtituta, ut vulgò dicimus, miſſio: tenuit ea dies triginta, quibus omnes de ſeria pœnitentia probè moniti, & huic Cœlum annuiſſe viſum, ut oſtendit exhibita viro religioſo ſpecies, ultima miſſionis illius die veluti pro laborum, & operæ benè impenſæ coronide.

Annua Societ. Anni 1650. 30. Novemb.

Cùm in regali paræcia poſt habitam concionem ab uno è Societate, cantari cœptæ eſſent Litaniæ, apparuit Dei Mater Aræ Principi inſidens, & cæleſti quadam luce circumfuſa. Hinc & inde SS. Ignatius, & Xaverius, & longè, latéque fuſa Angelorum corona, qui liquidò teſtabantur eximium quoddam, ac ſingulare gaudium, vel ex eo, quod potiſſimum octo diebus ultimis, animæ longè plurimæ à turbis, ac tumultu, perturbatæ à ſuis ſceleribus conſcientiæ, traductæ eſſent ad pacem, & tranquillitatem bonæ mentis, & ſibi benè conſciæ.

Porrò gaudii illius indicium fuit illud. Primò quod beati illi genii auditi ſint pulſare inſtrumenta muſica, & in aſſumpta ad ſcenam illam humana ſpecie, voces edere, & explicare in cantus longè ſuaviſſimos; deinde, quod & Dei Matri grates agere, & SS. Ignatio, & Xaverio applaudere, ea harmonia, vocumque cæleſtium concentu, quæ non homines tantùm, ſed & animantia, & rupes ipſas & ſaxa raperet.

Sacræ illius cantionis hoc erat argumentum.

Gaude, atque exulta, Cœli Angelorumque Regina, gaude & tu, ô Ignati, plaude & tu, ô Xaveri. Hæc enim tua laus, tua gloria, ô ſuprema terræ Cœlique Imperatrix.

Et veſtra quoque laus, veſtra & gloria ô Ignati, ô Xaveri, qui Reginæ noſtræ gaudetis amore, gaudetis & favore.

Gaudete porrò, gaudete & triumphate. Hæc ubi ad divam Matrem, Ignatium, Xaveriumque audiit dicere; tum ad Apoſtolicos illos Miſſionarios, & ſuorum Patrum æmulos, verſâ oratione, audiri accinere. Ite, ite læti, ite & alacres ad Animarum lucra avidi, ad earumdem ſpolia divites, ad laureas ite, ac triumphos, & Cœlo reddite quas Cœlo naſci voluit animas; aderunt illæ vobis in extrema brevioris ævi meta; aderimus, & ipſi earum tutelares, & Cœlo vos reddemus, & beatitati.

Et hæc inter ſolemnia cantica, inter feſtiva gaudia, cæleſtes illi genii: adeò verum illud conſcientiam bonam, eſſe *Gaudium Angelorum.*

A Cœlo, & cæleſtis aulæ incolis, iterùm in terras elabor, & D. Bernardum etiamnum in ſcriptis ſpirantem audio; fuit illi, eſtque etiam modo recta conſcientia, velut *Arca fœderis*, ex aliqua hujus, & illius conſenſione.

VII. Arca fœderis.

Primùm enim *Arca* erat intra velum, eoque tegebatur, & conſcientia quaſi velo quodam obtegitur, & mortalium oculis ſubducitur, ac latet uni Deo cognita, atque patens.

Erat *Arca* ex ligno *Setim*, hoc eſt imputribili, & conſcientia bona corruptioni minimè eſt obnoxia.

Erant in Arca tabulæ legis, & hinc dicta Arca teſtimonii; id eſt legis, quæ teſtis erat divinæ voluntatis, & Arca teſtamenti, id eſt fœderis, continebat enim legem, quæ erat conditio initi fœderis Deum inter, & Hebræos. Et in conſcientia bona inſcripta Dei Lex, cujus & ipſa cuſtos eſt fideliſſima.

Erat Arca inaurata intus, & foris, & bona conſcientia, intus dives, & præſtans auro puri in Deum amoris, & foris nitens exemplo bono, & actibus ab eadem charitate expreſſis.

Arcæ imminebat corona aurea, quæ decori eſſet, atque ornamento: & bonam conſcientiam manet cœleſtis corona triumphalis, corona beatitatis, quæ eam ab hac vita mortali excipiet atque ornabit æternos in annos.

Arcæ impendebat propitiatorium, & conſcientiæ bonæ propitium impendet Numen ejuſque favor & gratia nunquam non parata

Denique Arcam vallabant Cherubini vel ad præſidium, vel ad decus atque ornamentum; & conſcientiam æqui rectique tenacem circumvallant Angeli, vel ad tutelam, vel ad dignitatem atque majeſtatem. Ecce ut conſcientia bona, rectè audit *Arca fœderis*, *Arca teſtamenti*, à qua dum abit D. Bernardus

VIII. Theſaurus regius. ei etiam eſt *Theſaurus regius*. Habuit omnis retrò antiquitas, auri argentique theſauros, qui ſidem propè ſuperarent.

Romani, ex annuo tributo cenſebant univerſim centum quadraginta milliones auri. Et hinc in annum unicum congeſtus illis erat theſaurus. Longè major *Darii* Regis: huic erat *Cervical* ut aiebant *Regium*, ſive Conclave medio pariete diſtinctum, & in hoc quinque veluti lectuli, in quibus ſemper erant, *quinque millia talentorum auri, hoc eſt trigeſies ter millies mille, ſeptuagenties, quinquageſies mille coronati*, ſive Philippei noſtrates: nec hoc *Dario* ſatis. Accedebat *Scamnum*, ut aiebant *ſuppedaneum* Regia, ſive aliud conclave, è regione prioris trium lectorum, in quo aſſervabantur *tria millia talentorum argenti*, *hoc eſt decies octies centena millia coronatorum, ſeu Philippeorum.*

Et hic *Dario* Regi ſervatus continenter in gazis regiis theſaurus, quem etiam æſtimare poteris ex lytro quod Alexandro magno victori ſuo obtulit, tum pro matre, & duabus filiabus virginibus, tum etiam pro cæteris in bello captis.

Pro matre certè, & duabus filiabus ſuis Legatos ab Alexandrum miſit, atque ad eum in hæc verba.

Matrem & duas virgines filias redde, & pro tribus corporibus, triginta millia auri precatur accipias. Hoc eſt ducenties millies mille, vigeſies quinquies centena coronatorum, ſive Philippeorum millia.

Pro reliquis autem captivis *triginta millia talentorum argenti, hoc eſt decies octies, millies mille coronatorum, ſeu Philippeorum.*

Ecce immane lytrum, immane auri argentique

Curtius l. 5. hiſt. c. 26. pondus, ecce theſauri humana fide propè majores, niſi fidem facerent Authores nominati, quibus ſua fides eſt, ſua & authoritas.

Et hæc fuit profana Regum iſtorum opulentia, cui non ceſſit quæ Davidi Sacra fuit: Sacram appello, quia deſtinata ſacris uſibus, id eſt Dei Templo ædificando, quæ ut fidem rectam inveniat, evolvendæ nobis erunt ſacræ Paginæ, & Regum chronicon, ſive Paralipomenon Liber primus, Caput vigeſimum ſecundum, & vigeſimum nonum.

In hoc, & illo, authoritas divina teſtatur, à Rege Davide templo ædificando, præter ligna Cedrina, ferrum, æs, & gemmas miri valoris ac pretii, relicta centum & octo millia talenta auri, argenti verò decies centena, & ſeptuaginta millia. Quæ omnia auri, argentique, pœnè *ter millies, decies centena millia nummorum noſtratium aureorum conficiunt.* Ita Hieronymus Pradus Tomo. 1. in Ezechielem in Præfatione. Et Cornelius à lapide, qui hunc calculum ſubducens, ait, Salomoni à Davide relicta pro templi fabrica, *bis mille & quadringentos milliones auri.* Unum autem millionem vocat, decies centena aureorum millia.

Ecce theſauri propè immenſi, quibus tamen D. Bernardus, æquum eſſe cenſet; imò & ſuperiorem, qui à bona conſcientia, animæ relinquitur *Theſaurus regius.*

Ecquid enim aurum eſt? Ecquid argentum? Niſi terræ partus, cui caritas, & hominum opinio, pretium fecit. Ecquid ex hoc, & illo gazæ regiæ, niſi auri, argentique cumulus qui ad aliquos vitæ mortalis uſus ſervire poteſt, nec ultra ejuſdem limites? At qui à bona conſcientia eſt Theſaurus, Cœli fœtus eſt, & gratiæ partus, & Cœlo etiam valet emendo, atque in ipſam extenditur æternitatem, tantumque inter eum, & theſauros alios intereſt; Quantum Cœlum inter, & terram; tempus, & æternitatem.

Tranſeo ad aliam conſcientiæ bonæ notionem IX.

ea D. Bernardo dicitur *Aula Dei*, in qua quodammodo inambulet Deus, in qua veluti claudatur, & portetur ipſum Numen immenſum. Aula Dei.

De hoc ita D. Auguſtinus, *ſi potens eſt, qui mundo imperat, quàm beatus eſt, qui Deum in conſcientia portat.* Ecce conſcientiæ bonæ laxos ingenteſque ſinus, quibus capi, & portari poteſt Numen etiam immenſum.

Huic conſcientiæ appellationi affinis eſt ea, quæ X.

dicitur, *Habitaculum Spiritus Sancti.* Hic Spiritus Habitaculum Spirit.

eſt, in divinis *Amor*, & veluti nexus quidam Patris, Sancti.

& Filii, amatque puram mentem, & defœcatam conſcientiam, nulla, ne vel minima quadam aſperſam labecula. Hanc ſi invenerit, in ea ſedem figit: ſed amoris ſedem, ſed illibatæ puritatis: quam enim aliam, qui *Spiritus* eſt, qui *Sanctus* eſt: certè cùm Spiritus, nullum illi cum carne commercium; cùm *Sanctus*, nulla à vitio, culpáve contagio, ei eſſe poteſt, cui jungitur ille, etiam ut habitaculo tantum.

Venio ad poſtremam D. Bernardi de bona con- XI.

ſcientia nomenclaturam, ab hac illi eſt *liber*; ſed *ſig-* Liber ſignatus.

natus, & in hoc ævo breviore etiam *clauſus*, nec aperiendus niſi in decretorio illo divini judicii die, cùm ſcilicet & aperientur, & patebunt omnia, etiam ea, quæ prius clauſa, atque abſcondita.

Judicium ſedit, & libri aperti ſunt, inquiebat ore prophetico Daniel. At quinam illi?

Magna librorum varietas eſt, & tanta quanta & Dei, & hominum.

Dei libri ſunt duo, iique grandes, & à nemine unquam evolvendi.

Unus eſt *prædeſtinationis*, ſeu vitæ, qui omnium beatorum nomina complectitur, etiam ab æternitate.

Alter eſt *reprobationis*, ſive mortis, qui damnatorum omnium nomenclaturam habet.

Præter hos alii ſunt libri quorum unus, quivis hominum habet; de his arcanorum Scriptor, id eſt D. Joannes. *Libri aperti ſunt*, inquit, *& judicati* Apocal. c. 20.

ſunt mortui, ex his quæ ſcripta erant in libris, ſecundum v. 12.

opera ipſorum.

Hi libri in ſingulis hominibus ſunt propriæ ſingulorum conſcientiæ.

In Deo autem eſt omniſcientia, & memoria factorum cujuſque. Horum dum meminit S. Ephrem, Lib. de vera

ſic exclamat: pœnit. c. 4.

Formidabiles libri, in quibus ſcripta ſunt opera noſtra, & actus, & verba, & quæcumque egimus in hac vita? nec ſolum actus, ſed & cogitationes, & intentiones cordis.

Enimverò *formidabiles* libri, quia ampli, quia ſecretorum pleni: quia hactenus clauſi, atque occulti; quia demum aperti, atque patentes: nam in ſupremo judicii die, ita pandentur hi libri, ut & unus omnium, & unius conſcientiam pervideant omnes: denique quia ex his, & quidem ſolis ferenda à Deo judice vitæ vel mortis æternæ ſententia.

Et hinc mihi ducitur alia Conſcientiæ deſcriptio, quæ tam bonæ, quàm malæ communis eſt; ab hac dicitur *Theatrum*, in quo ſuas partes agit virtus omnis. XII.

Hinc fortitudo in adverſis, inde temperantia in proſ- Theatrum.

peris, ſpectator orbis tam inferior, quàm ſuperior, & in hoc cœleſtes Intelligentiæ, imò & Deus ipſe, qui geſtit videre, velut actorem animum, in conſcientia, ceu aperto liberoque theatro triumphantem.

Et hæ ſunt bonæ conſcientiæ partes: aliud menti malè ſibi conſciæ aperitur theatrum: in hoc ſeſe effundunt tot monſtra, quot peccata. Et hoc eſt, quod deploravit olim, & aculeato ut ſolet, ſtylo pupugit D. Hieronymus, dum ſic ad Marcellam.

Epiſt. 18. *Cùm ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditi ſimus, ex vitio noſtro perſonas nobis plurimas ſuperinducimus; & quomodo in theatralibus ſcenis, unus atque idem Hiſtrio, nunc Herculem robuſtus oſtendit, nunc mollis in venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem. Ita & nos tot habemus perſonarum ſimilitudines, quot peccata.*

Quamquam quid dixero, *perſonarum*; belluarum dicere debui, & verò ante me dixit Greveus Can-
Serm. 377. cellarius Pariſienſis, quo authore peccator, in hoc terræ, Cœlique theatro, tot beſtiarum facies aſſumit, quot peccatorum, & quidem ut ait *leonis per ſuperbiam, lupi per voracitatem, aſini per ſtoliditatem, vituli per laſciviam, tauri per extollentiam, pardi per hypocriſim, Simiæ per geſticulationem, Hienæ per crudelitatem, Erycii per aſperitatem, Orycis per pigritiam, Aſpidis per inobedientiam, Hirci per infamia fœtorem, Apri per iram, Porci per immunditiam, Canis per invidiam, Cameleonis per ſimulationem, Leporis per timiditatem, Serpentis per calliditatem, Vulpis per hæreſim, Cameli per gibboſitatem, id eſt divitiarum, & avaritiæ ſarcinam.*

Ecce quas in conſcientiæ theatrum facies producunt peccatores, quas larvas, quæ monſtra. Sed ne longius de his, aliisque plura paragrapho proximè ſequenti.

§. 5.

Quid ſit Conſcientia mala? Et quæ ab illa turbæ? Qui & tumultus?

Conſcientiæ malæ deſcriptio. CONſcientiam malam metaphoricis quibuſdam appellationibus, veluti totidem coloribus, depinxêre DD. Patres: ex iis præcipuas tibi reddam Amice Lector. Illæ primùm fidelibus ſubjicientur oculis, tum uti ſpero, evadent ad animos, eoſque commovebunt, vel amore bonæ conſcientiæ, vel timore malæ. Initium ducam à D. Bernardo.

Lib. de Conſcientia. *Is ubi hæc extulit. nihil in hac vita ſecurius, nihil jucundius poſſidetur bona conſcientia. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa tamen ſemper erit ſecura.*

Ubi, inquam, iſta protulit, tum & hæc ſubjicit: *Nulla pœna major eſt mala conſcientia. Omnium ſiquidem delictorum ipſa eſt teſtis, ipſa judex, ipſa tortor, ipſa carcer. Ipſa accuſat, ipſa damnat, ipſa punit.*

I. *Teſtis.* Primùm ènim conſcientia *teſtis* eſt, & quidem oculatus; imò & ipſe mentis oculus, vel ſi mavis, virga vigilans, atque oculata. Virga ut feriat, oculata ut non aberret. Eſſe porrò teſtem oculatum; imò & ipſum oculum, declarat ille ipſe D. Bernardus, qui ſic ad Eugenium:

Lib. 5. de Conſid. *Nullus moleſtior oculus, ſuo cujuſque, non eſt aſpectus, quem tenebroſa conſcientia ſuffugere magis velit, minus poſſit.* Qui enim poſſet? Quis oculum? Quis aſpectum ſui fugiat, niſi & ſeipſum fugiat. Eſt ille tibi tam intimus, quàm tu ipſe tibi. Si ergo teipſum fugere non potes, nec oculum tui teſtem.

Ubi porro teſtis fuerit, ubi accuſarit ut *teſtis*, erit & *judex*, & damnabit ut *judex*.

II. *Judex.* Finge tibi reum aliquem, & quidem capitis, evocatur ille in curiam, ducitur ad judicem: quis illi animus, quæ mens, quæ cogitatio? Quis in vultu rubor? Quis pallor in ore? Quis in animo tremor? Pallet, rubet, tremit, horret, & propè exanimatur, vel ad ſolum judicis conſpectum.

Et ita palleat, rubeat, tremat, horreat atque exanimetur eſt neceſſe ad conſcientiæ ſuæ etiam ſolius conſpectum: nam & hæc judex eſt, & ſeverus
III. *Tortor.* quidem, atque inexorabilis. Amplius dico, & Tortor eſt.

D. Chryſoſtomus, qui animo, & cogitatione divitis epulonis conſcientiam ſubiiſſe viſus erat, ſic de iis, quæ in illa perviderat.

Explica mihi illius conſcientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, metum, tempeſtatem, turbationem. Videbis velut in Curia, mentem ante thronum conſcientiæ conſcendiſſe regalem, & tanquam judicem ſedentem, & cogitationes loco carnificum, adhibentem in equuleo, ſuſpendentem, lateraque conſcientiæ radentem ungulis. *Conc. 1. de Lazaro.* Ecce ut ſibi ipſi carnifex eſt conſcientia malè ſibi conſcia. Nec carnifex tantum;

IV. *Carcer.* ſed & *Carcer*. Ecce pœnam, ecce carceres, ecce in his manicas, & compedes, quibus tenetur arctius.

Vidiſti ſubinde reum aliquem in obſcuro ergaſtulo, & quod humanitatis fuit, ingemuiſti; & meritò, ecquid enim homini libero gravius eſt, carcere? Eſt hic ſervitutis domus, eſt ſupplicii locus; imò & ſibi ipſi ſupplicium eſt, quandoque etiam ipſa morte gravius; hominem enim privat aura liberiore, privat & uſura lucis, quæ communis eſt omnibus, etiam muſcis, etiam araneis; privat & libertate, quæ nobis innata, quæ & pro vita: nec enim vivit, qui captivus eſt; ſed lentè moritur: nec moritur tamen; ſed vivit ut ſæpiùs moriatur in dies, in horas, in momenta propè omnia.

Carcerem Tertullianus appellavit *domum diaboli*, ex eo quòd plerumque illuc trahantur homines ſcelerati. Quod ſi is domus eſt diaboli; multò magis illius domus erit ſcelerata conſcientia: certè domus erit, ergaſtulum erit, carcer erit mali dæmonis, quo quid horribilius dici poſſit, non video.

Deſcendo ad alias ejuſdem malæ conſcientiæ notiones. V. *Vermis.*

Eccleſiaſtico, hoc eſt ſapienti, vermis eſt, *vindicta carnis impii, ignis & vermis.* *Cap. 7. v. 19.*

Vermis, inquit, D. Thomas *eſt conſcientiæ remorſus, qui dicitur vermis in quantum oritur ex putredine peccati, & animam affligit, arrodit, exedit.*

Vermis eſt, ait Ambroſius, *eo quòd irrationabilia animæ peccata mentem rei, ſenſumque compungunt, & quadam exedunt viſcera conſcientiæ, quæ tanquam vermes, ex unoquoque naſcuntur, tanquam ex corpore peccatoris.*

Reus peccati homo abjecit ſe quodammodo ad belluas, & animantia bruta, infecit ſe infami, pudendaque putredine: quid mirum ſi ex ea naſcatur vermis, id eſt conſcientia, quæ eum rodat, exedatque.

Poëtæ in docta commenta faciles effinxerant vulturem, qui Titii jecur tenaci dente roderet, nec tamen penitus arroderet, de quo extat illud Virgilii:

Nec non & Tithyon, terra omnipotentis alumnum,
Cernere erat, per tota novem cui jugera corpus *Lib. 6. Æneid.*
Porrigitur, roſtroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens, fœcundaque pœnis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Hæc eſt fabellæ ſeries, hæc imago Titii, ex qua ad inſtitutum noſtrum iſta traducit Macrobius: *Vulturem*, inquit, *immortale jecur rodentem nihil aliud intelligi voluerunt, quàm tormenta malæ conſcientiæ obnoxia flagitio viſcera interiora rimantis, & ipſa vitalia indefeſſa admiſſi ſceleris admonitione lanıantis, ſemperque curas, ſi quieſcere fortè tentarint, excitantis, tanquam fibris renaſcentibus inhærendo, nec ulla ſibi miſeratione parcentis, lege hac, quâ ſe judice nemo nocens abſolvitur, nec de ſe ſuam vitare poteſt ſententiam.*

Nimirum ſevera lex conſcientiæ, qua abſolvitur nemo, damnantur omnes.

Crudeles morſus, qui vel ipſa animæ depaſcantur viſcera.

Tenaces morſus, qui ferali dente, ita rodunt, ut arrodant nunquam: nempe in ſua ſupplicia, perennesque pœnas, ſemper renaſci videtur conſcientiæ vermis, ut verum ſit illud Salvatoris optimi, *Vermis eorum non moritur.* *Marc. c. 9.*

Ab hoc verme, dum ſibi malè timet, cavetque S. *Olympius* Abbas, ſpecum elegit circa Iordanem, eamque

que apertam, atque patentem, tum ut ſolis æſtu, atque ardore laceraretur totus, tum vel maximè, ut culicum aculeis conficeretur.

Cauſam rogatus, & ſedis illius incommodæ, & ſpontanei tormenti, reſpondit non tantum æquo animo; ſed & libenti id ferre, ut ſervaret ſe indemnem à verme conſcientiæ, qui & vivos & mortuos depaſcitur, adeo hic illi odio, fuit, atque horrori.

VI. Flagrum. D. Chryſoſtomo, conſcientia prava flagellum eſt, quo diu, noctuque vapulat, atque contunditur, quiſquis eſt peccati conſcius.

Scortator, inquit, *adulter, aut fur, non modo cum accuſatur ipſe, verùm etiam cum audit alios eadem auſos accuſari, ipſe videtur flagris cadi, alius quidem vocatur in jus, hic verò flagellatur.*

Nimirum conſcientia eſt illi veluti domeſticus carnifex, ſub cujus manu & flagellis gemit, & hoc quidem ſine requie, & ſine ulla intermiſſione: adeo verum illud Romani Sapientis, *Conſcientia ante peccatum frænum: poſt peccatum eſt flagrum*: quod pœnæ genus ut continuum, ſic & peracerbum: ut enim è Poëtis unus aliquis, quid acerbius quàm

Nocte dieq; ſuum geſtare in pectore teſtem
Occultum, quatiente animo tortore flagellum.

VII. Equuleus. D. Auguſtino conſcientia admiſſi ſceleris rea, eſt menti pro equuleo.

Sævitia mortalium, inquit Seneca, *commenta eſt equuleos, cruces, uncum & tunicam alimentis ignium illitam, aliaq; id genus; vel torquendo reo, vel exprimenda per vim veritate.* Neque his opus peccatori; utpote cui ipſa conſcientia eſt pro equuleo, cruce, unco, tunica, & aliis ejuſmodi crudelis lanienæ inſtrumentis; quæ ſunt illi pro equuleo.

Benè habet, ſi in eo ſeſe ſpontè ſuſpendat quiſquis eſt reus: erit illi, non tam pro ſupplicio, quàm pro peccati remedio: quod & ſuadet, probatque ille ipſe Hipponenſis Præſul: illum audiamus, ſic enim animum peccati conſcium compellat.

Nihil tibi dixit de te conſcientia? Si nolis negare, utique dixit; nolo audire quid dixerit, tu judica quod audiſti. Dixit de te quid feceris, quid acceperis, quid peccaveris. Vellem ſcire qualem ſententiam protuliſti, ſi benè audiſti, ſi rectè audiſti, ſi in audiendo te juſtus fuiſti, ſi tuæ mentis tribunal aſcendiſti, ſi teipſum ante ipſam in equuleo cordis ſuſpendiſti, ſi graves tortores adhibuiſti timoris.

Benè audiſti, ſi ſic audiſti, & procul dubio pænitendo peccatum puniſti.

Hactenus S. Antiſtes, quo authore, *conſcientia eſt cordis equuleus.* Si in eo ſpontè ſuſpenditur reus animus, bonum omninò factum; ſin autem invitè, non erit ad veniam; ſed ad pœnam. Ne porrò ad hunc eſſe velis adhibe pro tortore *Timorem*, ſed timorem Dei, erit ille non ſolùm pro tortore: ſed & pro medico utque ſit, urget, inſtatque D. Auguſtinus, à quo diſcedo, ut tranſeam etiam ad profanos. His depravata conſcientia eſt pro domeſticis furiis. audi Romanum Oratorem. Sic ille

VIII. Domeſticæ furiæ. quondam in oratione, quam habuit pro *Roſcio Amerino.*

Nolite mirari, quemadmodum in fabulis, ſæpenumero videtis eos, qui aliquid impiè ſceleratéque commiſerint, agitari, & perterreri furiarum tædis ardentibus; ſua quemque fraus, & ſuus terror maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaq; afficit, ſuæ malæ cogitationes conſcientiaq; terrent.

Hæc ubi, ea qua valet facundia, extulit, tum è pulpito, pronuntiat illud quod veriſſimum & longa ſæculorum omnium experientia, probatum eſt.

Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ. Ne multis chartam onerem, uno, alteróve exemplo, contentus ero.

Unum dabit *Gallus Cæſar*, qui cum Conſtantio imperabat. Hic paulò antequam ab eo necaretur noctu agitatus fuit terroribus larvarum ex multorum homicidiorum, quæ patrarat conſcientia. ita de illo Ammianus Marcellus.

Inter hæc, inquit, per inducias naturæ conquieſcentis, ſauciabantur ejus ſenſus circumſtridentium terrore larvarum, interfectorumque catervæ, correptum eum in ſomnis, uncis furialibus, objectabant. *Lib. 14. Hiſtor.*

Quod illi, hoc & *Neroni*, poſt homines natos crudeliſſimo, de quo, ita Suetonius poſt occiſam matrem.

Neque ſceleris conſcientiam, quanquam & militum, & Senatus, populique gratulationibus confirmaretur aut ſtatim, aut unquam, poſtea ferre potuit; ſæpè confeſſus exagitari ſe materna ſpecie, verberibus furiarum, ac tædis ardentibus, quæ ſi extinguerentur cum vita, reæ conſcientiæ benè eſſet; at neque cum illa extinguuntur, ſed accenduntur magis, & durant in ævum omne, etiam quod horreas, quod expaveſcas apud ipſos inferos: nec mirum, cùm *infernus quidam ſit rea conſcientia*, ut verè D. IX.
Bernardus, & quia infernus eſt, eum ſecum trahit Infernus.
nocens, etiam ad inferos. Primò quia eodem ſe trahit.

Quæſivit aliquando D. Auguſtinus. *ſeipſum quo fugiturus eſt homo?* Et reſpondit *quocumque fugerit, ſe, talem trahit poſt ſe, & quocumque talem traxerit ſe, cruciat ſe.* *In Pſal. 45.*

Secundò, quia ſcelus unà cum ſeipſo trahit, adeoque & tormentum: *ſceleris* enim in *ſcelere ſupplicium eſt*, ut diſertè Seneca, *& prima & maxima, peccantium eſt pœna, peccaſſe.*

Tertiò, quia ut in inferno nullum eſt ſolatium, nullum perfugium, nulla requies, nullæ feriæ: ſic nec erit ab inferno conſcientiæ. Unde enim huic ſolatium? A rebus conditis? Nullum. A conditore? Etiam nullum. Ad quem perfugium? Ad Deum? Hoſtis eſt. Ad cœlites? Offenſi ſunt. Ad ſocios? Augebunt illi cruciatum. A delitiis, & voluptatibus, nullæ ibi ſunt nec verò eſſe poſſunt.

Unde requies? Unde & feriæ? Conſcientia (ut hic dum vivimus infernus ſit) habet tamen & requiem & ferias ſuas. Subinde enim conſcientiæ lanienam, & morſus, nonnihil diſtinemus, & arte fallimus, aut certè delinimus, nunc legendo, nunc colloquendo, nunc laborando, nunc hilarius commeſſando, nunc etiam huc illuc commigrando; & ſaltem dormiendo, eos languores fallimus, & tantiſper declinamus. At ubi, cùm ſeipſa conſcientiæ ſuæ infernum mens damnata ad inferos detruſerit, nulla erunt amplius quietis intervalla, interſpirationes nullæ, non ſomnus, non quies, lectio nulla, colloquium nullum, commeſſationes nullæ, peregrinatio nulla, conſolatio nulla, in tota quanta erit æternitate, ea conſcientiæ vipera laniatum pectus undique perrodet.

Poſtremum, in quo infernus, & conſcientia mala conveniunt, eſt iſtud, quod ſicuti in illo damnatis X.
eſt & mors vivens, & *vita* ſemper *moriens*; ita Mors vivẽs,
vivis etiam in hac. Et inde illæ D. Bernardi voces, & vita mo-
& ille timor, quem ſic expreſſit. riens.

Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem, horreo incidere in manus mortis viventis & vitæ morientis. Hæc eſt ſecunda mors, quæ nunquam peroccidit, ſed ſemper occidit.

Ita D. Bernarde, à conſcientia verme, eſt mors vivens, & vita moriens.

Hæc porrò mors, & hæc vita, adeo gravis eſt, ut inventi ſint plures, qui ultrò mortem atram per extrema ſupplicia ſibi accerſiverint, pertæſi illius & vitæ & mortis, quæ erit è mala conſcientia.

Ita Valencenis, urbe Belgica & nobili, vir quidam non infimæ notæ, ſe ultrò judicibus ſtitit, ultrò in vincula venit, & mortem à carnificis ferro invenit, ut conſcientiæ *mortem* ſemper *viventem*, & *vitam* ſemper *morientem*, evitaret. *Annuæ Societ.*

Hic cùm alterius conjugem deperiret, illius virum è medio ſuſtulerat, ut ea liberiùs poriretur. Res erat occulta, tectum facinus, nec notum niſi immortalibus. At reo uni notum, & hoc plus ſatis ad laniænam, ad mortem viventem, & vitam morientem. Hujus certè impatiens, judices adit, reum ſe ſatetur, & homicidii, & adulterii. Quid deinde? Primum eſt habitus ut amens, & mentis impos, ut qui infamiam, & mortem infamem ſibi ultrò accerſeret, quam alii tantoperè averſantur, & fugiunt; deinde cùm non dubia daret perpetratæ cædis argumenta, capitis damnatus eſt, addiditque ad fidem commiſſi ſceleris, eſſe in urbe fœminam ejuſdem ſecum, & cædis, & adulterii conſciam, atque participem, quam niſi manifeſtaret, ſcire ſe illam in ejuſdem ſceleris conſcientiâ permanſuram, atque ita futurum fuiſſe ſaſſa eſt, cùm aſſeruit, bis, terve ad ſacerdotem ſe acceſſiſſe, hujus noxiæ confitendæ gratia: ſed irrito ſemper eventu; victa enim pudore, quod latebat, ſcelus reticebat. Societatis noſtræ Patres, utriusque ſupplicio interfuerunt, atque ad mortem piè oppetendam inſtruxerunt.

Epiſt. 97. Ita nimirum, ut Senecæ verbis utar: *Hic conſentiamus oportet mala facinora conſcientiâ flagellari, & plurimum illi tormentorum eſſe, eò quòd perpetua illam ſollicitudo urget, ac verberat. Et hoc ipſum argumentum eſt, naturâ nos à ſcelere abhorrere, quod nulli non etiam inter tuta timor eſt: multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? Quia infixa nobis ejus rei averſio eſt, quam natura damnavit. Ideo nunquam fides latendi fit, etiam latentibus; Quia coarguit illos conſcientia, & ipſos ſibi oſtendit.*

Et ita coarguebat illum, cujus jam memini, & ipſum ſibi oſtendebat, & quia ſic, & coarguebat, & oſtendebat, ideò, & cruciabat quàm maximè, & longè plus ipſa morte per extrema ſupplicia aliquando exprimenda.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

De tribus Aſſeclis malæ Conſcientiæ: Timore, Dolore, Pudore.

ANtiquum illud, & longè veriſſimum, *Mali corvi malum ovum.* Et malæ conſcientiæ partus peſſimi. Ex his unus eſt *Timor*, cui nihil tutum, ſecurum nihil. Alter eſt dolor, qui mentem à ſcelere corruptam invadit, atque lancinat. Poſtremus eſt pudor, qui faciem rubore tingit, & animum pudenda & noxia verecundia ſuffundit. De hoc, & illis pauca.

§. 1. DE TIMORE.

Ad illa Sapientis verba: *Cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis, ſemper enim præſumit ſæva perturbata conſcientia.* Cap. 17. verſ. 10.

Quis ille Timor, & quantus?

HIc injici poteſt primùm ea quæſtio, quid ſit timor? tum à mala conſcientia quantus?

Ariſtoteli, *Timor eſt expectatio mali*, & inter cæteros animi motus, ferè magis obtinet rationem paſſionis; imò eſt ſpecialis paſſio

Ciceroni, *Timor eſt metus mali impendentis.* Quis porrò ſit ille? & quantus, patebit ex iis quæ ſubjiciemus.

Inter bonam, & malam conſcientiam hoc intereſt; quod illa ubique ſit ſua, ſit libera, ſit tranquilla, ſibi enim illa imperat & paſſionibus, ſibi Rex eſt & ſuis: è contrario hæc nullibi ſua, nullibi libera, nullibi ſecura, quod bellè expreſſit Seneca in Thyeſte, ubi ſic canit:

Rex eſt qui poſuit metus.
Et diri mala pectoris
Mens, Regnum bona poſſidet.
Rex eſt qui metuit nihil,
Hoc regnum ſibi quiſque dat.

Pulchrè, *Hoc regnum ſibi quiſque dat*, à bona ſcilicet conſcientia; à qua & bonæ menti regnum eſt & ſumma ac beata tranquillitas, ut contra à mala conſcientia miſerabilis ſervitus, metus, pavor, tremor: ut enim ille ipſe Seneca:

Scelerum ſibi conſcius cuncta expaveſcit, ſeq; non credit ſibi, qui enim crederet, cùm ipſe ſibi hoſtis, ipſe accuſator, ipſe judex, ipſe ſit tortor, à quo hoc primum tormentum. *Timor?* quis enim alius ſceleratam mentem invadat, quis occupet prius? *Cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis.*

Rectè timida, pavida, tremula eſt omnis nequitia; ſeu eam furti eſſe voles & rapinæ, ſeu homicidii & cædis, ſeu adulterii, ſeu aliam quamvis.

Et hunc timorem, pavorem, tremoremque graphicè deſcribit D. Chryſoſtomus in adulteris, ut ex illis, de aliis omnibus facilè ſit judicium: ſic enim de illis:

Timor undeque, ac tremor, ſuſpicio & anxietas angulos metuit, umbras ipſas formidat, ſuos ipſius famulos, conſcios, inſcios, illam ipſam quam corrupit, & virum quem affecit contumelia: cujus rationem hanc reddit: Hom. 1. de Lazaro de divite conſcientia.

Obambulat amarum accuſatorem, circumferens conſcientiam, cùm ſit ſuo ipſius judicio damnatus, nec vel ad breve tempus poſſit reſpirare. Qui enim poſſit? cum *ſemper præſumat ſæva, perturbata conſcientia*: hoc eſt ut alii vertunt, *nequitia conſtricta, coarctata*, compreſſa à conſcientia, in eum ferè modum, quo reus à laqueo conſtringitur, dum ſtrangulatur & ſuffocatur. Simili profectò ratione conſcientia, & nequitiam ipſam, & hominem nequam conſtringit, coarctatum angit, ſtrangulat; quæ res exemplis erit illuſtrior, quàm verbis.

Ea repetemus ab ipſa naſcentis mundi infantia, & ab hac etiam ad ætates alias deducemus.

Orbis hic aſpectabilis, adhuc erat in cunis, nec ſciebat quid eſſet timere, didicit magiſtra conſcientia, & quidem ſuo malo.

Erat Adam in Paradiſo Terreſtri, voluptatis ſede, aperta, permiſſaque illi omnia, fructus omnes obvii & liciti, ſi unam arborem excepiſſes, è qua quid decerpere illi nefas: quid deinde? decerpſit, comedit, atque in ſcelus ruit: quid tum? adeſt illicò vindex Deus, Paradiſo inambulat, & quærit, *Adam, Adam ubi es?* ecquid ille: *Vocem tuam audivi in Paradiſo, & timui.* Gen. c. 3. v. 10.

Unde timet? unde & timere doctus? ſuavis erat, amica, paternaque vox Dei, Paradiſus erat ſedes amoris, domus voluptatis ac delitiarum, nec in eo ullus accuſator auditus, nec ſeverus objurgator, nec rigidior judex, tantumque ad aures appulerant binæ illæ, mollesque voculæ. *Adam Adam ubi es?* non ibi irarum fulmina, non tonitrua verborum, non minæ truces, non intentata ſupplicia, non ignes, non cruces, non ferrum, non vincula: Horum omnium nihil. Et tamen timet, fugit, & abſcondit ſe, quaſi jam jam fulmine percutiendus. Quæ timoris cauſa? quæ ratio fugæ tam præcipitis? cur & quæſitæ illæ latebræ: illum audiamus.

Hanc certè prætexuit, *quia nudus eram.* Ecquid illud? nunquid & antea nudus? nunquid & nudus à prima ſui creatione? Enimverò toto corpore nudus: ſed jam animo nudus, nudus ab innocentia, nudus à gratia & ſcelere, ceu infernali ſago malè tectus: Falleris ergò, falleris ô Adam, non quia nudus eras, ideò timuiſti, ideò & fugiſti, teque abſcondiſti; ſed quia peccator eras, & jam eum te conſcientia timida accuſabat, arguebat, damnabatque.

Quare, dic ais, inquiebat D. Chryſoſtomus, *quare timuit Adam? quoniam videbat ſibi trucem ſtare accuſatorem (conſcientiam dico) neque enim alium objurgatorem habebat, & teſtem peccatorum, ſed unicum illum, quem intrinſecùs circumferebat.* Ab illo timere doctus, docti & poſteri omnes, non alia magiſtra, quàm timida conſcientia.

Hom. 17.

Exemplo erit Cain, qui ſecundus ab Adamo peccavit. Vix terra ab Abelis ſanguine rubuerat, cùm & ipſe infamis fratricida erubuit, expalluit, & contremuit totus, ac fugit.

Sed cur tremit? Et fugit? Quis enim urgebat hoſtis? Unus erat in orbe Adamus, iſque pater, una & erat Æva, eaque nimium quàm blanda mater, quis ab hac, aut illo metus? Omninò nullus: cur igitur fugit? Et à quo fugit?

Fugit enimverò à terra, quæ conſcia erat tam infandæ cædis, quæ innocente ſanguine jam tum erubeſcebat. Fugit à voce ſanguinis, quæ de terra clamabat in Cœlum. Fugit à ſeipſo, & timet. Quia *proprium eſt nocentium trepidare*, fugit perturbata conſcientia, cujus arma, vimque potentem horret.

Seneca Ep. 94.

At quo fugit? In plagam Orientalem *Eden*, hoc eſt (Interprete D. Hieronymo) terram inſtabilem, & fluctuantem: quæ enim potius impio pede calcari terique debuit? Tremulus erat pes, tremula, & conſcientia, ab illa & ſolum ipſum tremere, & quodammodo nutare illi videbatur: non nutabat tamen; ſed id vitii ſibi fingebat reus innoxii ſanguinis animus, quem ut in tuto reponeret, ædificavit deinde civitatem, cujus vallo ſeipſe cingeret, cujus muro ſe tueretur.

Sed errabat improvidus, & nimium quantum errabat. Hoſtem, qui exteinſecus eſt, excludere, atque arcere potuit à ſuis mœnibus; at qui intrinſecus latebat, qui in animæ penetralibus habitabat, expelli omninò non potuit. Ab illo perennes & truces minæ, & vis ſemper parata: ſicque inteſtino ac domeſtico tumultu, belloque turbata, ac perturbata omnia, & quamvis foris eſſet alta pax, domi tamen erat acre bellum, & hoc quia *ſemper præſumit ſæva perturbata conſcientia.* Et ea Cain fuit, de qua ſic D. Ambroſius.

Cùm adhuc à Domino pœna ceſſaret, torquebat eum ſuorum conſcientia peccatorum. Latebat miſer, tremens, & timens, & cùm adhuc percuſſor deeſſet, ipſa ſeſe injuſti vita cruciabat. Acceperat ſignum, ne eum aliquis occideret, non ut vita ſuavitate frueretur: ſed ne mors auferret ærumnam; meruerat quidem ut percuſſor inhiberetur: ſed ſine ulla intermiſſione, ipſe ſibi ſuus carnifex erat, ipſe percuſſor, & hoc quidem à timore, & tremore perenni; qui illi erat pro carnifice, pro percuſſore.

In Pſal. 31.

Ea nimirum in ſcelere, ſceleris eſt pœna, eaque triplex, de qua diſertè Seneca, cui hæc.

Prima, & maxima peccantium pœna eſt peccaſſe. Altera quod nec ullum ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur, ac vindicet, impunitum eſt, quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt.

Epiſt. 97.

Et hæc Seneca judice, prima eſt pœna, quam ut ait *ſecunda pœna, premunt ac ſequuntur*, videlicet, *timere ſemper, & expaveſcere & ſecuritati diffidere.*

Hujus porrò & timoris, & pavoris, & diffidentiæ rationem, modumque ſubjicit, & ſic ait *conſcientia. Aliud agere non patitur: ac ſubinde reſpicere ad ſe cogit. Dat pœnas quiſquis expectat. Quiſquis autem meruit expectat.*

Tutum aliqua res in mala conſcientia præſtat, nulla ſecurum. Putat enim, etiamſi non deprehendatur, poſſe deprehendi, & inter ſomnos movetur, & quoties alicujus ſcelus loquitur, de ſuo cogitat, non ſatis illi obliteratum videtur, non ſatis tectum. Hæc ubi protulit de cauſa timoris illius ac diffidentiæ: tum illud effert, velut è tripode oraculum: *Nocens habuit aliquando latendi fortunam, non experientiam.*

Epiſt. 105.

Experientiam appello, propè Sæculorum omnium etiam in altiſſima fortuna, etiam in purpura & ſceptro.

De *Domitiano* Imperatore, deque ejus continuo timore, & violentæ mortis metu, ita Suetonius: Cap. 14.

Tempore, inquit, *ſuſpecti periculi appropinquante, ſollicitior in dies, porticuum, in quibus ſpatiari conſueverat, parietes phengite lapide diſtinxit, è cujus ſplendore per imagines quidquid à tergo fieret, provideret; at non ſatis providit, impio enim, nulla ſatis eſt humana providentia.*

In ſolenti faſtu Deum ſe appellari voluerat *Domitianus*, Chriſtianos ferro, & flamma è medio ſuſtulerat. quid deinde? Poſt tot, ac tanta, tamque immania flagitia.

Primò ingenti timore, pavoreque percuſſus, deinde & ſuorum, etiam amicorum odio. Denique & violenta morte, à ſuis ſublatus eſt.

Ita ſceleratis nihil ſatis cautum, nihil impunitum. Et ut daremus impunitum eſſe, atque à cæde, ac vulnere immune, at nunquam à timore, metuve.

Exemplo erunt etiam in diademate Reges, ac Tyranni, quos dum cruciat, ulcerata conſcientia, atque ex ea malorum impendentium metus, ſtulta ac ridenda mortalibus providentia ſibi malè cautum voluere.

Maſaniſſa Rex parum fidei in pectoribus hominum reponens, ſalutem ſuam cuſtodia canum vallavit, nec tamen ab ea cuſtodia ſecurus, & metu vacuus; terrebat ille quidem ſuos, ſed & à ſuis terrebatur magis: adeo verum illud Poëtæ antiquioris.

Qui terret, plus ipſe timet, ſors iſta Tyrannis convenit

Et ea convenit *Dionyſio, Syracuſanorum tyranno*, cujus metum inſolentem deſcribit Orator Romanus.

Quin etiam ne tonſori collum committeret, tondere filias ſuas docuit. Ita ſordido, ancillarique artificio, Regiæ Virgines, & tonſtriculæ tondebant barbam, & capillum Patris.

Et tamen ab iis ipſis, cùm jam eſſent adultæ, ferrum removit, inſtituitque, ut candentium juglandium putaminibus barbam ſibi, & capillum adurerent. Cumque duas uxores haberet, haberet Ariſtomachen civem ſuam: Doridem autem Locrenſem, ſic noctu ad eas ventitabat, ut omnia ſpecularetur, & perſcrutaretur ante. Et cùm foſſam latam cubicularii lectulo circumdediſſet, ejuſque foſſæ tranſitum ponticulo ligneo conjunxiſſet: eum ipſum, cùm fores cubiculi clauſerat, detorquebat. Idemque cùm in communibus ſuggeſtis conſiſtere non auderet, concionari ex alta turri ſolebat.

Et hæc de Dionyſio Tyranno, qui totus erat in metu, quia totus in ſceleribus, à quibus etiam timida illi conſcientia.

Ne eodem timore labores, Amice Lector, paucis oſtendo, quis in Sapientem, quis & in te cadere debeat: erit ille duplex, unus tui ipſius, alter Dei.

De illo ſic Thales Mileſius, unus è Sapientibus Græciæ, apud Auſonium.

Turpe quid auſurus, te ſine teſte, time.

Hoc fuit Sapientis effatum, cui conſonat & iſtud dictum Pytagoræ, inter cujus aurea carmina hæc leguntur.

Quod turpe eſt, neque cum alio, neque privatim facies, omnium verò maximè metue teipſum. Metue deinde, & Deum: probè doctus ex illo Chriſti oraculo.

Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam: ac ſi manifeſtius dicat, inquit D. Bernardus, *hunc timete, ne illos timeatis. Repleat vos ſpiritus timoris Domini, & timor alienus locum non habebit in vobis.* Matth. c. 10. v. 28.

Serm. 13 in Pſal. Qui habitat.

Alienum appellat timorem; qui eſt ab homine; alienum & ego dixero, qui eſt à perverſa conſcientia: quia etſi domeſticus, alienus tamen à ratione, à

Deo,

Deo, à bona conſcientia, quam ſectari debet quiſquis eſt homo, id eſt compos rationis. In illa quietem inveniet, in illa & pacem ac tranquillitatem; quidquid demum extrinſecus appellat mali: ut enim diſertè Seneca.

Conſcientia etiam obruta delectat, quæ concioni, ac famæ reclamat, & in ſe omnia reponit, & cum ingentem ex altera parte turbam contra ſententiam aſpexit, non numerat ſuffragia, ſed una ſententia vincit. Si verò bonam fidem perfidiæ ſupplicio affici videt, non deſcendit è faſtigio; ſed ſupra pœnam conſiſtit. Et ita conſiſtas oportet, mi Lector: conſiſtes autem ſi in te *omnia reponas*, ſi una conſcientiæ *ſententia vincas*.

§. 2. DE DOLORE.

Ad illa verba: *Ecce parturiit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Pſalm. 7. verſ. 15.

Quis ille dolor, & quantus?

HIc primùm incurrit ea quæſtio, quid ſit dolor, tum ecquis ille & quantus, qui ſceleratæ menti inſidet?

Quid dolor? Dolor Philoſopho dicitur *ſenſus aliquis præſentis mali.*

Latino Oratori, eſt *ægritudo crucians.* Ea porrò ægritudo alia eſt atque alia, & hinc aliæ atque aliæ doloris ſpecies, vel quaſi ſpecies, quas longo ordine recenſet.

Quàm varius? *Angor eſt ægritudo premens.*

Luctus, eſt ægritudo ex ejus, qui carus fuerit interitu acerbo.

Mœror, eſt ægritudo flebilis.

Tuſcul. quæſt. l. 4. *Ærumna, eſt ægritudo laborioſa.*

Dolor, eſt ægritudo crucians.

Lamentatio, ægritudo cum ejulatu.

Sollicitudo, ægritudo cum cogitatione.

Moleſtia, ægritudo permanens.

Afflictatio, ægritudo cum vexatione corporis.

Deſperatio, ægritudo ſine ulla rerum expectatione meliorum.

Ita Ciceroni varius eſt, & multiplex dolor.

1. 2. Qu. 35. art. 1. D. Thomæ Aquinati; *Dolor eſt paſſio animæ in appetitu ſenſitivo, vel intellectivo.*

Dicitur autem lingua Latia, *Dolor* à dolando; eſt autem dolare, vel edolare, idem atque minuere, quod eſt fabrorum, cùm ſcilicet materiæ complanatur aſperitas, cùm & ipſa minuitur. Et ita, ſumpta inde metaphora; ut lætitia augentur corpora, ita dolore minuuntur, atque edolantur.

Hebraica lingua, dolor audit *Dedbak*, à verbo *Daab*, id eſt tabuit, atque elanguit: ſicque dolor eſt tabes quædam, & languor animi, ſub illius mole quaſi ſatiſcentis.

Quantus autem ſit ille in ulcerata à peccato conſcientia, aperient eæ quæ ſequuntur pagellæ, aperiet & ipſe Regius Vates, qui ſic aliquando de illo:

Pſal. 7. v. 15. *Ecce parturiit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.*

Hic videtur præpoſterus ordo, & quædam Hyſterologia; eſt enim prius natura concipere, tum parturire, ſive eniti; denique parere, ut hunc nodum ſolvat D. Hieronymus, ita vertit: *Ecce parturiit injuſtitiam, poſtquam concepit dolorem, & peperit iniquitatem.*

Sicque prior fuit conceptio doloris, tum parturitio injuſtitiæ, denique partus iniquitatis.

Euthymius aliter hunc nodum diſſolvit. Illi enim parturitio injuſtitiæ, eſt prima cogitatio ejuſdem, ad quam illicò ſequitur doloris conceptio, tum partus iniquitatis, quæ ut ſit, à voluntate ſit, oportet, vel ut alii, injuſtitia, cum animo & cogitatione habetur, veluti parturitur; cùm autem conſenſu & voluntate admittitur, tum verò concipitur; denique cum opere expletur, tum in lucem editur.

Et hæc paucis, pro ea, quæ eſt Authorum inter ſe pugna, in qua id notari velim, quod ad rem meam facit vel maximè, quod pro ea vocula, *concepit dolorem*, Hebraicè legitur *Hamal*, id eſt peccatum: quaſi idem omninò ſit, *peccatum & dolor*, idem partus peccati, & doloris.

Quo poſito, hic inquiro, quis & quantus ſit ille dolor? Verbulo abſolvo, quantus & parturientis; imò & major.

Appello D. Chryſoſtomi fidem, atque authoritatem in illa ipſa Davidis verba. *Ecce parturiit injuſtitiam, & concepit dolorem.*

Quemadmodum, inquit, *mulieres parturientes à doloribus diſcerpuntur, ita etiam, qui fecit dolum, diſcerpitur, & non levi aliquo, ſed vehementiſſimo dolore afficitur.*

Hæc S. Præſul, qui deinde oſtendit quantum interſit inter dolores parturientis, & peccatoris.

Primùm cùm mulier concipit, nullum percipit dolorem: ſed potius aliquem voluptatis ſenſum.

Deinde, neque cùm uterum geſtat incurrit ferè dolor aliquis: ſed in ipſo tantum partu eæ ſentiuntur anguſtiæ, in quo longè melior eſt ſors parturientis, quam peccatoris. Hic enim prius concipit dolorem, quàm injuſtitiam parturiat. *Quia hic dolor*, inquit, *eſt à principio; ſimul enim ac quiſquam de malo conſultavit, tumultus eſt, & turba in cogitatione:* & hinc acer ſenſus doloris: ſuæ illius propoſitionis teſtem appellat *Achabum*, qui priuſquam vineam raperet, de ea vel tantùm cogitans, ingenti dolore excruciabatur. De eo excipe ſcripturæ ſacræ ſenſum, & verba:

Venit in domum ſuam, indignans, & frendens 3. Reg. c. 21. v. 4.

Ecce ægritudo quanta, quantus & angor animi. Et projiciens ſe in lectulum ſuum, avertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem.

Ecce ægritudo quanta, quantus & mœror animi, quanta & ærumna, quanta & ſollicitudo, quanta & moleſtia, quanta & corpuſculi afflictatio: non enim *comedit panem*, non guſtavit quicquam. Quod ſi tantus dolor, vel à meditato tantùm ſcelere, quantus à concepto, quantus ab edito? Tantus certè, quantus & parturientis; imò & major. Indignatur enim animo, dentibus frendet, & ſtridet, abjicit ſe in lectulum quaſi ſatiſcens ſub immani pondere doloris. Avertit faciem ſuam ad parietem, fortè ne pallor veniat in aliorum oculos, ne manantes per ora lacrymæ. Et non comedit panem; in ſe, & corpuſculum ſævit impatiens doloris. Juvat de illo iterum audire quid Orator aureus.

Conſidera, inquit, *cùm ille vineam concupiviſſet*, quantum dolorem ſenſerit. Et cauſam ſubdit:

Quoniam conſcientia non ferebat ſententiam: ingreſſus triſtis, humi procumbens, confuſus, vel ipſo aſpectu præ ſe ferens conſcientiæ condemnationem.

Ecce primum, in quo dolor peccatoris major eſt dolore parturientis. Alterum eſt, quod hic brevis ſit, ſuperinfuſo deinde gaudio ita miteſcat, atque eluatur totus; ut ne illius quidem memoria ſupereſſe videatur.

Teſtor primæ veritatis oraculum, ita habet: *Mulier cùm parit triſtitiam habet: at cùm peperit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.*

At res ſe aliter habet à peccati partu. Vix enim hic in auras evaſit; vix primam lucem vidit, cùm ingens oritur dolor, acres ſtimuli, perennes anguſtiæ, nec finem inventuræ, niſi cum partu. Diceres doloris eſſe fœtum, non peccati.

Quod ſi in hoc concipiendo aliquis fuiſſe videatur voluptatis æſtus, mox ea extincta, *amaræ pœnitentia*

Conc. 4. de Lazaro. *tentia fletus ſuccedit, contra quam evenire ſolet parturientibus*, ut diſertè D. Chryſoſtomus.

Cauſam illius hanc reddit, D. Ambroſius, *quia dum in quadam ſumus delinquendi libidine, nebulis quibuſdam conſcientia mens obducitur, ne videat eorum, quæ concupiſcit deformitatem: ſed cùm omnis nebula tranſierit gravia tormenta exercentur in quodam malæ conſcientiæ ſecretario.* Lib. 2. de Abraham c. 4.

Ecce dolorem, ecce gravem ab illo lanienam, & hæc quidem, non foris; ſed intus; non in publico; ſed in ſecretario conſcientiæ.

Demus aliqua illius exempla ex antiquitate petita ad poſterorum bonum. Fuerat olim *Flaccus* Præſes magnæ Alexandriæ, Principis urbium, Ægypto Præfectus, Provinciæ feliciſſimæ, in qua primum expertus erat fortunam ut matrem; dein ut novercam; ſed ſuo vitio, dum enim in ea præfectura iniquius, quàm par eſſet, ſe gerit, in Andrum Inſulam eſt relegatus; eam dum appelleret, ita dicitur allocutus.

Quomodo vocabo hanc Inſulam? Exiliúmne, an novam patriam? An portum? An refugium miſerum? Sepulchri nomen maximè convenit: ſiquidem infelix ego meipſe quodammodo in ſepulchrum infero.

Ecce qui parturiit injuſtitiam, ut concipit dolorem: eum ipſe aperuit in ea Inſula, ac veluti proſcenio, ac miſeriarum ſuarum theatro, excipiamus & ipſi illius æſtus, atque angores, non meis verbis, ſed mutuata Philonis Judæi eloquentia: ſic ille, hujus ore, calamoque.

Adeo trepidabat infelix Flaccus, ut non aliter, quàm
Lib. in Flaccum. *inſanus proſiliret, ac ultrò, citroq; diſcurreret, manus complodens, femora percutiens, humi ſe affigens, & clamitans. Interemi quoſdam, interiment me alii, me connivente quidam lapidibus ſunt obruti, quidam vivi combuſti, quidam raptati per forum medium; donec fruſtratim lacerarentur.*

Hæc ubi extimulante conſcientia de ſuis ipſe ſceleribus, tum & iſta. *Horum facinerum pœnæ me manent, ſat ſcio, & dira jam ſtant tanquam in carceribus, ut obice rupto properent in meam perniciem: imò jam in beras premorior, multas mortes ſuſtinens, ante ultimam.*

Ecce mœrorem, ecce ærumnam, ecce dolorem, ecce ſollicitudinem, malæ utique conſcientiæ, malos partus, de quibus aliiſque ita deinde Hiſtoricus.

Atque ita ſæpe territabatur horrore quatiente membra omnia, animo quoque contremiſcente, anheloq; pectore, quandoquidem ſpes eum deſtituebat, unica vitæ mortalis addita conſolatio.

Ecce deſperationem, quæ doloris eſt ſummum. *Nullum unquam ſolicito felix oblatum eſt auſpicium, rumores adverſi afferebantur, moleſtis vigiliis ſomni ſuccedebant turbidi.*

Et hæc Philo de impetu doloris, quem injuſto Præſidi inferebat mala conſcientia, cujus impatiens ipſe *Flaccus* exclamât, amenti & deſperabundo ſimilis:

Quouſque tandem ferreus durabo in tot caſibus? ſcio me molliorem, quàm ut mihi mortem conſciſcam: nimirum hoc quoque vetat meum genius, ne citò abrumpam vitam miſeram, ut malum dilatum cumulet, ineatq; apud injuſtè per me necatos uberiorem gratiam. Talia revolvens animo, trepidus expectabat finem fatalem; inquit Hiſtoricus. Quem enim alium expectet, cui à ſcelerata conſcientia tantus incubat dolor, mœrorque, ſed antiqua, inquies, ſunt iſta, & ipſo ſæculorum lapſu detrita, demus aliud, quod noſtra vidit ætas, & ingemuit.

Crombecius in libro, cui titulum fecit de ſtudio perfectionis, hæc memorat.

Annis ab hinc non multis, vir imprimis locuples, ſcelus admiſerat, quod prodere, & in aures confeſſarii deponere, morte pejus, & damnatione ducebat.

Agitabat interea hominem verſabatque conſcientia, & ad peccati virus evomendum acriter extimulabat: quid deinde?

Fortè Antuerpiæ inaudierat, neminem teneri ea peccata confiteri, quæ memoria exciderant.

Hanc ergò doctrinam tegendo ſceleri opportunam ratus, nihil non eſt molitus, ut ſcelus illud voluntaria oblivione ſepeliret.

Ivit per omnia voluptatum genera, miſerandæ oblivionis venator, & aliis atque aliis criminibus ſeſe implicuit, peccata peccatis accumulans, vel ut antiquum illud, eorum quaſi mole tegeret obrueretque, vel ut novis conſcientiæ tumultibus, vetus ille tumultus, & mordicans animi cura, quaſi clavus clavo pelleretur. Sed in vanum abiere omnia, quò enim impenſius ſopire, atque extinguere conatur, eò excitatur inflammaturque vehementius, malumque in conſcientia ſævit magis.

Quid igitur agat? Quóve ſe vertat?

Equum parat, conſcendit, excedit domo, quaſi ſeipſum una cum conſcientiæ morſu relicturus in Belgio: ſed poſt equitem ſedet atra cura.

Venit in exteras regiones, maria tranat, & ſolum, Cœlumque mutat: ſed & veriſſimum experitur illud, *Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.* Secum ipſe miſer trahit comitem conſcientiam, & ſeipſum etiam extra Patriæ fines invenit, nec, ut maximè velit, deponere poteſt.

Quid igitur? Aliò vertit conſilia. Animum fluctuantem, ad ſtudia appellit, iiſque potiſſimum ſcientiis incumbit, quæ totum hominem rapiunt, ſibique aſtringunt arctius, cujus generis, ſunt Mathematicæ, Aſtrologica, & his affines diſciplinæ, ut dum iis occupatur animus, alia ab illis omnia procul eſſe faciat; ſed & hic conatus incaſſum cecidit.

Audit tandem peccata contritione deleri, & eleëmoſynis redimi; & ad has, atque illam velut ad anchoram confugit, ſi fortè iſtis ſiſtat, temperetque tumultuantes animi impetus, crudelemque conſcientiæ lanienam. Tum etiam dormit in cinere, & cilicio, vino abſtinet, corpus jejuniis macerat, ſtipem pauperibus erogat liberalius, ut eâ vel ſcelus admiſſum redimat, vel eapiet.

Bonum omninò factum: ſed neque tamen hoc atrox vulnus ſanari potuit, neque inſitus animæ dolor mitigari. Hæret infixa menti lætalis arundo.

Quid ultra moliatur? Quò conſilia flectat? Qua in ſtatione, quóve in portu turbida illa fluentis animi jactatio conquieſcat? Non alio credit, quàm in violentæ mortis portu; quàm in occaſu infelicis ævi, etiam per laqueum quæſito. Ecce deſperatio, Barathrum malorum: in hoc venit, in hoc delabitur, miſellus homo: jam enim ad extrema redactus, & certus mori, ſibi violentas manus apparat nocte proximè ſequenti, malo ſuo, ac dolori, ut credebat, finem inventurus.

Rhedam igitur conſcendit, domum (à qua tum fortaſſe abierat, & in qua ſibi funeſtæ tragediæ locum deſignarat) citatis equis repetit. Spectabat abeuntem, imò celeri quadriga ad meditatum ſcelus, ac fata provolantem; ſpectabat, inquam, divinæ mentis oculus; qui et omnibus invigilet, maximè tamen miſeris, ac deſperabundis, ut ſuccurrat, ut levet.

Quid deinde? Occurrit de viâ è Patribus Societatis unus aliquis, quem ex rhedâ conſpicatus, rogat, ut currum conſcenderet, vincitque recuſantem importunitate.

Aſſumptus in Rhedam Pater, ut tempus piè, ac religiosè falleret, de Deo, divinisque rebus ſermonem injecit, atque inter cætera ad confeſſionem delapſus eſt.

Tetigit ea hominis ulcus, qui ſtomachabundus. Quid ais, inquit, unde me noſti? Cui pater. Enimverò non novi, nec uſquam antehac te vidi: ſed nos ex inſtituto, moreque noſtro ejuſmodi ſermones

miſcere ſolemus, ne aliis minus utilibus diem teramus. Boni igitur conſule, nec mirere ejuſmodi à me dicta; niſi fortè ſit aliquid, in quo te juverim, quod libens facturus ſum.

Cui ille, Juveris, inquit; ſed quid ſi confiteri renuam?

Subodoratus pater, quod erat, ratusque cedendum eſſe tempori, pio dolo hominem capit, ſpondetque ſe ſine confeſſione remedium malo allaturum.

Ad hoc reſpirat ille, conditionem arripit, atque ad acerba quæque ſe abjicit, dum illam conſcientiæ ſuæ carnificinam exuere poſſit.

Ergo pater medicinam facere adorſus, ſimul atque domum appulit, jubet epulum inſtrui, monetque ſe totum eo veſpere hilaritati dedat, egebat nimirum, ea medicina, à dolore, ac mœrore languens animus, ac propè dejectus, maximè ea nocte, quæ illi futura aliàs erat decretoria; mandat deinde ut quieti, & ſomno pluſculum concedat, dum ipſe pro illo vigil. Paret ille, & benè monentem audit, atque obaudit in omnibus.

Poſtridie puncta quædam piæ commentationi proponit, eaque maximè, quæ fiduciam in Deum excitent: tum examen conſcientiæ præſcribit, non quidem ut confiteatur (ab hoc enim penitus abhorrebat) ſed eò tantum ut peccata in memoriam revocet, & de ſingulis doleat: tum in proximum nemus educit, auram, ut aiebat, liberiorem hauſurus, tum etiam rogat, num benè conſcientiam excuſſerit, & ne quid fortè excidiſſet, ſciſcitatur ex illo quædam, & ſenſim ſine ſenſu ad facinora atrociora delabitur, tandemque bono Numine, illud ipſum, quod angebat, ſcelus attingit.

Hic perturbari viſus eſt miſer, & quodam horrore concuti, tum à ſe quaſi alienus exclamare. Et illud, inquit, illud eſt triſte, infandum, horrendum, quod eloqui non audeo. Tum pater, benè eſt, inquit, jam confeſſus es, neque pluribus opus, niſi ut cætera, quæ leviora ſunt prodas. Fecit, prodidit, & onere illo, doloreque levatus eſt.

Ut eo etiam leveris ipſe quiſquis in eadem es cymba, & eandem tuæ conſcientiæ lanienam pateris, age, conſcientiam excute, excute & ſcelus, quo inficeris, & tabeſcis.

Celebre quondam illud ſapientis fœminæ, quæ cenſuit, & dixit, *dolorem apud illos libenter manere, à quibus alitur, & fovetur.* A mala conſcientia alitur, & fovetur dolor: illam depone & hunc quoque eodem momento depoſueris: at neque hunc, neque illam depones niſi ſalutari pœnitentia.

Fotion l. de Ira.

Canunt illud Poëtæ, & celebrant, lutum ex quo Prometheus hominem effinxit, non maceraſſe aqua: ſed lacrymis. Ut innuant dolorem homini adnatum eſſe, jam inde ab origine: & veriſſimum, quia ab hac eadem adnatum eſt peccatum, quod certè non eluetur niſi pœnitentiæ lacrymis, his macerari debet homo, & reddi primæ origini, hoc eſt primæ innocentiæ, & rectæ rationi.

Themiſtius apud Stobæum.

Quæſivit aliquando Epictetus, quomodo eſſet expellendus dolor? Et reſpondit. *Rationem eſſe pro doloris remedio apud eum, qui Virtutis eſſet cultor.* Et rectè. Quiſquis enim virtutem colit doloris eſt expers, quia expers & peccati, unde & dolor.

§. 3.

Ad illa verba: *Operiantur confuſione, & pudore.* Pſalm. 70. verſ. 13.

Quis ille pudor, & quantus?

PUdor, Ariſtoteli, *eſt timor juſtæ vituperationis.* Stoïcis, *pudor, eſt metus infamiæ.*

Differt pudor à verecundia; quod *pudor* ſit rei turpiter actæ: *verecundia* autem, etiam rectè facti, honeſti. Ut & *rubor*, qui Demoſtheni *virtutis eſt color*: arguit enim bonam indolem, non item *pallor.*

Et hæc paucis pro notione illius voculæ *pudor*, de quo quæro quantus ſit à mala conſcientia?

Fuit illud Davidis votum, aut potius juſtæ maledictionis fulmen in eos, qui ſibi maledica lingua detraxiſſent. Illos optavit, illos voluit *confuſione, & pudore*, ceu veſte tegi; ſed veſte pudenda, quæ illis eſſet pro omni ſupplicio. Et ſanè hic *pudor*, audeo dicere, pro graviſſimo eſt tormento.

Fidem faciet hiſtoria, non quidem recens; ſed antiqua ab authore neoterico deſcripta, & à Petro D. Oultremanno relata, quam reddo eadem fide, quâ ab illis accepi.

Hiſtor. Orient.

Aſiæ Rex, cui nomen *Elenabau*, vir miti planè ingenio, & totus ad miſericordiam factus, inter venandum, fortè incurrit in infantulam recens a matre (verius noverca) inclementer abjectam: nudam omninò, ſed in paucis formoſam, niſi quod à capite ad calcem horribili & putente lepra tegeretur.

Ad primum illius aſpectum, ſeu quoddam naturæ aberrantis monſtrum ea horruerunt aulici, & averſo ab ea vultu, jam inde celeri equo ſe proripere parabant, niſi Rex vetuiſſet, qui illis nequicquam diſſuadentibus, ex equo deſiliit, & puellam lacrymabundam ſuis ipſe manibus à terra extulit: tum etiam in regiam deferri voluit, regiè educari, & medicorum curæ atque induſtriæ committi, atque inprimis commendari; quod & factum ſedulò. Habentur conſultationes, explicantur & nova & antiqua medicorum monumenta, & alia ex aliis remedia proferuntur: at illorum judicio fruſtra omnia. Sententia fuit nonniſi infantis alterius ſanguine à lepra ſanari poſſe; utpote quæ illi eſſet adnata, non deforis hauſta.

Ad id medicamenti genus, cohorruere omnes, & velut à natura, à ratione alienum duxere; utpote inhumanum, crudele, barbarum. Rex unus probare, & enimverò etiam velle? imò (quod mireris, & horreas, & fortè etiam damnes) è filii ſui unigeniti venulis ita prodigè ſanguinem elici juſſit, ut eo propè vacuus infans Regius poſt paucos dies expirarit; non ſine totius Regni ſtupore, mœrore, lachrymis.

Vivit interea, valetque puellula, ſibi & valetudini eainde reddita, etiam regio ſanguine, regioque balneo. Viventem porrò, ac valentem Rex ipſe deperit, adoptat in filiam, & Regni ſui hæredem ſcribit; ac deinde uni è conſanguineis ſuis, & Aulicorum facilè Principi deſpondet.

Quid deinceps illa? ſuæ originis immemor, immemor & ſui, aditæque regiæ dignitatis, & propinquitate regii ſanguinis, imò & coronæ ac ſceptri, & quod graviſſimum erat, ipſius Regia non natura, ſed gratia ac beneficio jam parentis: immemor inquam illius, & ſui, poſito omni pudore, poſito & metu, poſito & amore, ſubulco, bubulco, & viliſſimis id genus hominibus ſe proſtituit.

Et hoc primum, infameque facinus, à quo dum Regis iras timet, & juſtas minas pœnasque, ſeſe proripit ex aula, atque ad vicinum Principem, juratum Patris ſui hoſtem confugit, ſuiſque apud eum ſtudiis, atque machinationibus mirum quantum damni infert & Regno, & Regi.

Verùm, ut ſontem ſequitur à tergo Deus, ſequitur & culpam vindex pœna, tandem à miniſtris regiis intercepta, catenis vincta, & arctiori cuſtodiæ tradita, à qua mox de illius capite agi cœptum.

Convenere Iudices, & ream mortis pronuntiavere omnes; crimen enim erat in aperto: at ſupplicii genus non item. Et inde itum in diverſas ſententias, dum hi patibulo appendi volunt ob infamia latrocinia, illi rotæ ob cruentas civium cædes affigi: alii ignibus tradi atque incendiis ob adulteria; nonnulli equis hinc & inde actis diſcerpi ob crimen læſæ

majeſta-

majeſtatis ac perduellionis. Et hæc judicum de genere ſupplicii pugna fuit, nec magna, dum hi illud, iſti aliud ſcelus juſtitiæ trutina expendunt.

Ex his unus fuit, qui ut ætate ac veneranda canitie aliis præſtabat; ſic & authoritate, tulit hanc ſententiam ab omnibus aliis abhorrentem; imò ſpecie tenus, etiam à ratione atque æquitate alienam, tantùm non ridiculam, iis ſaltem, qui illius momentum, ac latens myſterium minimè penetraſſent, fuit autem ea ejuſmodi, ut Regi ac Patri ſiſteretur rea, ejuſque vultum fixis aliquamdiu oculis intueri juberetur.

Res ad regem delata, qui & ipſe huic ſententiæ ſubſcripſit. Adeſt igitur ſtata die horaque tot criminum rea, in quam pater primùm invehi cœpit ob immania facinora: tum eorum ſeriem benè longam texere, tum collata à ſe quondam beneficia commemorare, tum etiam ingratitudinem exprobrare.

Quid hic puella? primò Pudore ſuffundi, dein in ſingultus ire ac ſuſpiria, crebroſque de pectore anhelitus; denique in uberes lacrymas effundi.

Interea tamen & tacet, & oculos quâ poteſt deprimit, & terræ affigit. Loquebantur enim lacrymæ, & altùm clamabant ſuſpiria, quibus ubi pluſculum datum eſt, jubetur caput erigere, oculos attollere, atque in Regis, modò judicis ſui, faciem defigere.

Paret illa; ſed ecce illicò frontem pudor, genas & ora pallor occupat, metus animum, artus omnes tremor invadit, & mentem horror, & vitam ipſam repentinum deliquium eripit atque extorquet: Concidit enim ipſa ad Regis pedes. Tantum potuit vel unus conſpectus Patris: ex eoque natus pudor, dolorque, qui ſanè illi pro ſupplicio fuit; imò gravior omni ſupplicio: & hoc fuit quod prudenti ſanè judicio cenſuerat, ac decreverat è judicibus ſenior ille, cujus initio memini: imò quod plerumque decernit, vel ipſum è Cœlo Numen.

Multis, iiſque graviſſimis ſceleribus obnoxii tenebantur *Ninivitæ*, quibus & terras infecerant, & Cœlum ipſum in vindictam provocarant. Quid illis vindex Deus? quave parte ſeſe in pœnas effundet? excipe ore, calamoque Vatis. *Ecce ego ad te*, dicit,
Nahum c. 3. v. 5. *Dominus exercituum, & revelabo pudenda tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam & projiciam ſuper te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum.*

Ecce longam à divina manu flagellorum ſeriem, quam incipit tamen à *pudore*, utpote primo ac potiſſimo conſcientiæ malæ flagello.

Revelabo, inquit, *pudenda tua*, & hoc quidem in *facie tua*, ut vel inde augeatur pudor.

Et oſtendam gentibus nuditatem tuam, quæ & pudorem augeat, pudenda quippe nuditas; & *regnis ignominiam tuam*, quæ & horrorem incutiat.

At quænam illa *pudenda*? Ne corporis crede: etſi enim hæc revelari pudor vetet; at longè magis animi pudenda, id eſt occultas ſordes, & peccati ſpurcitias, quas Syrmate longo tegebant, & aurea veſte. Illa, inquit, illa conſcientiæ inquinatæ *pudenda revelabo*, & omnium expo nam oculis; uti & *nuditatem tuam*: non eam ſolùm, quæ eſt carnis (quamquam & hæc pudenda) ſed multò magis animi, qui à bono opere, à gratia nudus, adeoque & Angelis, & ipſi Deo, deſpectui, odio, horrori.

Ecce ut hoc flagello pudoris vapulant *Ninivitæ*. Ut illi; ſic deinde & alii. Flagitioſi erant Babylonii; jamque implerant peccatorum ſuorum menſuram, cùm hæc illis Cœlo Vindice Iſaias.

Revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum.
Cap. 47. v. 3.

Tenebatur David duorum criminum reus, & quà adulterio, quà homicidio regium animum, thronumque fœderat. Quid illi Deo judice Propheta
2. Reg. c. 12. v. 12. Nathan? *Tu feciſti abſconditè. Ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis.*

Ecce ut primas regiæ pœnæ partes dat pudori: nec mirum, quia & primas dat ipſa rei conſcientia.

Appello ad ipſam naſcentis orbis infantiam. Ea vidit *Adamum*, & *Evam*, & quidem in primævæ innocentiæ floſculo; in quo neſciebat, quid eſſet pudor, & quid pudenda nuditas: ſed ſtatim, atque abiit ab illo felici ſtatu ſenſit nuditatis ſuæ opprobrium, Deo quippe quærenti *Adam*, *Adam ubi es?* Reſpondit frigidum illud. *Timui, & abſcondi me.*

Ecce *timor*. Ecce *pudor* primi malæ conſcientiæ partus. Benè habet, ſi tam hic, quàm ille ſit ad peccati remedium, optimè ſi etiam ad ſalutem: ſed ſubinde, neque ad hanc facit, neque ad illud; imò tam huic, quàm illi noxius eſt. Facit enim ut peccator pudenda tegat, & animi nuditatem luto graviore commaculet; dum enim pudore victus crimen celat, novo ſe crimine inficit, atque obruit. Et hic pudor pravæ conſcientiæ fœtus eſt longè peſſimus.

Apud *Itatinos* Indiarum populos, matronæ nobili acceſſerat puella, non illic nata, ſed olim calamitate belli ex aliqua finitimarum gentium regione illuc tracta, quæ in ancillam aſſumpta, & ſacro deinde baptiſmi fonte eluta, *Catharina* nomen accepit. Hæc pudoris prodiga laſcivis clanculum adoleſcentibus ſeſe primùm indulſit, tum cavit ſedulò, ne ullum horum flagitiorum indicium in ſua confeſſione extaret. Quin etiam ſolita procaciter illudere, atque ad fidas familiarium conſervarum aures talia inſuſurrare. O hominem ſimplicem (confeſſarium intelligebat) qui ſe admittendum in arcanorum meorum intima ſperarit. Fruſtrà ille me crebris interrogatiunculis ſcrutans vellicavit, alias quærat, tam fatuas, quæ ſe illi penitus committant. Ego tacendorum, & dicendorum diſcrimen ſcio. Hæc illa petulanti joco.

Poſt paucos menſes, occupat eam morbus, iſque gravis, & periculoſus, & oportunus ſanè monitor, ſi audiſſet.

Evocatur ab hera ſacerdos, ad ægram adducitur, monetur de purgando per homologeſin animo. Facit illa tunc quoque, ut ſolebat, & capitalia celans, levia perfunctoriè narrat, & hoc iterum, iterumque durante morbo, qui dum abit in longum, novies infelix iſto ſacrilegio ſe polluit, etiam ſubinde, quas prius retuli, ſacerdotis illuſi procaces traductiones iterans ad conſervas, quarum una religioſior, dominæ rem aperiendam putavit.

Percuſſit, ut par erat, pium matronæ animum ſcelus, & iſtius animulæ periculum. Accurrit, monet, urget, ut quod habet in conſcientia, fidenter prodat, etſi pudendum illud. Sed fruſtra.

Adeſt una è mulieribus familiæ, cui Catharinæ nequitia omnis propè nota. Narrat illa, quæ noverat, etiam pudenda, nec diffitetur ægra: ſed addit etiamnum pertinax illud. *Nunquam ſe ſacerdoti iſta narraturam.*

Ingraveſcit interea morbus, accenditur febris, calet, æſtuat, & furiis agitatur tota, cùm horrenda viſu contorſione, à qua ſenſibus & quieti paululum reddita, narrat dominæ ſua dedecora, à quibus ſacerdoti prodendis ſe deterreri aiebat, à quodam ſibi ad lævam aſtante torvæ frontis ſpectro: incitari contra ad ea confeſſario aperienda à muliere ſplendida, quæ à dextris adeſſet planè ſimili tabulæ in templo expoſitæ Sanctam *Magdalenam* referente.

Hic enimverò bona matrona in hortationes vehementiùs incumbere, monere, urgere, hortari, imò ut pudorem noxium excuteret, ſacerdoti jam ad lectulum aſtanti enarrare hæc, & hæc, quæ *Catharina* in confeſſione reticuiſſet, & quæ nunc ipſi erat faſſa.

Ad quæ infelix obſtinatione ſe involvens ſua, manifeſtè renuit, imò ſacerdotem de his celatum velle ſe dixit.

Hic omnia conari, omnes minis blanditias adjungere, intentare cruciatus inferorum, ignis æternitatem oſtentare, paradiſi delitias, confeſſionis facilitatem ad vitanda tormenta, ad delitias promerendas. Denique nihil non agere, ut ruentem in ipſo præcipitio ſiſterent: ſed tundebant incudem, & incude duriorem animam.

Omnia eludebat præfracta muliercula, non ſolùm petulanter: ſed & impiè, oblata illi Crucifixi effigies ad venerationem, & hanc contemptim rejecit, neſcire eum, quis eſſet, blaſphemans.

Interea ſuas partes agit indulgens Numen, volens ſervare pereuntem, & arcanis ſtimulis excitantis gratiæ ita pungit rebellem animum, ut in has etiam erumpat voces.

Me miſeram! cur pereo? Cur ſcelera non confiteor? Ad has voces exciti domeſtici accurrunt, rogantque numquid ſacerdotem vocari vellet. Redit illa ad nugas ſolitas, atque ad dicta impia revolvitur; deinde nocte concubia iterum it in horrendos clamores, & cum ingenti ejulatu.

Heu me, inquit, *quantum crucior, quàm horribiliter pœnas luo temeratæ confeſſionis.* Et hæc fuere miſerentis Cœli beneficia; quæ ſequentur irati Numinis. Poſt has voces diriguit tota, nullum in tactu, nullum in pulſu vitæ indicium. Expiraſſe crediderunt omnes.

Poſt horas omninò ſeptem inopinatiſſimè apertis oculis cœpit ululare neſcio quid inconditum. Adeſt Hera & blandè, *Catharina*, inquit, *jam tandem ſapere incipe.* Expectat te Deus.

Annuere viſæ ſacerdos ſiſtitur. Fruſtra ut ſemper, nullum ægra remiſſæ contumaciæ indicium dabat. Interim mortis propinquæ dum extant indicia, accenditur ſacer cereus, monetur ut ſumat, & JESUM invocet. Illa torvùm intuens, *tollite*, inquit, *iſtum* JESUM, *nihil mihi cum illo eſt*, ſimulque toto corpore avertens ſe in lectuli angulum, ibique ſeſſim conſurgens, confabulari cum quodam audita: Sed alia ancilla in eodem conclavi languens, terribiles ſe formas circa *Catharinam* videre clamabat. In his poſito capite, ſontem animam meretricula pervicax expuit.

Fœdiſſimum autem viſu cadaver, odorem repentè tam tetrum exhalavit, ut non expectata luce (nam nox erat) ejiciendum in ſubdiale atrium fuerit; quod deinde, cùm ad ſepulturam componeretur, erexit ſe in ſedentis modum, & terrore conſternatas abegit Præficas. Et hic primus ab illa terror: alii deinde, atque alii à mortuæ manibus ſequuti, alia, atque alia ſpectra, quæ & domum totam, & vicina etiam loca diu inquietarunt; & quæ volens omitto, ne æquo longior ſim. Ea videri poterunt in hiſtoria Societatis edita; à P. Petro Poſſino, ex quo hæc ſumpſi.

Parte 5. l. 10. num. 26.

Verùm, ut iſta omittam; at tacere non poſſum noviſſimam damnatæ apparitionem. Cùm domus infeſtatione ſæva inquieta eſſet, ad illius cuſtodiam relictæ erant tres mulieres ætate majores, & virtute ſpectabiles: ex his uni *Catharina* apparuit horribili ſpecie, & cincta flammis, quæ ex cunctis ejus membris per globos erumpere videbantur. Corpus cæterà nudum, faſcia quadam veluti ferri candentis cingebatur, lata, & variis gyris artus amplexa oſque ad imos talos: accedere ad ſe propiùs *Catharina* cùm juberet fœminam, huic dubitanti, & terrore nimio vix ſui compoti, juvenis veſte candida, placidoque vultu (bonus haud dubiè genius) ſe videndum obtulit, & *ſta*, inquit, animo, ac monſtrum hoc conſpice, tum quod loquetur, audi, mox aliis narratura. Senſit ſe fœmina confirmatam, & erigere os in *Catharinam* auſa, atque conſpuere, clarè audivit; cùm diceret ſe æternis incendiis addictam, quòd ſuam ſacerdoti impudicitiam fateri noluiſſet, juſſam ſe ac perinvitam id modò prodere, ut ſua pernicie alii ſapiant. Dixit & ſimul videri, ſimul & loqui deſiit, ſimul etiam & domum infeſtare.

Spectaſti, benevole Lector, in hoc actu tragico, quàm noxius depravatæ conſcientiæ pudor: ſpecta porrò, & ab illo tibi etiam cave.

Quod ſi animum invadat occupetque pudor, ſit ille, qui ſit pro peccati remedio, ſit & ſaluti.

Et is aliquando fuit adoleſcenti, de quo *Cæſarius*. erat is multis onuſtus ſceleribus, quæ cùm ſacra exhomologeſi eluere tandem ſtatuiſſet, jamque ad confeſſarii pedes abjectus eſſet, derepentè ſic exhorruit, ut ne verbum eloqui poſſet, nimirum & animum tenebat horror, & pudor linguam illigabat, ne informes illos, atque infames malæ conſcientiæ partus ederet.

Hærebat in equuleo, tormentoque pudoris, & licet dolor animum in gemitus, oculos in lacrymas ſolviſſet, linguam tamen quaſi vinculis quibuſdam aſtrictam retinebat pudor. Quid igitur conſilii? Quid remedii? Quod lingua eloqui non audebat, manus ſcribere non erubuit. Scripſit ergo, & in charta longam contexuit peccatorum ſuorum ſeriem, eamque tremula manu confeſſario obtulit, quam ille cùm evolvere vellet eraſam conſpexit. Tanta vis ingenui pudoris, tanta & doloris, animam eluit hic, ubi illi benè jungitur.

§. 4.

DE EXAMINE CONSCIENTIÆ.

Ad illa verba: *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in teſtimonia tua.* Pſal. 118.

HÆc Regius Vates. *Cogitavi*, inquit, hoc eſt attentè, & seriò; non curſim, & per tranſennam, recogitavi, relegique vias meas, id eſt actiones omnes meas, quas inivi veloti totidem vias quæ ducunt ad æternitatem; *& converti pedes meos*, id eſt affectus & ſtudia mea accuratè diſcuſſi, ut intelligerem, an cum teſtimoniis; hoc eſt lege tua, convenirent. Hæc olim ſibi Regum maximus, & Vatum longè ſanctiſſimus, quæ etiamnum tibi; imò & omnibus, Amice Lector, velim eſſe inprimis commendata, ut cogitent illi, & recogitent vias ſuas, id eſt omnia, ſeu cogitata, ſeu dicta, ſeu etiam facta, vocent ad conſcientiæ tribunal, ibi per otium examinanda, atque diſcutienda: utque velint etiam ipſi,

Primò ſuadebitur illud exemplo atque authoritate, etiam profanorum.

SI Stobæo habenda fides, qui primus omnium homines edocuit, quotidie ſeipſos ad conſcientiæ tribunal citare, fuit *Phocylides*, cujus exemplum, ſecutus deinde *Pythagoras*, atque ex hoc Pythagoræi in illius ſchola probè docti; ſic enim ipſi ante ſomnum in ſeipſos quodammodo deſcendere, atque ex ſe quærere ſoliti. *Serm. 6.*

Quid ſum transgreſſus? Quid feci? Quid, quod non oportebat, perfeci. His non abſimilia ex ſe quærere *Pyrrhon* Philoſophus. Hic cùm ab amicis aliquando eſſet auditus, multa ſecum loqui, rogatuſque ecquid agitaret animo? Ecquid & voce? Reſpondit. *Ego examino, ego ex me quæro, quâ ratione poſſim fieri melior.*

Quod ille, hoc eſt *Publius Sextius*, de quo magnificè Seneca, cujus hoc effatum, dignum cedro.

Animus quotidie ad rationem vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, ut conſummato die, cùm ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum. Quod hodie malum tuum ſanaſti? Cui vitio obſtitiſti? Qua parte melior es? *Lib. 3. de ira c. 36.*

Hæc

Hæc ubi de illo Seneca, tum & iſta de ſuo. *Deſinet ira, & erit moderatior, quæ ſciet ſibi quotidie ad judicem eſſe veniendum. Quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totam diem? Qualis ille ſomnus, poſt recognitionem ſui ſequitur, quàm tranquillus, altus, ac liber, cùm aut laudatus eſt animus, aut admonitus, & ſpeculator ſui, cenſorq́; ſecretus cognoſcit de moribus ſuis?*

Poſtquam hæc protulit ſapiens Romanus, tum de ſeipſo effert iſta.

Utor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico. Cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit uxor, moris jam mei conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta aut dicta mea remetior: nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo. Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cùm poſſim dicere: Vide ne iſtud amplius facias, nunc tibi ignoſco.

In illa diſputatione pugnacius locutus es. Noli poſtea congredi cum imperitis. Nolunt diſcere qui nunquam didicerunt. Illum liberiùs admonuiſti quàm debebas. Itaque non emendaſti; ſed offendiſti. De cætero vide, non tantum an verum ſit quod dicis: ſed an ille cui dicitur veri patiens ſit. Admoneri bonus gaudet: peſſimus quiſque correptionem aſperrimè patitur.

Pergit deinde ad alia examinis capita, atque errores ſtylo notat, & acriore cenſura.

Suprà c. 37. *In convivio quorumdam ſales, & in dolorem tuum jacta verba tetigerunt: vitare vulgarem conventum memento, ſolutior eſt poſt vinum licentia, quia ne ſobriis quidem pudor eſt.*

Minus honorato loco poſitus iraſci cœpiſti convivatori, ipſi qui tibi præferebatur. Demens quid intereſt, quam lecti premas partem? honeſtiorem te aut turpiorem poteſt facere Pulvinus?

Non æquis quemdam oculis vidiſti, quia de ingenio tuo male locutus eſt; recipis hanc legem? vis tu æquo animo pati candidatus ſuffragia? contumeliam tibi fecit aliquis, numquid majorem quàm Diogeni Philoſopho Stoico, cui de ira diſſerenti Adoleſcens protervus inſpuit. Tulit hoc ille leniter & ſapienter: & tu ſic feras eſt neceſſe.

Hæc ſibi ipſi Seneca, qui Chriſtianis, qui etiam Religioſis ruborem injiciet, nec enim illi paria faciunt in conſuetudine tam chriſtiana, tam religioſa.

Erat Seneca in *Neronis* aula, ejus moderator & doctor, & tamen inter aulæ ſtrepitus ac tumultus, ſuus ſemper erat, ac liber ſibi reddebatur & conſcientiæ.

Erat in conjugio cum uxore, ampliſſimaque familia, cujus curis diſtrahi poterat atque abripi, & tamen veſperi ſuam ſuper diei actis conſcientiam audiebat: erat in ſtudiis totus, ceris incumbebat, & chartis impaleſcebat, & tamen examini conſcientiæ vacabat impenſiùs.

Erat in aulæ negotiis, in curis imperii, in conſiliis regiis, quibus magna & negotiorum & curarum incumbit moles; nec tamen eâ ſic premebatur, quin in ſeipſum uteretur utiliſſima illa animadverſione.

Erat in ampliſſima fortuna, in opibus propè regiis, cenſebat enim noſtro ſupputandi modo, & moneta noſtrate, ſeptuageſies quinquies ſeptena millia Philippicorum: hoc eſt ſeptem milliones auri cum dimidio. Et tamen in montibus illis aureis, in deliciis ac voluptatibus, quæ inde enaſci ſolent ac pullulare, nec opes in ſinu poſitas & circumfuſas ſibi, nec oblatas voluptates, ac delitias attendebat: ſed iis ſepoſitis, ſolius conſcientiæ negotia tractabat; quæ nec facimus Chriſtiani in abjectiore fortuna, in pace ac quiete avitæ fidei, nec religioſi in pulvere ac ſolitudine: in hos & illos inſurget aliquando, damnabitque in extremo illo, ac decretorio judicii die, ut qui nec paria cogitent, nec faciant in illa, qua vivunt, fidei luce, atque ardore: quod profectò deplorandum eſt quàm maximè; uti & ſuo etiam ævo deploravit ille ille ipſe Seneca cujus eſt illud ad Lucilium:

Hoc, inquit, nos peſſimos facit, quòd nemo vitam ſuam reſpicit, quod facturi ſimus cogitamus, & id raro, & quod fecerimus non cogitamus. Atqui conſilium futuri ex præterito venit. Epiſt. 83. ad Lucilium.

Rectè *nos peſſimos facit;* ſi enim vitam ſuam quis reſpiceret, aut nunquam eſſet peſſimus: aut ſi quandoque fuit, eſſe deſineret; atque in poſterum cautior eſſet, quia conſilium futuri ex præterito caperet, dum enim exacto jam die, diei acta cum animo repeteret, ſimul etiam deſpiceret, quid in lucem ſequentem aut omiſſu optimum eſſet, aut factu.

Et hoc eſt, quod Indi ſapientes (quos Gymnoſophiſtas nominabant) à diſcipulis ſuis obſervatum voluere: dum ea illis neminem ad menſam admittebant, niſi qui prius conſcientiæ ſuæ examen obiviſſet. Imò (quod nobis & metum & pudorem injiciat) qui nihil præclari ea luce à ſe geſtum commeminiſſet, pulchro ſanè inſtituto, & ſaluberrima lege, quæ ſi etiamnum vigeret, multi ſanè, & impranſi, & incœnati abirent. Ne porrò abeant, ea, de qua hic agitur conſcientiæ diſcuſſio

Suadebitur ſecundò SS. Patrum vel authoritate, vel exemplis.

PRimus è Petri ſede prodibit D. *Gregorius*, & nomine, & re etiam ipſa *magnus*. Hic eos, qui vitam omnem ſuam, ſollicitè inſpiciunt, atque examinant, componit cum animalibus, quæ in exceſſu mentis vidit Ezechiel, de quibus & illud. *Unumquodque coram coram facie ſua ambulabat.*

Omnis, inquit, *juſtus, qui vitam ſuam ſollicitus aſpicit, & diligenter conſiderat, quantum quotidie in bonis creſcat, aut quantum decreſcat, iſte eſt, qui ſe ante ſe ponit, & coram ſe ambulat. Quiſquis verò vitæ ſuæ cuſtodiam negligit, & diſcutere quæ loquitur, & quæ cogitat aut deſpicit, aut neſcit; coram ſe iſte non ambulat, quia qualis ſit in ſuis moribus, vel actibus, ignorat.* Hom. 4. in Ezechielem c. 1.

Ut autem ita coram ſe ambulet; ita ſeipſe inſpiciat, habere debet quadruplices oculos, uti & illa ipſa animalia, videlicet *Aquilæ, hominis, Leonis, Bovis.*

Viri probi, inquit, *ſimiles oculos Aquilæ habent, quibus Deum intuentur: Hominis; quibus proximum; Leonis, quibus mundum; Bovis, quibus ſeipſos.*

Hæc ubi extulit S. Pontifex, tum ſingulorum rationes ſubjicit; quibus evincit, cur cuique is ſit oculus.

Aquilinis oculis, inquit, *id eſt puriſſimis fidei, illuminatiſſimiſq; aptus eſt, ut Solem fulgentiſſimum, id eſt Deum contemplari poſſint. Humanus oculus, hoc eſt humanitate, ac miſericordia, plenus, proximus aſpiciendus eſt. Leonis, hoc eſt atrocibus, mundus eſt deſpiciendus. Bovinus, ut homo ſe inſpiciat, & bovis inſtar in terram, hoc eſt corpus ſuum crucis aratrum immittat, ſulcos altiſſimos in cor & pectus ducat, ſeipſum arct, & perſcrutetur, & frequenter roget. Tu quis es?*

Ecce D. Gregorio judice, atque interprete, quibus oculis ſeipſe juſtus inſpicit, quibus ima cordis, id eſt conſcientiæ pervadit, atque ſcrutatur; attenditque ea, quæ domi geruntur, non quæ foris.

Lamiis, aiunt, exemptiles eſſe oculos, quos tunc primùm fronti inſerunt, cùm foras prodeundum eſt.

Lamias imitantur plerique mortalium, & domi ad ſua vitia malunt carere oculis, quàm ea cernere; at verò cùm foras eundum eſt, cùm ædes alienæ ſubeundæ, cùm aliorum vitia objicienda, tum oculos ſuperinduunt ipſi, ad aliena delicta probè oculati, ad ſua cœci.

Non ſic juſtus, non ſic animæ ſuæ, ſalutiſque amantior: oculos hic domi induit, aperitque: foris autem claudit. clarius eloquor: ſua videre amat; aliena non item.

Sed inſtitutum proſequamur, atque ad Sanctos Patres revertamur. Qui deinde occurrit, eſt D.

 Bernardus,

Bernardus, quem juvat audire etiamnum loquentem in ſcripsis: ſic ille.

In meditationibus c. 5. *Integritatis tuæ curioſus explorator, vitam tuam quotidiana diſcuſſione examina. Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias, qualis ſis in moribus, & qualis in affectibus, quàm ſimilis ſis Deo, vel quàm diſſimilis, quàm propè, vel quàm longè: non locorum intervallis; ſed morum affectibus.*

Hæc ubi dixit, tum adjicit, quæ ad illam ſuiipſius diſcuſſionem ſtimulo eſſe poſſint, & ſic ait: *Stude cognoſcere te, quia multò melior, & laudabilior es, ſi te cognoſcis, quàm ſi te neglecto cognoſceres curſum ſiderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, & haberes omnium cœleſtium & terreſtrium ſcientiam.* Sed proh dolor! pudorque! plerique hanc ſequuntur, hanc omni ſtudio, laboreque inveſtigant; ſui verò ſcientiam (quæ tamen potiſſima eſt) negligunt, de quibus dici poſſet illud, quod de *Abailardo* ille ipſe D. Bernardus.

Epiſt. 192. *Abailardus nihil neſcit omnium, quæ in Cœlo, & quæ in terra ſunt, præter ſeipſum.*

Laërtius l. 1. in ejus vita. *Thales Mileſius*, cùm è domo exiſſet contemplandorum ſiderum ergo, atque ut erat abſtractus à ſeipſo, in ſubjectam foſſam incidiſſet, petulanti, ut videbatur probro, juſto tamen, ab anu domeſtica illi dictum.

Qua ratione, ò Thales, quæ in Cœlis ſunt, comprehenſurum te arbitraris, qui ea, quæ ſunt ante oculos, videre non vales.

Quod Thaleti obtruſit anus domeſtica; hoc & iis objici poſſet, qui Cœli curſus, & aſtrorum periodos conſiderant, ſpreta interim ſui diſcuſſione, in alienis cognoſcendis mirè curioſi, in ſuis mirum quantum ſegnes ac torpidi.

Hom. 9. de opere ſex dierum. His, ut notat *D. Baſilius*, evenit, quod oculis corporis, qui ut alia videant ac repræſentent omnia: ſeipſos nec vident unquam, nec repræſentant.

Non ſolùm, inquit *oculus*, *ea, quæ ſunt foris conſpiciens, ad ſeipſum cernendum, videndi facultate non utitur: ſed ipſa etiam mens noſtra peracutè perſpiciens alienos errores, tarda eſt ad errores proprios cognoſcendos.*

Nec mirum, quia tarda eſt ac deſes ad conſcientiæ examen, nec in illud deſcendit niſi quàm rariſſimè, & inde ſe neſcit, quia ſe non videt mentis oculus: quod ſanè vitium, non naturæ eſt; ſed perverſæ voluntatis, ac culpæ, quam ut à nobis averat S. Leo Pont. & optimus, & maximus, ſic olim è pulpito ad ſuos, ſic modò ad nos è Cœli regia.

Scrutetur quiſque conſcientiam ſuam, ſeque ante ſe ſtatuat proprii cenſura judicii. Videat ſi in ſecreto cordis *Serm. 9. de Quadrag.* *ſui illam, quam Chriſtus dat, invenit pacem; ſi deſiderium ſpiritus nulla concupiſcentia carnis impugnat, ſi humilia non ſpernit, ſi alta non appetit, ſi iniquo non delectatur lucro, ſi immoderato rerum ſuarum non gaudet augmento, ſi denique aliena felicitate non uritur, aut inimici miſeria non lætatur. Et cùm harum perturbationum, nihil in ſe fortè repererit, ſincero diſquirat examine qualium cogitationum ſpecie frequentetur & utrum nullis vanitatum imaginibus acquieſcat, vel quàm citò animum ab iis, quæ maximè blandiuntur, abducat.*

Hæc *S. Leo* in Petri Cathedra, & luce Pontificiæ, id eſt ſummæ poſt Chriſtum, dignitatis, & aulæ ſtrepitu: nec minora *S. Ephrem* in abdito, ac ſecreto ſuæ ſolitudinis, ac ſilentii; ſic enim aliquando ad ſuos Aſcetas.

Negotiator ſæcularis damna, & lucra quotidie computat, & ſi quidem damna perpeſſus fuerit, ea reſarcire ſollicitè ſtudet: ſic etiam tu cariſſime, seriò facias ac cures. Diebus ſingulis veſperi, & mane diligenter conſidera, quo pacto ſeſe habeat negotiatio tua, ac mercimonii ratio. Et veſperi quidem ingreſſus cubiculum cordis tui, examina temetipſum ac dicito. Putaſne hodie in aliquo Deum exacerbavi.

Et facto jam diluculo, rurſus eadem tecum meditare, & dicito. Quomodo iſta nox mihi præteriit? Lucratúſne in ea mercimonium meum?

Hæc ille ſtylo ſimplici, & mente candida, quæ velim etiam ſibi dicat, ſibique faciat religioſus, & quiſquis eſt in ſpiritu negotiator.

Et ita fecit Wilielmus Eremita, cui ſolemne fuit effatum iſtud. Dei ſervum omni hora cogitata, dicta, factave debere circumſpicere, ne in illis eſſet, quod Dei ter Opt. ter Max. oculos offenderet. *Surius Tom. 1.*

Ita fecere & illi apud *Climacum*, qui pendentem è cingulo libellum chartaceum ferebant, in quem etiam cogitationes omnes ſuas quotidie referebant. *Gradu 4.*

Ita fecit S. Ignatius, poſt Deum Societatis I E S U author, qui interdiu horis ſingulis animum conſueverat colligere, & poſitis aliis curis examine conſcientiam ſcrutari atque urgere. *Ribad. l. 5. c. 1.*

Ita & S. Franciſcus Xaverius, tanti parentis æmulus, etſi enim illi incumberet, & Provinciæ cura, & ampliſſimæ regiones, adeoque totius propè Indiæ moles, nihilominus ab illis curis ac negotiis ſeipſum ſibi ſæpius in die reddebat, & accurata perſcrutatione intimos animi receſſus inſpiciebat, rarioré ſanè exemplo ſtudioque, quo in ſeipſum inquirebat, an, & quantum promoviſſet in animarum lucro, proventuque virtutum? ſtudioſus ſanè negotiator, ut qui à ſe prius exigeret rationes, quàm eas exegiſſet Deus, cui ſciebat ſe eſſe debitorem, cujus proinde eſſet debita examinare, ut exſolveret. *Turſellin. l. 6. c. 8.*

Verecundi debitoris eſt, inquiebat D. Chryſologus, *mox promiſſa diſſolvere, nec creditoris animum aut deludere moru eſt, aut longâ expectatione ſuſpendere.* Quod ſi id in humanis uſuvenit; multò magis in divinis. *Serm. 24.*

Exemplum dabit Ioannes Climacus, qui hæc de quodam Monacho, cui nomen fecit *Antiochus humilis.*

Hic in Aſiæ Monaſterio, datus erat in diſcipulum cuidam ſeni in paucis miti atque manſueto, à quo cùm videret ſe, ut cebatur, plus æquo coli atque honorari; imò & otium dari ac quietem præter expectationem, & votum ſuum, miſſionem petiit, impetravit, venitque in quoddam Ponti Cœnobium, in quo ſubſtitit. *Gradu 4. de obedientia.*

Hic nocte concubia, quæ illi prima fuit, in ſomni nnius imagine, vidit quoſdam velut exactores ſeveros, qui à ſe rationes exigerent.

Et ecce poſt multum examen, terribile illud atque horrendum, comperit debere ſe centum auri libras. Ingens omninò debitum, & cui ſolvendo par non eſſet pauperculus.

Ubi à ſomno ſibi redditus ac vigiliæ, excutiens quæ in illa ſomni unius ſpecie exhibita ſibi eſſent, ſic ſeipſe compellare.

Humilis Antioche, verè gravi ære alieno oppreſſus es, qui eo te levare poteris?

Dixit, & in Cœnobio manſit ad annos tres, imprimis obediens omnibus, ſubjectus omnibus; imò & deſpectui, utpotè advena ac peregrinus; nec enim domi alius erat præter illum.

Vix in ea obedientiæ ac humilitatis Palæſtra abierant anni tres, cùm ecce rurſum objectus illi per ſomnium ſenex, annis gravis, & facie venerandus, qui ex univerſo priore debito, oſtendit deletas eſſe decem auri libras.

Ubi diſcuſſa illa ſomnii imago, hæc ſibi ille. *Decem dumtaxat libras exſolvi, ſupereſt ergo reliquum omne debiti: itaque opus & labore multo, & patientia multa.*

Dixit, & ſeipſum amentem, ac fatuum ſimulare cœpit, ut omnibus eſſet deſpectui, atque ludibrio; nihil tamen omiſit eorum, quæ erant miniſterii ſui, quæ & religioſi ordinis, atque inſtituti: ſedulò ſervabat omnia, exequebatur omnia.

Quid deinde? Ut ſtultum crediderunt, ut amentem ſibi finxerunt immites illi Patres; non ſolùm in

cum

eum convitia jacere, ſed & onera omnia, quantumvis gravia ei imponere, velut miſerabili jumento, atque ad ſarcinas nato.

Et hæc omnia non ſolùm æquo animo; ſed & libenti, ſed & hilari tulit Antiochus, & hoc quidem per annos omninò tredecim, quibus ea ſapiens amentia tenuit.

His porrò exactis, ecce rurſum in amœna ſomnii imagine, ludoque ſupitæ mentis, ubjiciuntur illi ipſi omnes, qui & prius, exhibentque oculis gratum omninò ſpectaculum, integram ſcilicet debiti illius ſolutionem.

Quid hîc ſibi *Antiochus humilis?* Iſta certè ſi fortè eum quis impetiiſſet verbulo petulantiore, ſi alius graviore preſſiſſet onere & tantùm non oppreſſiſſet, ſi deriſiſſet aliquis, & fatuum inclamaſſet, tum iſta ſibi in aurem.

Bono eſto animo Antioche: ſic enim exſolvitur debitum; ſic & deletur, ſic & vitatur ſeverum illud, atque horrendum examen, quod ipſe aliquando ſubiſſes, vel in ipſo monaſtica hujus vita limine.

Dixit, atque ad labores omnes ſibi animus fecit: ac ſecuritatem in illo tremendo Dei examine; dum enim ſeipſe, & judicavit, & damnavit, à Domino nec judicari potuit, nec damnari. *Quod ſi nosmetipſos ſic & judicaremus, non utique judicaremur*, ut ſcitè Apoſtolus. Judicemus ergò, & hoc quidem in conſcientiæ tribunali, ubi & examen iſtud peragitur, & fit judicium.

Et hæc paucia de examine conſcientiæ: alis omitto, ne actum agam. Videri poterit Julius Nigronius in Commentariis Aſceticis in Regulas Societatis, & Drexelius in ſuo Triſmegiſto, libro primo de cultu conſcientiæ, ubi multa more ſuo, doctè, eleganter & piè: mihi pauca delibaſſe ſatis erit.

TRACTATUS
DE RECIDIVA IN PECCATUM,
EIVSQVE GRAVITATE, DAMNIS, PERICVLIS, POENIS, ET REMEDIIS.

De hac multi multa ſparſere ſuis in operibus, quæ cum fructu emiſerunt ad poſteros; nemo tamen (quem ſaltem legerim) in unum veluti faſciculum ſparſa collegit, quod ego hic facere, laborabo: id ſi aſſequar, ſuum operæ, ut opinor, pretium erit. Sit itaque

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Chriſti verba, ad Paraliticum: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Ioan. c. 5. v. 14.

Erat Ieroſolimis probatica Piſcina, Salomonis opus, vel ut vult Ioſephus, Stagnum Salomonis, hebraicè dictum *Bethſaida*, id eſt piſcina ovium, in qua ſcilicet eluebantur oves, in victimas deinde immortali Deo offerendæ. Hanc ut fama eſt Perſarum Reges ornarunt columnis, & porticibus quinque, vel ex eo quòd ſtato tempore inclareſceret miraculis, à ſanitate ſcilicet reddita ægro, qui primus poſt aquæ motum in eam deſcendiſſet.

Et inde ad eam jacebat languentium multitudo copioſa expectans aquæ motum, vel ut in eam inſiliret, vel ut aliena manu importaretur. Hanc inter erat Paraliticus, & ipſe ea infirmitate detentus ab annis octo ſupra triginta, quem ut vidit *IESVS* hæc illi: *Vis ſanus fieri?* deſiderium acuit, votum excitat, ad ſpem erigit, ad fidem extimulat, ut ſanitatem quæ indubiè illi erat in votis, etiam miraculo reſtituat. Ubi enim ex illo audiit: *Hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam*, tum hæc illi: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Et ecce mirum dictu, viſuque! ſurgit, grabatum tollit, ambulat, & venit in Templum: quod in eo *Reverentia*, quod *Pietatis* fuit; nec enim deſcendit in forum, nec in porticus conceſſit, nec voluptati, nec otio indulſit; ſed potius gratiarum actioni in templo, in quo ut illum vidit *IESVS*, iſta etiam illi.

Ioan. c. 5. v. 6. — *verſ. 7.* — *verſ. 8.*

Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Inſinuat Servator optimus, immiſſam à peccatu diuturnam illam ægritudinem; eæ quippe Cœli leges, & ſuperum decreta, & juſta Dei judicia, punientis ſimul, & miſerentis; *ob animi peccatum corpus flagellat, ut deterioris partis ſupplicio, melior ad quærendum remedium convertatur*, ut ſcitè D. Chryſoſtomus. Hinc illi opportunum illud. *Iam noli peccare*, vel, ut vertit Arabicus, *ne redeas ad peccandum, ne fiat tibi malum majus.*

Et hinc mihi in manus dantur, recidivæ in peccatum turpitudo, gravitas, damna, pericula, quæ per ſequentes paragraphos erunt fuſius explicanda.

§. 1.
Recidiva hominem abjicit; imò dejicit infra belluas.

Recidivæ turpitudo, & gravitas ex eo dignoſcitur, quòd hominem, aliàs rationis compotem, Cœlo natum, Deoque proximum abjiciat; imò dejiciat infra belluas.

Et quidem primò dejicit ad belluas; ſi enim judice D. Chryſologo, *qui peccat, totus tranſit in beſtiam*; multò magis, qui iteratò peccat: at, in quam, inquies, belluam? Primùm in canem, nec qualem, qualem; ſed eum, qui revertitur ad vomitum. Et ne mihi ſit dubia fides, excipe Sapientis oraculum, ſic olim, non ſine dolore & ſtumacho. *Sicut canis qui revertitur ad vomitum; ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam.* Stultitiam appellat peccatum omne: ex verò enim, qui peccat ſtultus eſt, atque amens, & peccatum mera ſtultitia, atque amentia. *Vide, quàm horribili rei te comparet*, inquit Auguſtinus, vide, atque exhorre, teque ipſe damna, & ſimul attende, judice eodem Hipponenſi Præſule, qui *canis ſis reverſus ad vomitum: premebat*, inquit, *pectus, conſcientia peccatorum, accepta indulgentia, quaſi vomuiſſes, relevatum eſt pectus tuum, facta eſt bona conſcientia, ex mala conſcientia. Quid rurſum converteris ad vomitum tuum? Ecce canis hoc faciens, horret oculis tuis. Tu quid eris oculis Dei?*

Serm. 5. — *Prov. c. 26. v. 11.* — *In Pſal. 83.*

Alludit S. Doctor ad genium canis, qui dum ſtomachum cibo, vel potius vermibus oneratum ſentit,

vomitum

vomitum procurat mandendo herbam, quæ à cane, *Canaria* dicitur, de qua Plinius. *Invenerunt canes canatiam qua faſtidium deducunt.* Redeunt autem ad vomitum non ea fame; ſed ea innata ingluvie, ac voracitate, quæ tam immanis eſt, ut rem fœdiſſimam, qualia eſt vomitus, appetant, & procurent: quod canis, hoc & peccator; conſcientia hic compungitur, ac lancinatur, ſentitque onus; ac pondua immenſum peccati, quod conſcientiæ, ceu ſtomacho, incumbit, illudque per ſalutarem pœnitentiam evomit. Bonum omninò factum: ſed illud peſſimum, quod evomitum, ejectumque ſcelus jam repetat, idque ex mera, pnraque malitia, atque ex depravata conſuetudine, quæ & ingens malum, à quo, ut averiat D. Hieronymus ſic olim ad *Furiam*, ſic & modò ad recidivos in peccatum.

Lib. 26. c. 8.

Epiſt. ad Furiam.

Egeſſiſti aceſcentes & morbidos cibos, relevaſti æſtuantem ſtomachum. Quid vis rurſum ingerere quod tibi noxium fuit, canis revertens ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti?

Et hinc oculis ſupponitur alia comparatio recidivorum, ſus quæ gaudet volutari in luto, non ut ſordes priſtinas eluat; ſed ut novas contrahat; & ſeſe ſpurca ac fœda corporis agitatione delectet.

Quod illi; hoc & peccatori: à primo ſcelere, quo ſe contaminavit, injecta veluti ſus luto eſt, & malè fœdida. At ubi eo ſeſe proripuit, ubi in ſalutari pœnitentiæ lavacro ſeſe proluit, & lavit probè, ſi ad eadem crimina redeat, quid aliud facit, quàm ſus in volutabro luti? *Veluti ſus quadam luto; ita ſtupris delectatur*, inquiebat Romanus Orator de ea, quæ eſt à ſtupro, & infami venere, à voluptate, quod & de alio omni lætali crimine dici poteſt. Originem audi, ſacrum Oratorem.

In Pſal. 37.

Porcis ſimiles dicuntur ii, qui peccatorum ſordibus delectantur, ſicut porci, qui fœtorem omnem tanquam odorem ſuaviſſimum expetunt. Conſidera ergò peccatorem, qui peccatis ſuis delectatur, & lætus eſt in malis ſuis, quoniam & ipſe in ſtercore fœtido volutatur, & nullum fœtoris ejus, qui ex peccati ſtercore oritur, percipit ſenſum, ac velut in ſummis voluptatibus, & gratiſſimis delitiis oblectatur.

Hactenus Origenes, à quo redeo ad D. Hieronymum quo judice, ac cenſore peccator recidivus pejor eſt & cane, & ſue, & brutis animantibus: hæc enim vel ſolo ſenſu pedicas & retia, in quæ fortè inciderint, evitant ſtrenue: & homo ex rationis dictamine, nec hæc, nec illas declinat.

Bruta animalia, & vaga aves in eaſdem pedicas, retiaq; non incidunt, inquit D. Hieronymus

Avicula ſemel capta, laqueo mox elapſa, cervus in retia decidens, & effugiens, iiſdem iterum difficilè capiuntur. Nam cuique fit experientia cautela magiſtra, inquiebat olim D. Chryſoſtomus.

Hom. 19. ad popul.

Clemens Alexandrinus libro 1. ſtromatum obſervat illud ſanè mirandum. Quod piſces aliqui, ut ſcauri, è quorum ſpecie ſi quis hamo captus, illo ſe fortè expedierit; eodem die nullus prorſus conſimilis piſcis invenitur iſto in loco.

Crederes unius periculo doctos cæteros effugiſſe. Et nos aviculis, & cervis, & piſcibus deteriores *ſæpius iiſdem capti, in eadem cadimus*, inquit, D. Chryſoſtomus ſupra, *nec experientia nobis fit cautela magiſtra*, quæ tamen omninò fieri debuiſſet longè magis quàm illis animantibus; hæc enim ſenſu tantum ducuntur, nos etiam ratione: & tamen ut hac ducimur in eadem peccati vincula, in eaſdem ſtygii aucupis pedicas, ac retia incidimus.

Proverb. c. 1. v. 17.

Fruſtra jacitur rete, ante oculos pennatorum, pronuntiabat ſapiens, *fruſtra* inquam; ut enim viderunt retia continuò evolant; & homo, qui & peccatorum retia vidit; imò & ſenſit aliquando, tantum abeſt ut ſtatim evolet, quin potius in ea ultro ſeſe injicit, pronoque ac præcipiti lapſu in ea quodam modo involat, in hoc certè etiam animantibus brutis infelicior, & pejor. Non ſic præcelſæ mentes, non ſic: hæ quippe ſimul atque retia vel levi oculo conſpexerint, mox evolant, & hoc, quia ſibi malè metuunt. Ut & ſic tibi metuas, Amice Lector, Bernardum audi: ſic ille quondam, ut juſtum timorem injiceret à relapſu.

Timeas quidem, inquit, *pro acceptâ gratiâ; amplius pro amiſſâ, longè plus pro recuperatâ*, ecce triplicem tibi metum incutit. Primus eſt, *pro accepta gratia*; ne eam perdas, unàque omnem Cœli Theſaurum. Alter eſt, *pro amiſſa*, ut eam dum licet recuperes. Poſtremus, *pro recuperata*, pro qua retinenda major tibi incumbere debet timor: cujus rationem, hanc adjicit

Serm. 10. in Cant.

Ne fortè contingat recidivum pati, adeòque deterius labi. Audis enim vel ab ipſo Chriſti oraculo, recidere, quàm incidere eſſe deterius. Proinde, invaleſcente periculo, invaleſcit & metus. Ut porrò hic invaleſcat, & invaleſcendo te ſervet, Chryſoſtomum audi: *Noli peccare poſt veniam, noli vulnerari poſt curam, noli ſordidari poſt gratiam.* Rationem ſi voles, hanc accipe ore illius aureo. Sic ille tibi: *Cogita graviorem culpam eſſe poſt veniam; renovatum vulnus pejus dolore poſt curam; moleſtius hominem ſordidari poſt gratiam.*

Serm. de lapſu primi hominis. Com. 2.

§. 2.

Recidivus in peccatum Deo vel maximè injurius.

ILlatam Deo ter Opt. ter Max. à recidiva injuriam, colliges, ex aliis atque aliis capitibus. Primùm enim, qui accepta jam gratia rurſus in peccatum recidit, id facit, quod æger inſanus medico faceret. Illum ſi hic lætali morbo curaſſet, curaſſet & lætali vulnere: ſi deinde hic ſeipſe vulneraret, fodicaretque; an non medico ingratum diceres? Diceres enimvero. Dic idem Deo. Deus enim medicus, tu æger, tu ſaucius accepta ſanitate, quæ tibi data fuit à gratia, teipſe in morbum lætalem revocas, teipſe ſaucias à peccato. Es igitur illi injurius quàm maximè.

Es deinde, ut eſſet is, qui hoſpitem jam acceptum, & in intima admiſſum penetralia, extruderet, exireque etiam vi compelleret. Et hoc facis ipſe, qui poſt acceptam gratiam iteratò peccas. Deus enim tibi, cum illa, & ab illa hoſpes erat, in ſcelus reincidis, ea anima velut ex hoſpitio excedere cogis. An non illi ea eo injurius? Injurius certè. Bernardum audi, & ingemiſce. Sic ille quondam ad tui ſimiles, in priora crimina recidivos.

Sic honoratis miſeri Chriſtum, quem ſuſcepiſtis? Venturo paratis hoſpitium, confitentes peccata cum gemitu, & ecce ſuſceptum proditis inimicis; imò exire compellitis.

Serm. de Reſur.

Et hinc alterum, atque enorme injuriæ caput eſt, quod recidivus Deum, qua poteſt, *prodit inimicis*, non ſecus ac Judas, infamis proditor; imò & hoc longè pejor, quia hic efferatis hominibus, id eſt Judæis prodidit; tu etiam malo dæmoni, utique jurato illius hoſti.

Excipe quid de hoc Tertullianus acutiore ſtylo:

In Dominum, inquit, peccat, qui cum æmulo ejus diabolo, pœnitentiâ renuntiaſſet, & hoc nomine illum Domino ſubjeciſſet, rurſus eundem regreſſu ſuo erigit, & exultationem ejus ſeipſum facit.

Lib. de Pænit. c. 5.

Cùm à primo crimine pœnitentiam egiſti, renuntiaſti diabolo, eumque Deo ſubjeciſti, ceu vile, infameque mancipium, ceu edomitum hoſtem; ſed, ô malum! à ſecundo ſcelere, eum erigis, ut Deo tuo quodammodo inſultet, & teipſum das illi, in gaudium, exultationem, ac triumphum; ut enim bonis genius gaudio eſt omnis pœnitens: ita malis Angelis exultationi eſt, quiſquis à pœnitentia, in

peccatum

peccatum eſt relapſus; imò & ſuperis, ipſiſque Deo probro.

Tertullian. ſupra. Ecquid enim, nunquid Deo probroſum illud, ac pudendum, quod recidivus *diabolum Domino præponit?* Præponit enimvero; ut enim *Tertullianus comparationem videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & judicata pronuntiaſſe eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit. Ita, qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere; diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfaciet.*

Satisfaciet, inquam; ſed execranda pœnitentiæ pœnitentia, quam & deplorat, & damnat Tertullianus; deplorant, & damnant Angeli pacis, qui ab eo relapſu, amarè non ſemel viſi flere. Et certè quidni flerent ab immani illa in Deum ſuum injuria, quam etiam ex eo agnoſces quod recidivus, qui prius pacem cum Deo iniit, jam rurſus bellum indicit, atque in eum movet; imò & creaturas, quibus perduellis abutitur, trahit in conſortium belli, etiam invitas, ac reluctantes, & quod amplius eſt, Deum quem prius & agnoverat, & amarat, jam & negat, & odit, ſi minus ore; at factis & re etiam ipſa. *Quoties enim vitiis vincimur, Deum negamus,* ut ſcitè *In Pſal. 80.* D. Hieronymus: nec negamus tantum; ſed quod deteſtabilius eſt, etiam novos nobis Deos effingimus: ut enim ille ipſe S. Doctor. *Quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata; tot recentes habemus Deos. Iratus ſum, ira mihi Deus eſt. Vidi, & concupivi mulierem. Libido mihi Deus eſt. Unuſquiſque enim quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus eſt.* At qui in crimina, quæ prius odit, atque expulit, iteratò reincidit, & illa inprimis cupit, & veneratur, adeoque hæc illi Deus, contra naturæ placita, contra Cœli leges, contra Dei oracula vatum calamo expreſſa, atque imprimis illud Prophetæ Regii. *Pſal. 80.* *Non erit in te Deus recens.* At quis ille? Jam recenſui ex D. Hieronymo. Ira impotens, libido effrænis, gula immodica; aliaque ſcelerum monſtra: imò & ipſe malus dæmon, cujus victima eſt recidivus, qui prius Dei victima fuit.

Fatendum enim quod apud DD. Patres inconfeſſo eſt, animam quæ à peccato per Dei gratiam eſt libera, Dei victimam eſſe, eamque tot vittis, tot coronis illuſtrem, quot ipſa virtutibus nitet: at ubi projecta rurſum gratia, deſertoque Deo, peccato ſeſe inclinarit, fit dæmonis victima, quæ non coronatur niſi ad necem, non impinguatur niſi ad lanienam.

Homil. de SS Martyr. Evadio & Alexandra. *Obſervemus* igitur (ut rectè obſervat & monet B. Petrus Damianus) *ne quis noſtrum per vulnus peccati, victima efficiatur inimici.*

§. 3.

Recedivus, in Dei Matrem, & Sanctos injurius.

INter honoris titulos & ſacratiora nomina, quibus colitur in terris, & quibus etiamnum gaudet in Cœlis Auguſta Divum Regina, & Dei Mater *Maria*, non infimum locum obtinet illud, quod audiat, & certè re etiam ipſa ſit, *Peccatorum Refugium.* Quo titulo ſecundùm illam etiam coluntur & gaudent Sancti, quos in Cœli regia patronos habemus, atque apud Deum intercesſores: & ita eos habuiſti non ſemel ô peccator cùm jaceres altè ſopitus in vitiorum ſomno, & quaſi obrutus ac ſepultus in peccatorum ſuorum cœno. In hoc illos apud Deum advocatos elegiſti, & etiamtum ſenſiſti ingenti tuo bono, eorum quippe patrocinio, atque interceſſionibus excitatus è veterno ſcelerum emerſiſti, exiiſti è luto peccatorum: at maximè Dei ter Opt. ter Max. Auguſtam Matrem, unicum tibi in animæ malis perfugium expertus es: hac enim auſpice; hac & patrona à crimine liber, gratiæ, Deoque redditus es.

Bonum omninò factum; at quàm peſſimum illud, quòd Deo reconciliatus, auſus es rurſum in eum velut arma movere, bellum indicere auſu temerario, auſu planè nefando, bellum dico per alia atque alia ſcelera, in quæ reciduus incidiſti, Sanctis omnibus, atque inprimis Dei Matri injurius. Ecquid enim ut ab humano, civilique foro ad Dei ter Opt. ter Max. tribunal aſcendam; ſit unus aliquis è trivio, ſit homo terunciì, qui in Regem ſit perduellis, ſit convictus criminis, ſit captivus, ſit vinctus, ſit capite damnandus: ſi Regina mater, ſi Regni Principes ac proceres pro eo ſupplices ad Regem accidant, veniam impetrent ac gratiam; ſi ea accepta ſibi jam ac libertati reſtitutus, rurſus incidat in crimen læſæ humanæ majeſtatis: an non in Reginam, in Principes, proceresque tibi videatur injurius: enimverò vel maximè. Idem eſto de te judicium, ô quiſquis es, ab accepta à ſupremo Numine gratia, in peccata recidivus: diſce iſtud alieno malo, & dum licet tibi conſule.

Heliopoli mimus fuit, *Gajanus* nomine. Hic in theatro Deiparam blaſphemis vocibus traducere ſolitus, auſu planè impotenti, ab eadem intempeſta nocte ſic admonitus. *In prato ſpirituali c. 47.*

Quid tibi mali feci, qui coram tanta multitudine mihi detrahis & blaſphemas me? Hæc Dei Mater, Mater amoris, Mater indulgentiæ: Quid hic mimus ille? à ſomno ſibi redditus & vigiliæ; non ſolum contempſit illud; ſed etiam (quod ſummæ impudentiæ fuit) in alias, atque alias blaſphemas voces erupit, protervus in Dei Matrem. Quid deinde? nocte inſequenti adfuit iterum Diva Virgo, & hæc illi altiore ſpiritu: *noli quæſo, noli ita lædere animam tuam.* Fuit illud amantis, fuit & miſerentis; nec enim inhibet, quod potuit, nec minas intentat, nec fulmina iteratus odiis atque injuriis debita; ſed rogat, ſed maternè admonet, nec ſic animam lædat ſibi injurius & magnæ Matri; canit tamen ſurdo, ex eo quippe petulantior factus mimus ille, non deſinit Dei Matrem, ejuſque Auguſtum Nomen enormibus calumniis ac blaſphemiis, iterum iterumque proſcindere. Impudenti ac protervo tertiùm ſe ſiſtit Dei Mater, eademque intempeſtæ noctis ſilentio repetiit; ſed iterum ſurdo, pervicaci, ac tertiùm recidivo. Quid igitur? cùm orto jam ſole theatrum aſcendiſſet, & totus in blaſphemas voces abiiſſet, ſub meridiei ardores, dormienti ac ſopito apparuit Dei Mater, nec verbulum edidit; ſed illius manus ac pedes dumtaxat attigit, ſignavitque in vulnus: evigilans enim maledicus ille, invenit ſe manibus pedibuſque truncatum: fatigata quippe Dei Mater, toties repetitis calumniis, id corpori vulnus inflixerat: adeo Superis diſplicet in ſcelus recidiva: nec mirum, quia illis quàm maximè injuria: argumento erit quod ſubjicio.

Diaconus aliquis, cui nomen *Danſerius*, cùm divinis vacare deberet officiis, Deoque de more accinere, *B. Conſtabilis* Abbatis Cavenſis ſepulchro ſæpiùs indormire ſolitus; inſigni ſanè damnandaque ſocordia. Non tulit S. Præſul id ſibi & ſepulchro ſuo injuriæ: ſed per ſomnum iis ſeverè monuit. *Quare tu ex ſepulchro meo grabatum facis?* hic reſipiſcere viſus Diaconus, & ſoporem illum excutere, vincereque ad menſes aliquot: deinde ſomno inclinare cœdereque viſus, cui rurſus apparens Abbas, hæc etiam illi; ſed ſpiritu, voceque acriore: *Nonne dixi tibi, ne de ſepulchro meo grabatum faceres?* *Surius in ejus vita.*

Terruit ea vox diaconum, & vigiliæ, ſibique reſtituit: at non ſine dolore, & gemitu; ſenſit enim brachium contractum, ſtupidum, atque immobile; ſic injuriam à recidiva ſibi, & tumulo illatam ultus eſt Vindex Præſul. Nec mirum, eam quippe pœnam exigit infidum Deo, ſuperiſque caput. Quidni enim infidum dixero, qui obligatam in ſacratiore pœnitentia fidem toties fallit ſibi noxios, & in ſuperos etiam injurioſus. Secundum jam vidimus, primum etiam inſpiciamus.

§. 4.

Recidivus in peccatum ſibi vel maximè noxius.

HUjuſce aſſertionis argumenta petam à ſimili, atque ab iis, quæ vel corpori, vel libertati, vel etiam vitæ huic mortali accidunt.

Corpori quidem accidunt, vulnera, morbi, aliæque pravæ illius affectiones; libertati captivitas, vincula, carceres; vitæ denique pericula, à quibus & mors ipſa, non naturæ neceſſitate inducta; ſed ultrò voluntate accerſita, quæ omnia transferam ad animum, cui recidiva vel maximè eſt noxia.

Et quidem primò, quia ut in corpore, vulnus iteratum magis eidem noxium, ut etiam oſſis confractio repetita, & ipſa magis noxia, ut denique relapſus in ægritudinem periculoſior, & exitio propior: ſic & recidiva in peccatum.

De hac, & illis audiendus D. Eligius Epiſcopus Noviomenſis; ſic ille aliquando è pulpito ad ſuos.

Hom. 16. *Sic alicui crus frangitur aut manus, cum labore ſolet ad priſtinum revocari officium: ſi verò ſecundò, aut tertiò eodem loco membra frangantur, poſt longos & multos labores, vix erit unquam ut ad priſtinum ſtatum membra ipſa valeant revocari: ſimilis ratio in animarum fracturis exiſtimanda eſt.*

Quod corpori, quod membris & oſſibus à fractura repetita; hoc & animo à recidiva. A primo letali crimine luxatus animi vigor, & robur oſſium, roburque mentis: ſed & hoc, & ille curatus a ſalutari pœnitentia: bonum omninò factum, & priſtinus ſanæ mentis vigor eſt redditus, & confirmatæ conſcientiæ robur omne: in ſcelus mortale reincidis, & curatio difficilior eſt, & animo vel maximè noxia. Ita tibi noces, ita te ipſe torques ac perdis, quiſquis in peccatum es recidivus: non eſſes ſi audires illud Chriſti ad mulierem in adulterio deprehenſam. *Vade,* Ioan. c. 8. *& jam amplius noli peccare.*

Quod de iterata membrorum luxatione, quod de oſſium ruptura dictum; hoc & de morbis: videris quamplurimos, quos primus languor, primaque valetudo adverſa non extinxit; ſæpius iterata, poſt redditam incolumitatem, ſuſtulit è vita.

Haud ſecus eſt animo: huic à peccato letali ſuus erat morbus, iſque etiam letalis, a pœnitentiâ adhibita eſt illi medicina, & reddita ſanitas, benè habet: ſed ô malum! in aliud, atque aliud ſcelus relaberis, hoc eſt in alium, atque alium animi morbum; actum eſt, exitio proximus es, & quidem æterno: ita tibi noces improbè, quiſquis es recidivus: ut enim D. Cyrillus: *Incaſſum ſumitur medicina, ſi poſt* L. 5. in Ioa. c. 17. *inſtauratam ſanitatem, per vitæ incontinentiam, qui convaluit in priſtinum incidit morbum.*

Quod corpori, hoc & libertati. Sit reus unus aliquis, qui vel marte, vel arte, ſe è carcere, quo tenebatur, eripuerit; ſi rurſus in ſatellitum manus incidat, quid expectet aliud, quàm ut arctiori claudatur ergaſtulo, gravioribus oneretur vinculis, & majori ſervetur cuſtodia?

Quod captivo; hoc & recidivo: à primo in peccatum lapſu mali dæmonis cuſtodiæ traditus es, ac veluti ſtygio carcere clauſus: quid deinde? A pœnitentia & indulgentis Cœli gratia, eo ipſo carcere liber, & manicas exuit, & compedes, ſibi libertatique redditus: ſed ô ingens malum, recidiva! ab hoc eidem carceri redditur, iiſdem implicatur vinculis, quibus nonniſi ægerrimè, & fortè nunquam ſe expediet, adeo ſibi noxius eſt omnis recidivus.

Infelix *Semei* capitis reus, reus & mortis à ſuo in Davidem ſcelere, inſigniique maledicentiâ, Salomonis indulgentia, veniâ donatus & vita, ea tamen lege, ut Hieroſolima non excederet: nimirum hæc illi pro honorario carcere. Eum tenuit annis omninò tribus, quibus exactis dum audit ſervos ſuos ad *Achis* Regem Geth refugiſſe, illicò & aſinum ſternit, & fugitivos inſequitur, & Jeroſolyma excedit contra datas ſibi leges, contra præſcriptos limites. Quid inde? Et Jeroſolymam revocatus, & acriùs à Salomone increpitus, damnatuſque, & vita denique exutus.

Quod illi; hoc & tibi ô Recidive. Quæ Cœli clementia fuit, cùm eſſes peccati reus, venia data, data & Jeroſolyma, id eſt pacis viſio, ea tamen lege, ut non abires ab illa. Abis porrò, & unà cùm libertate vitam animæ, quæ in gratia poſita eſt, amittis, adeò tibi noxius es.

Noxius enimverò, quia notatus duplici, imò multiplici ſtigmate. In humano foro, atque judicio, is cui ob furtum, vel aliud quodvis ſcelus inuſtum eſt ſtigma, ſi in eadem crimina reincidat, aut capite luit, aut laqueo vitam perdit. Peccaſti infelix animula, notata es infernali ſtigmate, relaberis, notaris ſecundò, & tertiò, adeóque Deo judice es mortis rea, & quidem æternæ, adeò tibi ex eo etiam noxia. Noxia certè, quia ultrò periculis te objicis, & quidem crebris, quid mirum ſi tandem in uno aliquo pereas.

Quem ſæpè tranſit caſus, aliquando invenit: Henricus II. Galliarum Rex, primo die nuptiarum inter ſororem Margaretam, & Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, haſtiludio certavit, & palmam, plauſumque tulit. Voluit & ſecundò, cumque opportunè diſſuaderet uxor periculum verita, adjecit, *Adhuc ſemel, & non amplius.* Venit itaque, deſcendit in arenam, certavitque, & infelici caſu, haſtâ in oculo læſus, oculum cum vita exinanit. Seneca.

Quod Rex Chriſtianiſſimus innoxiè fecit; tu, ô recidive, facis non ſine gravi noxa; ludis enim inſanè, & Cœlo illudis improbè, dum genio liberaliore indulges, dum veneri, dum voluptati vacas, primò ludentem ſpectat Cœlum, & diſſimulat; at non ſecundò, & tertiò, inſtigatur enim crebriore noxa, & ferrum expedit, ultriceſque pœnas: adeò tibi in hoc & noxius es.

Unus aliquis Leonem eò uſque cicuraverat, ut & ori, & caput ipſum ſæpè inſereret, & quidem innoxiè. At quem ſemel iterumque tranſierat caſus, aliquando tandem invenit: dum enim in magna hominum frequentia id molitur, & facit; Leo genio ſuo, & nativæ ferociæ redditus, caput dentibus preſſit, & præmomordit, docuitque quod *periculis* Engelgrave Dom. Reſur. §. 5. *offerre ſeſe nemo tam crebrò poteſt.*

Quod ille ludio; hoc & tu, ô recidive, per ſcelera toties repetita: ſtygio Leoni, ſi non caput, at animam ingeris; parcere viſus eſt ſemel iterumque; at non ſemper parcet. Si Cœlum annuerit, mordebit enimverò, & perdet, oſtendetque orbi univerſo, quàm tibi in eo noxius fueris.

Duci Albano, Heroi Hiſpano, ceſſerant ex Hollandis captivi plures, ad furcam & laqueum damnandi, ut parceret multitudini, juſſit eos ſortes inter ſe mittere, ut ex omnibus duo tantum laqueo perirent.

Hos inter Anglus felici aleæ jactu ſe exemerat, Hiſpanus ſortem infelicem veritus, veritus & periculoſæ plenum opus aleæ, Anglum exigua pecuniæ ſumma induxit, ut pro ſe rurſus aleam ſubiret, & periculum fecit ille iterum, iterumque; ſed dum toties periculum facit, modico impendio, laqueum ſibi emit, ac ſuſpendium, adeo verum illud:

Periculis

Offerre ſe, nemo tam crebris poteſt.

Quod ille; hoc & tu, ô Recidive, dum enim iterum, iterumque, ac ſæpiùs peccas, aleam jacis, ac tandem infelici illius jactu, laqueum emis. Ita emit ille, cujus meminit Wadingus in Annalibus An. 15. Minorum.

Religioſus aliquis in Apulia, à ſuo ordine infami fuga elapſus deſecerat, cùm ei fortè de via occurrit D. Franciſcus Aſſiſius, monetque ſeriò, ut ad religionis, ceu bonæ matris gremium illicò redeat, & ne iterum à dæmone ad inſana illa conſilia abripi ſe patiatur. Si fecerit, certò certius appendendum furcæ, quam digito monſtrabat.

Paruit ille benè monenti, & regreſſus Ordini ſuo ſe reddidit; ſed ô ingens malum inconſtantia! ad vomitum rediit, ut canes ſolent, ad lutum ut ſus, ac luti volutabrum. Et ecce Vindex Dei manus eum tangit, opprimitque; dum enim apoſtaſiæ ſuæ, alia atque alia (ut fieri talibus aſſolet) ſcelera jungit, nectitque, catenata veluti ſerie, furti etiam reus, ex illa ipſa furca pependit, infame illius pondus.

Sed hoc, inquies, divinæ juſtitiæ fuit, & quidem ſolius; demus aliud, quod & juſtitiæ ſit, & ſimul etiam miſerationis; fatendum enim, quod à recidiva quandoque Deus ſeſe in pœnam explicet, & quidem ſolam, quandoque etiam in pœnam ſimul, ac veniam, & miſerationem.

Hæreticus unus aliquis, genere quidem nobilis, at ignobilis à moribus, infandoque in Catholicos odio, in morbum, cumque letalem inciderat, cui, ut remedium faceret, ad ſe evocavit è Ciſtercienſi familia fratrem *Candidum*, ex vero, ut nomine, ſic

Henriquez. Faſc. Ciſter. l. 2. diſt. 31. c. 17.

& reipſa ab innocentia vitæ candidum, à quo monitus ut hæreſim ejuraret, paruit ille, periculo victus, atque illicò ſanatus eſt. Dixeras hæreſim mali fontem: & certè mali fons erat, & origo prima: cùm enim in eam rurſus incurriſſet, iterum in eandem ægritudinem incurrit, quæ deinde rurſus expulſa ab animo hæreſi, à corpore quoque depulſa eſt & hoc quidem opera, precibusque *Candidi*. Sed, ô grande malum, inveterata conſuetudo. O grandius à recidiva: ab hac tertiò in eoſdem errores relabitur, & inde ab his etiam tertiò in eundem morbum. Ita ſceleſtum caput urget, ac premit ultor à tergo Deus.

Hoc urgeri, premique ſe cùm ſentit, *Candidum* ad ſe jam tertiò revocat, errores deponit, unaque (quod mireris) etiam morbum, à quo in reliquum vitæ tempus liber extitit, quia ab illa hæreſi quoque liber.

Nimirum, ut ab hac lues ad animum appellebat, ſic etiam ad corpus eadem mali labes; adeò verum

Cap. 38. v. 15.

illud Eccleſiaſtici: *Qui delinquit in conſpectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici*; quia prius in morbum incidit, & ab eo quàm peſſimè vapulavit, ſibi ſanè in eo notius. Videri poſſunt plura de eodem argumento in meis quæſtionibus, in dominicam tertiam quadrageſimæ, quæſtione ſeptima.

§. 5.

Recidiva vel maximè damnoſa, ob eam, quam inducit peccandi, conſuetudinem, & propè neceſſitatem.

ARiſtoteles, purioris Philoſophiæ ocellus, atque ex eo Philoſophi, docent ex actibus ſæpe repetitis generari in animo habitum, qui & actuum deinde ſit principium, & veluti pondus in eos inclinans, quo fit ut quod initio elicere difficile fuit, poſtea ſentiatur facillimum; imò & volupe.

Quam vim in habitibus natura dedit: eandem in peccandi conſuetudine, quæ gignitur ex peccatis ſæpius iteratis. Ab hac enim facilis ac pronus in eadem lapſus eſt: quod & agnovit Iobus in typo peccatoris: ſic quippe de hoc pronuntiavit.

Cap. 6 v. 7. *Quæ prius nolebat tangere anima mea; nunc præ anguſtia cibi mei ſunt*, in quæ verba ſic aliquando D. Bernardus:

Primùm tibi importabile videbitur aliquid, proceſſu temporis, ſi acquieſcas judicabis non adeo grave, paulò poſt & leve ſenties, paulò poſt nec ſenties, paulò poſt etiam delectabit: ita paulatim in duritiam itur. Lib. 1 ad Eugen. c. 2.

Sit primò innocens animula, ſit virgo pudica, ſit & timida, quæ vel umbram timeat accipitris, hoc eſt mali dæmonis, ut pulli ſolent. Venerem illa horreat, & vel ſcintillam vereatur impuri amoris; ſi tamen ab aliqua cum altero ſexu familiaritate, primum in amica, blandula, molliaque verba inciderit; deinde in leviores ſive manuum, ſive faciei attactus, tum in oſcula repetita; ab ita deinde in attactus inverecundos, aliaque libidinis impuræ monſtra, ſi ea admiſerit vel ſemel tantum, expaveſcet illicò, & ſeipſam mirabitur, atque damnabit; at ſi eadem iterum, iterumque ac ſæpius admiſerit, nec gravia ſentiet, ſed levia; imò ne ſentiet quidem; imò & iis ſeſe oblectabit, ibitque in ea facilis ac prona, tantum valet à recidiva inducta peccandi conſuetudo, cujus probè conſcius Auguſtinus. *Peccata*, inquit, *quamvis* In Enchyr. c. 22.
magna & horrenda, cum in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur. Ea nimirum eſt vis malæ conſuetudinis, de qua etiam aliquid amplius Seneca, ratione duce, experientia magiſtra; ſic enim ille de variis criminum monſtris, in quæ venit recidivus.

Lætatur ille adulteriis, in quæ irritatus eſt ipſa difficultate, lætatur circumſcriptione furtoque, nec ante illi culpa, quàm culpa fortuna diſplicuit: cujus rationem hanc adjicit: *Id prava conſuetudine evenit*: nec mirum, quia ut habet vetus parœmia, *Conſuetudo eſt altera natura*; imò natura ipſa ſuperior & fortior, excludit enim ab animo quod ipſi natura indiderat. Epiſt. 97.

In natura primæva etiam ſibi relicta, eſt ingenuus pudor, eſt gratus rubor, eſt verecundia caſta, eſt timor ſalubris; & hunc, & illa depellit ex animo & eorum loco inducit impudentiam, procacitatem, audaciam. Nimirum (ut diſertè Romanus Orator) *tanta eſt corruptela malæ conſuetudinis, ut ea tanquam* Lib. 1. de
igniculi extinguantur à natura dati. Legibus.

Natura utpote bona mater, quoſdam animis noſtris indidit Virtutum igniculos, qui niſi ſopiantur, niſi extinguantur, in magnum abeunt divini amoris incendium: at ſopiuntur, imò & extinguuntur à depravata conſuetudine, quam Apoſtolus vocat *Legem peccati*: D. Auguſtinus *violentiam* conſuetudinis:
ſic enim inquit, *lex peccati violentia conſuetudinis, qua* Lib. 8. Conf.
trahitur etiam invitus animus, trahitur inquam illius vi atque imperio: ut enim Publius Mimus. *Graviſſimum enim conſuetudinis imperium*, cui obſiſtere ut
maximè velis, vix poſſis: hinc & illud D. Auguſtini. In Pſal. 30.
Vincere conſuetudinem dura eſt pugna, & rara victoria; quod ipſum ſua didicit experientia, ſuo & malo: ſic enim de illa:

Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam Lib 8. Conf. c. 5.
fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa, facta eſt libido; & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.

Multa hic ſtylo notat Auguſtinus. Primum, quod velle ejus teneret inimicus, quæ ingens, & miſeranda ſervitus, & libertati penitus inimica: deinde, quod ſibi catenam feciſſet, aut quaſi funiculos, quibus caperetur, & teneretur obſtrictus; verè enim peccata peccatis addita catenam faciunt; & funiculos texunt, quibus captivus habeatur peccator, annulos annulis adjice, & catenam feceris; fila filis intexe, & funem feceris. *Qui funem facit, torquendo ſemper, & involvendo fila filis adauget*, inquiebat Venerabilis Beda.

Sic & peccator, dum peccata peccatis accumulat, ſibi funem facit, & quidem nauticum, quem effringere, ut velit, non poſſit.

Evenit enim illi, quod funibus. Prima fila nullo negotio fregeris, fregeris & ſecunda, fregeris &,

ſingula; ſed cuncta, atque ſimul involuta ne ſolveris quidem, ne fregeris, & hinc tibi fatalis quaſi neceſſitas. At unde hæc impoſita? Ex eo, inquit Auguſtinus, quod ex voluntate perverſa facta ſit libido, & dum huic ſervitur, conſuetudo; & dum huic non reſiſtitur facta ſit neceſſitas: ingens omninò telum neceſſitas, quod excutere non poſſis, quia

L. 4 Moral. ut ſcitè D. Gregorius Pont. Max. *Quod vitibus prius conſuetudinis adſtringitur, quaſi tot vinculis ad mentem ligatur.* Quot autem, & quantum malum ſit, ſic adſtringi, & ligari, diſce ex ipſis ſacræ Scripturæ oraculis, inter quæ & illud longè maximum.

Prov. c. 18 v. 3. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* At quod, illud profundum? Aliqua eſt, Interpretum pugna.

D. Athanaſio, *eſt cæcitas mentis*, quam incurrit impius ex inveterata peccandi conſuetudine: ab hac enim ita caligat, ita cœcutit mens humana, ut nec bonum videat, quo deſtituitur, nec malum, quo obruitur.

L. 2. Sentent. c. 14. S. Iſidoro profundum eſt *obduratia*, hoc eſt impudens quædam peccandi licentia, procax, & pertinax in malo contumacia.

D. Hieronymo profundum illud, eſt *amiſſio conſcientiæ*, & Synderesis. Indulgentis Cœli gratia, *In Ezechiel.* favorque hominum animis indidit velut ſtimulos quoſdam, quibus excitentur, ſi fortè malis indormiſcant; & hos communi appellatione *remorſus conſcientiæ* dicimus: quod ſi hos extingui, aut ſuffocari contigerit, dicimus lapſum eſſe in peccatorum profundum, & velut abyſſum.

De gradu Humilit. Gradu 12. D. Bernardo, profundum eſt ipſe *Dei contemptus*, quem ſenſim, & ſine ſenſu induit peccator, qui & inde delabitur in profundum peccatorum, ac deinde infernæ ſtygis.

D. Chryſoſtomo Sacro Oratori, profundum illud, quod hic in quæſtione eſt, eſt ipſa *peccandi conſuetudo* inveterata, in quam ſeſe demittit peccator, velut in profundum, velut in centrum peccatorum, cui proinde id uſu venit, quod à natura corpori graviori.

Primùm enim, ut gravia inſita quadam inclinatione, atque vi feruntur ad centrum: ſic peccator ſceleribus aliis, atque aliis aſſuetus, quaſi impetu naturali, & mole ſua labitur in peccatum.

Deinde, ut gravia, v. g. lapis, aut ferrum in centro ſuo conquieſcunt; ſic & peccator in peccati ſui illecebra conquieſcit, quod ingens, & portentoſum eſt malum.

Tum etiam, ut centrum detinet res ſibi affixas; ſic & peccandi conſuetudo hominem retinet, ad uſque ultimam brevis ævi lineam; imò in omnem retro æternitatem, quod & deplorandum quàm maximè. Denique ut res in centro nullum perſentiunt motum, impulſum omninò nullum; ſic & peccator Synderesim nullam, nullum gratiæ excitantis experitur impulſum.

Et hinc ſummum illi malum, finalis ſcilicet impœnitentia, & inde etiam æterna damnatio, æternaque illi incendia. Ecce profundum peccatorum, quo nihil in terris, nihil in inferis eſt profundius: quod ut magis ponatur in aperto, ſit

§. 6.

Recidivo aut nulla omninò pœnitentia, aut boni inanis, & vacua, certè ut talis extimeſcenda.

AUdax, inquies, & liberum pronuntiatum, quod certè non efferrem, niſi prius extuliſſent Divi Patres: ex illis accipe, atque ex illis eſto judicium, quod etiam firmabit, confirmabitque ratio ex ipſis ſanioris Theologiæ principiis petita.

In Soliloquiis. D. Auguſtini eſt illud ſolemne effatum: *Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat. Nihil proſunt lamenta, ſi replicantur peccata, nec valet de malis veniam poſcere, & mala denuo iterare.* Hæc S. Præſul, dum ſecum, & cum Deo loquitur; eadem etiam cùm populo; ſic enim aliquando è pulpito ſacer Eccleſiaſtes.

Lavatur, & non eſt mundus, qui plangit, quod geſſit, & non deſerit. *Serm. 68. de Temp.*

D. Auguſtino conſentit D. Gregorius Pont. Max. Hæc ille in opere, cui titulum fecit de cura paſtorali utpotè ſummus in terris Paſtor.

Admonendi ſunt, inquit, *qui admiſſa plangunt, nec tamen deſerunt, ut conſiderare ſollicitè ſciant, quia flendo inaniter mundans, qui malè vivendo ſe nequiter inquinant: tùm idcircò ſe lacrymis lavant, ut mundi ad ſordes redeant.* *3. Parte Cura Paſt. admonet. 31.*

Hæc S. Pontifex, ex quo velim notari illud, *flendo inaniter mundant*, quia propè inanis, & boni vacua eſt ea animi per pœnitentiam lotio; ſi paucas poſt horas, aut dies, rurſus iiſdem ſe ſordibus inquinet. Et hoc ipſum eſt quod obſervavit, extulitque D. Bernardus, cui non ſatis eſt, vel ipſo Chriſti oraculo dimiſſa peccata, ſi ad ea rurſus redieris; ſic enim inquit..

Si dixerit mihi IESVS, dimittuntur tibi peccata tua, niſi ego peccare deſiero, quid mihi proderit? Exui tunicam meam, ſi reinduero eam quantum profeci? Si rurſus pedes meos, quos laveram, inquinavero, numquid laviſſe valebit? *Serm. 3. in Cant.*

Argumentum petit à re materiali, quæ ſubjicitur oculis, ut facilius ad animos evadat. Sit aliquis, qui æſtu fractus, & æſtivo ſole tunicam exuerit, ut æſtum fallat, ut declinet, ut Zephiros admittat, explicato apertoque ſinu; ſi rurſus tunicam quam exuit, reinduat, quid promovit? Laborabit enimverò eodem igne, ſoleque. Sic, & qui æſtuavit immodicâ libidinis flammâ, flammâ impudici amoris, & veſtem dimiſit, ut olim in Dominæ manibus Caſtus Joſeph, ſi eam rurſum admiſerit, ſi ea ſe teneri, tegique patiatur, quid profecit? Omninò nihil.

Sic & qui pedes lavit, hoc eſt affectus pravos, & denuò eos ſordidari inficique permittit infami peccati luto, quid ſibi boni fecit? certè aut nihil, aut perparum: illi evenit quod Energumeno, quem Chriſtus miraculo ſanavit è triplici morbo, cœcitate, ſurditate, & linguæ impedimento; & è quo etiam dæmonem ceu malum hoſpitem ejecit.

Hic vel alius quiſpiam ſi negligentior fuerit, otioſa ſua remiſſione faciet, ut dæmon expulſus in loca arida & inaquoſa, hoc eſt ab hominibus non habitata, cùm requiem non inveniat, eò quod iſtic nemini noceat: ſic ad ſeipſum. *Revertar in domum meam*, id eſt in animam meam è qua pulſus ſum, & quia invenit eam *vacantem*, hoc eſt otioſam à bonis operibus, quia *mundatam* lavacro pœnitentiæ, & *ornatam* inſigni ſuppellectile Virtutum. At minus cautè, minus ſollicitè; *aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe*, quos ſcilicet opponat ſeptem donis Spiritus Sancti: *nempe ſpiritum ſtultitiæ contra ſpiritum Sapientiæ, ſpiritum vertiginis & inſaniæ contra ſpiritum intellectus & ſcientiæ, ſpiritum temeritatis contra ſpiritum conſilii, ſpiritum inconſtantiæ & timoris, contra ſpiritum fortitudinis: ſpiritum impietatis contra ſpiritum pietatis, ſpiritum contemptus & odii Dei contra ſpiritum timoris domini. Et ita fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* *Euſebius Emiſſenus.*

Quod illi, hoc & recidivo: quot ex eo depulſa peccata, tot & dæmonia; abierint hæc ex animo, velut ex malè uſurpato hoſpitio: benè habet, abierunt illa in loca arida & inaquoſa, in vaſtas deſertasque ſolitudines: bonum omninò factum; at malum iſtud, & malæ ominatæ illæ voces:

Revertar in domum meam, hoc eſt in eam animam è qua exivi, revertar inquam eadem via, quâ primum ingreſſus ſum, per eadem crimina iterum, iterumque repetita, & domum quam inveni vacantem id eſt

otioſam,

otioſam, minuſque providam, mundatam à pœnitentia, ornatam à gratia, aliiſquo Virtutum magnarum ornamentis, eodem peccati luto inficiam, perdamque.

At qui inficiet? qui & perdet? ecquid enim nunquid in eo pœnitens animus? nunquid & conceptus de crimine dolor? nunquid expiata per Exomologeſim peccata? expiata enimverò, ſi vera fuit pœnitentia, ſi ſolida fuit, non inania & fucata, qualis ſæpe ſæpius eſt in peccatore adeò facilè in ſcelera relabenti: eſſe autem ejuſmodi ſuadent multa.

I. Ratio, Defectus gratiæ.

Primùm quia meritò dubitari poteſt, an per Sacramenta Confeſſionis & Communionis receperint eam gratiam, quæ ab illis ceu fontibus emanat. Ab his enim præter *gratiam ſanctificantem*, quæ communis eſt omnium Sacramentorum, conceduntur & fluunt gratiæ; aliæ, quas *Actuales* dicimus,& quæ ſunt velut effectus Sacramenti ritè ſuſcepti, dantque robur & vim arduam ad reſiſtendum, vel ſuggeſtionibus mali dæmonis, vel molliculæ carnis illecebris, & ad non peccandum deinceps. Qui autem credam inditum ejuſmodi robur, ejoſmodi & vim in eo, qui nullo propè impellente relabitur; ſed facili, ac prona perverſæ voluntatis inclinatione decidit ex eo ſtatu, in quo ſubinde, vix ad pauculas horas ſteterat.

II. Ratio, Defectus propoſiti.

Et hinc mihi in manus datur alia ratio; ea nimirum, quod in ejuſmodi homine non fuerit niſi ſimplex quædam peccandi diſplicentia; non autem dolor efficax, & vera voluntas in poſterum abſtinendi: hæc enim ſi fuiſſet, ſtetiſſet firmus, nec adeò facilis in relapſum; ut videre eſt in aliis rebus humanis, in quibus enimverò fit, quod volumus, & abſolutè volumus, ſi modo eſt in poteſtate noſtra, uti eſt in vitia priſtina non relabi: certè, ut à ſimili petam argumentum, accidit in morbis animi, id eſt peccatis, quod in morbis corporis: in his ſi videris unum aliquem, ſtatim atque convaluerit, in eandem ægritudinem reincidere, conficies illud, non perfectè convaluiſſe. Sic & in morbis animi, ubi adverteris quempiam, in eadem ſcelera pronum, ac præcipitem relabi, & hoc poſt exiguum temporis intervallum, tecum ipſe hæc eloquere, vereor ut ille ritè confeſſus ſit, vereor ut perfectam animæ ſanitatem (quæ eſt à gratia) conſecutus ſit; ſi enim eam eſſet aſſecutus, non tam facilis eſſet in eadem relapſus, quia & huic obſtitiſſent gratiæ actuales, & firmum quod eſſe debuerat, non relabendi propoſitum; at quia & hoc, & illud defuere, defuit & in bono firmitas, atque conſtantia. Et hinc ingens animæ ruina, quam etiam aperient, quæ ſequentur pagellæ,

§. 7.

An, quæ, & quomodo recidiva impleat menſuram peccatorum?

PRiuſquam in hanc quæſtionem calamum immittam, tria inprimis ſtatuo, quæ extra controverſiam ſunt.

Primùm erit effatum D. Auguſtini, qui ſic olim ad recidivos, eoſque, à quibus, ubi de pœnitentia agitur, non auditur niſi corvina illa vox, *cras cras*.

In Pſal. 124.

Verum quidem dicis, inquit, *quod Deus pœnitentiæ tuæ indulgentiam promiſit; ſed huic dilationi tuæ craſtinum non promiſit.*

Epiſt. 91.

Alterum erit oraculum magni Pontificis *D. Leonis* Papæ: *Miſericordia Dei, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire*; illius enim ſolius eſt & miſericordiæ menſuras ponere, illius & tempora definire in cujus manibus eſt, miſericordia, ſimul & & juſtitia: at tam hæc, quàm illa eſt in Dei unius manu; hanc continet, coercetque quantum vult, illam explicat, quando, quantum, & quomodo vult: hanc timeat reus; ſed & illam ſperet, neque tamen hac, aut illa abutatur unquam.

Tertium, quod extra litem eſſe volo, eſt illud quod Deus ter Opt. ter Max. Imperiis, Regnis, Rebuſpublicis, Civitatibus, imò & privatis hominibus, certam quandam ſtatuerit, ac decreverit peccatorum menſuram, ante quàm nec plenè, nec perfectè punit; ſed mox ubi illa completa fuerit in pœnas delabitur, omniaque perperam acta juſto ſupplicio pleniſſimè plectit.

Et hoc clamant Scripturæ Sacræ oracula, & Prophetarum vaticinia, atque inprimis illud Chriſti Servatoris optimi ad judæos, rebellia Cœlo capita: ad quos ſic aliquando. *Et vos implete menſuram Patrum veſtrorum: implete*, inquit, quod non eſt imperantis; ſed prædicentis, imò & miſerentis: ab illis implendam prædicit; ſimul monet, cavetque ne impleant, neve ſibi tantum accerſant mali, in quod non elabitur Deus niſi invitus, ut pote qui omnia facit in pondere ac menſura, ideoque ita de ſe Iſayæ voce, calamoque. Matth. 23. v. 32.

Ponam in pondere judicium, & juſtitiam in menſura. Cap. 28. v. 17.

Ea nimirum eſt juſtitiæ divinæ ratio, ad pœnas non venit niſi juſto pondere, & pede quaſi plumbeo, id eſt quàm tardiſſimè, & juſtitiam facit in menſura, vel ut vertunt Septuaginta. *Miſericordia tua in ſtateris*: ita enim juſtitiæ dat locum, ut ſimul miſericordiæ ſuus ſervetur; ſed tamen in *ſtateris*, hoc eſt, in æquitate.

In ſtatera duæ ſunt lances, ubi deprimitur una attollitur altera: ſic & in Dei manu, ubi mortalium ſcelere velut pondere aggravatur, & quodammodo deprimitur miſericordia; attollitur juſtitia. Clariùs eloquor, ubi aliis, atque aliis criminibus ſæpè ſæpiùs repetitis, fatigatur quodammodo, deſpicitur, & quaſi irridetur Dei miſericordia: tunc attollitur, inſurgitque ejuſdem omnipotentis juſtitia, & trahitur in juſtam ultionem, quando nimirum jam impleta eſt menſura peccatorum; uti factum in Judæis & vidimus & luximus.

Impleruot illi menſuram ſcelerum ſuorum, primùm avi, proavi, abavive, Prophetas, quà vinculis onerando, quà lapidibus obruendo, quà etiam ferro cædundo compleruut, deinde eandem, poſteri, Chriſtum cruci affigendo, & Apoſtolos morti addicendo, velut objectas illorum iræ furorique victimas.

Hac porrò menſura jam completa, Cœlum ipſum, quod diu flagella ſuſtinuerat, meritaſque tot ſceleribus pœnas; eas tandem inflixit. *Titum*, & *Veſpaſianum*, duo belli fulmina emiſit in campum, Jeroſolymam cinxit, cœpit, evertit, perdidit. Ita nimirum (ut ore fatidico Jeremias) *qui facit miſericordiam in millibus, reddit iniquitates patrum in ſinum filiorum poſt eos*: ut enim corpus jam ſenile atque effœtum luit juvenilia peccata, æſtuſque adoleſcentiæ; ſic & Reſpublica, ſic & Civitas, quæ corpus quoddam annoſum eſt, juſtè plecti poteſt, tum ob majorum crimina, tum etiam poſterorum. Atque, ut ita dixi, evenit in Judæis. Cap. 32.

Et hæc in aperto ſunt, in occulto illud. Ecquando tandem implenda ſcelerum menſura? Hoc enim patet ei uni, cui patent omnia, cui futura æquè, ac præterita, & præſentia patent.

Fatendum tamen illud (quod & experientia docuit (imminentia Rebuſpublicis exitia Deum præſignificare ſolitum, aut frequentatis miſeriis publicis, aut oſtentis quibuſdam extraordinariis, aut vaticiniis inſolitis: & hic eſt veluti ludus divinæ miſerationis, quæ ſupplicits gravioribus ita præludere ſolet, ut fugiant rei à facie arcus, ut liberentur electi Dei.

Et ita Hieroſolymæ excidio ante præluſit etiam annis octo: cùm enim Judaico more rituque ad feſtum celebrandum ex omni propè Judææ loco conveniſſet multitudo populi ferè innumerabilis, adfuit Baron. Anno 65.

cæteros inter, homo ruſticanus, qui ſubitò velut alienatus à ſenſibus cœpit inclamare funeſtum illud:

Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox contra Ieroſolymam, vox adverſus templum, vox adverſus conjuges novos, vox in omnem populum.

Pax tunc erat alta, amœniq́ue dies, nec tamen deſiit horrendum carmen illud intonare, etſi ſæpè ſæpiùs increpitus; imò & dirum in modum cæſus, donec tandem obſeſſa civitate, conſcenſis mœnibus, erupit in extremum illud, ac fatale,

Væ Ieroſolymæ, væ templo, væ mihi. Dixerat, & lapide grandi baliſta excuſſo tactus, atque contritus eſt.

Quod Solymæ; hoc & Romæ Orbis Capiti, Urbium Principi, & quidem non ſemel: ut enim refert Spondanus Anno 1472, pridie quàm execranda illa Bononienſis nobilitatis ſeditio, partem maximam, mutua cæde perderet, ignotus homo, aſino inſidens, cruce lignea inſtructus, ac concionabundus, populo denuntiavit ut mores verteret in melius, niſi iram Dei Vindicem experiri vellet.

Quod eò loci, ac temporis auditum, hoc & anno 1527 ante captam à Cæſareis Urbem ab externo mendico, qui nec minis, nec verberibus abſterreri potuit, quin vicatim iret in funeſtum illud. *Væ Romæ, væ Papæ, væ Clero, væ populo Romano.* Adeò verum illud, etiam poſteris ſæculis, quod de antiquioribus cecinit Amos: *Non facit Dominus verbum niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos prophetas.* Et hoc divinæ clementiæ eſt, ac miſerationis, quæ ad ſupplicia mortalibus inferenda trahitur invita, præmonetq́ue priuſquam in ſceleſta capita incidant, ut dum adhuc licet, declinent.

Cap. 3.

Sed hinc delabor ad privatorum menſuram, quæroq́ue ecquænam illa? Hoc in aperto eſt, atque extra litem eſſe certum numerum peccatorum, qui maximè completur à recidiva: ſed controverſum illud, an is numerus ſit talis, ut eo expleto, gratias deinceps ex toto Deus neget.

Videtur illa communior Theologorum ſententia, maximè verò antiquorum ex illo D. Auguſtini, pronuntiato. *Impius cùm vult non poteſt; quia cùm potuit noluit.* Cui & conſentit D. Gregorius, Pont. Max. cujus & hoc effatum:

Dum opportunè agere, quæ poſſumus, nolumus; paulò poſt cùm volumus, non valemus.

3 parte Paſtor.

Et his SS. Patrum dictis favent ſacræ ſcripturæ oracula, atque imprimis illud Iſaiæ: *Quærite Dominum dum inveniri poteſt.* Et hoc Jeremiæ: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Denique & illud Chriſti ad Judæos, adverſa ſuperis capita. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

Cap. 55.
Cap. 51.
Ioan. c. 8.

Hæc opinio nonnullis durior accidit, & licet demiſſioni ſerviat, ac timori; facit tamen inducendo etiam horrori, & abjiciendis proximè ad deſperationem animis, ideoq́ue magis probatur mitior altera, quæ ferè eſt recentiorum. Hæc cenſet in privatis, non aliam gratiæ, quàm vitæ menſuram eſſe præfixam, neque gratias ipſis unquam occluſas, dum ſpirant, & vivunt, nec peccatorum cumulum oppleri niſi impœnitentia finali.

Pollenius ad 2 Mach. c. 14. Excurſu 2. ſect. 2.

Huic ſententiæ adſtipulatur Concilium Tridentinum cujus hoc oraculum, de fidelibus omnibus, etiam generatim ſumptis.

Si quis dixerit eum, qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per gratiam reſurgere, anathema ſit.

Seſſ. 6. c. 29.

Nullum excipit ea reſolutio, ne recidivum, ne obduratum quidem; ſed omnes ex æquo complectitur, & omnibus gratiam adpromittit, qua reſurgere poſſint ſi modò velint; ut & illis dici poſſit, quod olim Iſraëli, *perditio tua ex te*; etſi enim deeſſe poſſit, & deſit ea gratia, quæ dicitur efficax: at quæ ſufficiens eſt, nec deeſt, nec deeſſe poteſt, indulgente ſemper Cœlo, propitioq́ue Numine.

Et huic opinioni videtur tacitè conſentire Eccleſia, & Sancti viri, qui pro omnibus peccatoribus etiam induratis orant, Divosq́ue omnes, ac Deum obteſtantur.

Et ſic auditus oraſſe D. Bernardus, etiam pro obdurato, pro quo ſic ad Deum. *Apertè, non audeo dicere. Veni Domine, ſuſcita mortuum noſtrum, corde tamen tremulo, intus clamare non ceſſo; ſi fortè, ſi fortè, ſi fortè deſiderium pauperum exaudiat Dominus.*

De Grada Humilit. Grad. 12.

Qui D. Bernardo ſenſus, is & prius Auguſtino, qui a ſimili petit argumentum, ab ægro ſcilicet deſperato, quem medicus non abjicit, non deſerit.

Quid facio, inquit, febrienti? Si eſt in vobis miſericordia, orate pro talibus, quia & ipſe medicus plerumque in deſperatione convertitur ad eos, qui circumſtant lacrymantes in domo, qui pendent ex ore ejus audire ſententiam de ægroto, & periclitante. Stat anceps medicus, non videt bonum quod promittat, timet malum pronuntiare, ne terreat; modeſtam planè iſte concipit ſententiam. Bonus Deus, omnia poteſt, orate pro illo.

Quod ægro à medicis depoſito fieri ſolet; hoc & obduratis in malo fieri vult Auguſtinus, & de nemine unquam dum vivit, ſpem abjici, quia dum vivit converti poteſt, non poſſet autem, ſi negata foret illi omnis à Cœlo gratia. Verùm ut negata non ſit: at verendum quàm maximè, ne non ſit efficax, ideoq́ue ſuus juſto timori, ſuus & horrori relinquitur locus, ei potiſſimum, qui damnabili inconſtantia in eadem ſæpè ſæpiùs peccata relabitur. Hic enim & ſuperos omnes fatigat, & Deum provocat, etiam quaſi reluctantem, in ultrices pœnas, ac ſupplicia, ut ex iis, quæ ſubdemus, magis ac magis eluceſcet.

§. 8.

Primus in peccatum lapſus vix Cælo vindice punitur, relapſus plerumq́, & quidem gravius.

Nec mirum, quia gravior eſt culpa poſt veniam, & turpior ingratitudo poſt gratiam: prior in ſcelera lapſus plerumque tribuitur infirmitati, & nativæ cuidam in malum inclinationi: at poſterior voluntati ac malitiæ; ideoq́ue hæc magis obnoxia pœnæ, quàm illa. Argumenta petamus, primùm ex humanis judiciis civiliq́ue foro; deinde ex Cœleſti tribunali divinoq́ue judicio, in quo ut nemo nocens ſine pœna; ita nec recidivus abſque graviore. *Childerico* Galliæ Regi filius fuit Merovæus, hic paternæ dominationis impatiens, præpropera quadam regnandi libidine, in Patrem, in Regem, neſcio quid molitus eſt; detectæ fraudes, doliq́ue, apertaq́ue: quæ in eo erat Regni affectatio. Quid deinde? Attonſus eſt primò, atque in monaſterium conjectus, è quo cum profugus evaſiſſet, novasq́ue in Regem, Regnumq́ue machinas apparaſſet, Patris judicio, atque ſententia exoculatus eſt: in quo diſcrimen videas, inter hoc, atq; illud affectati regni ſcelus.

Paulus Æmilius in vita Childerici.

Primum enim leviore damnatum ſupplicio, anguſtiis ſcilicet unius Cœnobii, intra cujus limites continerentur oculi; at ſecundum graviore, id eſt cæcitate punitum eſt, ne purpuram ne ſceptrum, imò ne ſolem deinceps videret is, qui vidente ſole peccarat in Regem, & Regnum; imò & in patrem, qui eò loci ac temporis Patris perſonam exuit, ut indueret eam, quæ erat judicis.

Spectaſti, benevole Lector, filium omninò degenerem atque in patrem impium ac rebellem: attende & alium immani primùm ingratitudinis nota infamem, tum etiam homicidii furtiq́ue reum, denique & furcæ addictum, Cœlo Deoq́ue vindice.

Hiſpali prædo multis latrociniis infamis, è furca ſuſpenditur: ſed non omninò extinguitur; hæret

tamen

tamen ſuſpenſus è fatali ligno, cum fortè Hiſpanus mercator illuc equo fertur, advertitque miſerum illum pedes concutere, brachia, humeroſque contrahere; advolat illicò, funem enſe præſcindit, & ſemianimem in equum imponit, atque in vicina taberna igne vinoque probè recreatum, equi ſui tergo inſidere jubet ut citius elabi poſſit: dum autem eodem equo vehitur, ad malas artes atque ſuum ingenium rediit.

Spes erat opimæ prædæ, aurique potiundi ſi vim mercatori inferret: placuit ingrato conſilium, nec conſilio animus, aut arma defuere, fortè mercator ex more gentis pugionem ſuum in tergum rejecerat: hunc tacitè educit inſidus ſeſſor, equitemque eo transfigit atque enecat, itaque equo auroque potitus, in regiones exteras abit, ibique mercaturæ vacat, & malè partas opes melioribus ſtudiis auget.

Labuntur interea anni omninò decem, quibus negotiorum cauſa in varias urbes, variaſque emporia divertit, tandemque etiam Hiſpalim redit. Hic agnoſces vindicem Dei manum, quæ nocentes à tergo ſequitur, & recidivum premit, atque opprimit. Vix enim in urbem admiſſus erat, cùm ei occurrit ille ipſe carnifex, à quo ante decem annos è furca ſuſpenſus. Ad hunc occurſum hæret uterque, ſtupetque, tum deinde in hominem defixus carnifex, ad virum Senatorium qui fortè aderat: nonnè, inquit, hunc hominem ante annos decem ad patibulum duxi, ex eoque ſuſpendi? me Hercle ipſus eſt, quem eodem die depoſitum, & vivum fama vulgavit.

Ad has voces prædo ille noſter, urgente ſcilicet peccati conſcientia, horrere, palleſcere, trepidare, fugereque: fugientem cum aliquot aliis inſequitur carnifex, & comprehenſum judici ſiſtit. Hic crimen agnoſcit, & irati Numinis iras, ſuaque ipſius confeſſione, tum aliorum ſcelerum, tum hujus extremæ cædis ac furti reus proclamatur, atque in eadem furcà ſecundò ultimoque pendens, ingratam atque infelicem animam expuit, adeo etiam veriſſimum hic iſtud, recidivum gravius puniri, ſic diſponente mirabili ſimul & tamen etiam ſevera Dei providentia, quæ reum evocat ac rapit ad civile humanumque tribunal, in eo utique pro meritis plectendum.

Aliud accipe, & in eo ſuſpice ſeveriores divinæ Juſtitiæ Leges, quæ cùm minimè reris ſeſe in pœnas explicat, atque effundit.

Anno poſt Chriſtum natum 1603. Valladoli in æde D. Laurentio ſacra, unus aliquis turpioris culpæ reus, ac pœnitens, coram imagine D. Virginis, eò loci miraculis clara, hæc in æſtu orationis ad Divam Matrem.

Litt. Annuæ Provin. Caſtellanæ An. 1603.

O Domina ſi in hoc ſcelus (certum animo deſignabat) *iterum relabar, carnificis manu capite minuar.*

Dixit, & abiit; abiit, inquam, non tam à loco, quàm à ſeipſo; non tam corpore, quàm animo, qui ut erat leviuſculus & inconſtans, paulò poſt in idem crimen pudendum incidit. Primum tulerat, & diſſimularat inſignis Dei patientia; at non ſecundum; in illud animadvertit, & quidem via modoque mirabili, de quo ne ſuſpicari quis hominum potuiſſet, nedum invenire.

Nocte concubia adverſo ferro cæſus aliquis, & exanime cadaver abjectum in flumen; ut dum ſub aquis latet, lateret & ſcelus, & ſceleris author.

Et certè latuit; verùm (quæ Dei providentia admirabilis) dum inquiritur in authorem patratæ cædis; ille ipſe recidivus (cujus in præſentis memini) accuſatur, & licet inſcius atque innocens, nube tamen teſtium obrutus, capitis damnatur.

Intereà dum hæc aguntur in foro, evocatur de more unus è noſtris; ut veluti reo ad ſupplicium eunti ſit fidus comes, monitor opportunus, & conſeſſarius, adeſt ille, hominem monet, urgetque ut à ſententia utpote iniqua appellet ad altius tribunal, ut teſtes in judicium vocet, arguat, convincatque falſitatis, quod credebat non fore difficile, cognita jam ejus innocentia: renuit ille & quidem pertinaciſſimè, & ſic ad patrem. Errat enimverò, & nimium quantum aberrat in terris judex: hac in cauſa nec ego nocens, nec reus; verùm nec errat, nec aberrat ſupremus in Cœlo Iudex Deus, qui ob alia crimina damnari me patitur, nec impedit; ut ego impediam adduci me nunquam patiar. Juſtus eſt Deus, injuſtus ego. Volens, lubenſque, noxium dabo caput. Datam Dei Matri fidem feſelli, promiſſis non ſteti, violatæ fidei, violati & promiſſi reus, Cœlo judice teneor, & plector: ſtat ſic plecti, ſic & emori. Dixit, & cervicem carnificis ferro ſubmiſit, & vitam mortalem amiſit, donandus, ut ſpes eſt, immortali.

Vidiſti, Amice Lector, & ſuſpexiſti ultricem Dei manum, quæ cùm minimè expectes vindicat, ac ferit: bono tamen illius qui eam ſenſit atque admiſit, accipe & aliud, quem divina ultio relabentem percuſſit, & quidem ſuo malo.

Argentorati, decem hæretici comprehenſi, & per luſtrationem ferri candentis hæreſeos convicti, atque ad incendium damnati; dum autem ad deſtinatum supplicii locum ducerentur, Nobilis quidam ſic uni ex illis.

Delrio Diſq. mag. l. 4. c. 4. q. 4. ſect. 5.

Miſer in terris damnatus es, mox etiam damnandus in inferis: ſubeat te tui miſeratio, & dum licet pœnitentiam age, ne ex hoc igne ad æterna tranſeas incendia.

Paruit benè monenti, & hæreſim mox ejuravit, Catholicæ fidei additus, & ecce ſuavem Cœli, indulgentis gratiam, illicò manus ambuſta ſanatur; hoc miraculo liber dimiſſus, redit ad uxorem, quæ illi fuit, quod altera Eva; virum enim graviſſimè increpuit, movit, permovit, atque ad priſtinos errores reduxit. Et ecce tum illi, tum uxori gravior pœna Deo judice; mox enim & illius, & uxoris manus cæleſtis ignis adeò ambuſſit, ut cùm præ ingenti doloris ſenſu, domi non auderent vociferari, in ſylvas, ac nemora profugi, adinſtar luporum, ululatim quo ululatu primùm proditi, deinde & capti, denique in ignem, necdum planè extinctum injecti, futuri poſtea victimæ nil miſerantis orci.

Quod illi: hoc & aliis, etiam ſubinde & populis, quibus in eadem crimina relapſus: quo in genere ut notum; ſic & memorabile illud, quod refert Durandus in Rationali.

Lib. 6. c. 102.

Romæ ſub D. Gregorio Pont. Max. peſtis adeò deſævijt, ut paſſim homines in plateis, vel ſola ſternutatione, vel etiam oſcitatione, & peſtiferum aërem haurirent; & ſimul etiam mortem, unde videre erat in plateis, in compitis miſerabilem ab illa lue mortalium ſtragem: At unde hæc, & illa? Utique à recidiva, ut ſcitè notavit Durandus.

Ea quippe peſtilentis mali lues cœpit à feriis paſchalibus: in his populus Cœlo reconciliatus, à Deo gratiam uberem acceperat: at (quæ in malum eſt inclinatio) eam abjecerat, atque ad ſolitas artes, ad vetera flagitia, fornicationes, comeſſationes, aliaſque ſcelerum monſtra redierat. Quid deinde? Angelus divinæ juſtitiæ, velut adminiſter gladium vindicem uſque dum in vagina tenuerat, nec illum exemerat, niſi poſt populi in antiquus crimina relapſum. Enimverò tunc extulit, nec vaginæ reddidit, niſi poſt publicas preces, inſtitutamque à D. Gregorio ſupplicationem. Tunc enim viſus in arce S. Angeli, ultricem gladium rurſus in vaginam condidiſſe; fortè quia pœnarum jam ſatis, certè quia pœnitentiæ, lacrymis, gemitibus, dolorique datum ſatis.

His enim, nec aliis inflecti ſolet divina juſtitia, quæ ſi in ullos, certè in relapſos, ſolet acriùs animadvertere. Exempla petamus è ſacris paginis, firmior his erit fides.

Pharao,

Pharao, Rex Ægypti, rebelle Cœlo caput, poſt datam Moyſi fidem, poſt promiſſa, & fœdera, de dimittendo Dei populo, cùm & hæc, & illam ſæpè violaſſet, primùm minoribus flagellis, plagiſque cæſus, tum longè maxima, dum ipſe unà cum exercitu univerſo rubri maris fluctibus obrutus, ac ſepultus. Quod illi quondam, hoc & poſteris ætatibus, aliis ejuſdem farinæ hominibus, qui (ut advertit D. Chryſoſtomus) *non in rubro mari demergentur; ſed in ignis pelago, in quo ignei fluctus montium inſtar erigentur.*

In Matth. Hom. 44.

A Pharaone deſcendo ad *Davidem*. Et hic lapſus ſenſit ultricem cæli manum; ſed primò levius, deinde gravius cùm relapſus. Uxorem uriæ per grave nefas ſibi adſciverat, atque adulterium homicidio miſcuerat, adulter ſimul, & homicida. Videri poterat ingens ſcelus, & verò erat; at quia primum leviore pœna, id eſt infantis unius morte luit. At ubi relapſus eſt in ſecundum, ubi inſolenti faſtu populum recenſeri, numerarique juſſit, hæc culpa, etſi prima fronte levior videri poterat, quia tamen repetita, elui debuit multo hominum ſanguine, hoc eſt cæde ſeptuaginta millium, Angelo ſcilicet vindice, & divinæ Juſtitiæ adminiſtro. Adeò Cœlo, Superis, ipſique Deo inviſa eſt recidiva. Et tamen tam in hac, quàm in illa noxa, auditum fuerat illud Davidis, *peccavi Domine*, atque ab hoc remiſſa quidem culpa: ſed non ſimiliter & pœna. Ut & hæc, & illa tibi donetur, Amice Lector. Si fortè (quæ naturæ imbecillitas eſt) in peccatum aliquod letale es lapſus, vide ne poſt adeptam gratiam relabaris; ne periculo teipſum expoſueris, ne in eaſdem pedicas incideris. Plerique (inquiebat aliquando Tertullianus) *naufragio liberati, exinde repudium & navi, & mari dicunt.* Quod illi, hoc, & tu: jactatus es fœdo peccatorum ſalo, ejus fluctibus tantùm non obrutus, Dei beneficio liberatus, dic & navi, & mari repudium, & æternum quidem, dic repudium peccato, dic & occaſionibus peccandi, dic & malis ſociis, à quibus in eam malorum cymbam injectus es: dic, inquam, illis omnibus ſolemne repudium, dic longum, & æternum vale.

2. Reg. c. 24.

Lib. de Pœnit. c. 7.

TRACTATUS DE OPPORTUNIS RECIDIVÆ REMEDIIS.

ECCLESIASTÆ id uſu venit, quod medico. Huic non eſt ſatis, morbum, ejuſque cauſas omnes, æſtus, affectiones, damna, pericula ve pernoſſe, niſi etiam & remedia norit, adhibeatque opportuna:

Sic & illi non ſufficit; recidivæ, ceu periculoſæ ægritudinis, gravitatem, cauſas, damna, pericula, pœnaſque expoſuiſſe, niſi etiam & remedia explicet, admoveatve, tanto malo depellendo accommodata. Ea porrò dabunt, quæ deinceps inſcribentur pagellæ.

§. I.

REMEDIUM PRIMUM.

Recidiva ceu periculoſa ægritudinis. Spes ardua conjuncta cum juſto timore.

ECcleſiaſtæ id agendum quod medico. Hic ægrotum erigit ſpe bona recuperandæ valetudinis, ne animum abjiciat, ne remedia reſpuat, ſeu ea ſint à ſectione venæ, ſeu à potionibus amaris, ſeu ab inuſto cauterio, ſeu ab aliis quæ ſuggeret, ingeretque ars medica: ita tamen ægrum lactat ſuſtentatque ea ſpe, ut ſimul etiam timorem injiciat, ne ſe temerè objiciat periculis perdendæ valetudinis, & ſimul etiam vitæ, ab aliqua ſcilicet ſeu in victo, ſeu in affectionibus, ſeu etiam in äere, aliiſque quæ deforis accidere poſſent intemperie. Sic & Eccleſiaſtes (utpote animi medicus) cum recidivo, ceu ægro, ita ſe gerat, ut nec deſperet ille, nec præſumat: ſed ſpem veniæ gratiæque jungat pio ſuperûm Deique timori. Et ita jungendum cenſuit, docuitque Tertullianus, quo authore hìc utar: ait enim primò cavendum vel maximè, ne de domini clementia plus æquo quis præſumat, ideoque

I. *Præſumptio cavenda.* *De Pœnit. c. 7.*

Piget, inquit, *ſecundæ; imò jam ultimæ ſpei ſubtexere mentionem, ne retractantes de reſiduo auxilio, pœnitendi ſpatium adhuc delinquendi, demonſtrare videamur. Abſit ut aliquis ita interpretetur, quaſi eo ſibi nunc pateat ad delinquendum; quia patet ad pœnitendum; & redundantia clementiæ cæleſtis libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcircò deterior ſit (quia Deus melior eſt) toties delinquendo, quoties ignoſcitur.*

Cæterum finem utique evadendi habebit, cùm offendendi non habebit: evaſimus ſemel, haẞtenus periculoſis noſmetipſos inſeramus, etſi iterum evaſuri videmur.

Ubi iſta de vana illa præſumptione extulit, tum adjicit quæ faciunt ad illius fugam, argumento petito à ſimili.

Plerique, inquit, *naufragio liberati, exinde repudium & navi & mari dicunt, & Dei beneficium (ſalutem ſuam ſcilicet) memoria periculi honorant.* Tum addit quæ conducunt ad vim & laudem illius repudii; & ſic ait.

Laudo timorem, diligo verecundiam, nolunt iterum divinæ miſericordiæ oneri eſſe, formidant videri inculcare, quod cõſecuti ſunt. bona certè ſollicitudine, iterum experiri vitant, quod ſemel didicerũt timere. Ita modus temeritatis, teſtatio eſt timoris. Timor autem hominis, Dei honor eſt.

II. *Timor inducendus.*

Poſtquam hæc de juſto Dei timore pronuntiavit Tertullianus; tum ſubjicit illius cauſam petitam ex genio mali dæmonis, qui tum imminet magis, quàm aliàs unquam.

Pervicaciſſimus hoſtis, inquit, *nunquam malitiæ ſuæ otium facit: atquin tunc maximè ſævit, cum hominem plenè liberatum ſentit, tunc pluſimùm accenditur, dum extinguitur.* Cauſam ſi quæras illius pervicaciæ, illius & ſævitiæ, hanc reddit.

Doleat, & ingemiſcat neceſſe eſt, venia peccatorum permiſſa, tot in homine mortis opera diruta; tot titulos damnationis retro ſuæ eraſos, dolet, quod ipſum & Angelos ejus Chriſti ſervus ille peccator judicaturus eſt.

Itaque obſervat, oppugnat, obſidet, ſi quà poſſit aut oculos concupiſcentia carnali ferire, aut animum illecebris ſecularibus irretire, aut fidem terrenæ poteſtatis formidine evertere. Non ſcandalis, non tentationibus deficit, non parcit; ſed quà poteſt, alias atque alias congerit, ut iis quaſi machinis quibuſdam animam a priore peccato jam liberam impugnet, expugnetque. Ne porrò expugnet prudens cave: *& ſi tibi indulgentia Domini accommodat, unde reſtituas, quod amiſeras, iterato beneficio gratus eſto; majus eſt enim reſtituere, quam dare; quoniam miſerius eſt, perdidiſſe, quàm omnino non accepiſſe.*

III. *Exhibenda gratitudo.*

Hæc

Hæc Tertullianus, ut avertat à relapſu in aliud atque aliud peccatum, in quod tamen (quæ humanæ inconſtantiæ eſt miſeria) ſi fortè reincideris, IV. Deſperatio fugienda. *non ſtatim ſuccidendus, ac ſubruendus eſt animus deſperatione. Si ſecundæ pœnitentia quis debitor fuerit, pigeat ſanè peccare rurſus, ſed rurſus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, ſed non iterum liberari, neminem pudeat. Iterata valetudini iteranda medicina eſt.*

Hæc ille, ut animos faciat altiores, etiam ad ima vitiorum relapſis, & hoc quidem ex ipſius divinæ bonitatis in nos inclinatione. *Offendiſti*, inquit, *ſed reconciliari adhuc potes.*

Habes cui ſatisfacias, & quidem volentem. Quid enim De Pœnit. c. 8. *aliud illa ſimilitudinum Dominicarum argumenta nobis volunt? Quod mulier Drachmam perdidit & requirit, & repetit, & amicas ad gaudium invitat, nonne reſtituti peccatoris exemplum eſt?*

Errat & una Paſtoris ovicula: ſed grex unâ carior non erat; una illa conquiritur, una præ omnibus deſideratur, & tandem invenitur, & humeris Paſtoris ipſius refertur: multum enim errando laboraverat.

Illum etiam mitiſſimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, & poſt inopiam pœnitentem, libens ſuſcipit, immolat vitulum præopimum, convivio gaudium ſuum exornat. Quidni? Filium enim invenerat, quem amiſerat, cariorem ſenſerat, quem lucrifecerat.

Hæc ubi protulit divinarum ſimilitudinum exemplarium inquirit. *Quis ille nobis intelligendus eſt pater*, & reſpōdet; *Deus ſcilicet: tam pater nemo, tam pius nemo.*

Is ergo te filium ſuum, etſi acceptum ab eo prodegeris, etſi nudus redieris, recipiet; quia rediſti, magiſque de regreſſu tuo, quàm de alterius ſobrietate lætabitur. Sed ſi pœniteat ex animo, ſi famem tuam cum ſaturitate mercenariorum paternorum compares, ſi porcos, immundum relinquas pecus, ſi patrem repetas vel offenſum: deliqui dicens pater, nec dignus ego jam vocari tuus. Tantum, ſcilicet, *relevat Confeſſio delictorum.*

Hæc Tertullianus ſtylo altiore, ut lapſum relapſumve levet, atque erigat, ne unquam in profundum deſperationis barathrum incidat: Qui enim incideret, ſi modo Deum ſe patrem habere noverit? ſi ſciat ſe vel ea eo recipiendum, quòd redierit? relevandum vel ex eo tantùm quòd delictum fateatur? quòd Sacra Exomologeſi animum expurget? Hæc nimirum eſt, quæ cùm *provolvit hominem, magis relevat, cùm* Tertull. ſupra, c. 9. *ſqualidum facit, magis mundatum reddit: cùm accuſat excuſat, cùm condemnat abſolvit.* Sed ne fuſius; de hoc ſuus poſtea erit dicendi locus.

§. 2.
SECUNDUM REMEDIUM.
Celer, & feſtina mali curatio.

IN pravis affectionibus (quæ morbi ſunt animæ) Malus affectus initio quid ſit? evenit quod in morbis corporis: in his celer & feſtina mali curatio ſit oportet; ut enim vetus illa Poëtæ parœmia.

Principiis obſta, ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

Hinc prima medici cura, primuſque labor eſt, morbum priuſquam invaleſcat aggredi, atque depellere, ne ſi mora roboretur, aut difficillima ſit, aut etiam impoſſibilis illius curatio.

Quod in morbis, hoc & malis affectibus, In his ſi moram feceris, ex mora naſcetur conſuetudo, ex conſuetudine neceſſitas, ex neceſſitate impoſſibilitas curationis. Hinc ſtatim, vel in ortu ſuo extingui debet: quod Divi Patres, aliis, atque aliis ſimilitudinibus oſtendunt, & quaſi ſub oculos ponunt.

D. Hieronymo affectus malus, hoſtis eſt; ſed primò adhuc parvulus, & velut infantulus; elidi debet, Quaſi infantulus. & ſuffocari, etiam in cunis, ne lapſu temporis atque annorum adoleſcat, & quaſi in virum abeat; imò & gigantem, quem ut maximè velis, edomare, vinceréque non poſſis.

Hinc illi oportuna monitio miſſa olim ad *Euſtochium* virginem, de cuſtodia virginitatis. *Dum* Epiſt. 22. *parvus eſt hoſtis, interfice*, ne ſi adoleſcat, ſi annis roboretur, teipſum interficiat. Certè evenit pravis affectionibus, quod ætatibus. In infantia ſuffocari quis poteſt, nullo propè negotio; in pueritia paulò difficilius, in adoleſcentia, in ætate virili, vix tolli poteſt è medio, certè nonniſi magno niſu: ſic & in affectibus depravatis; habent enim & hi ſuas ætates; primùm enim tenelli ſunt, & frangi faciles, ut infantia, dein evadunt quaſi in pueritiam, & difficilius flectuntur, tum aſſurgunt altius, & quaſi in adoleſcentiam ac maturitatem evadunt, & tunc difficillimè ſuperantur, ideóque benè providus, benè cautus; imò & judice Vate Regio: *Beatus is qui tenebit, & allidet parvulos tuos* (vel, ut alii, ſuos) *ad* Pſ. 136. v. 9. *Petram.*

Exemplum producit hoſtilis, & militaris ſævitiæ, quæ nec ſexui parcit, nec ætati. Ea quondam fuit Hunnorum, qui infantulos è ſinu matris ereptos illidebant, atque elidebant ad petram, ſaxumque duriſſimum

Ea quoque *Brunechildis*, Gothicæ Medeæ crudelitas, quæ trucidans Theodeberti filios, ex his Merovæum natu minorem, in albis poſitum, ut ſolent Catechumeni, alliſit ad Petram, & ſic animam illius è corpuſculo expulit.

Ea etiam fuit impii Herodis ſævitia in infantes, quos è gremio matrum extractos, ut nonnullis placet, elidi curavit, atque ad Petram confringi, ratus idem futurum & Chriſto jam nato.

Sed hæc ſumma eſt, & damnanda penitus inhumanitas: at laudandum illud, & omninò probandum quod hinc ad mores transferunt Sancti Patres, qui per *parvulos* intelligi volunt motus primos quibus incitamur ad malum, ipſaque vitiorum initia, quæ ad Petram, id eſt Chriſtum, allidi debent, atque elidi; hoc eſt in principio ſtatim reprimi, atque comprimi, ne mora longiore invaleſcant atque roborentur. Illud profectò facilè, hoc autem longè difficillimum: ut enim rectè Seneca. *Facilius eſt initium affectuum prohibere, quàm impetum regere.*

Nullum, inquit, *vitium eſt ſine patrocinio, nulli non* Epiſt. 116. *initium verecundum, & exorabile; ſed ob hoc latius funditur. Non obtinebis ut deſinat, ſi incipere permiſeris.* Cujus cauſam hanc reddit ex ipſa natura hauſtam.

Imbecillus eſt primò omnis affectus; deinde ipſe ſe concitat, & vires dum procedit, parat: excluditur facilius, quàm expellitur. Quo etiam ſpectat & illud Latini Oratoris. *Quæ naſcentia vitioſa ſunt, eadem creſ-* Tuſcul. Qq. l. 4. *centia ſunt pernicioſa*, & quidem magis ac magis.

Diſce illud uno alteróve exemplo ex antiquitate petito. Primum erit è D. Auguſtini lucubrationibus. Sic ille:

Neſcio quis tædium patiebatur à muſca, invenit illum Manichæus tædio affectum; & cùm diceret ſe non poſſe pati muſcas, & odiſſe vehementer illas. Statim ille. Quis fecit has, inquit. *Et quia tædio affectus erat, & oderat illas, non auſus eſt dicere, Deus illas fecit. Erat autem Catholicus: ille ſtatim ſubjecit, Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Planè ait ille. Ego credo, quia diabolus fe-* Tract. 1. in Joan. c. 1. *cit muſcas. Et ille ſtatim. Si muſcas diabolus fecit, ſicut te video confiteri, quia prudenter intelligis, apem quis fecit, quæ paulò amplior eſt muſca? Non auſus eſt ille dicere Deus fecit apem, & muſcam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locuſtam, à locuſta ad lacertam, à lacerta ad avem, ab ave duxit ad pecus, inde ad bovem, inde ad elephantem, poſtremò ad hominem, & perſuaſit homini, quia non à Deo factus eſt homo.*

Hæc ubi dixit Auguſtinus; tum conficit funeſtum illud, atque deplorandum. *Ita ille miſer, cùm tædium*

paſſus eſſet à muſcis, muſca factus eſt, quem diabolus poſſideret. Eò ſcilicet elapſus in barathrum vitiorum, ac malorum, quia ſtatim initio tentanti non reſtitit, quia vel modicæ moleſtiæ, quam à muſca patiebatur, indulſit, eaque abripi ſe paſſus eſt, inde in hæreſim, atque ab una hæreſi in aliam atque aliam elapſus. Tanti ſcilicet intererat in primo ſtatim limine, *parvulos ſuos*, id eſt affectiones ad Petrum, & Petri fidem, ceu Petram, alliſiſſe.

Doctr. 2. Huic exemplo perſimile eſt iſtud, cujus meminit D. *Dorotheus*, qui cùm quempiam laudari audiſſet, contemnens, primò poſtpoſuit Abbati Zozimo; deinde cæteros omnes Macario. Poſtea hunc Baſilio, & Gregorio: tum hos Petro, & Paulo, tum etiam aſſeruit, nihil habendum in pretio præter Trinitatem. Denique nihil hanc præ Deo & ſic in ipſummet Deum inſolentius ſurrexit, exarſit, intumuit. Ecce ut à parvis initiis, atque ab unius hominis contemptu, ut videtur leviuſculo, fit præceps lapſus ad alia atque alia vitiorum monſtra.

Tanti refert etiam hîc parvulos ſuos tenuiſſe, hoc eſt cœpiſſe, apprehendiſſe, corripuiſſe, & fortiter conſtrinxiſſe: imò & ad Petram, id eſt Chriſtum, Chriſtique virtutes alliſiſſe, ex ejus ſcilicet norma affectiones omnes vitamque exigendo.

Et hoc quidem, dum affectus quaſi parvulus, quaſi infantulus eſt, necdum adoleſcens, necdum vir, necdum gygas; ſi enim in hunc evaſerit aliquando, certè ſuccumbes: ne porò ſuccumbas audi quid uni cuipiam; imò quod fors, & tibi exprobret. *Bacchiarius*, author non infimæ notæ. *Et tu expectas donec gygas inimicus tuus efficiatur?* Expectas certè; ſed damno tuo, ſed clade tua, ſed tui victoria; à qua concides, primò in miſerabilem peccati ſervitutem, dein etiam in barathrum damnationis æternæ. Non concidiſſes, ſi dum affectus adhuc erat parvulus, eliſiſſes.

Epiſt. ad Ianuarium.

Ezechiel triſti nænia, triſtiore ſymbolo depinxit olim ſolymæ cladem, & filiorum Joſiæ: ſimbolo, inquam leunculi, qui deinde *factus eſt leo, & didicit capere prædam, hominemq́ comedere.*

Cap. 19. v. 5.

Ut abeam à littera, atque ad mores tranſeam, *Leunculus* ille, eſt perverſus animi affectus, paſſioque inſolens: cui evenit, quod leunculo. hic dum parvulus eſt, dum ex nomine ſuo, leunculus, cicurari poteſt, domari poteſt: at ſi evaſerit in leonem, ibit illicò in prædam, irruet in homines, in agros, vaſtabit oppida, deſolabit omnia: ſic & pravus affectus animi, dum tener eſt, dum molliculus, & novellus, cicurari poteſt, domari poteſt ut leunculus: at ſi lapſu annorum, & longo pravæ conſuetudinis uſu vires accipiat, fiatque leo, tum in prædam ruet, invadet hominem totumque vaſtabit, ac perdet: ideoque ſi ſapis dum juvenculus eſt, cavea retine, cohibe, doma, flecte, frange: tum enim potes, poſtea non poteris: Et hoc tibi ſub aſpectum ponit, qui illius ſymbolum eſt leunculus: ſed & aliud, quod & extulit D. Hieronymus, cui affectio animi ſemen eſt: ſic enim ad Euſtochium.

II. Quaſi leunculus.

III. Quaſi ſemen.

Supra.

Nequitia, ne zizania creſcant, elidatur in ſemine: modicum eſt ſemen, diſſipari poteſt, erui poteſt, ſuffocari poteſt vel digito; at ſi humore affuſo germinare, creſcereque patiaris, primò fit planta, dein arbuſcula, tum arbor prægrandis, quæ & radices profundius agat, & brachia quaquaverſum extendat, & aëri caput inferat: ſic & perverſa mentis affectio, ſemen eſt illi à malo dæmone inſitum, in principio ſupprimi poteſt atque extingui: at ſi radices agat, ſi germinet, ſi pullulet, ſi creſcat, in immenſum excreſcit, ſic ut nec poſtea eradicari poſſit, nec reprimi, nec cohiberi, nec ullis terminis contineri.

Exemplo res erit illuſtrior. Sit levis oculorum conjectus in formam amabilem, ni ſtatim avertas, ni revoces, ex illo naſcetur cupido, ex cupidine libido, ex libidine oſcula, ex oſculis complexus, ex his ſtuprum, adulterium, inceſtus, aliaque prohibitæ veneris monſtra. Ecce quæ mala germina à modico ſemine, ſuffocari hoc potuit, cùm primùm animæ ceu ſubacto ſolo immiſſum eſt; ubi excreverit, non poterit. Hinc opportunum & illud D. Cyrilli Hieroſolymitani de eodem malo ſemine. *Priuſquàm floreat radicitus erue malum.* Addo ego priuſquàm & germinet: malum enim germen cupido, malum & libido, ſupprimi debet & conteri, dum ſemen; uti & ſcintilla extingui, dum ſcintilla eſt. Et hinc mihi datur aliud depravatæ affectionis ſymbolum, quod & attulit D. Chryſoſtomus.

Catechesi 2. de Pœnit.

Excitatur, inquit, *in animo primus motus, iſq́ malus, ſcintilla eſt, aut modicum ſtuppa accenſa: age faciamus quod ab hac ſolet.* IV. Quaſi ſcintilla.

Etenim poſtquam in domo aliqua parum ſtuppæ accenſum videmus, conturbamur, & tumultum movemus: non enim attendimus initium; ſed ex initio finem. Parva quippe ſcintilla contempta ſæpè magnum excitavit incendium: & hinc in domo motus ille, turbatio, tumultus etiam ad ſcintillam, etiam ad puſillum ſtuppæ accenſæ, quia ut rectè Orator Aureus, *non attendimus initium: ſed ex initio finem. Initium ſcintilla* eſt, ſtuppa eſt & flammula levis, quam levior aura diſſipet: *at finis incendium*, quod non extinguant flumina, nec propè maria: & quia prudentis eſt ſpectare finem non initium, hinc turbatio, commotio, tumultus etiam ad ſcintillam.

In Pſal. 14.

Quod huic, idem & paſſioni cuilibet: puta iræ vindictæ, aut alterius ejuſmodi; ſcintilla primùm eſt; ſed quæ evadet in magnum incendium: ſi ſapis reprime, ſuffoca, extingue dum ſcintilla eſt, fruſtra dum erit incendium: exemplo res ea ponetur in aperto. Sit in potente impotens ira, adhuc ſcintilla eſt, extingui poteſt, ſuffocari poteſt, vel extremò digito: at ni extinxeris, ni ſuffocaris, in vindictam ibit; ibit in cædes, incendia, rapinas, ſtrages, & buſtum miſerabile ſubinde Civitatum, ſubinde etiam & Regnorum: tanti intererat ſcintillam extinxiſſe, vel ſaltem levi flatu diſſipaſſe.

Addo cum eodem D. Chryſoſtomo, primus motus, primaque inſurgens paſſio, *gutta* eſt & modicum ſtillantis aquæ; ſed *gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.* Et paſſio eadem ſæpe ſæpius repetita ſæpiſſimeque in animum incidens, ſenſim ſine ſenſu robur illius enervat omne. V Quaſi aquæ gutta.

Exemplum erit in Sampſone, virorum fortiſſimo, ſemel iterum, ac tertiò Dalilæ amore captus, eidem etiam iterum, iterumque illuſit: at tandem & ipſe captus, oculis orbatus, irriſus, exploſus, ac ruina propria conſepultus.

Et illud unde? ab effuſa primò amoris guttula, ab eadem deinde ſæpe, ſæpius, ſæpiſſimè infuſa, & libertatis & vitæ naufragium fecit.

Uti & navis, quæ in ſentina aquam guttatim recipit, tandemque illius mole mergitur; & hoc etiam unde? quia incautus Nauclerus aquam guttatim admiſit, nec citò emiſit cùm potuit. Et hæ ſunt ſimilitudines quas nobis intulit os illud aureum, ut alieno periculo, alieno & malo faceret benè cautos.

Aliud deinde attulit ille ipſe S. Præſul; primùm enim malum infuſum humanæ menti à culpa letali componit cum modico veneno; hoc ſi demittatur in ſtomachum, ſi effundatur in jecur, ſi ſpargatur in venas, maſſamque ſanguinis, inficiat atque corrumpat: fruſtra eſt antidotum omne, inde *medici*, inquit, *venenum primò ſerpens atque emanans maxima celeritate, ne ulterius progrediatur, ſiſtunt ejus vitium incidentes*: ſic & nos vitium animi incidamus oportet, ne longiùs ſerpat. VI. Quaſi modicum venenum.

Quod & oſtendit in vulneribus, tum corpori à ferro, tum animæ à peccato inflictis: *neglecta quippè*

peccato-

VII. Quaſi vulnera; ſed parva.

peccatorum vulnera, ſæpè majora evadunt, ſæpè & incurabilia, uti & corporum.

Ne porrò ſic evadant, adhibenda illicò medica manus, & ferrum, & ignis, ſi ratio vulneris exigat: Et hæc, pro eo recidivæ remedio, ſint ſatis, ad alia deſcendo.

§. 3.

TERTIUM REMEDIUM.

Cita quidem curatio; ſed non immodica; ſed non violenta.

IN morbis animi, qui à peccato ſunt, idem uſu venit, quod & in morbis corporis; his obſiſtendum, his & medendum ſtatim à principio, ne mora longiore invaleſcant; ita & illis, ſed non immodicè, non violentè, ſuus enim modus, ſua adhibenda moderatio, cùm & corpori, cùm & animæ paratur medicina, nec omnia præproperè, nec ſimul applicanda remedia; ſed paulatim, & ſenſim ſine ſenſu.

Si medicus potiones omnes medicas, in unum veloti cumulum congerat, nec illas patietur æger, nec feret ipſe morbus; ſi venæ ſectionem, ſi miſſionem ſanguinis, ſi & uſtionem illis jungat ſine mora, ſine aliqua temporis intercapedine, ægrum potius tollet, quàm ſanabit: ut ſua morbi habent intervalla; ſic & remedia: ut illi ſuas criſes; ſic & hæc: iis proinde utendum probè. Et ita quondam uſi Divi Patres, ceu periti animarum medici: in horum ſchola benè doctus religioſus aliquis, ætate quidem juvenis; at prudentia maturus.

Patiebatur hic permoleſtos & importunos animi motus à gulæ illecebris, quibus indulſerat in ſæculo, & à quibus ita laborabat in clauſtro, ut ſuus non eſſet: vix enim primo diluculo è ſtrato ſurrexerat; cùm qui in viſceribus erat hoſtis importunus urgebat. Is erat immodica fames, & propè canina, cui ita parere inſueverat ut vix jejunum unquam ſol vidiſſet. Quid igitur remedii? Ex monaſterii legibus, ac ſtatutis, hora prandii erat tertia, eáque poſt meridiem, adulto jam ſole; imò in occaſum propè vergente, expectate tamdiu, & interea famem fallere, famem ſuſtinere, quis modus, quæve ratio? Venter jejunus, non habet aures, non audit monentes, non patitur leges? Quid ergò? Hoc adinvenit remedii, & ita ſibiipſi. A prima abſtinens ero, ad tertiam uſque, & ne cogitabo quidem de diei reliquo.

Cùm aderat *tertia*, tum ſibi ipſi dicebat in aurem, mihi temperabo ad *ſextam* uſque. Et interea famem fallam, aliis, atque aliis occupationibus, atque curis.

In vitis PP.

Audiebatur *ſexta* tum & ſibi ipſe. A *ſexta* ad *nonam*, quid ſunt niſi tres horulæ? Ecquid illæ ad virum? Pulſabatur ad *nonam*, tum etiam & ſibi. Si à *tertia* ad *ſextam*, & à *ſexta* ad *nonam*, jejunus exegi tempus illud omne, quidni ad *veſperas* uſque? Pro tribus horulis, quæ ſuperſunt jejunium frangere, violare monaſterii leges, quæ ratio? quæ prudentia? Interea tamen modicum panis, aquâ macerabo, ut poſt *veſperas* paratius ſit prandiolum. Sic iſte cum fame ludere, ſic colludere cum ingluvie, cumque gula, & ſic illi etiam innoxiè illudere ſolitus.

Si prono quaſi impete in domeſticum hoſtem, id eſt famem, irruiſſet, incurriſſet, involaſſet, ſi uno quaſi ſaltu à *prima* ad *nonam*, & ab hac in veſperas uſque tranſiliiſſet, nunquam aut ſui, aut famis victor fuiſſet. Sed quam non vicerat impetu, vicit, fregitque morâ, & cùnctando ſe ſibi quaſi reſtituit.

Reſtitutum amavit, probavitque Deus, & eò quidem ut ex inde nullam à fame, guláve moleſtiam ſenſerit. Tanti refert ſeipſum vel ſemel generosè viciſſe. D. Bernardus Veteranus in hac palæſtra miles, & verbo, & exemplo quanti interſit illud aliquando docuit.

Pro inſigni, quo erat animarum zelo, peccatorem ad omnia propè vitia proſtitutum tentarat ſæpiùs, & à baccho, & à venere, & ab aliis ſcelerum monſtris abducere; ſed ſemper irrito conatu. Hinc pio Præſuli, gravior incumbens cura, mœrorque angitur enim, ac mœret quiſquis ardet zelo animarum, & dolores patitur quaſi parturientis.

Quid igitur? Ad divina Præſidia confugit, cùm deſunt humana, Cœlum orat, obſecratque pro ſalute illius animulæ, nec fruſtra: hanc enim ab oratione illi mentem injecit Deus. Peccatorem rurſum aggreditur, & hæc illi in aurem.

Amice, noſti probè quoties benè monentem repuleris improbè. Rogavi qua potui, & obteſtatus ſum per ſalutem tuam, per quidquid in terris, in Cœlis ſanctum, ut vitam mutares in melius, ut cum Deo tuo, à quo averſus es, redires in gratiam: ſurdo hactenus cecini. Non ignoro, quàm difficile ſit, quàm arduum abire ab inveterata conſuetudine, & uno quaſi niſu omnia peccatorum vincula diſſolvere, unoque momento ſunem, quem ipſe tibi texuiſti rumpere. Sed age mihi morem gere. geres autem non difficulter; quod enim peto, mora eſt exigua, & velut induciæ paucorum dierum cum Deo tuo, quo cum tibi eſt acre & diuturnum bellum.

At inquit ille, quot dierum? nec enim diu abſtinere poſſum à ſolitis meis voluptatibus, atque illecebris: trium dumtaxat dierum ait Bernardus. Trium inquit ille? & hoc multum eſt, non auſim polliceri, meipſe enim novi. Cui Bernardus, quidni? in Deum credis? & in Deo uno Triadem? age da Sanctiſſimæ Triadi tres dies, ſingulis ſcilicet perſonis dies ſingulos: quid enim minus à te exigere poſſunt, quàm ſingulæ diem unum bonæ vitæ; poſt tot annos peſſimæ, maximè collatis in caput tuum beneficiis. Quod enim es, debes æterno Patri, qui te condidit: quod redemptus Filio, qui tui cauſa carnem induit, vitam fudit & ſanguinem.

Denique quod aliquando benè fueris, hoc eſt juſtus & Sanctus, Spiritui Sancto qui te ſua gratia, & juſtum fecit & Sanctum.

Hæc ut audit peccator: faxo inquit, quod petis. Ita fiet. Meipſe continebo diebus tribus, nec in ſolita ſcelera elabi patiar. Interea Bernardus coram icone SS. Triadis in genua procidit, & tres illos dies orando inſumit: iiſque exactis hominem convenit, & promiſſi rationem exigit, cui ille. Promiſſis enimverò ſteti, fidem ſervavi, nec antiquæ indulſi voluptati, mihi quippe vim feci, ſed nonniſi ingenti niſu. Tum Bernardus, vides inquit, quod etſi arduum ſit iſtud, non tamen adynaton: ſi modò Cœlo benè monenti, benè propitio parere velis, atque obſequi gratiæ vocanti.

Agedum ergo, adjice & tres alios dies, atque à peccatis abſtine: exiguum eſt ſpatium: ſi primò potuiſti, quidni & ſecundò? Da iſtud Mariæ nomini, da ejus amoribus, da & honori. Eſt illa Dei Patris filia, eſt Filii Auguſta Mater, eſt Sponſa Divini Spiritus. Da tribus iſtis titulis tres continenter dies, da ſingulos, ſingulis.

Potes ſi modo velis, & verò quidni velis? Erit illa tibi Mater, & nimium quàm blanda, quàm miſericors Mater. Erit & apud Æternum Patrem pro te mediatrix. Erit apud Filium tuì aliquando Judicem, Patrona. Erit & advocata apud Spiritum Sanctum. Da igitur illis, da & tibi, trium dierum inducias.

Ad hæc peccator. Do, inquit, & cedo libens quas petis inducias, cedo tres omninò dies, quos dabo innoxiæ vitæ, ſed vix amplius. Quis enim ſim novi.

Interim Bernardus ad pias redit artes, ad conſueta Cœli ſubſidia, ad Divæ Matris, Divæ Virginis opem, pronus in genua labitur, & Matri ſuæ id eſt Mariæ,

pro peccatore illo, fit ſupplex, orat exoratque, redit poſt tres dies ad hominem, & facti rationem expoſcit, auditque primò datam fidem exolviſſe, nec in crimen ullum incidiſſe, ſaltem quod alicujus eſſet notæ; deinde quod difficultate longè minori. Affluxerat nimirum à virgine gratia, atque ab hac Cœli favor atque indulgentia, cui nihil impoſſibile, difficile ſit nihil.

Tum hic S. Præſul. Viden', inquit, ut benè ceſſerint ex induciæ, ut propè cum illis pax alta cum Deo: ſed agedum, ut diuturnior ſit, concede & tres alios dies, quibus innoxis ducatur vita, atque illibati mores. Concede, inquam, id ſanctis omnibus, eorum cultui, eorum & amori. Si annuis, erunt illi in Cœli Regia tibi Patroni, erunt & amici: ſi renuis & inimici erunt, & judices, & vindices. Vide quid ex illis mavelis.

Annuit ille tertiùm, & ſanctè adpromittit, ſervaturum ſeſe. Et Bernardus ad ſolita revertitur orationis ſubſidia, Sanctos omnes invocat pro reo, pro peccatore, & hoc quidem per tres continenter dies, à quibus ſua ſponte redit ille, atque ad Tutelaris ſui, id eſt Bernardi pedes accidit, nec jam ut ante, tres, ſex, novémve dumtaxat dies: ſed vitam omnem ſpondet, ſanctè & religioſè tranſigendam, quod & præſtitit. Tanti fuit in Bernardum incidiſſe, & ſi recidiva, morbus eſt animæ, etiam tanti in peritum illius curandæ medicum incurriſſe.

Ex pio illo, & religioſo ſtratagemate, tria conſici, & probè annotari velim.

Primum, ut ſi quis aliàs inveteratus in malo peccator ad meliora reſipiſcere velit, is non proponat ſibi terminum æquo longiorem, ne cadat animo, ne deſperet de futura vitæ emendatione.

Secundum, ut ſi fortè quis rem habeat, cum eo, qui longa & inveterata conſuetudine in malum pronus eſt, atque implicitus, inſignem D. Bernardi manſuetudinem, atque patientiam imitandam ſibi proponat, ratus plus hac & illa effici, quàm aut terroribus, aut minis. *Non agrè, non duriter,* inquit Auguſtinus: *ſed magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando.*

Tertium, quod ſicuti D. Bernardi apud Deum, & ſuperos preces multum attulerunt momenti ad illius converſionem in melius; ſic & qui aut in Spiritu Pater eſt, aut alicui à confeſſionibus, pro eo apud Deum, Dei Matrem, & Superos ſupplex veniat, certus rem animæ magis precibus promoveri, quàm re ulla quapiam

§. 4.

QUARTUM REMEDIUM.

Fuga periculi & occaſionis peccandi.

DIvi Patres, qui omnia propè Scripturæ oracula traducunt ad mores ritè formandos; in Lazaro primum mortuo, dein etiam ſepulto, denique & quatriduano jam fœtente agnoſcunt typum peccatoris. Qui à letali crimine primò mortuus gratiæ, mortuus & Cœlo Deoque: tum etiam à recidiva in peccatum, veluti tumulum conſepultus, tum ab inveterata in malum conſuetudine, jam non ſolum quatriduanus; ſed & menſtruus, ſed & annuus, adeoque tabidus ac fœtens. Et hoc primùm ex myſticæ illa ac Tropologica hyſtoriæ Lazari ſuſcitati interpretatione, cui addunt & alterum ex eadem Tropologiæ licentia.

Hoc nimirum, quod in eodem Lazaro primùm à morte, ceu letali ſomno excitato; tum etiam juſſo exire è ſepulchri nocte; denique & juſſo longiùs abire, ex hoc inquam colligunt, conficiuntque iidem Sancti Patres, qui à peccato letali ceu dira morte excitari; qui etiam à ſepulchri nocte tenebriſque, ceu inveterata conſuetudine abire debeat peccator: qui denique etiam ſolvi, & exire longiùs à peccandi occaſionibus, ac periculo.

Hæc inquam omnia in ipſo Lazaro, ceu typo quodam, ceu umbratili quadam ſcena exponunt, & quaſi ſub oculos ponunt.

Juvat illos audire, ſimulque rationem ac modum quo reſuſcitatus eſt Lazarus, unaque etiam quo excitandus peccator, cujus ille typus eſt: ut venit ad tumulum Servator optimus, primò mandavit revolvi lapidem, dein exclamavit voce magna,

Lazare veni foras. In quæ verba ſic olim D. Gregorius, qui totus incumbit moribus rectè fingendis. Ioan. c. 11. v. 43.
Lazarus nequaquam dicitur, reviviſce: ſed veni foras: omnis quippe peccator, dum culpam ſuam intra conſcientiam ſuam abſcondit, introrſum latet in ſuis penetralibus occultatus: ſed mortuus venit foras, cùm peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Hom. 26. in Evang. *Lazaro ergo dicitur veni foras, ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur, cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id eſt culpam confiteatur peccator.*

Hæc S. Pontifex, ex quo conficis, quod interna peccati confeſſio, non ſit ſatis ad animæ vitam recipiendam, niſi acceſſerit externa cùm urgeat incumbens confeſſionis præceptum.

Et hoc primùm à Lazaro mortuo; alterum eſt iſtud. *Veni.* Nec enim dicit Salvator, *redi ad vitam*; Lib. 83. Qq. 65.
ſed exi à monumento, ut ſcitè notat D. Auguſtinus. Ecquid enim profuiſſet Lazaro vitæ redditum eſſe, atque interea intra tumuli noctem latere, & terræ mole adhuc opprimi, mox deinde morituro? Quî enim diu viveret? Quî ſpiraret? Quî liberum hauriret aërem in monumenti anguſtiis? Certè nequaquam:

Quod Lazaro; hoc & peccatori ſuis in ſceleribus mortuo, ac ſepulto. Ecquid enim huic proderit per confeſſionem exiſſe foras, hoc eſt, extra conſcientiæ tumulum, ac latebras, niſi etiam exierit ab ipſo monumento, hoc eſt, ab incitamentis & occaſionibus relabendi in eaſdem tumuli, id eſt ſceleris anguſtias? Certè aut perparum proderit, aut nihil. Et hoc ſecundum à Lazaro ſepulto documentum.

Tertium eſt iſtud. *Solvite eum, & ſinite abire.* profectò enim commodi parum, parum & beneficii accepiſſet Lazarus, ſi è monumento quidem eductus, & extractus foras: ſed adhuc vinctus, ſed monumento proximus, & quaſi imminens manſiſſet; Ideoque & ſolvi jubet, & liberum abire longius; quamdiu enim illi vicinus, atque, ut dixi, imminens, in illud relabi poteſt.

Quod Lazaro: hoc & recidivo. ſolvatur ille neceſſum eſt à peccati vinculis, quibus aſtrictus jacuit in monumento inveteratæ conſuetudinis, tum ſolutus, ut abeat, & quidem quàm longiſſimè procul à peccandi periculo: ni ſic abeat ſecurus non eſt. Excipe quid ad hunc, & quid etiam ad te, ſi is ſis, dicat D. Gregorius Nazianzenus.

Cave, inquit, *ne rurſum moriaris, iiſq; qui in ſepulchris habitant aggregeris, ac peccatorum tuorum funibus conſtringaris: incertum enim eſt, an rurſus ex ſepulchro excitaberis, uſque ad poſtremam reſurrectionem, quæ quidquid factum eſt, ad judicium adducet, non ut curetur, ſed ut judicetur.*

A tribus cavere te vult S. Præſul, primò ne rurſum moriaris, ſpiritali morte, quæ tibi eſt à peccato: tum etiam ne jungaris iis, qui habitant, in ſcelerum ſuorum ſepulchris: tum ne peccatorum funibus implicari ſe, conſtringi patiaris, tibi nimium præſidens, ac divinæ miſerationi: hæc ſubinde nonnullos ad animæ vitam revocat, excitatque è ſepulchro, velut è letali ſomno, cui indormierunt: at incertum an & ipſe ſic excitaberis: plerique ita ſepulti, etiamnum jacent, jacebunt ad diem uſque

extremæ

extremæ reſurrectionis, vide ne & tu ſic jaceas in ævum omne: non jam curandus; ſed judicandus; ſed & damnandus: Ne porrò ſic jaceas, ſemel excitatus, vincula peccatorum diſſolve, & abi quàm longiſſimè à ſepulchro, ab omni peccandi periculo: ſic deinde & abiit *D. Petrus*, qui in ea qua fuerat occaſione peccandi, in eoque periculo, ab illa ſcilicet perditorum fœce, atque colluvie, abiit: ut Matth. 26 v. 75. enim Dominum negaſſe ſe ſenſit, *mox egreſſus foras flevit amarè.*

At cur *foras egreſſus?* An non potuit in eo atrio pœnitere, pectus tundere, lacrymas effundere? Enimverò non potuit.

Bedam habe teſtem, ſic ille ex D. Hieronymo: *Nec enim in atrio Caiphæ, retentus poterat agere pœnitentiam: egreditur foras, ut ab impiorum concilio ſecretus, pavida negationis ſordes liberis fletibus abluat.*

Et hæc prima illi ratio, ut liberiùs indulgeret lacrymis, ut prætèritas peccàti ſordes elueret: altera, ne etiam contraheret novas, in illa hominum colluvie, à quâ illi periculum: qui enim jam tertiò Chriſtum negarat, etiam juratus, & hoc vel ad unius alteriúſve ancillæ garrulam linguam, vel etiam ad ſervi paucas voces, certè periculum erat, ne ſæpiùs negaret, ſi tota illa militum cohors, in eum veluti facto cuneo incurriſſet; ut ab hoc ſibi benè caveat, egreditur foras: & meritò, quia intus periculum, & foris ſecuritas. Et hæc quoque tibi erit Amice Lector, ſi procul ab occaſione, procul à periculo peccandi exceſſeris: imò ſi & ipſam quoque occaſionem præcideris.

In Moyſen, & Aaronem auſu temerario inſurrexerant aliquando, *Core, Dathan, & Abiron*: imò & ducentos quinquaginta viros, in eandem ſecum factionem traxerant. Quid deinde? Spectabat Cœlum, nec inultè. *Dathan* quippe & *Abiron* ſubito terræ hiatu abſorpti, una cum uxoribus, liberis, Num. c. 16. v. 32. omnique populi frequentia, quæ illis adhæſerat, quæ & ipſa præda fuit nil miſerantis orci.

Core verò cum ducentis quinquaginta viris, qui contra Dei leges, & pacta, Thuribula ſumpſerant, ut Aris Deoque thus incenderent; ignis præda fuere, & pabulum miſerabile. Ut enim habent ſacræ paginæ. *Ignis egreſſus à Domino interfecit ducen-* Verſ. 35. *tos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum.* Adeò noxium, in Dei miniſtros, & in Deum ipſum manus extuliſſe.

Poſtquam ea de rebellibus Cœlo vindice ſumpta ultio, præcepit Deus *Eleazaro*, ut thuribula ænea omninò ducenta & quinquaginta quæ ſparſa jacebant in buſto, mœſtoque cinere, colligeret primùm, tum etiam diffringeret, tum produceret in tenues laminas, denique altari affigeret. At quæ ratio? ſi puſillis mortalibus altiora ſe ſcrutari fas eſt, dicam Mendoza in l. 1. Reg. c. 7. n. 6. Annot. 26. ex Interpretum fide, atque authoritate duplicem fuiſſe.

Unam quidem, ut eæ laminæ poſteris omnibus eſſent monumento, imò & documento, ne & ipſi auſu profano, impioque in ſacra involarent non vocati, non juſſi.

Alteram, ut tolleretur omnis occaſio ſimile aliquando ſacrilegium committendi: ſi enim ea thuribula manſiſſent integra, futurum erat, ut ad uſus ſacrilegos facilè traherentur: non ſic ubi diducta in tenues laminas, ubi ſacris aris affixa: nec enim inde facilè revelli; nec in nova thuribula conflari poterant: ſicque benè conſultum populo ad ſacrilegia prono atque præcipiti.

Et hæc paucis de fuga periculi, atque occaſionis, veluti recidivæ præſenti remedio, cui adjicio & alterum ex D. Bernardo, quod eſt ejuſmodi.

Ut peccata, non ſuperficie tenus radas; ſed intrinſe- Serm. 6. de Aſſumpt. *cus eradices*, cujus rationem petit ex ipſa plantarum, arborumque natura. Hæc enim ea eſt, ut ſi radas tantum, ſi ramos dumtaxat exſcindas, ea pullulabit uberius.

Certus eſto, inquit, *quoniam pullulabit uberius. Exciſam, non extirpatam arborem in ſylvam pullulare videas denſiorem. Quod periculum ſi volumus declinare, ſecurim ponamus neceſſe eſt ad radices arborum; non ad ramos.*

Quod arboribus, illud & homini, qui & ipſe arbor eſt; ſed inverſa: vis impedire ne pullulet, ne abeat in ſylvam vitiorum, ſecurim pone ad radicem, non ad ramos; clarius eloquor, vitia extirpa, non exſcinde; ſi enim exſcideris tantum, repullulabunt uberius, ſi extirparis, minimè.

Divina juſtitia mortalium ſceleribus ſubinde fatigata, ut iis modum finemque ponat; ſecurim ad ra- Matth. c. 3. v. 10. dices immittit, hoc eſt & vitioſos, & vitia ipſa extirpat penitus, ne deinceps repullulent. Sic & nos Cœleſtis juſtitiæ piè æmuli faciamus oportet, ubi peccata noſtra meliore oculo detexerimus, ſecurim ad eorum radices admoveamus, non ad ramos: hoc eſt extirpemus radicitus, ne aliquando in nova germina ſeſe effundant, peſſimo fœnore, & ingenti malo noſtro: & hoc remedium eſt recidivæ, & quidem longè efficaciſſimum.

§. 5.

QUINTUM REMEDIUM.

Fuga periculi, & occaſionis, maximè vero contra relapſum in materia Caſtitatis

Cum in hortum Getſemani irruiſſet funeſta turba, comprehenſo Magiſtro, fugere Diſcipuli, ſecutus Ioannes amictus ſindone ſuper nudo, qui deinde relicta ſindone nudus profugit ab eis, uti opinatur D. Chryſologus. quid deinde? Petrus *quia fugere noluit, abnegavit; Ioannes ne abnegaret, aufugit.* Serm. 150. Quid inde? *Ioannem texit fuga: Petrum ſic negatio nudavit.* Nudavit, inquam, gratiæ veſte, qua ante probè tectus: adeò verum illud quod mihi propoſui, in fuga ſalutem eſſe ne cadas; in fuga & remedium ne recincidas: quod etſi in omni peccato verum; maximè tamen in eo, quod adverſum eſt pudori & caſtimoniæ: in hujus enim certamine fugiſſe, eſt viciſſe; ſtetiſſe eſt periiſſe: fugit innocens *Ioſeph*, etiam relicta Chlamyde, & dominæ procacitatem ac libidinem evaſit, ac vicit: ſtetit *David* aliàs invictus pugil, & oculis captus, infamique cupidine victus periit, ſuaque doctas experientia maloque, fugere deinceps didicit: juvat illum audire.

In ſinu gaudet, ſibique gratulatur de acceptis à Deo illuſtris animi argumentis, ac donis, & quidem primò de virtute ac robore, quo velut accinctus ad prælium. *Deus*, inquit, *qui præcinxit me virtute.* Pa- Pſal 17. v. 33. gninus legit: *Qui accinxit me fortitudine*: crederes fortitudinem illi fuiſſe pro militari cingulo. Et hoc primum illi à Deo beneficium; alterum ex illo conſequens, fuit vita immaculata; ſic enim ait. *Et poſuit immaculatam viam meam*, viam utique vitæ mortalis, & brevioris ævi; cui deinde ſubdit quod invicti erat roboris. *Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti ut arcum æreum brachia mea.* Nimirum à Cæleſti illa inſtitutione, atque exercitatione in altiore illa Palæſtra: tantum illi additum erat roboris, ut brachia ejus quaſi eſſent ærea.

At unde & hæc ærea? unde & ea virtus, ea fortitudo animi? non aliunde quàm ab occaſionum celeri fuga: hinc & ſubjecit.

Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & ſuper excelſa ſtatuens me.

Eſt cervus inter omnia animantia maximè timidum & fugax; & inde illi in pedibus ſalus ac vita: de illo ſic Plinius.

Lib. 8. c. 32. *Fugiunt latratu audito, ſecunda ſemper aura, ut veſtigia cum eis abeant.*

Vix aures & aures pulſavit canum latratus, cùm ecce fugiunt; ecce celeritas: *Secunda ſemper aura*, nunquam adverſa: ecce circumſpectio, quæ in eo poſita, *ut veſtigia cum eis abeant*: ſi enim adverſa aura fugerent, per illam deferretur odor, quem utique percipiens odora canum vis illicò inſequeretur, atque aſſequeretur.

Quod cervis, hoc & *Davidi*; hoc & caſtis omnibus: fugiant illi neceſſum eſt, ſi modò velint eſſe ſecuri à canum dente, morſuque, hoc eſt (ut clarius eloquar) à veneris incurſu, à dente cupidinis, à voluptatum blando quidem morſu: ſed tamen letali.

Et ita fugit David: at quis illè? quantúsve? pugil robuſtus, miles veteranus, & ſacratioris militiæ dux invictus; & tamen ut is eſſet, ſugit, & quidem quàm citiſſimè, quàm celerrimè. Et tu qui in eadem militia vix es tyro, non fugies? fugies enimverò ni vinci, ni perire velis.

Neque de te, tuóque robore præſumes unquam; probè conſcius, quàm periculoſa ſit illa præſumptio: ut enim ſcitè Tertullianus:

Lib. de cultu fœm. c. 2. *Qui præſumit minus veretur, minus præcavet, plus periclitatur. Utilius ergò ſi ſperemus non poſſe delinquere; ſperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus.*

Contra ſi præſumamus, neque timendo, neque cavendo ſalvi erimus, quia ut diſertè D. Cyprianus; *Lib. de ſingularit. Clericor.* *adverſaria eſt confidentia, quæ periculis vitam ſuam pro certa commendat, & lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſalvare ſe ſperat.* At fomenta peccati ſunt ejuſdem occaſiones, ac pericula, à quibus abeas eſt neceſſe; ſalvari ſi velis.

At, inquies, Cœlo propitio, donum habeo juſti timoris Domini, donum & caſti amoris; hoc & illo me tuebor, hoc & illo me explicabo, etiam inter peccati laqueos, & retia? Explicabis enimverò, te judice: at non Cœlo teſte, ac judice. Excipe quæ olim S. Iſidorus Peluſiota ad *Zoſimum* quendam, qui in peccati laqueos ſeſe ultro conjiciens, donum divini timoris à Deo votis, ut rebatur, omnibus poſtulabat. Sic eum ſugillat, atque irridet.

Lib. 4. Epiſt. Ep. 2. *Perinde namq; facere videris, ac ſi meretricis hærens amplexibus, & ſcorti amori dans operam, interea pudicitiæ compos fieri optes, eorum enim eſt iſtud votum, qui meretricis retibus altius volant, non eorum, qui ipſis compedibus ultrò ſemetipſos induunt.*

Hos Tertullianus componit cum funambulis, & iis quidem imperitis, qui artis illius non ſatis gnari, tentant tamen per funem diſtentum incedere, & quidem celeriter, grandioribusque veſtigiis, ac ſi inambularent in ſolido. Hos, inquam, cum illis comparat, atque de ſtulta contentione carpit.

Lib. de pudicitia c. 10. *Age*, inquit, *tu funambule, pudicitiæ, & caſtitatis, & omnis circa ſexum ſanctitatis qui tenuiſſimum filum diſciplinâ ejuſmodi veri a via pendente veſtigio ingrederis, carnem ſpiritu librans, animam fide moderans, oculum metu temperans. Quid itaque in gradu totus es? Perge, ſanè ſi potueris, ſi volueris, dum tam ſecurus, & quaſi in ſolido es.*

Hactenus Tertullianus, qui ſtultam illam, atque injuſtam præſumptionem graviore ſtylo pungit, ut qui pendente in fune veſtigio, tam ſecurus ſibi videatur, quàm ſi in ſolido eſſet. Quod ille; hoc & tu, qui in occaſiones peccandi incurris etiam volens, & in iis ſecurum te credis maleſana perſuaſione, à qua tibi idem periculum, quod funambulo parum perito, miſerabilis ſcilicet lapſus, ſi minus corporis, ſaltem animi: quod etiam in ſimili oſtendit Seneca: ejus videlicet, qui cum infirmis ſit pedibus ſe fixum tamen opinaretur in lubrico, quem & *Epiſt. 8. 6.* ſic monitum vult. *Quantum poſſumus nos à lubrico recedamus, in ſicco quoque parum fortiter ſtamus.*

§. 6.

SEXTUM REMEDIUM

A frequenti exomologeſi.

NOn multis te morabor, Amice Lector, in argumento ſatis ſuperque noto, ſtylo notaſſe ſat erit. Eſt ea confeſſio ſauciæ menti, quod *medicamentum* ſauciæ carni, quod inflicto vulneri emplaſtrum: vulnus accepiſti, medicum quæris, medicamentum adhibes, & hoc toties, quoties acceperis, unde unde ſit illud: idem facito in letali vulnere, quod tibi à peccato infligitur, confeſſione utere, erit illa pro medicamento.

Sic certè appellandam cenſuit D. Chryſoſtomus; ſic & uſurpandam. *Nolo*, inquit, *excuſationes mihi afferas: Nolo ignaviam prætendas. Peccaſti? Pœnitere. Millies peccaſti? Millies pœnitere, hæc aſſiduè infunde medicamenta.* *Homil. 8 in Pſal. 50.*

Eſt confeſſio veluti *catena* quædam *aurea*, quæ Deum propius attingit, ligat, ſtringit, atque ad nos è Cœli Regia veluti trahit, ut quod in terris ſolvit ſacerdos, ſolvat in Cœlis Deus.

Eſt confeſſio, ſecunda poſt naufragium tabula: in eam te immitte, ſi fortè à peccato animæ naufragium feciſti: immitte, inquam, atque ea vectus enata, evadéque è naufragio, & ſalutis portui reddere, & hoc toties quoties ſimile naufragium es paſſus. Certè is amens dicetur, & erit, qui cùm ſemel ea tabula exportatus erit, negliget ſecundò, & tertiò exportari, malletque inter aquarum vortices perire, quàm eam denuo arripere cùm poſſit. Quod naufrago dixeris, hoc & peccatori dicito.

At quæ erit illa confeſſio? Et qualis? Et quanta? Accipe ex Tertulliano, & diſce quæ fuerit illius ævi. Sic inquit:

Is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, Exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ut ignaro; ſed quatenus ſatiſfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. *Lib. de pœnit. c. 9.* Hæc ubi de pœnitentia generatim ſumpta extulit, tum ſubjicit quæ virtutes illi comites, & qui actus.

Itaque Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt. Ecce profunda humilitas, *converſationem injungens miſericordiæ illicem.* Ecce exemplum bonum ab converſatione verè chriſtiana, cui ſubjicit quæ mortificationis ſunt, atque afflictationis corpuſculi.

De ipſo, inquit, *quoque habitu, atque victu mandat ſacco, & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit triſti tractatione mutare, cæterum paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa.* Ecce inſignis abſtinentia, cui ſubdit quod in Deum eſt pietatis, *plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire, dies noctéſque ad Dominum Deum tuum.*

Ecce gemitus, ecce lacrymas, ecce mugitus pœnitentis animæ, à quibus deinde ſubjicit confeſſionem auricularem, & ſic ait:

Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari. Ex qua corporis demiſſione, manavit apud gentiles ea calumnia, qua jactabant Chriſtianos adorare ſacerdotum ſuorum genitalia, ea eo ſcilicet enata, quod ad eorum genua advoluti peccata in eorum aures deponerent: tum addit ea, quæ deinde peracta confeſſione facere ſoliti; nempe illud, *omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere.*

Et hæc, inquit, *omnia exomologeſis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipſa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictatione æterna ſupplicia non dicam fruſtretur; ſed expungat.*

Ubi hæc protulit de pœnitentia, aliiſque virtutibus, quæ illius, vel aſſeclæ vel comites, tum adjicit ejus fructus quàm uberrimos: ſic enim de illa.

Cùm igitur provolvit hominem, magis relevat, cùm ſqualidum facit, magis mundatum reddit; cùm accuſat, excuſat, cùm condemnat, abſolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet. Ecce propitiato Numine liberalem indulgentiam, quæ ne cuiquam aliquando deſit, oſtendit quis illi ſæpè ponatur obex.

Cap. 10. *Pleroſque tamen*, inquit, *hoc opus ut publicationem ſui, aut effugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quàm ſalutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentiâ ſuâ pereunt*, non perituri niſi erubuiſſent: ne porrò erubeſcere pergant, audiant illi rurſus Tertullianum, ſic inquit:

Cap. 12. *Si de Exomologeſi retractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi Exomologeſis extinguet, & pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.*

Hoc ubi protulit veluti potens adverſus pudorem illum remedium, tum conficit iſtud.

Igitur cum ſcias adverſus gehennam, poſt prima illa intinctionis Dominicæ monumenta, eſſe adhuc in Exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? cur ceſſas aggredi, quod ſcias mederi tibi? ut autem non ceſſet, exempla petit ab ipſis animantibus brutis, quibus pronus eſt ad remedia curſus: & ſic ait:

Muta quidem animalia, & irrationalia, medicinas in tempore ſibi divinitus attributas, in tempore agnoſcunt. Cervus ſagitta transfixus, ut ferrum, & irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum. Hirundo ſi excæcaverit pullos, novit eos oculare de ſua chelidonia. Peccator reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino exomologeſim, ſciens, præteribit illam? Enimverò non præteribit, ſi ſibi conſultum velit, & animæ, æternos in annos.

§. 7.
SEPTIMUM REMEDIUM.
A frequenti SS. Euchariſtiæ perceptione.

Bollandus 13 Febr. in ejus vita, c. 2.

FRequentem communionem ſuadebat S. Licinius Epiſcopus Andegavenſis, iiſque potiſſimum qui gravioribus peccatis, & recidivæ eſſent obnoxii & quidem ea hoc Chriſti oraculo. *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Vivet, inquam, & quidem triplici vita, *Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ.*

Certè *vita naturæ*, quamvis non omnes, at quamplurimi vixere, vel ex ipſa unius Euchariſtiæ ſumptione. Ita vixit puella ope S. Walburgis ad ſeptimanas ſex expers omnis cibi, & potus: nimirum illi pro cibo, proque potu erat Euchariſtia, & quidem ſatis ad ſuſtinendam naturæ vitam, quam & eâdem ſuſtinuit puella in Anglia, & quidem, quod mireris, ad annos omninò viginti: ſolita hæc erat quot dominicis ſacra communione refici; cætera faſtidite, nec panis micam, nec cibi quicpiam admittere, & quia neque hunc, neque illam tot annis admiſerat, erat illi gutturis arteria ita contracta, ita arctata, ut ne guttulam vini trajiceret; niſi fortè guttulam aquæ benedictæ, quæ illi videbatur eſſe pro vehiculo Dominici corporis, ut illud tranſmitteret in ſtomachum.

1. Feb. in vita S. Brigidæ Virg. c. 3.

Et hujus prodigii adeo inſolentis fuere plurimi oculati teſtes.

Sed hoc inquies, datum eſt miraculo, & miraculo ſervata ea, quam diximus naturæ *vita*: non abnuo, nec eam quæri à te velim, Amice Lector, nec ipſe volo: etiam malo, aliam tibi, & mihi volo, amoque; quæ eſt *Gratiæ vita*: & ea erat à pia Sacræ Euchariſtiæ uſu, à quo & animæ vita; id eſt gratia: ſed quæ inquies. prima, an ſecunda? Theologis gratia, alia dicitur & eſt prima; alia ſecunda; adeoque vita ſpiritalis, alia quoque eſt prima, ſecunda altera: pro hac vel illa pauca ex ſcholæ placitis, & Theologorum opinionibus: ex his & illis iſta confici velim.

Primò Euchariſtiæ Sacramentum, communiter non conferre primam gratiam; ſed potius eam ſupponere, cùm ſit Sacramentum vivorum: quod proinde vitam animæ ſupponit, non autem confert: auget tamen, & quidem admirabili incremento gratiæ, quam ideò *ſecundam* appellamus. Fatendum nihiloſubinde etiam *primam* dare *gratiam*; iis ſcilicet qui ad illud Sacramentum accedunt, bona fide æſtimantes ſe eſſe in gratia, ad quam etiam ſeſe diſponunt, per veram attritionem, iis inquam, vi ſua mirabili *gratiam* donat, & quidem *primam*. Ita Suarius noſter, aliique Theologi magnæ notæ, quibus ſuffragatur Theologica hæc ratio; cùm enim ea quoque vis, atque efficacia concedatur aliis ſacramentis, quidni & huic, in quo eſt fons vitæ, & principium gratiæ, Chriſtus? Sed ne longius; hic enim brevitati ſtudemus, & compendio quærimus, & verborum, & rerum. *Tom. 3. in 3. part. diſp. 63. ſect. 1.*

Tranſeo ad tertiam vitam, quæ eſt gloriæ & eam quoque obtineri ab hoc ſpiritali cibo, docet atque evincit illud Chriſti oraculum. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*: habet, inquam, in ſemine, in ſpe certa, in pignore jam obtento futuræ aliquando gloriæ, ac beatitatis. De hac porrò vita, ſic olim ad ſuos; ſic in præſentia ad nos D. Cyrillus Alexandrinus: *Ioan. c. 6. v. 54.*

Vivificat corpus Chriſti, & ad incorruptionem ſua participatione reducit, cujus rationem hanc adjicit: *non enim alterius cujuſdam, ſed ipſius vitæ corpus eſt, virtutem incarnati verbi retinens, & plenum poteſtate illius, quâ univerſa vivunt, & ſunt.* *Lib. 3. in Ioan. c. 37.*

Hæc S. Præſul, cujus propè tot oracula, quot verba. Lubet hæc & illa expendere:

Vivificat, inquit, *Corpus Chriſti.* Ecce animæ vita, vita ſpiritus, & quidem in immenſum auctior. *Et ad incorruptionem ſua participatione reducit.* Ecce incorruptibilitatem, ecce immortalitatem quandam animæ, à qua ſic vivit Deo, ſic vivit & gratiæ, ut per peccatum deinceps mori non poſſit, ſi modò velit. Cujus ea quoque eſt ratio, quia Chriſti corpus eſt, adeoque corpus ipſius vitæ: quia Corpus Verbi Incarnati eandem cum illo *virtutem retinens, & plenum illius poteſtate quo vivunt & ſunt univerſa* Ecce vim mirabilem Sacroſanctæ Euchariſtiæ contra peccati malum, contra ejuſdem damna, contra animæ mortem, quæ importatur à Recidiva. Ecce adverſus hanc præſens remedium, à vitæ fonte, à principio vitæ, ab ipſa vita, quæ Chriſtus eſt, verbo uno ab Euchariſtia, in qua & vita. Ut proinde mirum non ſit, quod apud primi ævi Chriſtianos, propria quaſi nuncupatione dicta ſit *vita* (ut mihi teſtis eſt Baronius) ex quo etiam & illud apud eoſdem, idem eſſet ire ad vitam, atque ire ad Euchariſtiam, percipere vitam, atque percipere Euchariſtiam. *Tomo. 1.*

Et hæc appellatio hauſta ex D. Auguſtino, cujus hoc fuit pronuntiatum. *Optimè punici Chriſtiani baptiſmum ipſum nihil aliud, quàm ſalutem: & Sacramentum Corporis Chriſti, nihil aliud, quàm vitam vocant.* *Lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione, c. 24.*

Et hæc nuncupatio plurimum facit ad probandum illud, quod mihi eſt præ manibus, uti & illa, quòd Euchariſtia dicatur, & verò etiam ſit *panis fortium*.

Antiquum illud Prophetæ Regis: *panem Angelorum manducavit homo*: quod ille de *Manna* intellectum voluit, nos de Euchariſtia etiam pronuntiatum fuiſſe contendimus; atque ex hebræo legimus, *panem fortium manducavit homo*: & rectè, eſt enim ea vero *Pſal. 77. v. 25.*

panis

panis fortium, quia fortes reddit, atque invictos, qui eum manducarint.

Fortes, inquam, contra juratos ſibi hoſtes, & quidem primò adverſus omnes putridæ carnis illecebras, atque blandimenta, alioſque paſſionum inſurgentium motus.

Appello D. Cyrilli fidem, atque authoritatem, Cyrill. Alex. l. 4. in Ioan. c. 17. ſic ille quondam de divino illo Sacramento. *Non mortem ſolum, verùm etiam morbos omnes depellit: ſedat enim ſævientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ab omni erigit caſu.* Caſu dico in peccata, qui longè graviſſimus eſt: ubi porrò ſic erexerit, tum ne in ea rurſus reincidat, cautos reddit ac ſecuros.

Et hinc D. Bernardus ſuos probè monitos voluit, ut & grati eſſent, & gratiam illam referrent, atque aſcriberent venerabili illi Sacramento: ſic enim ad illos: *Si quis veſtrum*, non jam ſæpè modo, non tam Ber. in Cœna Domini. acerbos, *ſentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujuſmodi; gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.*

Quid autem operetur, paucis edocet: *Duo*, inquit, Supra. *illud Sacramentum operatur in vobis, ut videlicet & ſenſum minuat in minimis; & in gravioribus peccatis tollat omninò conſenſum.*

Quod ſi ſenſum minuit, etiam in minimis; certè ne etiam in minima relabatur, facit: & ſi in gravioribus conſenſum omninò tollit, etiam ne in ea reincidat, vires addit, atque invictum robur: & hoc, ut dixi, contra titillantis carnis ac voluptatis illecebras, contra & mundi pompas ac vanitates: noſſe vis quomodo etiam contra violentos dæmonum aſſultus, accipe quæ de illo D. Ambroſius.

Argumentum petit S. Præſul à figura hujus Sacramenti, atque ad illud transfert. Moyſes ad veſperam immolavit Agnum, qui Chriſti verioris Agni typus fuit: eo conſilio inquit *ut manducantes eum, & Paſcha Domini celebrantes, non occuparentur exterminatoris inſidiis, neve inermes & vacuos ſpiritalis alimenti, nocturna ſpecula tenebroſi hoſtis opprimerent.*

Ubi hæc de Agno Paſchali S. Doctor, tum iſta ad nos de SS. Euchariſtia, & diviniore illo epulo, *Pravem & in inſidias tentatoris, inſtaura prius Cæleſte convivium. Tunc utique paratus aſſiſte, & accipias tibi munimentum, ut Corpus edas Domini IESV, in quo eſt remiſſio peccatorum, poſtulatio divinæ reconciliationis, & protectionis æterna, ſuſcipe ante Dominum IESVM tuæ mentis hoſpitio.* In Pſal. 118. v. 62.

Hæc ubi dixit de Cæleſti illo Convivio, ejuſque effectibus, tum ſubjicit quod ad rem noſtram facit. Cum, inquit, *hoſpitium tuum adverſarius viderit occupatum Cæleſtis fulgore præſentiæ; intelligit locum tentamentis ſuis interclusum eſſe per Chriſtum.* Et quid inde? fugiet, inquit, ac recedet.

Evenit enim in ea quæ nobis eſt cum malo dæmone lucta, quod in adverſo marte, quod & in bello cum hoſte. Sit Urbs aliqua, ſit & arx, validumque propugnaculum, cui immineat armata acie miles; ſi adverterit in eo eſſe ſtrenuum belli ducem cum multo milite recedit illicò, & ne tentat quidem, quia fruſtra rem agi videt: ſic & dæmon tentator importunus & fortis, etſi ex erebo eduxerit inſtructas in noſtram perniciem acies, ſi tamen viderit hoſpitium mentis noſtræ occupatum à Chriſto in venerabili Euchariſtia, mox fugit, & redit in tartara. Et quidni fugiat? quidni præceps in ſtygem redeat? cùm ab illa noverit potens animæ *munimentum & protectionem* etiam *æternam*. Quod ſi ab ea ejuſmodi eſt munimentum, ejuſmodi & protectio, utique & remedium efficax adverſus recidivam, nequicquam obſiſtente malo dæmone. Ab hoc aliquandò malè habitus erat *Frater Baſilius*, tum in anima per importunas, atque improbas cogitationes, tum etiam in corpore per ſæva verbera ac flagella, à quibus ſemimortuus relictus. Quid inde? ducitur ad *S. Auxentium* Archimandritam, qui ut eum vidit, mox Bollandus 14. Febr. in ejus vita c. 8. illi: *Frater Baſili ſurge, accipe poteſtatem adverſus tentatorem*, nec amplius time illius inſultus, ſeu animo pareretur illi, ſeu etiam corpori. At quænam illa *poteſtas*? non alia quàm SS. Euchariſtia, quam ſurgens accipit, atque ab illa potens amuletum, potens & remedium.

FINIS PARTIS TERTIÆ.

R.P. IACO-

R. P.

JACOBI LOBBETII

LEODIENSIS

SOCIETATIS IESV THEOLOGI;

TRACTATVS ASCETICI

SIVE

CONCIONES ASCETICÆ

DE VITIIS

ET CELERI CONSTANTIQUE

EORVM FVGA.

PARS UNICA.

Quæ nunc primùm prodit.

REVERENDO ADMODVM

DOMINO,

D. AMBROSIO DE FRAISNE

ANTIQUISSIMI AC CELEBERRIMI

BELLI-REDITVS MONASTERII

LEODIENSIS

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS,

ABBATI DIGNISSIMO,

PATRONO SVO AC MECOENATI

SALVTEM AC FELICITATEM.

DE Ordine Præmonſtratenſi in Eccleſia longè nominatiſſimo, Summi Pontifices multa, eáque præclara ediderunt oracula:

Innocentius hujus nominis *Quartus*, eum eſſe dixit *Regis Æterni habitaculum*, quod ſcilicet in eo velut adlecta ſibi in terris regia degere videretur ſupremum Numen, & Rex Æternus.

Bonifacius Octavus, eundem Ordinem voluit eſſe *in Eccleſiæ firmamento* veluti nobiliſſimam Conſtellationem variorum ſiderum conjuncto ſplendore radiantem.

Adrianus Quartus (quem etiam ſuis aſcribit Præmonſtratenſis Ordo) ejuſdem alumnos, ac Religioſos cenſuit eſſe *quaſi Luminaria in firmamento cœli*, quæ ſua luce terras illuſtrent, viamque aperiant ad Superos, & faſtigium æternæ gloriæ ac beatitatis.

Ille ipſe ſummus Pontifex, alia uſus metaphora, eaque omninò plena ſpiritualis fructus, atque ubertatis, pronuntiavit eſſe *Domini vineam, cujus palmites extenduntur à mari uſque ad mare:* hoc eſt ab uno Orbe in alterum, qua ſanè appellatione nihil aptius, nihil illuſtrius ad explicandam atque commendandam fœcunditatis illius ſpiritualis gratiam, atque copiam.

Quod ſi ita eſt (uti eſſe convincitur ex ipſis Summorum Pontificum oraculis) Tu nobis eris, Admodum Reverende Domine, in eo *Regis Æterni habitaculo*, velut unus ex illius Aulæ Principibus: eò quippe honoris, ac gloriæ evocavit ille, qui Tuo Capiti Mithram impoſuit, & manibus Pedum regẽdum dedit.

Quod ſi placeat magis eam Religionem *in Eccleſiæ firmamento*, eſſe veluti novam aliquam Conſtellationem, multorum ſiderum appulſu concurſuque refulgentem: Teipſum intuebimur, veluti ſtellam aliquam *Primæ magnitudinis*, quæ cæteras omnes, ut magnitudine, ſic & luce ardoréque ſuperet: luce, inquam, virtutum, & caritatis ardore.

Quod ſi etiam Præmonſtratenſes Tui, ſint *quaſi Luminaria in firmamento cœli*, Tu illis omnibus eris tanquam *Luminare majus*, quod in hujus vitæ luce, diéque, aliis præſit, & proſit: eò quippe evectus es, & poſitus in cœli Tui firmamento, ut omnibus ita præſis, ut etiam proſis magis.

Quod

Quod ſi denique Præmonſtratenſis familia, eſt *Vinea Domini*, & Religioſi veluti palmites: Tu illius cultor eris, & quidem ſtrenuus; ſepem illi circumdabis, hoc eſt diſciplinæ religioſæ arctiorem obſervantiam, quæ vulpes arceat demolientes *Vineam Domini*, & ſi quæ fortè inimicus homo ſuperſeminet zizania, ſi quod infelix lolium ingerat, extirpabis illico, atque ſuffocabis: tum etiam pones in ea torcular invictæ atque indomitæ patientiæ: Denique vinum exprimes; ſed vinum caſti in Deum amoris, vinum germinans Virgines: & hoc eſt bonorum omnium votum, hoc imprimis & Tuum, quod ſecundent ſuperi, ſecundet & Deus, & Reverendam Admodum Dominationem Tuam, ſibi, ac ſuis diutiſſimè ſervet incolumem.

ADMODVM REVERENDÆ DOMINATIONIS TVÆ

Leodio 20. Auguſti
Anno 1667.

Humillimus in Chriſto ſervus & cliens

Jacobus Lobbetius
è Societate IESU.

INDEX TRACTATUUM, QUÆSTIONUM ET PARAGRAPHORUM.

TRACTATUS I.
DE AVARITIA.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Apoſtoli verba : *Avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus.* Ad Coloſſ. c. 3. v. 5.

§. 1 *Quid ſit Avaritia?* pag. 1

§. 2. *Quomodo Avaritia ſit Idolorum ſervitus.* 4

§. 3. *Producuntur in medium exempla quædam Avaritiæ inſolentioris, & quidem ab antiquitate petita.* 5

§. 4. *Avaris ſua eſt pœna Cœlo vindice, quod exemplis oſtenditur.* 6

§. 5. *Avaritia ſimulacrum, ex ſancto Iſidoro Peluſiota.* 7

§. 6. *Avaritiæ nihil impervium, nihil inviolabile.* ibid.

§. 7. *Avaritiam damnat Natura, damnant ipſa Elementa, damnant & feræ quantumvis efferæ.* 8

§. 8. *Oportuna conſiderationes quæ pro remedio ſint contra inſanam illam habendi libidinem.* 9

TRACTATUS II.
DE GULA ET EBRIETATE.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum. & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Iſayæ c. 5. v. 22.

§. 1. *Quid ſit Gula, quid Ebrietas.* 11

§. 2. *Adducuntur in medium, ex ipſa Antiquitatis memoria, Gulæ mancipia, Ebrietatis monſtra.* 14

§. 3. *Cœleſtis ultio pœnæq; graves in ebrios Deo vindice.* 15

§. 4. *Remedia nonulla contra vitium Ebrietatis.* 16

TRACTATUS III.
DE LUXURIA.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Nullum pratum ſit quod non pertranſeat Luxuria noſtra.* Sap. c. 2. v. 8. *pag.* 18

§. 1. *Quid ſit Luxuria?* 19

§. 2. *Quæ ſit pœna, quam à Luxurioſis exiget vindex Dei manus?* 21

§. 3. *Opportuna remedia adverſus veneream illam luem.* 22

TRACTATUS IV.
DE IRA.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Grave eſt ſaxum, & oneroſa arena : & ira ſtulti utroque gravior.* Prov. c. 27. v. 3.

§. 1. *Quid ſit Ira?* 25

§. 2. *Remedia opportuna adverſus impetus iræ inſolentioris.* 26

TRACTATUS V.
DE INVIDIA.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba Sapientis: *Vita carnium, ſanitas cordis, putredo oſſium invidia.* Proverb. c. 14. v. 30. *pag.* 30

§. 1. *Quid ſit Invidia?* 31

§. 2. *Quæ invidi facies; quæ invidiæ ſymbola?* 32

§. 3. *Quæ cœlo, quæ terris mala importaverit invidia?* 33

§. 4. *Afferuntur nonnulla adverſus invidiam remedia.* 34

TRACTATUS VI.
DE SUPERBIA.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Sapientis verba: *Generatio cujus excelſi ſunt oculi, palpebræ ejus in alta ſurrecta.* Prov. c. 30. v. 13. 36

§. 1. *Quid ſit Superbia, quid nominis, quid res?* ibid.

§. 2. *Proferuntur exempla quædam prodigioſæ illius Superbiæ.* 38

§. 3. *Quomodo Deo judice ac vindice punita, atque edomita hominum ſuperbia?* 39

§. 4. *Afferuntur aliqua humanæ ambitionis, atque inſoleſcentis Superbiæ remedia?* 40

TRACTA-

TRACTATUS VII.
DE ACEDIA

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Prophetæ Regii verba : *Dormitavit anima mea præ tædio.* Pſal. 118. v. 28.

§. 1. *Quid ſit Acedia?* 42

§. 2. *Qui ſint Acediæ partus, tiq; quàm infelices, atque damnandi?* 44

Primus Acediæ partus eſt Pigritia. ibid.

Secundus Acediæ partus eſt Otium. 49

Tertius Acediæ partus, eſt animi remiſſio, & tepiditas in ſpiritu. 47

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

FVit illud Principis Apoſtolorum aut Oraculum, aut etiam ad Fideles omnes præceptum: Declinet à malo, & faciat bonum. *A malo, inquam, culpæ, hoc enim ex vero ſolum eſt malum (nam malum naturæ, abſolutè malum non eſt: ſed ſæpe etiam occaſio boni) & quia eſt ejuſmodi, ideo mihi in hoc Opuſculo conſilium fuit, illud ſtylo acriore pungere, atque ex omnium animis expungere: quod ubi fecero, tum delabar ad inſerenda in iis magnarum Virtutum ſemina, quæ germinent, & floreant, atque in ſementem excreſcant uberrimam, & hoc quidem ex illo D. Petri, ut quiſque* Declinet à malo, & faciat bonum, *in quo, ceu compendio, clauditur omnis Iuſtitiæ lex, & omnis Virtutum norma, atque præſcriptio: Hanc excipe, hanc ſerva,* benevole Lector; *& teipſe cœlo ſervaveris atque beatitati.*

1.Pet.c.3. v.11.

JACO-

JACOBI LOBBETII
SOCIETATIS JESU THEOLOGI,
TRACTATUS ASCETICI
DE VITIIS
ET CELERI CONSTANTIQUE EORUM FUGA.

INSTITUI Tractatus Aſceticos, ſive Conciones Aſceticas, de virtutibus, easque jam publico dedi, direxique ad Aſcetas, hoc eſt ad amatores Chriſtianæ, & religioſæ perfectionis, eo conſilio ut eos ſuaviter allicerem ad amorem virtutis, in qua ut blandæ, ſic & potentes ſunt illecebræ: nunc alios medítor, molíorque, videlicet, de Vitiis, & eorum celeri conſtantique fuga, quam ſi impetravero, ſatis erit ampla labori meo merces: impetravero enim illud unum, quod mihi in votis eſt, primiſque curis, imò quod cœlo lucrando ſit ſatis: in hoc enim ut inducit virtus: ſic & ab eodem abducit unica virii labes & macula.

TRACTATUS PRIMUS
DE AVARITIA.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Apoſtoli verba: *Avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus.* Ad Coloſſ. c. 3. v. 5.

VT Coloſſenſes ab avaritia averteret Apoſtolus, hoc eam ſtigmate notavit, quod eſſet quædam ſimulacrorum id eſt Idolorum ſervitus, quod ipſum
Cap. 5. v. 5. oſtenderat cùm ſic ad Epheſios ſcriberet: *Hoc enim ſcitote quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.*

§. 1.
Quid ſit Avaritia?

ERit qui volet avaritiam definiri preſſiùs ex ſtrictioris Philoſophiæ legibus, ac præceptis; erit & qui deſcribi latiùs ex quibuſdam metaphoricis appellationibus: & huic & illi in præſentia faciam ſatis.
Avaritiæ definitio. *Avaritia* Philoſopho, *eſt res illibera, & homine maximè indigna, excedit enim in æſtimatione, & amore divitiarum, quas vel ſibi omninò retinet, vel nimio ſtudio quærit, vel parcius quàm par ſit, erogat.* Et inde Græcis dicitur πλεονεξία, à ſtodio plus habendi. Aliis φιλαργυρία, id eſt amor vehemens divitiarum.

Lib. 3. de liber. arbit. D. Auguſtino, *Avaritia eſt quarumlibet rerum inſatiabilis & inhoneſta cupido.* D. Thomæ Aquinati, *eſt immoderata cupiditas habendi.* 2. 2. Qu. 118. art. 2.

Hanc aliis atque aliis appellationibus, ceu totidem coloribus, depingunt Antiquiores: ex iis paucos in medium adducam, & quidem primò profanos, iis major apud infideles dabitur fides, quia hos ſola ratio duxit, & inſitum à natura lumen; tum etiam adjiciam ſacros Authores, & Divos Patres, quos in eas deſcriptiones induxit altior quædam è Cœlo delibata intelligentiæ lux: cui fidem negare Chriſtianus audeat nemo, niſi perfidus audire velit, & eſſe. Avaritiæ deſcriptiones.

Themiſtius propter ſingularem ſapientis animi elegantiam, gratioſus, & mirandus in paucis, cùm inaudiſſet Imperatores in ſuas ædes magnos atque uberes divitiarum fontes immittere velle, eas obturare, atque obſtruere conatus eſt, nec domum ſuam majori, quàm Philoſophia ſineret, opum vi inundari unquam paſſus eſt, quòd ſciret, quò ſe rivus ille (verbis illius utor) inſinuaſſet, inde emigrare Philoſophiam oportere; I. Philoſophiæ inimica.
imò & in Superos pietatem: cujus probè conſcii Veteres Plutarcho teſte jubebant Templa ingredientes aurum omne relinquere, ſi quod fortè ſecum habuiſſent; uti etiam & ferrum. Et certè omninò ſapienter; quia aurum, & ferrum duo potentiſſima ſunt vitiorum inſtrumenta, quæ ſacra Divorum limina ſubeuntes abjicere oportebat; hoc eſt (ut ego quidem interpretor) & auri appetitionem, & habendi ſitim, quæ auro notatur; & animi acerbitatem morumque duritiem, quæ ferro ſignatur deponi oportere, atque abjici ab iis omnibus, qui veræ pietatis ac Religionis eſſent amantiores: nec mirum, quia *Templum locus eſt Archangelorum, Aula Dei, Cœlum ipſum*, ut diſertè D. Chryſoſtomus. II. Pietatis inimica. Homil. 36. in 1. ad Cor.

Ariſtoteli melioris Philoſophiæ Principi, *Avaritia morbus eſt*, & quidem *inſanabilis*, quia continuus, & animi vim omnem depaſcens. Ethic. l. 4. c. 1.

In febribus vulgò acceſſiones & remiſſiones ſunt, ac nonnulla ſubinde requies, neque aſſiduè rigor premit III. Morbus animi.

mit, aut calor orit; ſed ſunt quædam veluti beneficæ intervalla; quibus poſt gravem jactationem recreatur æger; at in avaritia continui ſunt Paroxiſmi, turbulentique motus, atque æſtus inhumani. Et inde D. Baſilius, magnus utique animorum medicus, & ipſe avaritiam morbum eſſe dixit, qui *ſtare neſcit ac quieſcere*. & hoc quia naturam ignis imitatur, qui materiam quam attigerit, contendit abſumere; cui paria dicit D. Gregorius Nazianzenus cùm ait,

Orat. 1. quod *avida opum appetitio, ægrotatio ſit, quæ neſciat finem, & cancellos appetendi plura.*

Unde illis uſuvenit, quod Hydropicis, à quibus, quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ: ſic & Avaris quò magis abundarint illi: hoc & ſitiunt magis, utque in eos cadat illud D. Auguſtini. *Et habet, & concupiſcis; & plenus es, & ſitis: morbus eſt & non opulentia*, cui & convenit illud Saluſtii:

Serm. 5. de verb. Dom.

Avaritia pecuniæ ſtudium habet, quàm nemo ſapiens concupivit.

Lib. de conjuratione Catilinæ. *Ea quaſi venenis malis imbuta, corpus animumque viri. lem effœminat: ſemper infinita, & inſatiabilis eſt, neque copia, neque inopia minuitur.* Qui enim minueretur, cum & hac, & illa potius augeatur id generis morbus, qui proinde à D. Chryſoſtomo dicitur *Bulimia animæ*, hoc eſt immenſa, & intoleranda fames. Eſt autem *Bulimia* ſymptoma quoddam malè affecti ventriculi, quo ægri expleti cibis nequeunt; cùm tamen ingenti fame teneantur; qualis à medicis *canina fames* dicitur: ſed nulla fames tam canina, quàm Avaritia, quam ideo D. Gregorius Nyſſenus componit cum bellua, quæ *oribus innumeris* hiat, ferturque in prædam inſaturabiliter: ſic & Avaritia in aurum, bonaque hujus ævi tota hiat, & ſi impleri poſſit, non tamen expleri, quia illi animæ fames eſt pluſquam canina: hæc aliis *lepra* vocatur; appello Caſſiani fidem atque authoritatem. Is libro 7. de Spiritu Philargiæ, ſeu avaritiæ, agens de Giezi ſervo Prophetæ Eliſæi ob avaritiam lepra infecto: ſic de illa: *Per quam*, inquit, *nobis evidens reliquit exemplum, omnem animam cupiditatis labe pollutam, ſpiritali vitiorum lepra reſpergi, immundamque apud Dominum perenni maledictione reputari.*

Hom. 7. in Timoth.

IV. Fames canina.

Orat. 5. de Beatit.

V. Lepra.

Cap. 26.

Hæc ille, cui Avaritia lepra eſt, non corporis; ſed animi, eaque inolita ſeu *elephantiaca*; adeoque peſſima, quia longo uſu inolita, & vix ullo niſu ſanabilis.

D. *Ludovico* Regi Chriſtianiſſimo, fuit aliquando quæſtio cum Præfecto Campaniæ, utrùm præſtaret lepra inſici, an peccato? hic cui prima, ac potiſſima corporis cura, & inſolens amor, ſubjunxit præſtare peccato; tum hominem graviter excepit, & increpuit *Ludovicus*.

Toto, inquit, Cœlo erras: quæ enim à peccato eſt lepra, ea mentem inficit, & durat etiam poſt fata, & in omnem eat æternitatem, niſi curetur, quod ſanè difficillimum, quia ut dixi eſt *inolita*, quæ animæ importat idem malum, quod illa corpori.

Eam medici explorare ſolent fricatione, & acu: ſi enim caro fricata non rubeat, ſi acu puncta non fundat ſanguinem; ſed aqueam, lacteamque humiditatem expiret, cenſetur inolita, ceu Elephantiaca. Quæ corporis; eadem & animi. Avarum vidiſti, leproſum vidiſti: videt ille pauperem, & pannoſum, nec erubeſcit; audit inclamantem, ac gementem, nec movetur, nec tangitur ullo miſerationis ſenſu, quia ſenſus omnis eſt expers, quia elephantiacus: amplius dico, quia peſte infectus; eſt enim avaritia quædam peſtis animi.

VI. Peſtis. Vadem habeo hujuſce pronuntiati D. Chryſoſtomum, qui ſic aliquando è Pulpito pro celeri fuga infandæ illius luis.

Hom. 6. in Matth. *Venenatiſſimos avaritiæ morſus remedio congruenti ſanemus, & procul ab hac peſte fugiamus.*

Inter flagella, à quibus Deo vindice vapulat humanum genus, nullum majus eſt lue illa contagioſa, à qua ut velis innoxius eſſe, vix poſſis: ſerpit enim, & longè lateque graſſatur, ſtragemque agit miſerabilem, ut proinde Tertullianus altiori voce eam merito appellarit tonſuram generis humani. *Revera*, inquit, *lues & fames, & bella, & voragines civitatum pro remedio deputanda tanquam tonſura inſoleſcentis generis humani.*

Lib. de anima, c. 30.

Nimirum hæc tria ſunt flagella, peſtis, fames, & bella, quibus ſeipſam armat divina juſtitia, ut quod in genere noſtro ſuperfluum eſt, aut etiam noxium, amputet ac demetat: & hæc inter primum ac potiſſimum eſt peſtis, à qua mortale genus tondetur, ne in alias vitiorum propagines ſeſe diffundat.

Et hinc oportunè monet Orator aureus, ut procul ab hac peſte fugiamus; eſt enim Avaritia menti, quod peſtis corpori: adeoque ut hanc fugiamus oportet, ſicut & illam; imò & tantò magis, quantò anima præſtat corpori.

Ita fugit Moyſes Iſraelis dux fortiſſimus: cùm Hebræi alii, imò & promiſcuum vulgus ex Ægypto extuliſſet vaſa aurea, argentea, & quidquid ferè erat ſupellectilis pretioſæ. Moyſes nihil inde exportavit præter oſſa Patriarchæ Ioſeph; quod apprimè notant Sacræ Paginæ. ſic enim de illo:

Tulit Moyſes Oſſa Ioſeph ſecum, præterea nihil, adeo aberat ab auri cupidine, adeo expers omnis illius notæ, quæ eſt ab Avaritia. Exod. c. 13. v. 19.

Quod ipſum notavit, commendavitque Philo Iudæus, qui hæc de illo: *Hunc ſolum memoria proditum eſt, ſine auro, argentoque, ac reliquis opibus Regnum adminiſtraſſe, conſiſum perſpicaci, non cæca opulentia, & ut nihil diſſimulem, pro cenſu ſuo habentem quidquid Deus poſſidet.* L. de præmiis & pœnis.

Quo gravius, & illuſtrius dici quid potuit; præter unum illud, quod qui ex humanis nihil poſſidet, poſſideat quidquid eſt Dei, cujus probè conſcii Heroes inclyti, & ipſi vel levem Avaritiæ umbram quàm maximè fugerunt.

Ita fugit *Ioſue*, militiæ dux invictus, qui cùm Iſraelem induxiſſet in terram promiſſionis, uberem illam atque divitem, eam omnem aliis diſtribuit, nullamque ſibi reliquam fecit: ſed ex ea quidquid accepit, ab aliis velut mendicato accepit; ſic enim habet Sacer Textus.

Dederunt filii Iſrael poſſeſſionem Ioſue filio Nun in medio ſui juxta præceptum Domini: Vrbem quam poſtulavit Thamnaath Saraa in monte Ephraim. Ioſue c. 19. v. 49.

Et hæc illius Ducis parſimonia fuit, hæc & frugalitas, quæ in duobus eluceet.

Primùm in eo, quod ſibi ſervarit nihil ipſe, quod tamen jure ſuò poterat, utpote illius terræ domitor, ac victor: ſed ab aliis ſibi dari voluerit quidquid ex ea accepiſſet.

Deinde in hoc, quod poſtularit *Saraa*, hoc eſt terram areſcentem, ſterilem, infœcundam: imò & graveolentem: hoc enim notat vox hebræa *Sarah*, à qua derivatur, & quæ corrumpere, quæ & fœtere ſignificat: ſic aliis terram uberem, ac fertilem reliquit, quod in eos liberalitatis fuit, & ſibi ſervatam voluit eam, quæ maligna ſterilitate erat damnata, quod in ſe parſimoniæ fuit, procul ab omni habendi libidine, atque avaritia, à qua & procul abiit Abraham cui cùm Rex Sodomorum ampliſſimam bello partam prædam obtuliſſet, recuſavit illicò; adjiciens illud, quod altioris animi fuit, atque à divitiis alieni. *Levo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem Cœli & terræ, quod à filo ſubtegminis; uſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt.* Quæ verba dum æqua lance expendit D. Ambroſius, ſic de illo, & verè, & magnificè: Gen. c. 14. v. 22.

Quaſi contagium declinat intemperantiæ, quaſi labem refugit corporalium ſenſuum, delectationes mundi reſpuit, quærens quæ ſupra mundum ſunt. Lib. 2. de Abrah. c. 8.

Hic

Hic oculum ſiſte, mi Lector, & vide ut ſpolia ingentia omninò pretii, ut partas armis opes rejicit Abraham, quaſi *contagium animi*, quaſi *mentis labem*, quaſi *ſenſuum illecebras*, & hoc quia ſolummodò quærit ea, *quæ ſupra mundum ſunt*: non quæ mundi: ut & tu ex illo eadem quærere diſcas. ſed tranſeo ad aliam avaritiæ notionem.

VII Laqueus. Ea D. Paulo dicitur laqueus, & quidem diaboli, quo nos malus dæmon trahit in exitium & quidem ſempiternum. D. Ambroſium audi, ſuavi, ut ſolet, & tamen forti eloquentia,

L. de bon. mort. c. 5. *Laqueus*, inquit, *in auro, viſcus in argento, nexus in prædio, clavus eſt in amore. Dum aurum petimus, ſtrangulamur; dum argentum quærimus, in viſca ejus hæremus; dum prædium invadimus, alligamur & hinc tenemur fortiſſimè*; eſt enim laqueus, eſt nexus, eſt viſcus, eſt illigamentum, quo ſtringimur veluti captivi, trahimurque in miſerabilem ſervitutem; & hinc mihi datur in manus alia avaritiæ, ipſarumque opum nuncupatio, quas grandi ſtylo Seneca notat, *auctoramenta ſervitutum*. In quo magnæ mentis effato,

VIII. Servitus. cum numero multitudinis utitur, & nominat ſervitutes, ſapienter innuit in pecuniis non reperiri genus unum ſervitutis; ſed multiplex.

Certè nullus tyrannorum etiam à viliſſimis mancipiis tot extorſit imperia, quot maleſana habendi cupido, quot auri, argentique nimius ardor.

Si jubet ille, noctes vigilantur, toleratur ſitis, atque fames, labores continui exorbentur, nivea calcantur, ſuperantur maria, in equuleum, in crucem, in mortem itur, & quod longè graviſſimum, Cœlo illuditur, Numen violatur. Quæ major ſervitus, quæ tyrannis impotentior, profectò omninò ſub ſole nulla, ut proinde jure meritiſſimo S. Proſper

Lib. de vita contempl. c. 15. appellarit *ferreum cupiditatis imperium*. Ex vero *ferreum*, quia durum, quia noxium, quia letale, ac funeſtum: ut enim ille ipſe S. Præſul. *Jubet nobis imperioſa cupiditas, ut divina parvi pendentes, poſſeſſionum terreſtrium, damnoſa compendia cogitemus, atque in ea totam ſollicitudinem*, curamque noſtram locemus, infelicia cupiditatis noſtræ mancipia, quæ ſanè parum diſtant à mortuis: ut enim habent jura,

Reg. Iuris. etiam humana, *ſervitutem mortalitati comparamus*.

Sed inquies, non omnium eſt ea ſervitus: eſſe poteſt aliqua auri, argentique cupido, aliqua habendi cupiditas; neque tamen ea ſalutis incuria, ea Cœleſtium oblivio, nec proinde ea quam dicis ſervitus; demus & illud tibi; at nobis hoc concedas eſt neceſſe, multis ſervit, qui multis abundat.

Lib. 8. Extat ſuper ea re apud Xenophontem pulcher omninò Dialogus inter *Sacam* pauperem, & *Pheraulam* Regi Cyro cariſſimum, atque in paucis divitem.

Dicebat *Sacas* beatum *Pheraulam*, quod eò nunc jucundius viveret, quò erat locupletior, præſertim adeptis tot divitiis, quas cùm pauper eſſet maximè appetiviſſet; tum *Pheraulas*. Itane inquit, me arbitraris tantò vivere ſuavius, quantò plura poſſideo? neſcis me edere, & bibere, & dormire, ne tantillo quidem modo ſuavius, quàm cùm pauper eſſem? nam hoc tantum jam plus habeo, cùm plura poſſideo, quòd plura mihi cuſtodienda ſint, plura in alios diſtribuenda ſint, plurium habenda cura, pluſque occupationum, quibus ſuſtinendis penè obruor: nam multi nunc à me famuli cibum flagitant, multi potum, multi veſtitum, aliqui medicos. Quidam quoque laniatas pecudes, quidam boves in præcipitium actos, quidam morbis obſeſſa jumenta renuntiant, quo fit ut exiſtimem plus me doloris haurire ex eo quòd multa poſſideam, quàm prius quòd haberem pauca.

At verò inquit *Sacas*, cùm multa ſalva vides, tùm longè maxima afficeris voluptate. Cui *Pheraulas*, nequaquam, inquit, ò *Saca*, adeo non tam jucundum eſt pecunias poſſidere, quàm luctuoſum amittere: cujus rationem hanc ſubjungit.

Nam voluptas neminem vigilare, atque inſomnem eſſe cogit; at qui aliquid amittunt, eorum neminem videas, qui præ mœrore dormire poſſit.

Ecce quibus dominis ſerviant obtentæ divitiæ, ecce quibus & tyrannis pareat avaritia, curis ſcilicet edacibus, ſollicitudinibus, moleſtiis, dolori, triſtitiæ, inſomniis; malis denique dolis, atque ad finem etiam damnis irrecuperabilibus.

Anacreon Poeta Lyricus, à Samniæ tyranno *Polycrate* talenta quinque donatus, tam acri & anxia cura conſervandi, atque benè inſumendi correptus eſt, ut noctes duas inſomnes duxerit: quam animi moleſtiam pertæſus ſua *Polycrati* talenta reddidit, negans quietem ſuam talentis quinque venditurum.

Vidimus à divitiis, & avara earum poſſeſſione curas moleſtas, ac ſuperatu difficiles; ſcuſimus & inſomnia: attendamus ſpes vanas, atque inanes, malos dolos, rapinas, damna, cædes, quibus & ipſa nos objicit, ac ſubdit avara auri poſſidendi cupido: hæc omnia ſubjiciet elegans fabella, de qua Pierius Valerius in Hieroglyphicis.

Divulgatum erat oraculum Jovis Ammonis, Alexandrum Macedonem, quem ſuum filium dicebat ad ſe venturum. Hinc Reges, ac Principes, quibus in magna religione idolum erat, certatim ſe parare ad filium tanti, ut rebantur, Dei ſibi conciliandum, comparare munera, præparare pecunias, erantque ex ad aliquot talentorum millia, ad quæ Alexandro Xenii nomine devehenda, ultrò operas ſuas obtulere, mulus, equus, aſinus, & camelus. Qui vix bidui à Memphi progreſſi, facti ſunt obviam Leoni, dataque ultro citroque ſalute, comes admiſſus eſt Leo quaſi cuſtos, & præſidium adverſus latrocinantes futurus, qui de pecuniis certior factus, habere dixit ſe quoque certam drachmarum ſummam, quam pro commeatu ferret; ſed oneribus ferendis haud aſſuetO, perincommodam eſſe. Itaque rogare ſe, ut diſpertitum hoc onus ipſi ferant, leve illis fore, ſibi autem commodiſſimum. Libenter acquieſcunt, & pauculas Leonis drachmas in ſacculos quiſque ſuos admiſcent cæteris pecuniis, iterque continuant.

Ventum erat in pingues Aſiæ campos, cùm Leo armentorum multitudine conſpecta, è re ſua judicavit, aliquot ibi dies commorari, quod ſimulata laſſitudine perfusſit, & pecunias, quas depoſuerat repoſcit. Illi apertis ſacculis juſſerunt, quæ ſua eſſent, eum recipere. Tum Leo pleraſque alias magno numero eadem nota ſignatas drachmas in uno quoque ſacculo reperiens læto magnoque rugitu edito. *Drachma*, inquit, *mea multas admodum drachmas ſingula peperere*. Dixit atque mox omnes, cùm ſuis abſtulit, prius tamen mulum, equum, aſinum, & camelum devoravit.

Fabella eſt, & ingenioſum commentum, è quo tamen diſces divitias, & avaram divitum libidinem, malis dolis, rapinis, & cædibus ſubjici, quæ ſanè miſeranda ſervitus, cui appellationi affinis eſt ea quam olim extulit *Salvianus*, in cujus mente Dei Lumen & in ore fulmen.

Hic divitias, earumque appetitum inſolentiorem IX.
eſſe dixit *catenam diaboli*. Solent viliſſima quæque Catena diaboli.
mancipia catenis illigari, ac teneri, ne fortè effu- Lib. 8.
giant: & hoc non minimum eſt tormentum, à quo tollitur omnis propè libertas, quæ liberis potior eſt ipſa morte.

Quod ſi verum eſt in catenis, ac vinculis, quæ ab hominibus imponuntur, ſeu illi veri Domini ſint, ſeu etiam tyranni, vincto parum intereſt: at plurimum iſtud, quod catena, quâ nos illigat, atque ſtringit avaritia, *catena ſit diaboli*, qua quid triſtius, quid acerbius, quid funeſtius dici poſſit, aut cogitari, non video: & tamen, ut ea ſit, illa retinentur avari, quos proinde triſtiuxnis Hieremias appellat

Thren. c. 3. v. 34. *vinctas terræ*, ut qui vinculis opum obligati terræ inhæreant toti, nec de Cœlo cogitent.

Deploravit ævo ſuo D. Cyprianus furioſam Eccleſiæ vexationem, vel ex eo maximè, quòd in ea è Chriſtianis nonnulli, cœco opum amore victi, & à Dei ſui legibus, & à ſalute defeciſſent.

Illa, inquit, *fuerunt remanentibus vincula, illa catena, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens victa, & anima præcluſa.* Imò & Cœlo, Deoque mortua.

X. Mors virtutum. Eſt enim avaritia veluti mors quædam virtutum omnium: ubi enim dominatur ingens illa habendi libido, ibi neceſſe eſt omnem ſtatum animi turbari, ruere mentem, ſterni rationem, mori virtutem, & gratiam (quæ bonæ mentis eſt vita) internecione deleri.

Cap. 8. v. 13. Extulit illud Amos fatidico ſpiritu; *In illa die deficient virgines pulchræ.* At quænam illæ? virtutes inquit, D. Hieronymus, quæ ea vero virgines ſunt intactæ illæ, atque illibatæ: ſic enim exponens illud Sacri vatis oraculum.

Ab avaritia, inquit, *neceſſe eſt perire pudicitiam, caſtitatem mori, abire virtutes*: quidni enim abeant ab animo depulſæ infami immaniqúe illo avaritiæ dominatu? vel ſi voles etiam famulatu? ſervit enim avaritia libidini, ſervit proſtibulis, injuſtitiæ dominatur, tribunalia corrumpit, proditiones concinnat, ſeditiones excitat, bella parat, ſanguinem fundit, cædes infert, & urbium populorumqúe ſtrages inducit, ut meritò eam nominarit D. Chryſoſtomus, Hom. 20. in Geneſ. c. 12. *Arcem omnium peccatorum.*

Ut enim in arce omnia ad bellandum præſidia, XI. Arx peccatorum. omneſqúe machinæ aſſervantur; ſic ad peccandum, auxilia omnia petuntur, atque expediuntur ab una Avaritia, quam Bias Philoſophus vocabat *malitiæ Metropolim*, Apoſtolus *radicem malorum omnium.* D. Hieronymus in Epiſtola ad Ruſticum quarta,

XII Charybdis. *malorum omnium charybdim*: ut enim ab hac magna licet navigia hauriuntur; ſic & ab illa abſorbentur virtutes omnes, & mentes quantumvis excelſæ, ſi ſemel huic vitio indulſerint, huic ſe periculo induerint.

Has Avaritiæ notiones finio in ea, quæ data quondam ab Innocentio hujus nominis III Pont. Lib. 2. de contemptu mundi. c. 11. Max. cui Avarus *infernus* eſt, ex quadam cum illo conſenſione.

Avarus, inquit, *& infernus, uterque comedit, nec* XIII. Infernus. *digerit; recipit, & non reddit: Avarus nec patientibus compatitur, nec miſeris ſubvenit, Deum offendit, offendit ſeipſum, offendit proximum. Nam Deo retinet debita, proximo denegat neceſſaria, ſibi ſubtrahit opportuna, Deo ingratus, proximo impius, ſibi crudelis.*

Quod ſi is eſt avarus, ſi ea quoque eſt avaritia, fugiamus ergo hanc animorum peſtem, hanc ſervitutem declinemus, hanc diaboli catenam rumpamus, hanc mortem deteſtemur, vitemus hanc charybdim, oderimus hunc infernum.

Et certè quidni oderimus? Quæ enim (ut D. Au- Serm. 25 de verb. Dom. guſtini verbis utar) *quæ eſſet iſta inſania, acquirere aurum, & perdere Cœlum.*

§. 2.

Quomodo Avaritia ſit Idolorum ſervitus?

PRiſcis illis temporibus, cùm ſumma eſſet veri Numinis ignoratio, barbaræ gentes in vanam ſuperſtitionem ebullire cœperunt, aut enim rudem lapidem unctum, & coronatum habuerunt, pro Deo (ut Lucianus meminit) aut ſtipitem impolitum, minimèqúe elaboratum (ut ait Clemens Alexandrinus) aut haſtam (ut eſt apud Varronem) aut Pyramidem (ut teſtatur maximus Tyrius) aut Acinacem, ut Scythæ, aut arborem, ut Celtæ, aut lapidem tetragonum, ut Arabes, aut montem, ut Cappadoces, aut columnas ligneas, & lapideas ut alii. Ea quippe erat illorum temporum cæcitas, & is ſtupor populorum, à quo paululum abierunt nationes aliæ ut videbatur, cultiæ magis, & hæ non alios Deos coluerunt, quàm ſimulacra quædam membris diſtincta, aut ſingulari hominum artificio elaborata, & in humanam ſpeciem effigiata, qualia fuere Mercurius alatis talaribus, Juppiter fulmine timendus, Neptunus tridente ſævus, Diana triformis, Venus pronoba: aliaqúe idolorum monſtra, quæ ſtulta extulit coluitqúe antiquitas, à qua diſcedo lubens, tranſeoqúe ad aliam idololatriam, quæ etiam eſt hujus ævi, & quod mirum quantum doleas, etiam militantis Eccleſiæ, non illius vitio culpáve; ſed hominum amentia, ne dicam furore. Ea eſt avaritiæ, etiam illius, quæ apud Chriſtianos invaluit, & quam Doctor Gentium appellat ſimulacrorum, ſive idolorum ſervitutem; ſic enim ad Coloſſenſes: *Avari-* Cap. 3. v. 5. *tia, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus.*

De Idololatria diſputans Tertullianus, pronuntiavit illud. *Et hodie extra templum idolum agi poteſt*, at quodnam illud? eſt idolum avaritiæ, cui litant in intimis penetralibus etiam Chriſtiani, & cui non vilem aliquam pecudem immolant: ſed proh dolor, pudorqúe, animam ſuam, ſalutem ſuam.

Appello Tertulliani fidem, atque authoritatem, ſic ille de avaritiæ victima, cultuqúe, deqúe ſervitute quæ à divitiis eſt.

Colis, non ſpiritu viliſſimi auctoris alicujus; ſed tuo L. de Idololatria, c. 6. *proprio: nec animá pecudis impensá, ſed animá tuá. Illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis: plus es illis, quàm ſacerdos, cùm per te habeant ſacerdotem. Diligentia tua numen illorum eſt. Negas te quod facis colere: ſed illi non negant, quibus hanc ſaginatiorem, & auratiorem, & majorem hoſtiam cædis, ſalutem tuam.* Hactenus altiore ſtylo Tertullianus, de avaritiæ victima, quæ alia non eſt, quàm hominis anima, ſaluſqúe.

Damnas, ô Chriſtiane, barbaras illas nationes (quarum jam memini) quæ columnas, pyramides, arbores, aliaqúe id genus, divinis honoribus proſequebantur: & tu palatia, & prædia veneraris.

Perſæ Regum ſolium colebant ut Deum: & tu Pontificatum, & divitem Cathedram.

Indi, & Babylonii draconem: & tu theſauris incubans mammonem honoras.

Hyperborei ventos; tu inaniſſimum ambitionis flatum hauris ut numinis auram: dicis enim, ſi minus verbo, at certè facto, quod olim ille apud Oſeam: *Dives effectus ſum, inveni idolum mihi.* Cap. 12. v. 8.

Verba ſunt impia, & impiè gloriantis: alii, inquis, alii idola adorent: ego divitias, ego optimum, & maximum penes me habeo Deum, quem colam, aurum ſcilicet, & theſaurum. Næ miſer es, & miſerabilis, qui relicto vero Numine aſcititios, & imaginarios tibi legis Deos, aurum, argentum, gemmas, uniones &c.

Audi qui ſis apud D. Cyrillum. Impius es: Au- In Amos num. 48. di quid tua avaritia: *Impietas*: Audi quid de te, tuæqúe farinæ hominibus: D. Gregorius Nazianzenus,

Aurum, inquit, *& argentum, non ſecus atque illi* Orat. 15. *olim Baal, & Aſtartem, & execrandum illud Chamas adoratis.* Hæc S. Pater ex ſeipſo, tuoqúe ſenſu. Sed exclamabis fortè, & oppones illud. Aurum quidem amo, colo, ac veneror; ſed nequaquam ut Deum: neque enim ita amens ſum, ita alienus à ratione, Deoqúe, ut Deum credam. Scio terram eſſe, & pretioſa terræ viſcera, quæ tamen apud homines pretium invenêre, invenêre & amorem; ſed neque hæc, neque illud eo loco apud me, quo Deus.

Bona verba; ſed verba tantùm, res autem prorſus alia: apud te enim aurum eſt vice Dei, eſt Deus ipſe; quod aliis, atque aliis rationum momentis oſtendere eſt animus.

Primò enim avarus ſpes ſuas, vitæ robur ac præſidium, victus rationem ac providentiam in ſuis opibus reponit, adeoque illas habet pro Deo: id enim unicuique eſt Deus, à quo & vitam, & vitæ neceſſaria ſperat, atque expectat.

Quod aliquando pro ea, qua erat excelſæ mentis perſpicacia vidit, expreſſitque Salomon, cùm ait,

Proverb. c. 18 v. 11. *Subſtantia divitis urbs roboris ejus, & quaſi murus validus circumdans eum.*

Argenteum ſi voles, vel etiam aureum murum circumducit ſibi opulentus; quo & ſe tutum putet, & diviniorum judiciorum tela retundat; nullum credit eſſe arietem tam horribilis calamitatis, qui validum hoc vallum, aureaſque turres concutiat. Ecce ſpes ſuas, ecce robur, ecce præſidium, à quo & vita, & vitæ neceſſaria.

Accedit & alia ratio, eaque ejuſmodi, quod omnis avarus & mentem, intelligentiæ ſedem, & amorem; imò & cor ipſum, amoris officinam, in theſauris ſuis defigat, ac locet: quod in aperto, claraque luce poſuit illud Chriſti oraculum. *Ubi theſaurus tuus, ibi & cor tuum.*

Cujus rei exemplum S. Antonius de Padua, hominum oculis aliquando exhibuit. Dicebat è pulpito ſacer orator, atque ut eò loci, ac temporis mos erat, funebrem habebat orationem, de viro prædivite, ſed imprimis avaro, cùm ecce derepentè diviniore quodam afflatu, & luce numinis, atque ardore inſtinctus. Quid dicam, inquit, de corde iſtius hominis, quem imperio Dei obſecuta mors, vitæ & mundo abſtulit? Si veritas ipſa, ſi Dei filius clariſſimè aſſeruit, ubi noſter theſaurus ſit, ibi & cor noſtrum eſſe oportere. Abite amici, abite celeres, & in theſauro, quem ampliſſimum reliquit, hujus oraculi veritatem inveſtigate.

Ivere continuò, atque ut monuerat vir ſanctus, inter nummos cor ipſum defuncti repererunt: ſic probata vaticinio fides, & illud ipſum quod hîc in quæſtione eſt, avari cor, hoc eſt, amorem in nummis eſſe, quod eo prodigio, & novo, & à ſæculis inaudito declarare voluit Deus, & poſteris omnibus inculcare, ne & ipſi mentem, & cor in auro, argentóve infodiant: hoc eſt cogitationes omnes ſuas, curas ſuas, ſtudiaque, & affectus infigant, in eo quaſi fine ultimo quieturi, quod idololatriæ ſpecies eſt, & avaritiæ immane prodigium: quod & declarat amplius, atque etiam damnat iſtud, quod avarus, quiſquis is eſt, pecuniam veneretur ac colat non ſecus atque idolum, cujus aſſertionis fides erit penes D. Chryſoſtomum, illum audi, ſic, inquit,

In hunc Pauli locum. *Sicut idololatræ venerantur idola, nec ea præ reverentia tangere audent: ita avarus pecunias, quaſi idolum veneratur; nec eas audet contingere: ſed inani tantùm earum aſpectu delectatur:* quod & aliàs è pulpito docuit, alia hujus atque illius ſimilitudine. Sic enim ait,

Hom. 64. in Matth. *Sicut idolum lapideum templis; ſic avari clauſtris, & vectibus ſepiunt, pro templo arcam præparantes; deinde adorant ipſi, quod concluſerunt, oculoſque, & animam malunt, quàm theſaurum perire.*

Hos Philoſtratus *Aloadas* cognominabat, qui poſtquam Martem incarceraſſent, adorabant: ſic & divites ubi nummos arctiùs ſub clavi concluſerunt, eos quodammodo venerantur: & hinc, ſi quo caſu contingat illos perire: hinc, inquam labor, & dolor, hinc & anxiæ plurimum querelæ: nec mirum, quia illis divitiæ pro corde ſunt; imò & cor ipſum.

Ex domo Laban cùm effugiſſet Iacob, & ampliſſimas illius opes exportaſſet; ſic ille. *Quare ita egiſti, ut clam me abigeres filias meas?* in Hebræo eſt: *quid feciſti? & furatus es cor meum, & abduxiſti filias meas;*

Gen. c. 31. v. 26.

id eſt interprete Cajetano, *furatus es divitias meas, quæ mihi erant cordi, ſeu inſtar cordis.* Quod Labano divitiæ; hoc & avaro, cui & illæ cordi ſunt, & vice cordis. Et hinc graviſſimus, atque acutiſſimus doloris ſenſus, ſi eas abripi contigerit, aut aliqua fortunæ inclementia, aut etiam hominum malevolentia: de illo ſic aliquando Seneca.

Cogitandum eſt, quanto levior dolor ſit non habere, quàm perdere, & intelligemus paupertati eò minorem tormentorum, quò minorem damnorum eſſe materiam. Erras enim ſi putas animoſius detrimenta divites ferre. Maximis minimiſque corporibus par eſt dolor vulneris. Bion eleganter ait, non minus moleſtum eſſe calvis, quàm comatis pilos velli. Idem ſcias licet de pauperibus, locupletiſque, par eſſe tormentum. Utriſque enim pecunia ſua adhæſit, nec ſine ſenſu avelli poteſt. Tolerabilius autem eſt, ut dixi, faciliuſque, non acquirere, quam amittere. Lib. de tranquillit. animi. c. 8.

Ideoque lætiores videbis quos nunquam fortuna reſpexit, quàm quos deſeruit.

Vidit hoc Diogenes, vir ingentis animi, & effecit ne quid ſibi eripi poſſet.

Ubi ea protulit Romanus ſapiens, tum oratione ad avarum converſa. *Non te pudet*, inquit, *qui divitias ſtupes? Nudos videbis Deos, omnia dantes, nihil habentes.* tum & adjicit illud. *Optimus pecuniæ modus eſt, qui nec in paupertatem cadit, nec procul à paupertate diſcedit.*

§. 3.

Producuntur in medium exempla quædam Avaritiæ inſolentioris, & quidem ab Antiquitate petita.

DE infami *Caligulæ* Imperatoris avaritia, multis agit Suetonius: ego ex illo pauca. In ejus vita c. 40.

Vectigalia, inquit, nova, atque inaudita primùm per publicanos, deinde quia lucrum exuberabat, per centuriones, tribunoſque Prætorianos exercuit, nullo rerum, aut hominum genere omiſſo, cui non tributi aliquid imponeret. Pro eduliis, quæ tota urbe venirent, certum ſtatumque exigebatur, pro litibus, atque judiciis, ubicumque conceptis, quadrageſima ſummæ, de qua litigaretur, nec ſine pœna, ſi quis compoſuiſſe, vel donaſſe negotium convinceretur. Addit quoque ex lupanaribus lucrum feciſſe; imò & in ſuo palatio lupanar condidiſſe, ad quod obvios invitare, ut augeret vectigal.

I. Caligula.

Edixit deinde ſtrenas ineunte anno ſe recepturum, ſtetitque in veſtibulo ædium Calendis Januariis ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum manibus, ac ſinu, omnis generis turba fundebat.

Hæc ille de variis artibus, quibus graſſabatur infandum avaritiæ mancipium, ut ſanguinem pauperum unà cum pecunia exhauriret, quibus etiam iſtud adjicit veluti pro coronide.

Noviſſimè, inquit, contrectandæ pecuniæ cupidine incenſus, ſæpè ſuper immenſos aureorum acervos patentiſſimo diffuſos loco, & nudis pedibus ſpatiatus, & toto corpore aliquamdiu volutatus eſt. Crederes illi aurum eſſe pro roſis, pro violis, pro molli anſere, in quo cubaret molliùs, quo & delitiaretur impotentiùs.

Quod illi: hoc & *Neroni*, ut ſævitiæ, ſic & avaritiæ monſtro, de quo ille ipſe Suetonius, qui inſatiabilem illius cupiditatem, ex quibuſdam ejus placitis, ac principiis, notat, & pungit. In Nerone.

Primum eſt, quod nulli delegavit officium, cui non adjiceret iſtud, *Scis quid mihi opus ſit.* Ita illi venalia omnia, & quæ Reipublicæ peſtis eſt, venalia officia, adeoque & venalia juſtitia. II. Nero.

Alterum Neroni pervulgatum fuit illud. *Hoc agamus, ne quis quicquam habeat;* quod raptori melius conveniebat, quàm Cæſari.

Tertium, quod impietatis in Nerone fuit, hoc fuit, quod & templis, & aris bona detraxerit, quod Deorum ſimulacra argento auroque fuſa conflarit, ut eorum ſpoliis gazas repleret ſuas,

Quartum, quod in ſubditos immanitatis fuit,

hoc etiam fuit, quod eos gravarit, & propè oppreſſerit exactionibus & tributis nullo ordinum, nullo perſonarum diſcrimine.

Suetonius.

His addo *Veſpaſianum* qui ſuo in Imperio rapaciſſimum quemque promovere ſolitus ad officia pinguia, non alio conſilio, quàm ut ditatos probè, improbè damnaret, bonaque illorum omnia fiſco ſuo addiceret. Unde & vulgò dictum illud quod officiarios ſuos haberet pro ſpongiis, quos ſcilicet veluti ſpongias, & ſiccos madefaceret, ut humores deinde exprimeret, hoc eſt aurum omne, quo pleni.

Veſpaſianus.

Romanis Cæſaribus unum addo in Mahometi ſchola malè eruditum, is fuit *Calipha* inter ſuos facilè Princepa, de quo refert iſtud Spondanus, atque ex illo Fullonius noſter.

An. 1258.

Is adeo habendi avidus & retinens fuit, ut cùm vim auri propè infinitam coacervaſſet, illique incubaret draconis inſtar, vel minimum tamen inde deſumere noluerit, cogendo ad ſe tuendum ſtipendiario militi.

III. Calipha Mahometanus.

Hic deinde ab Haalono Mangonis Tartarorum Chami fratre victus, captuſque, & fame mori coactus eſt, & quidem intra cubiculum auro plenum occluſus, cum hoc dicto, & mordaci ſcommate.

Non debere talem Principem, & Saracenorum magiſtrum aliis epulis, quàm aureis veſci. Ita mortem invenit in auro, qui in auro vitam poſuerat: ut in illum meritò caderet iſtud Publii. *In nullum avarus bonus eſt, in ſe verò peſſimus*, & talis ille fuit, & tales ii quos refert Athenæus ævo ſuo pecuniarum ſtudio inſaniviſſe, & quemdam cùm in extremis laboraret, multos aureos nummos deglutiviſſe, ac deinde obiiſſe. Itemque alium in ſago aurum conſuiſſe, eoque ſe induiſſe, ac deinde familiaribus ſuis in mandatis dediſſe, ut ſe ita indutum, auroque gravem ſepelirent, neque (ut aliàs moris erat) urerent, aut cultum aliquem alium adhiberent.

Lib. 4 c. 12.

Ita moribundo illi, & aurum pro cibo, proque delitiis fuit, & huic mortuo pro veſte, proque ornatu omni.

Pluribus ſuperſedeo, ne chartam onerem inſanis illis avaritiæ ſubſtructionibus: non poſſum tamen, quin ſtylo notem, & pungam è Chriſtianis nonnullos, qui & vivi bonorum ſuorum plus æquo retinentes ſunt, atque etiam mortui: quidni enim & illorum retinentes pronuntiem etiam poſt fata? qui poſt hæc nihil relinquunt niſi carni & ſanguini, hoc eſt filiis, amicis, ac hæredibus, quibus cedit omnis eorum poſſeſſio, animæ autem, ſaluti, ac Deo, Cœloque ab ultimis teſtamenti tabulis relinquitur omninò nihil. Næ illi in ſe parci, ſordidi, atque immites ſunt. Non ſic providæ mentes, non ſic; ſpectant hæ æternitatem, non modicum brevis ævi tempus: ſerviunt hæ Cœlo, non terris, animæ conſulunt, non carni & ſanguini.

Surius in ejus vita Tom. 6.

Ita ſibi benè conſuluit *S. Laurentius* Dublinii in Hybernia Epiſcopus, qui de condendo teſtamento admonitus, reſpondiſſe fertur:

Novit Dominus mihi ne nummum quidem ſub ſole relictum eſſe. Nimirum jam ante, ſupra ſolem extulerat, quidquid unquam poſſederat boni. Uti & feciſſe viſus *S. Hugo* Epiſcopus Lincolnienſis in Anglia: qui monitus ut pro more teſtamentum conderet. Tædet me, inquit, iſtius conſuetudinis jam paſſim in Eccleſiam introductæ; nec habui quicquam, nec habeo, quod non ſit Eccleſiæ, quam regendam ſuſcepi: attamen ne fiſcus rapiat, pauperibus tribuatur totum, quod videor poſſidere.

Surius in ejus vita. c. 22.

Hæc S. Præſul in ultima vitæ linea, in confiniis vitæ ac mortis, in aditu æternitatis: quæ utinam legerent, atque intelligerent Eccleſiaſtici omnes, quibus plerumque in teſtamenti tabulis, ſola parentum, amicorumque mentio, Eccleſiæ nulla, pauperum etiam nulla.

Proh dolor! pudorque! quid facias? ea eſt hujus ævi macula: ſibi, ſalutique proſpiciunt pauci, conſanguineis quamplurimis quibus optarim illud quod *S. Theodulo* Lectori, deinde Martyri.

Hic cùm ante mortem Chriſti, ac Religionis causâ obitam, oblitus eſſet teſtamentum condere, poſt mortem vitæ redditus, multis ſe ſpectandum dedit; dein etiam teſtamento viduas, & orphanos ex aſſe hæredes inſtituit, atque in illis etiam Chriſtum, futurus poſteris omnibus exemplo, atque documento.

Faſti Mariani 4. April.

Optandum ſanè eſſet longè plurimis, qui vel in ignibus expiatoriis torquentur modò, vel etiam in Cœlo fruuntur ævo beatiore. Optandum inquam eſſet, ut & ipſi vitæ reſtituerentur & huic mundo aſpectabili, denuoque teſtamentum ſcriberent, alios longè hæredes daturi, ab iis qui ſunt modò: utique pauperes, viduas, orphanoſque, atque in iis omnibus Chriſtum Servatorem optimum, qui illorum eſſet hæres ſummo eorum bono.

§. 4.

Avaris ſua eſt pœna Cœlo vindice, quod & exemplis oſtenditur.

Rectè cecinit Poëta:

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

carò & avarum, quo nihil ferè ſceleſtius. At quæ, inquies pœna? eadem quæ culpa; auro enim punitur, qui auro peccat, juſto ſane Dei judicio: *ut per quæ quis peccat, per hæc & torqueatur.*

Sap. c. 11. v. 17.

Petamus exempla ab ipſa retro antiquitate. *Marcus Craſſus* bellum Parthis intulerat, nulla provocatus injuria: ſed ſola pecuniæ cupiditate victus: hinc agrorum vaſtitas, & mutuæ cædes, & multus ſanguis, cujus tandem impatiens terra, impatiens & Cœlum, belli authorem Parthis captivum tradidit: qui pereat ille? aqua, an igne? ferro, an laqueo? nequaquam: auro pereat eſt neceſſe, qui auro peccavit; & verò ita periit, aurum enim liquidum in os ejus infuſum à Parthis, quo & famem auri inſatiabilem expleret, & ſimul etiam vitam.

I. In Marco Craſſo.

Florus l. 3. c. 11.

Quod illi, hoc & *Manio* Romanorum Legato, & belli Mithridatici præcipuo incentori: poſt multa hinc & inde prælia, poſt direptiones, & cædes, victus tandem, captuſque *Manius*, quem Mithridates Rex Ponti, primùm aſino per ludibrium inſidentem circumduxit, deinde ſuapte voce proclamare juſſit, ſe eſſe *Manium*, ut eſſet fortunæ ludus, & populi opprobrium: denique Pergami aurum liquatum in os ejus infudit, largitionum corruptelas & illi & Romano nomini exprobrans.

Appianus l. de bello Mithri.

II. In Manio.

Agebatur à Chriſto annus 1256 cùm Tartari Meſopotamiam ſibi ſubjecerunt, expugnatque *Baldacum*, quæ aliis *Babylon* dicitur. Eò loci cùm Saracenorum Sultanus in Tartarorum manus veniſſet, hoc ei decrevere ſupplicium.

III. In Sultano.

Luculento igne liquatum aurum ori ejus infuderunt, ut qui vivens per ſummam avaritiam auro ſuo ſordidè pepercerat, moriens aurum prodigè exſorberet, eoque benè potus inter ferventea liquati metalli latices animam effunderet: adeo noxium auro malè parcere, nec benè uti cùm poſſis, ac debeas.

Marin.

Spectaſti quomodo aurum plenis buccis biberint, qui prius aurum avara mente hauſerant: accipe qui auro impotentius inhiando, malè etiam perierint.

Ex multis erit unus iſque *Richardus*, Angliæ Rex, & ipſe auri cupidus in paucis, de quo Rigordus libro de geſtis Philippi Auguſti Regis Francorum.

IV. In Richardo Angliæ Rege.

Vertebatur annus à Chriſto nato 1199. cùm juxta Lemovicam Civitatem, Caſtrum obſidere cœpit. Ei nomen indigenæ fecerant *Calidum Luceum*: vel ut Spondanus appellat, *Chaluz*.

Obſidionis

Obſidionis porrò hujus non alia cauſa fuit, quàm cupido potiundi ingentis theſauri, ibidem depoſiti, loco utpote munitiore ad ſecuritatem.

Erat autem theſaurus ille Imperator unus aliquis, ex auro puro, cùm uxore, filiis, & filiabus, qui omnes menſæ aſſidebant aureæ: invaſerat Regis animum avara ſitis, & fames tam inuſitati theſauri, in quo tanta erat auri vis, tanta & moles; occuparat etiam lactaratque dio ſpes illius obtinendi, ſi minus deditione; at certè armatâ manu, quam dum admovet impotentius, ad ipſas propè Caſtri foſſas, ex illo baliſtarius artis ſuæ non imperitus, ſpiculum emiſit in fera, Regemque validè percuſſit, & poſt dies paucos letali vulnere ſuſtulit. Ita auro cadit, aurique cupidine, qui eâ ſe abripi patitur extimulante avaritia.

An. 1568. Vis altum ſordida tenacitate, ceu ſtigmate notatum, atque ad divinam ultionem deſignatum, primò in bonis, deinde & in vita, feralique exitio, accipe ex Spondano.

In Suecia, cùm ſumma eſſet annonæ caritas, & inde etiam publica fames, quiſpiam dives iſque avarus, triticum pauperibus vendere noluit, etiam repræſentato pretio, dum ita rem agit ſuam, ſedulaque cura per famulos horrea claudi & cuſtodiri curat, ne qua fortè fraus fiat, neve quis clanculum ſurripiat. Ecce duo boves ingentes colore nigro, frumenta depaſcentes viſi ſunt ab uno è famulis, qui eo ſpectaculo territus, cum hero nuntiaſſet, ad illius pedes repentè mortuus concidit, tantus eum horror invaſerat. Mittitur interim è ſervis alius, conſpectiſque non bobus tantum, ſed & ſuibus, conſternatus & ipſe, mox ad herum recurrit, & vix enarrato viſo corruit exanimis, tanta vis illius ſtuporis & horroris. Tandem herus ipſe, ut oculis ſuis credat, horreum ingreditur; & en illi ſpectaculum atrocius; videt enim bobus, & ſuibus acceſſiſſe animalia omnia generis, hoc ipſum quod pauperibus negarat frumentum, vorantia. Humanitatis expertem avarum permovit ſpectaculi novitas, & horror, phreneticumque, & membra laniantem, deduxit ad convenicns tantæ inhumanitati exitium.

Fulgentius ad 2. Machabæorum.

§. 5.

Avaritiæ ſimulacrum, ex S. Iſidoro Peluſiota.

Lib. 2. Epiſt. 235. SAnctus Iſidorus ut avaritiam, ceu quoddam infame monſtrum ſubjiceret oculis, effinxit illam ſimilem fœminæ, belluina forma præditæ, ignemque ſpiranti, ſexcentaſque viperas crinium loco in capite habenti, & eas quidem perpetuò ſibilantes, ac mortiferum venenum evomentes: item manus unguibus abundantes.

Fœminæ quidem, quia inconſtans & mutabilis ut illa, belluina verò ſpecie, quia nec ratione ſe duci patitur, nec amicitiæ vinculis retineri, ignem ſpirat, quia odia excitat, cædes atque incendia, viperas habet in capite loco crinium: quia ut illæ matris uterum diffindunt, & diſſecant, ut exeant in lucem non ſine parentis excidio; ſic & avaritia mente concepta, eidem exitium parit. Sibilat illa, quia continuò inclamat illud, *Affer affer*, nec unquam ſatis.

Manus habet permultas, quibus etiam aliena carpit, ungues verò, quibus & laceret. Et hæc ſimulacri illius ſpecies, hæc & natura vitiis propè omnibus gravida, ut patebit ex Paragrapho ſequenti.

§. 6.

Avaritiæ nihil impervium, nihil inviolabile.

Diodorus Siculus L. 16. Biblioth. PHilippus Macedo cum meditaretur arcem obſidere, ſitu & arte munitam, audiſſetque inexpugnabilem eſſe etiam peritorum judicio; ex iis quæſivit an non aſinus auro onuſtus eam conſcendere poſſet, innuens nihil eſſe tam munitum, quod auro non expugnetur, & quod armis capi non poteſt, auro poteſt.

Et hoc ſua ipſe experientia doctus, jactare ſolebat plura ſe dando perfeciſſe, quàm bellando. Et inde etiam de illo vulgatum iſtud: *Non Philippum, ſed Philippi aurum ſubegiſſe Græciam*. Adeo verum eſt auro nihil eſſe impervium, nihil inexpugnabile, addo nihil etiam inviolabile, violat enim omnia jura, divina, I. Violat Jus Divinum.
humana, civilia. Ius divinum obtinet & ſancit illud, ut Deo largitori reddas quod ab eo accepiſti, ex illo etiam Chriſti Servatoris oraculo: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo.* Secus omninò facit avarus, quod eleganti Apologo oſtendêre Veteres.

Viator, inquiunt, itinere longo, & moleſto plurimum fatigatus, votum fecit dimidium ejus, quod reperiſſet ſe Mercurio conſecraturum; cùm autem incidiſſet in ſacculum plenum Palmis & Amygdalis, illo ſublato fructus quidem comedit, nucleos autem Palmarum, & Amygdalarum teſtas in aram imponi voluit, Mercurioque, Deo utique ſuo ſacrari, ratus ea ratione ſe votum eaſolvere, atque inventa cum Mercurio partiri: de quibus extima, & intima illi obtuliſſet.

Errabat autem quàmplurimum; uti & errant avari: hi nimirum, ſi quid è numeroſo peculio Deo dandum ſit & ſacris Altaribus; obolum offerunt, & teruntium, & ſi quid uſquam adulterinæ monetæ: ſibi autem ſervant, quod argenti, aurique puriſſimi, quod probatæ eſt monetæ, eaque replent arcas ſuas, cùm interim Eccleſiæ Gazophylacia vacua ſint, in Deum profectò, atque in Superos injurii; imò etiam in ſe, quod lepida ſanè fabella demonſtrarunt antiquiores Sophi.

Orta inter duos cervos pugna, jam eò uſque pro- II.
ceſſerat, ut saucius in terram efflueret ſanguis. Vide- Jus humanum.
rat hoc vulpecula, & cupida lingendi illius ſurrepit dimicantibus, & aviditate quadam liguriendi incautius ſubiens: à cervis attrita, conquaſſatis coſtis, & ſemiviva in ſanguine relinquitur.

Commentum eſt: ſed ingenioſum, quo docemur avaros nimio quærendi ſtudio urgere ſe, ac præcipitare in exitium: adeò verum illud Eccleſiaſtici. *Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam; hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua projecit intima ſua.* Cap. 10.

Mortalibus res omnes aliæ pecunia venales ſunt, ſoli avaro ipſa anima pecuniâ venalis, anima dico aliàs pretioſiſſima, nullo pretio æſtimabilis: anima cujus pretium non aliud eſt quàm Deus homo; & tamen ut ea ſit, avaro pecuniâ venalis eſt, quid ſtultius? quid ſceleſtius? quid infelicius, ut qui etiam in vita ſua projecit viſcera ſua: hoc eſt adhuc, vivens omnem humanitatis ſenſum atque affectum ejecit, etiam quod mireris, erga ſanguine junctos, erga concives, erga patriam, quæ viro bono eſt in primis curis, atque amoribus.

Dicitur in fabulis; Eriphyla uxor Amphiarai ita aureum quoddam monile, quod Polynicea habebat amaſſe & concupiviſſe, ut ejus cupidine maritum latentem (ne ad bellum Thebanum, ubi ſe moriturum ſciebat, proficiſci cogeretur) prodiderit. Ita omnium inhumana, & excors fuit, ut monile mariti ſanguini & vitæ prætulerit, nullis conjugii vinculis retenta: ſic avaritiæ nihil eſt inviolabile, ne ſanguis quidem, ne vita: neve etiam patria, quæ vitâ carior eſſe debet.

Tarpeia, Romana Virgo Capitolium Tarpei Pa- III.
tris cuſtodiæ commiſſum proditura, à Sabinis in mer- Jus Civile.
cedem petiit, quidquid ſiniſtris brachiis geſtarent, intelligebat autem armillas, auro, gemmiſque graves, quas illi lævo brachio ferebant. Annuerunt illi, & capitolio potiti, Virginem armillarum congeſtu ac pondere obruerunt, necaruntque.

Ita

Ita quæ vivens auri gemmarumque cupidini ſuccubuit, in iis & mortem, & tumulum invenit, æquo ſanè Dei vindicis judicio, ut per quæ peccarat, per eadem & puniretur.

Cui non abſimile eſt iſtud quod de *Brenno*, Seſonum Duce referri ſolet. Obſidebat ille Epheſum, cùm Virgo quædam *Demonica* nomine, ſollicitata ſpe barbari, cum eo pepigit ſe prodituram Epheſum, mercede monilium, quæ Galli geſtabant: Cujus pacti fidem præſtitit *Brennus*; urbe enim prodita, juſſit omnia monilia in eam congeri, ſic ut eorum incumbente pondere opprimeretur.

Dignum profectò tantæ perfidiæ ſupplicium; perfidiæ dico, cui nihil inviolabile, non fides, non amor, non pietas, non juſtitia.

Serm. 9 de Paſſione. Ita nimirum ut disertè S. Leo Pont. *Amori pecuniæ vilis eſt omnis affectio; & anima lucri cupida etiam pro exigua perire non metuit, cujus hac illi ratio. Quia nullum eſt in illo corde juſtitiæ veſtigium, in quo ſibi avaritia fecit habitaculum.*

Exemplo erit proditor Judas, qui Deum hominem triginta vendidit argenteis, vili ſanè pretio, quo nec veniret jumentum. Quid facias? Is avaritiæ eſt genius, vilis illi omnis affectio, vilis amor vilis in Deum pietas, vilis & juſtitia, cujus jura violat omnia, civilia, humana, divina: in vivos injuſtos, in mortuos etiam impius, in hos enim involat, intratque etiam profundam ſepulchri noctem duce avaritia, & auri inſana cupidine, quæ etiam ſævit in mortuos. Exempla demus petita ex antiquitate, etiam in Regibus.

IV. *Ipſos manes.* Semiramis *Carum* Regina, quæ Babylonem condidit, monumento quod ſibi vivens erexerat, inſcripſit iſtud:

Quiſquis Rex pecuniis eguerit, aperto monumento, quantum voluerit capiat.

Darius ea Civitate potitus, titulo credens, ſaxum ingens, quo claudebatur monumentum, amolitus: nihil quidem invenit pecuniarum: ſed ex altero ſaxi latere hanc inſcriptionem: *Ni vir malus eſſes, & pecuniæ inexplebilis, haudquaquam mortuorum loculos moveres.*

Pupugit ea inſcriptio *Darium*, qui & ſeipſe damnavit, ſuamque auri cupidinem.

Maximus Tyrius. Quod *Dario*, hoc aliquando etiam uni è Perſarum Regibus, qui & ipſe ſepulchrum aperuit, ratus eo reconditam ingentem auri vim, atque copiam; ſed & ipſe hanc inſcriptionem reperit.

O omnium hominum inaniſſime, qui aperis ſepulchrum propter amorem auri. Legit, & erubuit.

Hæc auri mancipia, hæc monſtra avaritiæ. *S. Ignatius* Martyr appellare ſolitus pecuniarum turbines,

Epiſt. 5 ad Magneſianos. aut procellas: metaphora ſumpta ab eo, quo in natura vix quicquam eſt vehementius: turbines enim, & procellæ obvia quæque concutiunt, ac evertunt: ſic & avari in jura omnia involant; atque arietant, & quà licet, quà non licet peſſundant, ea vero generi humano quod aëri ventorum turbines, quod oceano procellæ.

Caſſiodorus Lib. 12. variarum, Epiſtola prima, Avaritiam fingit quaſi Reginam procacium vitiorum, cui cuncta crimina deteſtabili devotione famulantur, quæ cùm pectus hominum ingreſſa fuerit, gregatim quoque maleſidas cohortes admittit; fieri non poteſt recepta, quia neſcit eſſe ſolitaria, agmen habet blandiſſimum, arma ſuſcipit ex talentis, & per dulcedinem ſuperat, quos amara deceptione captivat.

Hæc Caſſiodorus, ex quo pauca notari velim, & quidē primò quod avaritia neſcit eſſe ſolitaria, ut alia vitia admittat neceſſum eſt: & quidem non unum, alterumve, ſed omnia: nec ſingula ſeorſim, ſed gregatim, atque adinſtar cohortium, quæ facto impetu incurrunt in animum: deinde quod ei, ceu Reginæ omnia vitia deteſtabili devotione famulentur; atque ut pleraque omittam, imprimis ſævitia, quæ avaritiam ſequitur ut dominam pediſſequa.

Teſtis erit *Pigmalion* Rex Tyri, qui Sichæum ſororis ſuæ Didonis maritum interfecit, ut ejus auro potiretur.

Teſtis & integer exercitus Romanus, qui *Tito* Imperatore Ieroſolymam obſidente, Iudæos (qui fame compulſi ab urbe profugiebant, devorata aurea moneta ut eam ab hoſte ſervarent incolumem) ferro medios dividebant, ut & in ipſis inteſtinis aurum quod devoraverant invenirent; nec puſillam moram quâ ventrem exonerantes, aurum effunderent, ferre poterant: tanta erat auri potiundi cupiditas, tanta & libido ſæviendi, quæ eouſque progreſſa eſt, ut biduo tantum, duo Iudæorum millia ſic malè perierint, & periiſſent longè plura, niſi *Titus* naturâ mitior, gravi propoſita pœna eam cædem interdixiſſet.

Ad illam immanitatem, ac ſævitiam avaritiæ comitem, accedit injuſtitia, & criminum ferè omnium impunitas; ea viſa eſt ſub *Commodo* Imperatore longè avariſſimo: hic alienæ mortis facultatem petentibus, pecuniâ facilè concedebat, omniumque aliorum criminum impunitatem auro indulgebat, & palam litium, capitaliumque criminum judicia vendebat, haud ſecus, quàm ſi in publicis nundinis vendendæ merces eſſent: nimirum avaritiæ venalia omnia, tum ſacra, tum profana; ſacra quidem, cùm venale eſt Sacerdotium, venales & infulæ, aliæque Eccleſiaſticæ dignitates, qualis aliquando fuit in Eboracenſi Pontifice, de quo loquens D. Bernardus, ait illum cùm non poſſet ingredi per oſtium in Sanctuarium, *contra jus, faſque, argenteo, ut aiunt, ſarculo fodiſſe.* Utinam hoc quo vivimus ævo, plerique non eodem ſarculo foderent: ſed pluribus ſuperſedeo, nec calamum longius duco in tam ferali argumento.

§. 7.

Avaritiam damnat Natura, damnant ipſa Elementa, damnant & feræ quantumvis efferæ.

Romanus Sapiens hæc olim de prudenti naturæ conſilio, & ſuavi providentia. *Nulli nos vitio natura conciliat, nos illa integros, ac liberos genuit: nihil quidem, quod avaritiam noſtram irritaret, poſuit in aperto: Pedibus aurum, & argentum ſubjecit,* *Epiſt. 94.* *calcandumque, ac premendum dedit, & quidquid eſt propter quod calcamur, & premimur. Aurum quidem, &* I. *Natura avaritiam damnat.* *argentum, & propter iſta nunquam pacem agens ferrum, quaſi malè nobis committeretur, abſcondit.*

Hæc ubi dixit, de provido illo naturæ genio, quæ avaritiæ noſtræ, ac cupidinis cauſas poſuit in occulto; tum adjicit, quæ improvida mortalium libido profert in apertum, & in ſuipſius perniciem: ſic enim inquit:

Nos in lucem propter quæ pugnaremus extulimus, nos & cauſas periculorum noſtrorum, & inſtrumenta, disjecta terrarum pondere, eruimus: Nos fortunæ mala noſtra tradidimus, nec erubeſcimus ſumma apud nos haberi, quæ fuerant ima terrarum.

Hæc ubi protulit de incautis hominum ſtudiis inſanoque molimine: tum addit de ipſa auri argentique natura: *Vis ſcire*, inquit, *quàm falſus oculos tuos decipit fulgor.*

Nihil eſt iſtis, quamdiu merſa & involuta cœno jacent, fœdius, nihil obſcurius.

Quidni? Quando per longiſſimorum cuniculorum latebras extrahuntur. Nihil eſt illis dum fiunt, & à fæce ſua ſeparantur, informius: Denique ipſos opifices intuere, per quorum manus ſterile terræ genus, & informe perpurgatur: videbis quanta fuligine oblinantur.

Ubi illa de auri ſpecie, deque forma, atque artifice in medium attulit, tum conficit illud, quod ad inſtitutum meum facit, & in quo auri cupidinem culpat natura.

At

At qui iſta, Inquis, *magis inquinant animos, quàm corpora, & in poſſeſſione eorum, quàm in artifice plus eſt ſordium* Quod ſi ex vero plus eſt ſordium, plus etiam, quod damnet natura, plus, quod damnent ipſa etiam elementa: quod pluribus, etiam miraculis probavit Athenæus, qui id ſtatuit velut indubitatum ipſius naturæ pronuntiatum.

Gimno-Sophiſtarum l. 3 c. 4.
II. Elementa damnant.

Bonis valgò naſcentibus, atque in commune bonum à natura fuſis, nefas eſt quemquam prohibere: & quia nonnullorum avaritia, id auſa prohibere, hinc ea deſiere etiam miraculo.

In Ægypto apud Theſprotiæ fluvlum, qui eſt in *Epiro* in quadam palude, naſcebantue fabæ, vulgò dictæ Ægyptiacæ: eæ per biennium fructus protulorunt ſuos, & quidem feraciſſimè: at ubi Alexander Pyrrhi Rex ad lacum illum cuſtodiam poſuit, vetuitque non ſolum carpere; ſed etiam ad lacum accedere, palus illa exſiccata eſt, neque deinceps fructum ullom tulit.

Crederes ipſa terræ & aquæ elementa damnare, atque ulciſci velle illatam communi bono injuriam, & ſordidam Alexandri avaritiam.

Res huic ſimillima etiam fuit ea, quæ in *Edepſo* accidit, non ſine ſtupore, & quodam naturæ miraculo, ibi enim aqua ab aliis longè diſcreta ebulliit è ſonticulo, non ita procul à mari, qoam ægri bibentes plurimum juvabantur, inerat enim illi virtus quædam veluti medica, inde è longinquis etiam regionibus exciti quamplurimi, ut eâ epota ſuis malis remedium invenirent, & verò etiam inveniebant.

Cùm autem Duces Antigoni Regis hanc parcius diſpenſare cœpiſſent, & aliam multum ab ea differentem dari bibentibus juſſiſſent, derepentè fonticulus ille exaruit: diceres eam ſenſiſſe, damnaſſeque parſimoniam.

Simile quid viſum in Troade, obi cùm liceret cuique Tragazeum ſalem capere, cùm Lyſimachus tributum impoſuiſſet, continuò evanuit. Cumque deinde eum locum à vectigalibus immunem reliquiſſet, viſus eſt renaſci, ac recreſcere. Exiſtimares ſalem illum foſſilem, cùm ſibi relinquitur, ea naturæ profuſione enaſci rurſus, atque excreſcere, cùm verò arctatur, ac tributi onere premitur, laſſari quodammodo, ac perire, indeque mortalium tenacitatem atque avaritiam damnare, uti & damnant ipſæ feræ quantumvis efferæ.

III. Damnant & feræ.

cap. 20.

Solinus refert in Aſiatica Scythia terras eſſe locupletes, inhabitabiles tamen; cùm enim auro, & gemmis affluant, Gryphes tenent univerſa, alites ferociſſimæ, & ultra modum ſævientes, quarum immanitate obſiſtente ad venas auro divites acceſſus rariſſimus eſt, quippe in viſos ſtatim involant, ac diſcerpunt, veluti geniti ad plectandam avaritiæ temeritatem.

Simile quid narrat de Æthyopia Africana, in qua juxta fluvium *Tigrim* viſuntur formicæ grandiores ad formam canis maximi, quæ arenas aureas pedibus terunt (quos leoninos habent) quas & cuſtodiunt, ne quis eas aſportet, captanteſque ad necem uſque perſequuntur. Sic innata quadam feritate mortales auri cupidos avertunt vel ipſo naturæ inſtinctu ſecretiore, vel Dei conſilio, ac ſorti providentia, ne inde homini creetur malum.

Quod ſi natura ipſa, tacito quodam impulſu, ſi elementa etiam ſenſus expertia, ſi feræ ipſæ, licet efferæ, nec ratione præditæ, avaritiæ ſint veluti jurati hoſtes: quid erit homo rationis compos, & humanitatis? Certè & ipſe avaritiæ hoſtis erit, ſi modò is ſit, quem & natura & ratio eſſe voluit. Solino teſte, *Satarcha*, uſu auri, argentique damnato in æternum, ſe à publica avaritia vindicarunt.

Cap. 20.

Suſa urbs nobiliſſima, inter Perſidem, & Babylonem ſita, incolas habuit adeo alienos ab omni auri cupidine, ut ſtudioſè, dataque opera aurum coëmerent, non alio conſilio, quàm ut genus illud metalli abjicerent in profunda terrarum, ne qui ejus uſu polluti avaritiâ corrumperentur: adeo ab hac erant averſi, atque abhorrentes. Et verò quidni ii ſint? Certè Diogenes in Republica ſua legem tulit ut nummi eſſent *aſtragali*, hoc eſt ſub talis, ac ſub pedibus, ut qui ſcilicet generoſo contemptu conculcarentur. Quod ſi ii fuerunt etiam Ethnicis, etiam profanis, qui eſſe debent Chriſtianis, & hominibus Deo ſacris? Profectò ut illis, *Aſtragali*; hoc eſt, ſub pedibus, non ut pleriſque (non ſine Chriſtiani nominis probro) in capite; imò & ſupra caput, hoc eſt in æſtimatione, honore, & deſiderio impotentiore.

Sumant hi exemplum etiam à Diogene, cujus jam memini, & de quo Seneca. *Vidit hoc Diogenes, vir ingentis animi, & effecit ne quid ſibi eripi poſſet.* Hæc ubi de illo dixit, tum ad avaros orationem ſic vertit: *Nunc te pudet, qui divitiis aſtupes. Reſpice agedum mundum. Nudos videbis Deos omnia dantes; nihil habentes*, denique adjicit quæ ratio ſervanda, & ait: *Optimus pecuniæ modus eſt, qui nec in paupertatem cadit, nec procul a paupertate diſcedit.*

Lib. de Tranquillit. animi, c. 8.

§. 8.

Oportunæ conſiderationes quæ pro remedio ſint contra inſanam illam habendi libidinem.

AVreum illud Chryſologi pronuntiatum de avaro: *Pœna dives eſt ille, non cenſa.*

Serm. 20.

Ea porrò pœna fluit è triplici ſonte.

Labore, timore, dolore, ut etiam ſcitè Ludolphus in vita Chriſti. *Divitiæ magno labore acquiruntur, majore timore conſervantur, maximo dolore amittuntur.*

Parte 2. c. 24.

I. Conſideratio à labore.

Laborem ex eo metieris, quod pro acquirendis divitiis, noctu, diuque laboratur, dies in opere, noctes in vigilia exiguntur, tranantur maria, tolerantur æſtus, domatur gelu, & frigidi ſuperantur aquilones, itur ab oriente in occidentem, à ſeptentrione in meridiem, ab una ſolis domo in aliam, ab uno orbe in alterum. Et hoc quidem in orbem: redit enim labor actus in orbem, in quo ut initium, ſic nec finem invenies, quia *impii*, ut ait vates, *in circuitu ambulant*: ecce labor & quidem immodicus.

II. A Timore.

Vide ut etiam *timor*, & quidem labore major: manat ille ex alia, atque alia ſcaturigine, & quidem perenni fluxu: timetur enim ne partæ opes diffluant, vel aliqua fortunæ inclinatione (neque enim ſibi hæc conſtat, ſed perpetua vertigine volvitur, nec tamen unquam evolvitur) vel inimica hominum malevolentia, ab hac modo fur loculis imminere videtur; modo in foro & roſtris lis excitari, vel denique adverſo aliquo caſu, & naturâ veluti novercâ: ab hac in terris & agris modo nimbus immodicus, modo denſior grando, modo æſtus ardentior: ab hoc enim exeduntur & areſcunt ſegetes, ab illis decutiuntur & jacent.

Et hic à terra, terræque partu eſt timor, major ab aqua, infidoque ac mutabili ſemper elemento: in hoc enim inſurgunt venti, & turbines violentiores, attolluntur fluctus, & undarum vortices, & patens Scylla, tumentes ſcopuli, & Charybdis: atque ab his, & illis fœda naufragia. Et ab his omnibus timor, & quidem labore major, atque ab hoc & illo *dolor* longè maximus, ſi fortè aliquo infortunio amittantur opes. Quæ enim tum avari cura? quis ſenſus, quæ mens, quæ cogitatio, quis æſtus?

III. A dolore Avarorum.

Certè ſi quis, ut Chirurgi, & periti anatomiæ ſolent, diſſecaret illius pectus, videret & corruptum è frequentibus curis ſanguinem, & aridum jecur, & cor ſine ſpiritu, & totum propè hominem ſemimortuum: nec mirum, quia opes perdidit, quæ illi erant pro corde, proque anima. Et hæc prima conſideratio, petita à labore, timore, dolore; quæ avaritiæ comites ſunt, veriùs carnifices.

Venio ad aliam, quæ docetur ab inanitate, & celeri fuga eorum omnium, quæ avarus deperit.

IV. Ab opum inanitate, & fuga.

Seneca Ep. 110.

De his more ſuo, hoc eſt diſertè Sapiens Romanus: Attalum, inquit, memini cum magna admiratione omnium, hæc dicere. Diu mihi impoſuere divitiæ: ſtupebam ubi aliquid ex illis, alio atque alio loco fulſerat; exiſtimabam ſimilia eſſe quæ laterent, his quæ oſtenderentur: ſed in quodam apparatu vidi totas urbis opes, cælatas ex auro & argento, & his quæ pretium auri, argentique vicerunt, exquiſitos colores, & veſtes, ultra non tantum noſtrûm; ſed ultra finem hoſtium advectas. Hinc puerorum perſpicuos cultu atque forma greges; hinc fœminarum, & alia quæ res ſuas recognoſcens ſummi Imperii fortuna protulerat. Quid hoc eſt, inquam, aliud quàm irritare cupiditates hominum per ſe incitatas? quid ſibi vult iſta pecuniæ pompa? ad diſcendam avaritiam convenimus? At me Hercule, minus cupiditatis iſthinc effero, quàm attuleram: contempſi divitias, non quia ſupervacuæ ſunt; ſed quia puſillæ ſunt.

Vidiſtine quàm intra paucas horas, ille ordo, quamvis lautus, diſpoſituſque tranſierit? hoc totam vitam noſtram occupabit, quod totum diem occupare non potuit? acceſſit illud quoque, tam ſupervacuæ mihi viſæ ſunt habentibus, quàm fuerant ſpectantibus. Hoc itaque mihi ipſi dico, quoties tale quid perſtrinxerit oculos meos, quoties occurrerit domus ſplendida, cohors culta ſervorum, lectica formoſis impoſita calonibus. Quid miraris? quid ſtupes? pompa eſt, oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur, & dum placent, tranſeunt: ad veras potius te converte divitias, diſce parvo eſſe contentus. Hactenus Attalus apud Senecam, quo judice omnes illæ fortunæ ditioris apparatus, pompa tantum eſt, oſtenditur, non poſſidetur, & dum placet, tranſit.

Ecce divitiarum inanitas, ecce fuga præceps, &

V. A miſerabili ſervitute.

tamen his oculos, his & animos damus cæci mortales, & eò quidem, ut non tam illas poſſideamus ipſi quàm ipſæ nos poſſideant.

Et hinc mihi ponitur ob oculos alia conſideratio, quæ inſolenti noſtræ cupidini erit etiam pro remedio: ea trahetur ex ſervitute miſerabili, ſub quâ gemit omnis avarus, & in quam velis nolis, inducit avaritia, de qua & illud Valerii Maximi.

Lib. 9. c. 4.

Protrahatur etiam avaritia latentium indagatrix lucrorum, manifeſtæ prædæ avidiſſima vorago, nec habendi fructu fœlix, & cupiditate quærendi miſerrima.

Ut autem oſtendat quomodo ſit miſerrima, producit exemplum Ptolomæi, Regis Cypri, longè ditiſſimi, de quo & iſtud aſtruit.

Procul dubio, hic non poſſedit divitias: ſed à divitiis poſſeſſus eſt: titulo Rex Inſulæ, animo miſerabile pecuniæ mancipium.

Quod ille de Cypri Rege; hoc & de quibuſlibet divitibus avaris, ex vero dici poteſt: non poſſident hi divitias; ſed è contrario ab illis poſſidentur, ſuntque earum infelicia mancipia: ideoque in ſcripturis audiunt *viri divitiarum*, quos ſcilicet divitiæ poſſident ut ſervos, ut mancipia domini ſolent: ſic enim de illis Vates Regius.

Pſal. 75. v. 6.

Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.

Vita illorum quanta quanta fuit, ſomnus fuit, lectulus, aurum, & theſauri quibus indormierunt, profundùm illis merſi, & quaſi conſepulti, ac deinde à morte, ceu exactore ſevero juſſi exire è vitæ ſtatione, nihil invenerunt in manibus ſuis; ſed ſicuti intrarant in mundum nudi, ſic & nudi exire compulſi ſunt: en finis illius miſerandæ ſervitutis, cui accedit

VI. A periculo ſalutis.

& aliud formidandum magis, videlicet ex præſenti ſalutis periculo.

Anaxagoras, acquirendæ Philoſophiæ causâ relictis agris, & prædiis quæ poſſederat ampliſſima, longè à domo & patria profectus, tandem ex diuturna peregrinatione, cùm patriam repetiiſſet, poſſeſſioneſque deſertas reperiſſet, exclamaſſe dicitur:

Non eſſem ego ſalvus, niſi illa periiſſent.

Valerius Maximus, l. 8. c. 7.

Quod ille; hoc & divites longè plurimi, qui à partis opibus, & ſui, & Dei immemores fuerunt, facta deinde earum jactura, & ſibi, & Deo redditi, uſurpare poſſunt & iſtud cùm *Anaxagora*, *Non ego ſalvus eſſem, niſi illa periiſſent.*

Et hoc ipſum eſt, quod etiam & præviderunt, & jactarunt illuſtres animæ, Heroës inclyti, quos inter fuit prænobilis Anglus, cui nomen *Franciſcus Tregianus.*

Vocatus hic erat ad Hæreticorum tribunal, quod etſi jure ſuo detrectare potuiſſet, noluit tamen. Venit igitur, non ſordidatus, non pulla veſte indutus, ut reorum mos eſt; ſed amictu byſſino illuſtris, ac magnificè reſplendens: crediſſes ire ad epulum nuptiale, non ad audiendam contra ſe feralem ſententiam, quæ fuit aut perpetuus carcer, aut bonorum omnium proſcriptio: hanc ut ſibi delegit inclytus Heros; ſimul & illam vocem extulit.

Rho Hiſtor. Virtutum.

Pereant bona, quaſi non perirent, dominum perderent. Ibit in poſteros, ibit in æternitatem ea vox, is animus & ſibi, & Deo ſervatus, eâ ipsâ bonorum omnium jacturâ, aliàs certè periturus, quod utinam altè in animum admitterent hujus ævi divites, & avari, uti & iſtud quod ſubjicio, mortem ſcilicet quàm peſſimam;

VII. A morte quàm peſſima.

peſſimam dico, quæ in extremis illius vitæ, mortiſque confiniis, nihil cogitat, nihil amat, nihil requirit, niſi aurum, & ſuos in eo amores: demus eorum exempla è multis pauca.

Prodom. c. 3 §. 17.

Narrat Drexelius Aurifabrum fuiſſe, cui etiam in ipſa brevioris ævi linea libuit eſſe negligentem ſalutis, & plus curare argentum, quàm Cœlum.

Huic argentea Crucifixi ſtatua, veneranda, atque oſculandà porrigebatur, monebaturque mortem illius cogitaret, qui humanum genus ab interitu vindicaſſet, & quidem tam acerbo lethi genere.

At ille inferorum, ac Cœli, Dei, ac ſui oblitus, & quæſo, aiebat; quot pondo argenti cenſetis eſſe hanc Crucifixi imaginem? Hic lubet exclamare. O artifex miſerrime, qui eò loci ac temporis, non aliam tibi fabricas fortunam, qui in eo momento, in quo vertitur cardo hujus vel illius æternitatis, felicis certè, aut infelicis, non aliud ponderas quàm argenti fuſi pondus, non vitam, non mortem, non æternitatem. Quid facias? avaro etiam in extremis non alia cogitatio, non alia cura eſt, quàm argenti, aurive.

Dicitur aliquando vulpes, cùm ad patibulum multi furti rea duceretur; rogaſſe ut adhuc ultimùm per plateam anſerum tranſire liceret, ut prædam quam olim ore hauſerat, moriens uſurparet oculis.

Fabella eſt, quæ tamen edocet avaros illi vulpeculæ eſſe ſimiles, ut qui in morte eadem agant, quæ egerunt in vita; in hac aurum amarunt, amant & in illa.

Sic & amavit, ſic & ſpectavit Prælatus ille, quem *P. Paulus Barri* optimè norat. Hic omnem ſupellectilem argenteam tremulis manibus avidiſſimè contrectans, & totus ei immerſus expiravit, parem ſuæ vitæ exitum nactus: uti & ille, cujus meminit *Engelgrave.*

Dom. 3. Adventus.

Nomen erat ei *Opimius*, homo non tantum tenax: ſed & pertinax. Is gravi Lethargo correptus, cùm nec ullis convulſionibus, nec uſtionibus, nec ulla alia arte, atque vi excitari poſſet, atque ad omnes obtundentium clamores obſurdeſceret, de conſilio medici factum eſt, ut codices accepti, & expenſi, unà cùm ingenti vi auri, atque argenti in moribundi lectulum imponerentur, cùmque & alta voce domeſtici ſupputarent, & ſummò tinnitu ſaccos effunderent, nummoſque ad ſe invicem alliderent. Ecce tibi derepente Lethargicus expergiſcitur, ſimulque inclamat

met illud, *ô fures! ô latrones! ô perfidi!* nimirum ab auro, aurique ſono excuſſus ſomnus, & vox reddita: ab hac aurum ſibi ſurripi furens clamitat, nec, eheu, Cœlum eripi dolet, aut queritur: prior illi ſcilicet auri cura, quàm Cœli. An non ita mors quàm peſſima? Enimverò peſſima, quam ſcilicet excipit mors ſecunda, eaque animæ, quæ æternis addicitur incendiis: & hinc mihi naſcitur ſexta, eaque poſtrema conſideratio, quæ avaris erit pro fræno, & potenti remedio, ne oculis jam morte preſſis, auri cupidine premi ſe patiantur.

VIII. Ab æterna damnatione.

Humbertus in medium adducit hominem prædivitem: ſed imprimis avarum. Hic in extremo agone poſitus, ad feralem lectulum inferri juſſit omnia vaſa àurea, & argentea, omneſque theſauros, quibus abundabat, quos oculis, in lacrymis, & morte, natantibus contuens in has erupit voces:

Nieremberg. differentia temporal. & æterni. L.2.c.1.§.2.

O anima mea, hæc omnia tibi dabo: his omnibus frui licebit, ſi à corpore hoc meo non diſceſſeris, aliaque quamplurima lubens munera concedo, modo hoc amicum corpus non deſtitueris.

Et hæ illi ad animam in extrema vitæ linea fuere voces: ſed prorſus irritæ: invaleſcente enim morbo; cùm jam omnibus convaſatis, ſibi migrandum eſſe vidit, in rabiem actus, horrendum vociferari cœpit.

Quandoquidem, ô anima, abeundum ſit è vitæ ſtatione, & hæc omnia deſerenda, te in æternum malo dæmoni cruciandam dabo. Quo veluti dato ſigno cacodæmones involarunt, in quorum manibus malevolam animam avarus ille capuit.

Et hic illi exitus fuit, hæc funeſtæ tragœdiæ ſcena ultima: eadem erit & aliis, quos eadem auri, argentique cupido occuparit.

Quidni enim pœna eadem ſit, cùm eadem ſit & culpa. Dixit aliquando *Salvianus*, & rectè. *Divitiis & vitiis* commercium eſſe maximum, maximam & affinitatem, à qua etiam ut pœnæ affinitas ſit, eſt neceſſe.

TRACTATUS SECUNDUS

DE GULA ET EBRIETATE.

HÆc duo jungi placuit, vel quia Gulæ comes eſt Ebrietas, vel quia illius veluti partus. De hac & illa paucis.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Iſayæ c. 5. v. 22.

INtentat illis Propheta mœſtum illud ac funeſtum *væ*, & hoc vindice Dei manu, quæ in eos ſævire ſolet, *qui potentes ſunt ad bibendum vinum*, ad exhauriendos calices, ad alia verò omnia invalidi, atque imbecilles: quod non ſine ſtupore, & horrore Cœlum videt, & terra ſuſtinet.

Fortes ad miſcendam ebrietatem. & in hac ferè ſola viri: in aliis molles, atque effœminati. Eundum eſt in hoſtem, pes pedi, manus manui conſerenda, timidi ſunt, tremuli, fugitivi, non viros diceres; ſed fœminas: epotandi calices, fundendum è cella merum, atque infundendum liberalius, tum verò fortes ſunt ac viri; cætera debiles: & hinc illis Prophetæ oraculo, & Cœli calculo nihil reliquum eſt, niſi horrendum etiam ipſis illud *væ*. Quæ ratio? eam luſius explicabunt, qui ſubjicientur Paragraphi, dum illius imaginem ſub oculos ponent.

§. 1.

Quid ſit Gula? Quid Ebrietas?

Definitio Gulæ.

G*Vla eſt vitium in appetitione, & uſu delectationis, cibi & potus debitum modum, id eſt præſcriptum rationis excedens.*

Ejus ſpecies duæ: *Comeſſatio*, & *Ebrietas*.

Illa poſita eſt in exceſſu cibi: hæc in potus nimietate: & hæc & illa ut vitium ſit, abire debet à debito modo, & rationis dictamine.

Ex ſuo genere eſt peccatum capitale; numeratque filias quinque, quas ex ſe gignit, infelici ſanè partu. Has recenſet D. Gregorius Pont. Max.

Lib. 31. Moral.

Prima eſt *hebetudo mentis*: ea oritur ex abundantia vaporum, quibus oppletur cerebrum, atque offuſcatur; & ita quidem, ut tota imaginatio ferè ſit in ollis, in poculis, in vino. Hæc gulæ filia ſedem habet in intellectu, potiore hominis parte.

Eius filiæ quinque.

Secunda eſt, *inepta lætitia*. Ea naſcitur in appetitu: cùm enim mens à cibo, potuque eſt hebetata, in hujus atque illius voluptate ingens bonum reponit. & hinc ineptè exultat, quaſi nacta eſſet magnam felicitatis ſuæ partem.

Tertia eſt *Stultiloquium*, quia ratio, cibi & potus ſuffuſa vaporibus, & voluptati intenta, non attendit quid dicat; ſed quidlibet effutit, ut ſtultus ſolet.

Quarta eſt *Scurrilitas*: inepta enim lætitia excitat, ac movet, tum ad dicenda, tum etiam ad agenda turpia, ut ſcurris mos eſt. Et hæc & illud reſidet in ore.

Quinta, quæ eſt in ipſo corpore, eſt *Immunditia*: ex ſaturitate enim facilè enaſcuntur vitia carnis, provocatur vomitus, & aliæ ſuperfluorum fœdæ excreationes emanant.

Ecce ut à Gula, matre quàm peſſima, peſſimæ quoque ſunt filiæ. *Ebrietas eſt exceſſus in potando, cauſa voluptatis, uſque ad violentam uſus rationis privationem*: ut ea definitio ponatur in aperto, & clara luce, excutiendæ paucis ſingulæ illius partes. Ea his prima, eſt, *exceſſus in potando*; ut enim gula conſiſtit in exceſſu cibi, & potus; ſic ebrietas in exceſſu potus.

Definitio Ebrietatis.

Secunda eſt, *Cauſa voluptatis*; ſi enim cauſâ medicinæ, vel ex medici præſcripto, non eſt ebrietas, nec vitio danda, ſed remedio. Similiter ſi in ſubito peſtis terrore, ex hauſtu magno vini generoſi, vel adverſus venenum frigidum, vel ad conciliandum ſomnum, aut contra Cantharides, ex magna vini copia ſuboriatur ebrietas, non erit ea vitium, quia nec erit cauſa voluptatis, nec eam ſpectabit ut finem; ſed alium prorſus, qui nec alienus eſt à ratione, nec à Dei legibus.

Tertia eſt, *uſque ad violentam privationem uſus rationis*. Dico *violentam*, quia ſcilicet duplici viâ homini aufertur uſus rationis, unâ *naturali*, alterâ *violenta*.

Naturalis eſt, quando per ſomnum ſpiritibus animalibus in centrum retractis, & nervis ſenſoriis, qui in ſenſuum externorum organa terminantur, vapore quodam frigido occupatis, ipſe quoque aufertur rationis uſus.

Et hic modus à natura inſtitutus, ad ſpirituum,

adeoque ad virium inſtaurationem, adeoque naturæ beneficio dandus, non vitio.

Violenta eſt, quando tanta vaporum copia cerebrum implet, ut etiam in vigilia, ratione uti non poſſit. Et quia hoc fit ab ebrietate, ideo etiam ea culpæ tribuitur, & quidem letali, ſi modò *voluntaria* ſit.

Erit autem *voluntaria*, primò directè, ſi quis ebrietatem intendat: deinde indirectè, quando ſcilicet expreſsè quidem non cupit inebriari; ſed tantum bibit, quantum poteſt, non curans an ſequatur ebrietas, an non. Denique quando advertit ſe inebriandum, ſi potare pergat, & nihilominus non deſiſtit.

Et hæc pro hujus atque illius definitione ſint ſatis; transeo ad deſcriptiones metaphoricas, quibus veluti coloribus quibuſdam depingetur, tam gula, quàm ebrietas, & tam hujus, quàm illius fœda ſpecies ſubjicietur oculis, ut deinde per illos tranſeat ad animum, & in eo ſui odium excitet, atque ad fugam impellat, qui ſcopus mihi propoſitus in hiſce Aſceticis meis lucubrationibus.

Deſcriptiones Gulæ:

Prima appellatio ducetur à malis, quæ ab ingluvie in corpus emanant. Ab hac gula dicitur, & eſt *fons morborum maximus*, ſic eam nominandam cenſuit D. Chryſoſtomus, idque ex medicorum placitis.

I. Fons morborum.

Homil. de Pœnitentia.

Mille, inquit, *morborum torrentes à crapula proveniunt, quaſi à peſſima quodam fonte parvi rivi.*

Torrentes, ait, *morborum*; quia non levi mollique lapſu allabuntur; ſed incurrunt torrentium inſtar, unde & abripi neceſſe ipſam corporis molem, & omne illius robur labefactari, atque opprimi.

Et hæc notio gulæ petitur à fonte, è quo emanant uberes ac perennes morbi, ceu rivuli.

Alia ab examinibus, quæ involant, ut apes ſolent. Sic enim ille ipſe Orator aureus.

Orat. de Ingluvie.

Moderatè edentium corpora, robuſta ſunt, illorum verò, qui gulæ ſtudent, flaccida, & quaſi cera mollita, & morborum examinibus obſeſſa

Duplex hic metaphora: una ducitur à cera, quæ ad ignem ſolvitur, ac fluit; ſic & à gula ſolvuntur, & quodammodo liqueſcunt corpora: Altera petitur à militia; ait enim corpora ſic obſideri à morbis, ut à militum agminibus, ac turmis urbes ſolent.

II. Virtutum ſtrages, ac ruina. Cap. 52. v. 14.

Eadem metaphorica nuncupatione utitur S. Nilus, in Aſcetico, ex illo Jeremiæ effato. *Et totam murum Jeruſalem per circuitum deſtruxit cunctus exercitus Chaldæorum*, qui erat cum magiſtro militiæ. Septuaginta vertunt, cum *principe coquorum*: at quia, inquies, ordo militiæ? Quæ pugnandi ratio? Quæ leges? Ut totum exercitus robur, ſit ſub ſignis principis coquorum? Quid coquis cum milite? Quid coquinæ cum militia?

Reſpondet S. Nilus: *Gula virtum appellat coquorum principem: atque ab illa everti, ſoloque æquari murum Jeruſalem*: hoc eſt animæ quantumvis ſanctæ propugnaculum, quod à Virtutibus eſt.

3 part. Paſtoral. admonitione 20.

Conſentit D. Gregorius Pont. Max. *cui princeps coquorum, venter eſt, cui magna cura obſequium à coctis impenditur, ut ipſe delectabilibus cibis impleatur.*

Quæ porrò ſit ea cura, diſce ex Romano ſapiente. Sic ille quondam ad guloſos. *Ad vos tranſeo, quorum profunda eſt & inſatiabilis gula, hinc maria ſcrutatur, hinc terras*: Quid deinde ex illis? Eundem audi; *Quantulum*, inquit, *ex tot conchilis tam longè advectis, per iſtum ſtomachum inexplebilem labitur? Infelices etiam, quod non intelligitis, vos majorem famem habere, quàm ventrem.*

Epiſt. 89.

Ubi hæc extulit de inexplebili illa gulæ appetentia, tum addit, quæ ab hac in corpus importentur mala.

Epiſt. 95.

Quid alios, inquit, *referam innumerabiles morbos ſupplicia luxuria?*

Immunes erant ab iſtis malis, qui nondum ſe delitiis ſolverant, qui ſibi imperabant, ſibi miniſtrabant. Simplex erat ex ſimplici cauſa valetudo; multos morbos multa fercula fecerunt. Innumerabiles morbos eſſe miraris? cocos numera. Hactenus Seneca, quo judice tot ſunt morbi, quot fercula, quot & coci. Quæ porrò ab his, & illis invehantur mala, præter ea quæ dixi morborum agmina, deſtruuntur virtutes, quæ (ut inſinuavi ex D. Gregorio) ſunt muri Jeruſalem: ſic enim explicat illum Jeremiæ locum.

Coquorum igitur princeps muros Jeruſalem dejicit, quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes animæ deſtruuntur, maximè verò pudicitia. Hinc duæ ſint comites eſt neceſſe, continentia, & cibi parcitas: ſi autem hæc, aut illa deſit, & ipſa deſinat oportet.

III. Pudicitiæ hoſtis.

Hieronymum audi in epiſtola ad Furiam.

Quid neceſſe eſt, inquit, *nos jactare pudicitiam, quæ ſine comitibus & appendicis fidem ſui facere non poteſt? Apoſtolus macerat corpus ſuum, & animæ ſubjicit imperiis, ne quod aliis præcipit, ipſe non ſervet. Et adoleſcentula fervente cibis corpore, de caſtitate ſecura eſt?* Enimverò non eſt.

Producit S. Doctor Apoſtolum, qui teſte D. Chryſoſtomo, licet eſſet *una propemodum anima*, de caſtitate tamen ſecurum ſe eſſe non credidit, niſi & corpus jejunio extenuatum, & propè exhauſtum, etiam flagellis tunderet, frangeretque. Et tu cibo gravis, & ab ingluvie flaccidus totus, carnalis totus, te ſecurum exiſtimabis? Certè non exiſtimabis, ſi attenderis, quæ gulæ & libidini ſit affinitas, quæve cognatio.

S. Joannes Climacus Gulam inducit, quæ de ſtirpium ſuarum nomine interrogata, ſic reſpondet: *Filius meus* primogenitus fornicationis incentor eſt; quod adeò verum eſt, adeò indubitatum, ut Tertulliano judice, *Monſtrum haberetur libido ſine gula*: ſicuti & monſtrum eſſet filia ſine matre: & talis eſſet, libido ſine gula. *Lib. de jejuniis, c. 1.*

Dixit aliquando Apoſtolus, nolite inebriari vino, *in quo eſt Luxuria, ut oſtenderet*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, *ex ebrietate, veluti primogenitam filiam generari luxuriam.* Quod Tertullianus, doctè, ut aſſolet, & disertè oſtendit in populo Iſraelitico de quo illud ſacræ paginæ. *Ad Epheſ. c. 5. v. 18.*

Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere: At quis ille ludus? Explicabit, illuſtrabitque, ille ipſe Tertullianus, ſic inquit.

Nunc ſi rationes caſtigati à Deo victus, & caſtigandi propter Deum à nobis, ad primordiorum experimenta revocavimus, conſcientiam communem conſulamus, ipſa natura enuntiabit quales nos ante pabulum & potum in virgine adhuc ſaliva exhibere conſueverit, rebus duntaxat ſenſus agendis, quis divina tractantur. Si multò pollentioris mentis, ſi multò vivacioris cordis, quam cùm totum illud domicilium interioris hominis eſca ſtipatum, vino inundatum, in quo nihil planè tam in proximo ſuperſit, quàm ad laſciviam ſapere. *Lib. de Jejuniis. c. 2.*

Hæc ubi protulit ex ipſo naturæ ſenſu, tum probat ex ipſa experientia, veritatis magiſtra. *Manducavit populus, & bibit, & ſurrexerunt ludere: Intellige Sancta Scriptura verecundiam, luſum niſi impudicum non denotaſſet.*

Fuit ergo tò loci, ac temporis luſus venereus, fuit & impudicus, ad quem facilis eſt lapſus à gula, atque ingluvie; imò & propè neceſſarius: quod luculentè oſtendit D. Baſilius ex nexu hujus atque illius.

Iſti, inquit, *ita connexi ſunt, ut catena in morem alter ab altera pendeat: atque ex iis alter adminiſtrator, alter verò miniſter efficitur*, Philo Hebræus cum gulæ venerisque nexum declarat alia ſimilitudine, petita à Domina, & pediſſequa. Gula eſt domina, Venus pediſſequa; ſic enim ait: *Lib. de vera Virginitate.*

Hanc ventris ingluviem, pediſſequa à natura addita, comitatur libido, coitus furore, ac æſtro pertinaci concita moleſtiſſimam rabiem afferens, cujus rationem adjicit.

Cùm

Lib. de Agricultura.

Cùm enim è multis condimentis, potuq́; meraciore contracta crapula gravantur homines, non ſunt amplius ſui compotes; ſed properanter ad amatorios concubitus, commeſſabundi, oberrant januis, à ſeipſis alieni, alieni etiam ab innata, & multis exercita fortitudine, gulæ quippe ſocia ſolet eſſe ignavia, & quæ eam comitatur imbellis quædam, atque excors timiditas, à qua gulæ ſervit & vitiis, qui iis dominari debuit. Excipe quæ de hac & illâ Orator aureus: ſic ille quondam è pulpito. *Bella gentium legimus ſuperaſſe quàm plurimos, quos tamen pugnas carnis legimus non viciſſe, & audivimus eos dediſſe delictis qui dorſa hoſtibus non dederunt: proh dolor! victores gentium, vitiorum fuiſſe captivos; nationum dominos turpi ſerviſſe criminibus ſervitute: ſtetiſſe inter ſævientes gladios, & inter enervata lenocinia corruiſſe; regnis fuiſſe terrori, ludibrio fuiſſe peccatis; adverſas acies contriviſſe jejunos, & crapulatos ſuarum caſtra diſſolviſſe virtutum, jacuiſſe effuſo vino, qui jacere effuſo ſanguine neſcierunt.*

IV. Ignaviæ ſocia.

Chryſolog. ſerm. 41.

Hæc ubi extulit S. Præſul, non ſine ſtupore, ac dolore, tum illorum cauſam inquirit, ac reddit.

Unde eſt hoc? inquit, *unde? quia hoc non eſt ratio, ſed languor; non vita, ſed febris; phreneſis, non natura: nam quoties ciborum cruditas vitalia dejicit, infirmat ſtomachum, corrumpit ſanguinem, vitiat humores, ſuccendit choleram, extremum febris gignit incendium, toties æger mentem perdit, amittit ſenſum, fertur deſideriis, contrariis urgetur, ſalutaria reſpuit, quærit noxia, fugit curam*, & hoc per ſummam ignaviam, quæ gulæ ſolet eſſe ſocia.

Deſcriptiones Ebrietatis.

Venio ad ebrietatem, ejuſque notiones metaphoricas, erunt illæ ſupradictis affines, & cognatæ, quia Gulæ affinis eſt, & quodammodo adnata ebrietas.

D. Baſilius acriter eos carpit, qui ſi quæ inciderit occaſio triſtitiæ, illius levandæ blando prætextu, & genio indulgent, ac delitiis, & *totos ſe ad crapulam convertunt, & ebrietatem ſectandam*: ſed falluntur, inquit, *nec demulcent, aut ſedant mærorem; ſed verum malum permutant malo, & improbo quodam contractu, ac permutatione exitiali, pro corporis morbo, morbum in ſe recipiunt animæ.*

I. Morbus animæ inſanabilis.

Hic porrò morbus exitialis eſt, atque inſanabilis, qualis ferè eſſe ſolet ab hauſto largiter veneno. Eſt enim ebrietas venenum animæ, & quidem inſanabile: ut enim ſcitè D. Ambroſius.

Lib. de Elia c. 14.

Mali reliquorum ſerpentium veneno curantur, nemo ebrietate. Quî enim ab hac curetur, cùm peſtilens ſit?

Cùm olim ab Heli Sacerdote temulentiæ inſimularetur *Anna*, Samuelis mater, hæc ad illum cùm omni demiſſione.

1. Reg. c. 1. v. 16.

Ne reputes ancillam tuam, quaſi unam de filiabus Belial: hoc eſt unam de temulentis; ebrii quippe lingua Sacra dicebantur *filii Belial*: hoc eſt, ut ad rem noſtram quàm optimè Septuaginta, *filii peſtilentes, filii peſtilentiæ*, ut vel hoc uno doceremur, ebrietatem eſſe peſtem animæ, quo quid exitialius eſſe poſſit, non video. Addo ego, quod & turpius, & homine libero indignius: eſt autem illud, quod ebrietas ſit animæ miſeranda ſervitus. Certè ſic eam appellandam eſſe cenſuit Apoſtolus, qui Titum dum inſtruit ac monet, quæ debeant eſſe in Eccleſia mulieres annoſæ, ita de illis.

II. Servitus animæ.

Cap. 2. v. 3.

Anus ſimiliter non multo vino ſervientes, in quæ verba D. Hieronymus, dum calamum ducit, atque explicat, *ſignanter*, inquit, *expreſſit non multo vino ſervientes; ſervitus enim quædam eſt, & extrema conditio, vino ſenſus hominis occupari, & non ſuum eſſe; ſed vini*: At ebrii ſenſus omnes occupantur, illiganturque vino, & quidem eò uſque, ut jam non ſuus ſit; ſed vini, hoc eſt ſervus, & quaſi infame mancipium.

D. Ambroſius in illud fulmen maledictionis, quod Noemus vertit in Chamum, *Servus ſervorum* erit olim fratribus ſuis, doctè advertit, quod ubi primùm cœpit ebrietas, libertas interiit: ſic enim ait.

Gen. c. 9. v. 25.

Manebat antequam vinum inveniretur, omnibus inconcuſſa libertas; nemo ſciebat à conſorte natura ſua obſequia ſervitutis exigere, non eſſet hodie ſervitus, ſi ebrietas non fuiſſet. Quod ſi non eſſet hodie ea ſervitus, quæ libertati eſt inimica, nec ea eſſet, quæ eſt animi & à qua à D. Baſilio dicitur ebrius. *Crapulæ mancipium.* quid vilius? quid abjectius excogitari poteſt? quàm vini & crapulæ mancipium, & ei ceu domino, ceu etiam tyranno ſubjici, illiuſque pati inſolentem dominatum: at eum patitur, quiſquis eſt ebrius, à quo & in aliud malum itur.

Lib. de Helia c. 5.

Hom. 14. de ebrietate.

Eſt autem illud rationis naufragium; ſic enim vocandum cenſuit *Clemens Alexandrinus*, qui ebrietatem componit cum tempeſtate, fœdoque naufragio; ut enim à mari, ſic & à mero naufragium eſt.

III. Rationis naufragiũ.

Corpus, inquit, *tanquam navis, demerſum turpitudinis profundum ſubit, decumanis vim fluctibus obrutum, Gubernator autem mens ſcilicet humana, ſupervenientis ebrietatis fluctu circumagitur, & propter procellæ tenebras, à portu veritatis aberrat, donec in ſaxa mari latentia irruens, ſeipſum in voluptates impactum perdiderit.* Hactenus ille, cui corpus veluti navis eſt, mens Gubernator, vinum autem fluctus, procella, ventus, quo dum agitatur mens humana, nec ſibi conſtat; impellitur in ſyrtes, in ſaxa latentia; hoc eſt in alias atque alias difficultates, atque pericula, in voluptatum ſirenes, blandaque lenocinia, à quibus abducta, nec veritatis portum aſpicit, nec in illum vela ſua, hoc eſt, conatus ſuos flectit: nec illum tenet unquam; ſed ebrietate, ceu alto jactata mari, tandem rationis naufragium facit. Quidni enim faciat, cùm deficiat illi mens obruta vino?

L. 2. Pædag. c. 2.

Ubi porrò ſic obruta fuerit, neceſſum eſt omnia ſurſum deque verti, & jura omnia, humana, divinaque violari, quidni enim violentur, cùm violata; imò & perdita ſit ratio, quæ illa ſuis intra limites continebat, atque coërcebat.

Ebrium ille ipſe Clemens Alexandrinus vocare ſolitus Acephalum, hoc eſt, ſine capite: & rectè, quia quod corpori eſt caput; hoc & animæ eſt ratio; unde eâ ſublata, acephalus ut ſit eſt neceſſe.

Mihi, inquit *videtur is, qui à Mathematicis dicitur Acephalus, qui ante ſtellam errantem enumeratur, capite in pectus compreſſo ſignificare helluones homines, & voluptarios, & ad ebrietatem propenſos: nam in his quoque ratiocinandi facultas non in capite, ſed in inteſtinis collocatur*, quia qualis, qualis demum eis relicta ratiocinatio, ea in ventre eſt, hoc eſt in uno gulæ appetitu, à quo regitur ebrius, & flectitur: cùm autem ſic regitur, & flectitur; neceſſum eſt peſſum ire omnia, & omne quod erat à virtutibus præſidium, ex animo, velut ex arce dejici, atque deturbari in vitiorum barathrum. In primis enim deperit illi humanitas, & lenitas, & ſuccedit inhumanitas, inclementia, furor, qui in arma rapit, incendia, cædes.

IV. Virtutum ſpolium.

Horatium audi, ſic ille de ebrietate cecinit.

In prælia trudit inermem. Ecce furor, ecce in ſeipſum etiam ſævitia. accipe ut etiam in alios. Ebrietas, inquit, D. Hieronymus:

Lenitatis.

Pocula in tela vertit, tela dico, quæ etiam innocentes petant, ac perdant, & nullo ferè diſcrimine ſit nocens, ſit innocens, ebrio nihil intereſt.

De Alexandro Magno, Orbis domino, ſed vini ſervo, memorant Scriptores illius ævi, quod plures amicos in convivio temulentus occiderit, quàm hoſtes armatus in prælio: quæ ego etſi credam dicta cum aliqua auxeſi, probant tamen quod mihi in quæſtione eſt, à vino, atque ebrietate, facilem eſſe iram ferocem & cædes lapſum, ut non immeritò de ea pronuntiarit D. Chryſologus.

Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter eſt magiſtra. Hanc qui habet, ſe non habet, hanc qui habet, homo non eſt; hanc qui habet; non peccatum facit, ſed eſt ipſe peccatum. Hæc

Serm. 26.

ubi dixit pius orator: tum altiore cothurno inſurgit, & ait.

Ebrietas eſt dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, invitatus hoſtis, illecebra honeſtatis, & pudoris injuria.

Ubi hæc omnia velut in cumulum redegit, tum verſa ad ſuos auditores oratione, ſic ad illos.

Hanc nullus noverit Chriſtianus, ut auditu quidem ſacerdos attingat; ne qui eſt forma virtutum, vitiorum inde fiat, & inveniatur exemplum.

Fidei & ſecreti. Hactenus S. Præſul, qui ebrietatem meritò vocat vitiorum exemplum, ea enim omnia propè continet atque exhibet, & quidem præter ea, quorum jam memini, ſecreti fidem violat.

Proverb. c. 31. v. 4. Unde & illud ſapientis. *Nullum ſecretum eſt ubi* regnat ebrietas: ab hac enim perditur fides in ſervandis iis, quæ ſecreta eſſe oportuit. Hinc illud Lyrici ad ſuam amphoram.

Tu lene tormentum, ingenia admoves
Plerumque duro. Tu ſapientium
Curas, & arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyæo

Et iſtud Horatii ejuſdem.

Quid non ebrietas reſignat?
Operta recludit.

Hic nimirum ebrietatis genius eſt, occulta pandere, ſecreta revelare; cujus probè conſcii judices non pauci, ad veritatem occultam in judiciis extorquendam, vino potius, quàm ullo alio tormentorum genere utebantur: ita ſua ætate uſurpatum teſtatur D. Ambroſius, ſic enim, inquit,

Lib. de Helia c. 17. *Plerique vino utuntur ut equuleo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, ut patriæ ſtatum, ſalutem civium, defenſionis ſua prodant conſilia*: cujus rationem hanc affert. *Virtus enim plerumque vincit dolorem, fidem autem potus excludit.*

Ecce ab ebrietate in cives impietas, in patriam etiam perfidia, dum quæ in tenebris, altoque ſilentio eſſe oportebat, ponit in luce, & in hoſtium oculis.

Vidiſti quomodo ſecreti fidem frangat ebrietas; attende, quî etiam debitam majoribus reverentiam, atque obſervantiam.

Pſal. 68. Queſtus olim Servator optimus, ore calamoque Davidico: *In me pſallebant, qui bibebant vinum.*

Erat interprete Lyrano, Chriſto morituri paratum vinum generoſum, hebræo more, quo reis propinabatur vinum optimum, vel, ut eo recrearentur, vel ut eſſent tormento ferendo pares. Et

Reverentiæ erga majores. ita paratum erat Servatori; ſed impii carnifices, pro eo ſuppoſuere fel, & acetum; ipſi verò ſibi reſervarunt vinum pretioſum, quo malè poti, ac temulenti, in Chriſtum *pſallere* cœperunt, hoc eſt, convitia jecerunt, & contumelias, ea maledicendi licentia, ac modulatione, quâ cantilenæ ſolent: adeo volupe illis erat Chriſto maledicere. At unde volupe? Utique ab impudenti vinolentia, à quâ etiam

Modeſtiæ. decedit homini *modeſtia*, quæ animæ eſt veluti veſtis quædam orbans, à qua ſuus in vultu decor, & in genis rubor, in oculis continentia, in geſtu, motuque totius corporis, amœna quædam, atque amabilis compoſitio, & totius hominis conformatio rationi virtutique conſona; hæc, inquam, cum ſuo omni apparatu deperit, & ſuccedit inurbana quædam, ac ridicula *Scurrilitas*, quæ legitur in oculis, in vultu, in geſtu, motuque totius corporis: ut enim D. Hie-

Epiſt. 23. ad Oceanum. ronymus, *vinolentia ſcurrarum eſt.*

Quod ſi ſcurrarum eſt; profectò ut abjecta, ut vilis, ut indigna homine libero, ſit oportet, ut probroſa, ridicula. Certè orta ab illo ebrietas, ea eſt, quæ hominem, qualis, qualis demum ille ſit, exponit omnium ludibrio ac riſui, unde, ut verè de

Hom. 14 de Ebrietate. temulento dixit D. Baſilius, *miſerum oculis ſpectaculum, qui terribilis hoſtibus fuerat, ridiculus pueris videtur.*

§. 2.

Adducuntur in medium, ex ipſa Antiquitatis memoria, Gulæ mancipia, Ebrietatis monſtra.

NE me damnes, Amice Lector, neve cenſura notes acriore, vel ex eo quod guloſum mancipium appellem, & ebrium hominis monſtrum: certè & ille mancipium, & ſi quid mancipio vilius: & hic monſtrum, & ſi quid eſt monſtro deterius: &

eum ipſe fateberis, ſi ex *Petro* Abbate Cellenſi, viro ſanctiſſimo audieris, quid ebrius, quid & ebrietas. Lib. 3. Ep. 19.

Audi porrò, & mecum ipſe ſenties, diceſque eſſe monſtrum.

Vitium eſt ignobile, & inter cætera vitia ignobilius ebrietas, quod ut probet. *Ubi enim*, inquit, *ſenſus ebrii? ubi reverentia in ebrio? ubi dignitas? immemor eſt præteriti, futuri ignarus, præſentis neſcius. Diſcretio confunditur, ratio hebetatur, ſenſus ligantur, mens ipſa ſepelitur, pes errat, labitur lingua, trepidat manus, labia tremunt, caligat viſus, auditus ſurdeſcit.* Hæc ubi protulit, tum ebrium ſic compellat.

O bone vir, nonne videntur tibi hæc principia mortis, fomenta ignis æterni, eſca ſupplicii, illecebra damnationis? ubi hæc damna ſub oculos poſuit ad horrorem: tum ad extremum adjicit.

Luſus dæmonum eſt domus ebrii, & proſtibulum vitiorum.

Quid horribilius, quid monſtruoſius? ut qui ab ebrietate quaſi homo eſſe deſiit, & quaſi in belluam, monſtrumque tranſiit.

Sed authoritati datum eſt ſatis; quod reliquum eſt demus exemplis, & publico reddamus gulæ, atque ebrietatis, ſeu mancipia, ſeu etiam monſtra.

Ex mancipiis erit *Dionyſius Tyrannus*, qui coquinæ amantior, quam aulæ, præmia propoſuit novorum ferculorum inventoribus: ſecus omninò alii Reges, qui artium inventoribus præmia ſtatuere. Sed proh pudor! doloreque! guloſo nihil eſt in oculis, nihil in amoribus, niſi coquina, niſi fercula, quæ Gulæ ſunt irritamenta. *Herodotus lib. 1.* — I. Dionyſius Tyrannus.

Eorum coquinam D. Ambroſius vocat, non coquinam, ſed *carnificinam*: ſi eam ſubingreſſus fueris, *putes prælium geri, non prandium curari; ita ſanguine omnia natant.* Nec mirum, quia ut notat Philo Judæus, *eorum menſæ plenæ ſunt omnium, quæ terra, mare, amnes, aërque, ferunt.* *Lib. 1 de Helia & jejunio, c. 2.* — *Lib. de vita Contemplativa.*

Et cum iis plenæ ſint; plenæ & guloſorum fauces, non abſimiles iis, quas ſibi optarat olim helluo quidam, cui nomen *Philoxenus*: hic voluiſſet ſibi datum ab indulgente natura collum longius collo gruis, ut & contactu cibi, & guſtu delectari poſſet amplius. II. Philoxenus.

Quid facias? Guloſus erat, & gulæ miſerabile mancipium. Addamus & monſtra ebrietatis: hæc enim ſeſe diffundit magis, & genus noſtrum inficit.

Ex his fuit quidam *Alcetas* Macedo, qui dictus eſt *Infundibulum*, eo quod infundibulo in ore poſito uteretur, ut vinum infuſum biberet ſine intervallo, & eò ſuaviùs, quò lentiùs.

Alexander magnus, qui, ut teſtis eſt *Chares* Mitylenæus, conſtituit meri certamen, in quo primum præmium erat *talentum*; ſecundum triginta *minæ*; tertium decem. Conſtat autem mina in ære nummaria, drachmis atticis centum. III. Alexander Magnus.

Eo præmio, ſeu illecebra, capti quamplurimi, in illud meri certamen deſcendere, è quibus triginta quinque continuò interierunt, ſex alii modico interpoſito intervallo in tentoriis extincti. Qui plurimum bibit, ac vicit, meri potoris quatuor *Choas* ebibibit.

Eſt autem *Choa* menſuræ genus, continens ſextarios omninò ſex, unde conſequens eſt ebibiſſe ſextarios viginti quatuor: non hominem crediediſſes;

ſed

ſed integrum vas vinarium, quod tantum vini capere potuit.

IV. Bonoſus. Ejuſdem cum eo farinæ fuit *Bonoſus*, de quo Flavius Vopiſcus ſcribit. *Bibit tantum, quantum hominum nemo.* De hoc Aurelianus ſæpè dicebat, *non ut vivat natus eſt; ſed ut bibat.* Invaſit Bonoſus imperium: ſed à *Probo* Imperatore, ſuperatus, laqueo vitam finivit. Tunc jocus quidem extitit, *Amphoram pendêre, non hominem.*

Et hæc pauca de multis, quæ Antiquitas vidit, damnavitque; deſcendo ad Chriſtiana ſæcula, quæ proh dolor! non abſimilia tulere ebrietatis monſtra.

Ex his è Calvini ſchola prodiere longè plurimi, quos inter, bibones inter creatus Doctor *Buchananus.*

V. Buchananus. Jacebat ille gravi oppreſſus morbo, & jam propè in extremis labris errabat anima, caligabant oculi, & vox ipſa, ferè defecerat, collegit tamen ſeſe, & fracta, ut potuit, voce quod valens amarat, languidus expoſcit; ſic enim ad amicos. Agite, & vini modium ad lectuli caput deponite, ut ſi haurire non liceat, liceat ſaltem ejus odore recreari: obſtructæ quidem fauces vinum non capiunt, non tranſmittunt: atque patentes adhuc narium meatus, illius, ſaltem odorem ad cerebrum deferent. Ecce quæ in ultimo vitæ limine, in aditu æternitatis vini cura, & amor: de anima, de ſalute, de Deo ne verbulum quidem, uni etiamtum litatur Baccho in Calvini ſchola, etiam à morientibus. Audi, ut etiam à benè valentibus, ex his erit *Caſtalion*, Calvini & ipſe

VI. Caſtalion. diſcipulus.

Hic inter menſas, & pocula Bacchum, quem propè ut Deum, habuit; orationibus variis compellare, colere, venerari, eodemque ſemper metro orationes ſuas claudere. Audierat nimirum Eccleſiam preces omnes ſuas iis vocibus claudere, *per omnia ſæcula, ſæculorum*, cujus conſuetudinis impiè æmulus, ſuas ad Bacchum orationes inter ebrias menſas, ſic concludere. *Per omnia pocula poculorum.*

Amabat nimirum infamis helluo, per omnia vagari pocula, delibare omnia, evacuare omnia, credo & moriens in poculis, ac vino mergi, ac ſepeliri voluiſſet, ut olim vetula illa, de qua *Ariſtophanes*, quæ vini, potuſque amantior, ultimis tabulis ſtatuit, ut corpus ſuum humaretur in cella vinaria ſub vaſis epiſtomio, ut vino inde defluo oſſa arida rigarentur, cui non incongruè aptarim verſiculos illos, quibus apud vatem anus ebria garrit, & vinum quod deperit, ſalutat.

Salve anime mi, Liberi nepos.
Tu mihi ſtacte, tu cinnamum, tu roſa,
Tu crocum, & caſia es, tu bdelium; nam ubi
Tu profuſus es, ibi me ego pervelim ſepultam.

Ecce quis error, & quæ à mero largius epoto dementia: cui non abſimilis fuit ea, quæ *Georgium Clarentiæ Comitem* aliquando invaſit.

Hic ob ſuſpicionem affectati Regni, ab *Eduardo* quarto Angliæ Rege juſſus mori, optione data pro genere mortis, vino Malvatico, ſeu Cretenſi, ſuffocari elegit, electione ſanè prodigioſa, & indigna viro nobili: certè generoſus, & martius animus ferrum induere maluiſſet, & obvium illi apertumque offerre latus; aut etiam laqueum induere, quàm vino obrui, aut mergi.

Verùm quid facias? Ea temulentorum eſt inſania, ut quibus volupe fuit in Baccho vivere; volupe quoque ſit in Baccho mori.

Sed abeamus ab illis naturæ deerrantis prodigiis, ac vitiorum monſtris. Epicuri ſunt de grege porci, quibus in vino eſt oculus, & animus pro ſale, ne putreſcat.

§. 3.

Cœleſtis ultio pœnaq; graves in ebrios Deo vindice.

DEcreta Cœlo ultore in temulentos ſupplicia hic attexere eſt animus, ut ſi fortè quempiam non alliciat ipſa virtutis ſpecies, atque imago; aut non deterreat vitii turpitudo, atque deformitas: deterreat ſaltem ea, quæ ſontibus imminet temulentiæ pœna, quæ ab illis exigetur ſerius, aut ocyus, & hoc vindice Dei Juſtitia. Hoc expertus *Amnon* ſuo I.

malo. Ammon.

Exarſerat hic in ſororis ſuæ *Thamar* inceſtuoſos 2. Reg. c. 13.

amores, & eò quidem, ut ab illis tabeſceret totus. v. 4.

Quid deinde? Non ideò ſeſe in vindictam explicuit Dei manus.

Morbum ſimularat, & malos dolos, ut iis inſanam libidinem tegeret, alliceretque Thamar in ſuas ædes, atque ex ejus manibus ſorbitiunculam, acciperet, neque hic tamen in eum venit cœleſtis ultio.

Remotis arbitris eam oppreſſerat, & per ſum- verſ. 14.

mum nefas Virginem violarat, nulla pudoris, nulla ſanguinis habita ratione: nimirum ea vincula ſolverat, ruperatque vis impudici amoris, neque tamen inde ſecura Cœlo vindice ultio: tarda ad ſui vindictam divina juſtitia procedit, & pede quaſi plumbeo,

expectatque dum ſit *temulentus*, & vino quaſi ob- verſ. 28.

rutus, & tum demum in eum irruere patitur Abſalonis pueros, atque opprimere; ita vino commixtus ſanguis, & inter ebrias menſas, expulſa de corpore mens ebria, adeò ſuperis, Deoque inviſa ebrietas, quam nec inultam patitur, etſi cætera patiatur.

Quod illi, hoc & *Balthaſari* Regi: innumera ejus II.

flagitia tolerarat patiens Numen: at temulentiam Balthaſſar.

non toleravit: ubi enim primùm præcepit temulen-

tus, ut *afferrentur vaſa aurea, & argentea de templo* Daniel.

ut biberet in eis Rex, & Optimates ejus, non tulit amplius c. 5. v. 2.

ſacrilegam violentiam. *In eadem quippe hora apparuerunt digiti*, qui ei inſcriberent feralia nomina. *Mane Techel Phares*: At cur in eadem hora? Cur tam cito? Tam præcipiti manu? Alia ſcelera, licet immania, tulerat in annos: cur hoc, ne horula quidem ſuſtinet? Reſpondet Theodoretus, *Quia Balthaſar divini miniſterii inſtrumenta, fecerat inſtrumenta ebrietatis.* Et hinc in vindictam Dei manus aperitur, & in feralem ſententiam explicantur digiti, & quidem quàm citiſſimè: nec mirum, quia temulentia nunquam eſt ſola: ſed alia, atque alia ſecum trahit vitiorum monſtra (uti jam oſtendi) & una vocula declaravit olim Democritus, qui vinum appellavit *Metropolim vitiorum*, quod in ea, vitia omnia confluant, ut in Metropolim cives.

Quod ſi temulentiam, quæ cadit in profana capita, III.

Deus ſic punit, multò magis eam, quæ in fideles, Iſrael.

in Dei populum, in homines illi ſacros.

Dies omninò quadraginta exegerat in monte Moyſes, atque ex eo tabulas Cœleſti manu exaratas attulerat, ſed, ô grande malum ebrietas! ut ebrium à vino populum advertit, tabulas ad ſaxum alliſit, fregit, diſſipavit, *indignum judicans, ut ebrio populo lex daretur.*

Itaque tabulas legis, quas accepit abſtinentia, conteri Ambroſ. de

fecit ebrietas. Atque ita, ut ſcitè notavit D. Hierony- Helia & Jejunio.

mus, *tot dierum labor, unius hora ſaturitate perit.*

Quod Iſraeli ab ebrietate; hoc & Sacerdotibus Lib. 2. contra Jovin.

Nadab & *Abiud* filiis Aaron: hi acceptis thuribulis iis infuderunt incenſum, & ignem alienum, ignem pro-

fanum pro ſacro, aberrante ſcilicet à temulentiâ ma- Levit. c. 10. v. 1.

nu: nec mora, *egreſſus ignis à Domino devoravit eos, &* verſ. 2.

mortui ſunt. Erupit enim ex altari flamma, ebrioſque conſumpſit. Cauſam ſi quæras, audies ex D. IV.

Chryſologo; ſic ille de utroque. Filii Aaron.

Dum contaminate externo igne altaria præſumunt, ipſius altaris conſumuntur incendio, ut ſumerent de ſacri-

ficio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum, quod Serm. 26. *illis ſuſcitarat ebrietas: nam vini odor, odorem fugarat incenſi, & ebrietatis ignis, flammam provacarat altarij. Vide quia alienati à vino, alienum portaverant ignem, mox divina igne referuntur extincti*, cujus rationem hanc adjicit:

Ebrietas in alio crimen eſt, in Sacerdote ſacrilegium, quia alter animam enecat vino: Sacerdos ſpiritum ſanctitatis extinguit. hactenus S. Præſul Ravennas.

§. 4.

Remedia nonnulla contra vitium Ebrietatis.

EX iis pleraque petam ex antiquitate, etiam profana, ut Chriſtianis ruborem injiciam, & ſimul etiam frænum, cùm viderint etiam Ethnicos natura duce, & comiteratione, à vini potu fuiſſe alienos, multoque amplius ab ebrietate: qui primus occurrit eſt *Plato*, inter antiquiores Sophos facilè Princeps.

I. A Platonis Rep. & Legibus. Is Rempublicam ſuam omnem diviſit in tres choros, ut facerent veluti quandam harmoniam ad virtutis, & gratiæ numeros.

Primus Chorus fuit Puerorum, quibus voluit præeſſe Muſam.

Secundus Iuvenum, quibus præfecit Apollinem.

Tertius Senum, quorum præſidem voluit eſſe Liberum Patrem.

Primi Chori ea lex erat, ne pueri ad decimum octavum uſque annum omninò vinum guſtarent, ne ignem igni addentes, in corpus & animum infunderent.

Secundo Choro, lex erat hæc poſita, ut vino moderatè uterentur, ad annum uſque ætatis trigeſimum, ut vel ſic ab omni ebrietate, & vini ingurgitatione abſtinerent,

Tertio Choro, qui erat Senum, lex convivalis permittebat, ut quoniam Liberum Patrem, veluti ducem, ac præſidem ſuæ choreæ haberent, etiam paulò liberius indulgerent vino, quod conceſſum illis, ad levandam ſenectutis auſteritatem: vinum enim eſt veluti præſens quoddam, & opportunum remedium naturæ obtorpeſcentis, & caducæ.

II. Ab aliorum Legibus, atque inſtitutis. A Platonis legibus, ad *Zaleucum* tranſeo: nam & hic inter legiſlatores locum ſibi fecit. Hic apud *Locros*, qui magis vergunt ad Zephyrum, legem tulit, ut ſi quis merum ſine medici imperio, & medicamenti gratia biberit, capitis damnetur.

Apud Romanos, neque domeſticus bibebat vinum, neque fœmina libera, neque ex liberis juvenes, qui trigeſimum ætatis annum non attigiſſent.

Apud Maſſilienſes lex alia, fæminas aquam bibere jubebat, ne ſcilicet à vino inardeſcerent, ac venerem ſpirarent; ut enim eleganter, & verè Ariſtophanes, *vinum lac eſt veneris*. In hanc facilis, ac prona eſt via, maximè verò mulieri vinum bibenti. Et hinc illi vino uti nefas, abuti grande piaculum; quod apud nonnullos etiam morte piandum. Certè Egnatius Metellus, uxorem quod vinum bibiſſet, fuſtibus interemit, ut teſtis eſt Valerius Maximus, quod etſi improbandum ſit; ſi probandum illud, ſi vino ſubinde utatur, certè nonniſi modico; & hoc etiam ex profanæ Antiquitatis legibus.

Ex porrò non vulgò tantum fuere; ſed & Magnatum; ſed & Principum, ac Regum; ut enim ad- L. 3. & 4. vertit Alexander ab Alexandro, Reges olim abſtinere vino ſoliti, cujus inſtituti ea fuit ratio quàm optima, ne perderent authoritatem imperandi, qui potandi licentiam aſſumpſiſſent. Cui conſuetudini Prov. c. 31. v. 4. favet & illud Salomonis conſilium. *Noli Regibus, ô Lamuel, Noli Regibus dare vinum.* Repetit Sapiens *τὸ Regibus*, ad pondus & Emphaſim, ut apertè monſtret omnibus omninò Regibus cavendum à vinolentia, primò quia probroſum eſt, eos à vino regi, quorum eſt alios regere; deinde quia eorum eſt omnia facere ex ratione, judicio, & conſilio, quod non facit temulentus, qui impos eſt conſilii ac rationis, tum etiam, quia ſubditorum ſunt cuſtodes: ſtultum autem eſſet, atque inſanum cuſtodem indigere cuſtode; uti reipſa eget ebrius, & ſibi injurius, & ſubditis noxius: quæ cauſa *Solonem*, qui Athenienſibus legem tulit, impulit ad edictum illud. *Princeps ſi deprehendatur ebrius, morte mulctetur.* Quæ lex, ut ſevera videatur, & ſit, adeò invaluit apud Indos, ut concubina, vel uxor, vel alia quælibet mulier Regem tumulentum occidens, hoc donetur munere, ut ſucceſſori nubat, quaſi in præmium rei benè geſtæ. Denique jubentur Reges abſtinere vino, quia vinum accendit iram, & bilem, & iracundos agit in furorem. Hinc illud Platonis in ſua Republica. *Ebrius vir, ô amice, nonne Tyrannicum gerit animum?* Lib. 8. c. 9. *Sanè quia etiam furioſum, & extra ſe poſitum non ſolum hominibus ſed & Diis imperare contendit.*

Quod ut in omnibus truculentum atque impium, ſic vel maximè in Regibus, quos proinde à vino ſibi temperare eſt neceſſe: quod prævidens Bethſabere, Salomonis mater, hoc illi, hoc & Regibus dat in mandatis. *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum.*

Reges appellat *Lamueles*, id eſt Dei in terris vicarios, & in quibus Deus imperat: Deus autem ut car- III. A ratione decori. nis expers, ut purus, putusque Spiritus, & carnem horret, & à vino tumulentiam deteſtatur: quod & faciat eſt neceſſe, quiſquis eam, quæ eſt ab ebrietate turpitudinem, atque ineptias aſpexerit; vix enim quicquam decori ſervare poteſt quiſquis eſt ebrius, cujus probè conſcii Lacedæmones, ut filios à vini potu deterrerent, ſervos omninò temulentos ſub oculos proponebant, prudenti ſanè conſilio, ne & ipſi in moribus, in geſtu, in tota corporis compoſitione tales aliquando eſſent, quales eſſe ſervos conſpexiſſent. Audi quid de eo inſtituto Clemens Alexandrinus.

Ilotas Lacedamonii cogentes inebriari, ſibi ipſis, ſolis L. 3 Pædag. c. 8. *ſobriis, ea quæ faciebat ebrietas, curationis, correctionisq; loco oſtendebant: obſervantes ergò illorum turpitudinem, docebantur, ne in idem, quod damnabant vitium, inciderent? Ex ebriorum probro hos fructum conſequentes, quod ipſi non peccarent.*

Addebat Plato; ſi ebrii ſe in ſpeculo agnoſcerent, futurum planè, ut vel ex ipſo tenui judicio quod ſibi reliquum fecerunt, erubeſcerent, & ſuæ ſe ebrietatis, incuſarent, damnarentque.

Ecquid enim in ebrio? Merſa à vino eſt ratio, extinctum propè judicium, lingua præpedita, labia ſoluta, oculi gyrovagi, pes nutans, vacillans corpus, geſtus omnis, motuſque corporis præceps, atque indecorus.

Et hæc vitia notantur in corpore: in animo majora, ira, vindicta, furor, incendia, cædes, venus, libido, inceſtuoſi amores, abjectus ac proſtitutus pudor omnis, abjecta & propè omnia, maximè verò ratio, ex quo conſequi amentiam eſt neceſſe; exemplo res ea erit illuſtrior.

Timæus Taurominitanus, ſcriptum reliquit, domum quandam in Agrigento Triremem fuiſſe ap- Athenæus. pellatam, ex cauſa, quam hîc ſubjicio.

Juvenes quidam vino madidi, atque ob ebrietatem amentes, eò inſaniæ proceſſerunt, ut ſe in triremi navigare, & jactari, perturbato à ventis & fluctibus mari, arbitrarentur.

Et hic primus amentiæ gradus fuit; ſecundus ab illo fuit iſte: adeò enim dementes facti ſunt, ut omnem domus ſuppellectilem, unà cum ſtragulis, & lectis, ex ædibus projecerint per patentes feneſtras; viſum enim illis erat, quod navis gubernator, navem exonerari juſſiſſet, & hoc ob tempeſtatem. Cumque multi convenirent, diriperentque ea, quæ erant projecta, neque tamen juvenũ dementia idcircò,

vel

Vel die ſequenti deferbuiſſet; acceſſerunt militum duces in domum, ubi laborantes etiam tum nauſea juvenes jacebant, quibus interrogantibus cur, & quorſum iſta? Reſponderunt, ſe ob gravem tempeſtatem defatigatos ſupervacaneis oneribus navem exonerare debuiſſe.

Hi porrò mirantibus juvenum ſtuporem, eorum unus, ætate major. Ego, inquit, viri Tritones, ob timorem in hos thalamos me projeci, ut quàm maximè liceret inferius jacerem, ac tutius.

Veniam igitur dedere duces, tantæ mentis alienationi, juſſeruntque deinceps, non plus vini bibere, quàm ſobria mens, & ratio pateretur, tum pro ea humanitate, gratias egere omnes, ingenuè faſſi iſtud, ſi ab illa tempeſtate portum tenerent unquam, ſe illos in patria ſua habituros ut Deos maximos, utque ſervatores ſuos; adeò etiam tum pertinax erat illa mentis alienatio quæ injecta fuerat à vino immoderatè hauſto.

Athenæus l. 1 c. 29. Theophraſtus in hiſtoriis plantarum, in *Heræa Arcadia*, vinum naſci ſcribit, quod potum viros inſanire facit, mulieres verò parturire.

Circa Ceryniam eſſe quoddam vini genus, quod fœminas prægnantes abortivum parere faciat.

Aliud, quod Trœzenium vocant, ſteriles reddit bibentes. In *Thaſo* vinum quoddam ſoporiferum, & aliud quod bibentes, reddit vigilantes.

Hæc *Athenæus*. penes ſit authorem fides; ego in hac re nihil ex me ſtatuo: tantum illud liberè pronuntio, quod extra litem & controverſiam eſt, vinum quodcunque largius, quàm par eſt, epotum, inſaniam parere, cùm parit ebrietatem.

Ex quo manavit iſtud *Xenophontis* ad Ageſilaum, oportere ita ab ebrietate abſtinere, atque ab inſania: & hoc Agamemnonis, in eadem trutina reponi inſaniam & ebrietatem, quod ingenuo adoleſcenti plus ſatis erit pro remedio, maximè ſi ad rationem decori, quod petit, acceſſerit etiam ipſa ebrietatis turpitudo, fidelibus oculis ſubjecta. IV. A turpitudine.

Eam porrò ſubjicient geſta Romanorum aliis atque aliis ſymbolis.

Fingunt illa Noemum, qui vini fuit inventor, miſcuiſſe vini, & vino (quod ex illa expreſſit) ſanguinem quatuor animalium; videlicet *Simiæ*, *Leonis*, *Porci* & *Agni*. Commentum quidem eſt, ſed ingenioſum, quod tamen apertè exprimit, quæ à vino infundantur homini vitia, quæ & ebrio. Facit enim primò moriones, & quaſi ſimias, quæ omnibus deridiculo ſint, facit pugnaces, & crudeles Leonum inſtar: facit lubricos, & fœdos quaſi porcos, & quaſi ſues in volutabro luti, & venereæ voluptatis cœno: & hoc longè veriſſimum eſt à vino immoderatè ſumpto; cæterum ſi moderatè & ſobriè, facit mites, blandos, & pios quaſi agnos.

Audiſti, Benevole Lector, figmentum, quod ad poſteros tranſmiſit Antiquitas: vidiſti quod deinde monſtrum ediderit, cùm ebrium edidit, edidit enim vino *Simiam*, *Leonem*, *Porcum*: Quid turpius? non homo eſt, non etiam bellua; ſed conflatum quoddam è belluis; imò belluarum informe monſtrum: amplius dico, & horribilius, veluti colluvies vitiorum, & malorum omnium: hanc collegerunt Divi Patres. V. A colluvie malorum omnium.

Baſilius, *cui ebrietas eſt dæmon voluntarius, malitiæ mater, virtutis inimica.*

Ambroſius, cui ebrietas, *fomentum libidinis, incentivum inſaniæ, venenum inſipientiæ, flagitiorum omnium mater, procella corporis, naufragium caſtitatis.*

Chryſoſtomus, cui ebrius eſt *dæmon voluntarius, mortuum animatum, & commune generis noſtri opprobrium.*

Quid dici, quid cogitari poteſt deterius? ſi omninò nihil, certè ea vitiorum colluvies eſſe poteſt, ac debet pro remedio: uti & ſobrietatis laus, atque commendatio.

Ecquid enim? eſt *mater ſapientiæ, columna fortitudinis, galea contra laſciviam, oculorum auriga, benevolentiæ cuſtos, cogit ventrem circumciſis, luxuriæ caſtratio, animæ corporiſq; ſuavis ac blanda quædam harmonia*, à qua & animæ & corpori eſt benè: illi quidem quies, tranquillitas, & hilaritas: huic autem robur, ſanitas, & longævitas: fatendum enim quod & ratio medica, & experientia docuit, à ſingulari abſtinentia hæc omnia comparari, & quidem primò ſanitatem. VI. A laude ſobrietatis.

Teſtatur Plato Homeri tempore, catharrum ne de nomine quidem fuiſſe cognitum; ſed primùm ætate ſua innotuiſſe, cùm de ſolita abſtinentia plurimum remittere ſoliti, cùm non ſemel ut olim, ſed bis in die cibum ſumere viſi ſunt, atque commeſſari, tum enim & catharri fluere, & humor immodicus effundi cœpit, index & nota crapulæ; à qua peſſum it ſanitas, ac valetudo, uti & longævitas. *Lib. 3. de Repub.* VII. A ſingulari abſtinentia.

Primæva Orbis ætas, quæ fuit ante immenſam illam aquarum illuviem, cùm homines & carne & vino abſtinerent, & herbis ac fructibus victitarent, & purior lympha potum funderet, longævos tulit & amavit; cùm hi octingentos, nongentos alii numerarent annos: at ubi carnibus veſci cœpit genus omne noſtrum, ubi vino madere, tum & longævum eſſe, & videri deſiit: adeo verum illud: *Sobrietas parens eſt annorum.* Cujus apprimè conſcii, qui inter Antiquiores & religioſi, & ſapientes audiri voluerunt, vino & carnibus ſibi in perpetuum interdixerunt.

Sic apud Ægyptios, Sacerdotes & Sophi; apud Hebræos Nazaræi, Rechabitæ, Eſſeni, apud Perſas Magi; apud Indos Gymnoſophiſtæ vino, & carnibus abſtinuerunt. Sic etiam apud Paganos *Socrates*, apud Romanos *Caſſius*, tota vita aquam bibit, cibo etiam modiciſſimo contentus, tantum enim dabat, quod erat neceſſitatis, ſubtrahebat omne quod erat voluptatis.

Hinc rogatus ille, qua in re ab hominibus differret, ait: *Alii vivunt ut edant; ego verò edo ut vivam.* VIII. Ab exemplis.

Dignum Socrate, dignum Sapiente oraculum, quod utinam audiret, atque altè in animum admitteret omnis poſteritas: edebat ille tantum eò ut viveret, cùm alii vivunt ut edant: vivunt ut potent, vinoque ſeſe ingurgitent: non ſic Sapientes, non ſic. Hi enim non edunt, non bibunt, niſi & vita imperet, & ipſa quodammodo neceſſitas, ac fames.

Certè Seneca inter Romanos Sapientes facilè Princeps, iſtud hoc in genere ſtatuit.

Non eſt ante edendum, quàm fames imperet, ex quo principio id confecit. *Epiſt. 123.*

Expectabo ergo, nec ante edam, quàm aut bonum panem habere cœpero, aut malum faſtidire deſiero. Hæc ubi de ſe dixit, & de alio quovis abſtemio, tum adjicit illud dignum Cedro.

Magna pars libertatis eſt, benè moratus venter, & contumeliæ patiens.

Hanc in *S. Marcellina*, ſorore ſua, aliiſque ſacris Virginibus, & optavit, & amavit S. Ambroſius, dum his & illi eam legem ſcripſit: *Lib. 3. de Virgin.*

Potus ex fonte, fletus in prece, ſomnus in codice: Hanc & in ſeipſo expreſſit D. Auguſtinus, dum ſic ad Deum. *Hoc me docuiſti Domine, ut quemadmodum medicamenta, ſic & alimenta ſumpturus accedam.* *L. 10. Confeſ. c. 31.*

Ad medicamenta accedit nemo, niſi admodum ægrè, & quantum expoſcit neceſſitas ex iis ſumit, amplius nihil: ſic & ad alimenta accedat eſt neceſſe, ſi eſſe velit ut ille in Chriſti ſchola benè doctus, uti & fuit *S. Radbodus* Ultrajectenſis Epiſcopus.

Is ut ſobrietatem tegeret, & aquam bibebat in calice aureo, quam cùm deguſtare vellet aliquis illi conviva: *Radbodus* in vinum vertit, & quidem optimum, ſicque illi, & ſalva abſtinentia, & procul abfuit vana gloriola.

Sed erit onus aliquis, fortè non importunus cenſor, qui me arguet nimiæ ſeveritatis, atque

immodicæ abſtinentiæ: ecquid enim, inquiet, ad ſolitudinem nos evocas, ad Anachoretas, Paulos, Antonios, Hilariones, & alios ejus notæ Eremicolas. Ecquid enim nobis cum illis commune eſſe poteſt? Nobis dico, qui vitam agimus in armorum ſtrepitu, in tumultu bellorum, in aulæ faſtu, ac delitiis, in æſtu negotiorum, in undis populorum; nobis, qui à natura, ab educatione, molliculi, delicatuli facti ſumus, qui à morbo etiam infirmi, qui aquam bibemus, qui vinum damnemus? Certè nec damnavit Apoſtolus, qui & *Timotheo* indulſit, monuitque ne *aquam* biberet; *ſed modico vino uteretur, & hoc propter frequentes infirmitates.*

Ad Timot. c. 5 v. 23

Et hoc ipſum tibi concedo; ea tamen lege, ut inde ſumas ſobrietatis exemplum, non ebrietatis licentiam; ut enim doctè notavit Tertullianus, gentium Apoſtolus, *hoc ipſo abſtinentiam vini dignam Deo, ſuaſit, quam ex neceßitate diſſuaſit.*

L. adverſus Pſychicos c. 9.

Vinum enim ſuadendo ad neceſſitatem; hoc ipſo diſſuaſit ad ebrietatem: Ita enim conceſſit neceſſitati, ut negarit voluptati. Cauſa porrò hæc fuit; quod, pro eo, quo æſtuabat Dei amore, ita ſobrietatem ſervare certus, ut interim corporis vires peſſundaret, quod ne fieret, vinum juſſit Apoſtolus: ſed tamen modicum, quantum ſcilicet exigeret ſanitatis conſervandæ impoſita à natura neceſſitas. Adde quod *Timotheus hic erat*; quod dum dixi, omnia dixi: dixi enim hominem abſtemium, ſobrium, caſtum, atque inprimis ſanctum. *Da mihi*, inquiebat D. Bernardus, *da alterum Timotheum, & ego cibo eum, ſi vis, auro, & poto balſamo.*

Timotheus

Serm. 30. in Cant.

Hæc ubi entheo ſpiritu pronuntiavit Bernardus, tum converſa ad lectorem oratione, ſic ait.

Id te ſaltem volo admonitum eſſe, ut ſi tibi ita authoritas Apoſtoli placet de bibendo vino, modico, quod ille adjunxit, non prætermittas, uti faciunt mortalium plerique, qui ſibi & ſuæ intemperantiæ, ab Apoſtoli dicto præſidium petunt, non peterent, ſi *vino*, adjicerent illud *modico*, quod adjecit Apoſtolus. Et hæc pro remediis pauca, quibus pro coronide adjicio ea omnia vitiorum monſtra quæ parit ebrietas, atque in animum inducit, ut ea tibi terrori ſint; & ſimul etiam ſtimulo ad intemperantiæ fugam.

Elius Lampridius in vita Heliogabali, de illo hæc ſcribit. Ebrios amicos plerumque claudebat, & ſubita nocte Leones, Leopardos, Urſos exarmatos immittebat, ita ut expergefacti in cubiculo eodem, Leones, Urſos, Pardos cum luce viderent, vel quod erat gravius ac terribilius, in ipſa nocte invenirent, ex quo plerique exanimati ſunt, & animam multo vino madidam capuerunt. IX *A peccatorum monſtris.*

Quæ Heliogabalus convivis ſuis: hæc tibi conſcientia cum cubiculo clauſus es, cum molli culcitræ incubas inferre poſſet, Leones ab ira, quâ exarſiſti; Leopardos, Urſos à ferociâ, qua in proximum ſævîſti, canes ab invidiâ & linguæ morſibus, quibus fraternitatis nomen lacerâſti; porcos à luxuria, & cœno voluptatum, quibus teipſe merſiſti, quæ ſub primam lucem, ſi tibi venirent in animum, in oculos, ne terrere deberent, ne exanimare, majora enim ſunt ea vitiorum monſtra, quàm illa quæ ſunt animalium: Hæc enim corpori tantum nocumento eſſe poſſunt; illa verò etiam animo: at graviora animi pericula, quàm corporis, quæ ſi benè expenderis, erunt illa pro præſenti contra gulam remedio.

TRACTATUS TERTIUS

DE LUXURIA.

DE Ingluvie jam dixi, de Luxuriâ in præſentia; ſunt enim hæ duæ animi peſtes, ita inter ſe connexæ, ut vix, ac ne vix quidem ab invicem disjungi poſſint: ut enim claré Tertullianus, in libro, quem inſcripſit de jejuniis adverſus Pſychicos.

Lib. 1. de Jejuniis c. 1.

Miraret, inquis; *Pſychicos iſtos ſi ſola luxuria tentrentur, quâ ſæpius nubunt, ſi non etiam ingluvie ducerentur, quâ jejunia oderant: Monſtrum ſcilicet haberetur libido ſine gula, cum duo hæc tam unita, atque concreta ſint, ut ſi disjungi omninò potuiſſent, ipſi prius ventri pudenda non adhærerent: Specta corpus, & una regio eſt, denique pro diſpoſitione membrorum, ordo vitiorum, prior venter, & ſtatim cætera ſagina ſubſtracta laſcivia eſt.*

Hactenus Tertullianus, qui & inde factum autumat, ut Pompejus in ſuo omnium turpitudinum theatro, templum *veneri*, & *libero*, peſſimis incontinentiæ & intemperantiæ incentoribus, extruxerit; quia, inquit,

Cap. 10.

Veneri, & libero convenit: duo iſta dæmonia conſpirata, & conjurata inter ſe ſunt, ebrietatis, & libidinis. Itaque theatrum veneris, liberi quoque domus eſt. Hæc ille libro de ſpectaculis. Quæ Pompeius malè junxit, quia ad vitium; ego benè jungam, quia ad hujus, & illius odium, fugamque.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Nullum pratum ſit quod non pertranſeat Luxuria noſtra.* Sap. cap. 2. v. 8.

IMpii apud Sapientem, virtutis omnis expertes fœdus ineunt, cum vitiis, ac voluptatibus, vel ex eo quod unà cum morte finiri omnia ſibi ſtultè fingant: ſic enim, inquiunt, *ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus.* Et hinc in Chriſtiana Logica malè docti, conficiunt iſtud. *verſ. 2.*
Venite ergò, & fruamur bonis, quæ ſunt; nec enim futura credimus, nec ſperamus. Ideoque *utamur* *verſ. 6.*
creatura tanquam in juventute, hoc eſt tantum, quantum fert juventus, & quidem *celeriter*, quia ut juventus brevi tranſit; ſic & omnia creatura; ſic & omnis ex ea quæſita voluptas.

Hæc ſtulti, hæc impii apud ſe, qui deinde ad omnia voluptatum genera proni ac præcipites deſcendunt.

Et hinc primò aiunt, *vino pretioſo, & unguento nos impleamus*: vino intrinſecus, unguento extrinſecus delibuti; antiquo more, quo veteres in conviviis, prius aqua calida dilui, tum unguentis inuncti, cœnitare, tum delitiarum, tum fragrantiæ causâ.

Tum addunt, *non prætereat nos flos temporum*, hoc eſt aura verna, quæ eſt veluti flos omnium anni tempeſtatum; ita nimirum impii, ut rectè advertit D. Bonaventura: *nihil curant de fructu animæ cæleſti*:

ſed

ſed de flore vitæ præſentis: curarent enimverò, ſi altius in animum admitterent iſtud D. Auguſtini quod ii, *qui florent in ſæculo areſcunt in judicio, & poſt ariditatem in ignem æternum mittentur*; ſed proh dolor! pudorque! non curant, & inde ſubjiciunt illud: *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant.*

In Tit. Pſal. 91. *verſ. 8.*

Eſt roſa ſymbolum voluptatis, & quidem mollitiæ: hinc illud Anacreontis.

Cum Vere patre florum
Socianda laus roſarum.
Roſa flos, odorq́ Divûm,
Hominum roſa eſt voluptas,
Decus illa gratiarum
Florente amoris herâ.

Et eſt ſymbolum inſani luxus, ac profuſionis inſolitæ; teſtis erit *Cleopatra*, quæ in luxurioſiſſimo ſuo convivio, in roſas expendit talentum, hoc eſt ſex millia coronatorum francicorum, cùm per omnia diſcumbentium triclinia, foliorum paſſim acervi, cubiti menſurâ pavimentis undequaque extarent.

Eſt denique Roſa ſymbolum amoris, ac libidinis, qua de cauſa etiam Veneri dicata, & Venus ipſa roſea corona ſolebat inſigniri, uti notavit Pauſanias; ex quadam ſcilicet roſæ ac libidinis conſenſione: ut enim Fulgentius: *Roſa rubent, & pungunt, ut etiam libido: rubet enim hæc verecundiæ opprobrio, pungit etiam peccati aculeo*: Sed quia neque dum hanc ſentiunt ſtupidi mortales, hinc erumpunt in illud vagæ libidinis.

Lib. 2. Mytholog.

Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra: hoc eſt ubique luxuriæ vacemus, atque ubique libidini indulgeamus, meretricium in morem: & hæc impii apud Sapientem, quorum de numero, ne & ipſi aliquando ſimus, videndum nobis erit, quid ſit Luxuria, & quibus appellationibus, ceu infami ſtigmate, notetur.

§. I.

Quid ſit Luxuria?

DE hac quæri poteſt, primò quid nominis? deinde quid rei?

Quid nominis?

Luxuria, vel luxuries, dicitur a luxu, qui latiùs accipi poteſt, aut ſtrictiùs: illo modo exceſſum indicat in omni re, puta in veſtitu, in conviviis, in epulis, in unctionibus, & ſimilibus voluptatum illecebris. Hac autem ratione ſignificat exceſſum in re venerea, à qua & appellatur luxurioſus, hoc eſt quaſi luxatus, & ſolutus, ac diſſolutus in venereas voluptates, quæcumque demum illæ ſint: & ita paſſim uſurpatur à Theologis, & hîc etiam à nobis intelligi volumus, ut ſcilicet Luxuria opponatur Caſtitati. Luxuria ſic ſumpta, eſt ex ſuo genere peccatum mortale, & unum è vitiis capitalibus.

Quid rei?

Ut autem ea veritas ponatur in aperto, & clara luce contra Nicolaitas, Gnoſticos, & Anabaptiſtas, & ejus farinæ homines, duo ſupponi velim.

Primum; quòd uſus rei venereæ è natura ſua ſit opus omninò neceſſarium ad naturam propagandam, & perennandam ſpeciem quamlibet; ſicut ciborum uſus, ad conſervandum individuum: ut enim D. Auguſtinus de bono conjugali, *quod eſt cibus ad ſalutem hominum, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis.* Ex quo conficitur & alterum, quod hujus uſus ſit res quoque gravis; adeoq́ue & abuſus ipſe in eadem re etiam gravis, & hinc peccatum letale: & quia talis eſt abuſus, talis eſt & deordinatio in luxuria, conſequens eſt, ut & illa quoque ſit mortifera.

Cap. 4.

His ita conſtitutis ex natura, ratione, & Theologorum placitis; quæro quid ſit *Luxuria preſſius ſumpta? Et reſpondeo, quod ſit abuſus, & inordinatio quædam in uſu rei venereæ*, quod quia apud homines bonæ notæ extra litem eſt, atque controverſiam, meo more deflecto ad deſcriptiones metaphoricas,

Luxuriæ definitio.

ex quibus ejus natura, affectiones, atque effectus omnes, luce meridiana clarius eluceſcent, & ſupponentur omnium oculis, ad illius odium, fugamq́ue, quæ mihi in hiſce lucubrationibus meis, pro fine, & ſcopo, ad quem collimo: igitur ut ad rem propiùs accedamus.

Deſcriptiones:

I. *Luxuria filia Gulæ primogenita.*

Luxuria eſt primogenita *gulæ filia*: ſic eam appellandam eſſe cenſuit S. Cyrillus Alexandrinus. *Ex ebrietate*, inquit, *velut primogenitam generari Luxuriam.* Quod & tacitè indicavit Apoſtolus, dum ſic ad Epheſios: *Nolite inebriari vino, in quo eſt Luxuria*, ut ſcilicet filia in parente, & hoc ipſum eſt quod indicavit D. Hieronymus cùm dixit, *majorem refectionem erumpere in cruditatem, quæ parens libidinum eſt*, nec libidinum tantum; ſed ab his etiam immanitatis; hæc enim eſt Luxuriæ filia. At ne ſolis verbis ſit fides, exempla producamus, etiam in Davide, hominum aliàs mitiſſimo.

C. 5. v. 18. *Epiſt. 4.*

II. *Crudelitas Luxuriæ filia.*

Certè manſuetudo illius variis argumentis ſeſe prodidit; & quidem primò in Saüle, hoſte aliàs ſibi infenſiſſimo, & à quo querebatur ad mortem etiam per ſummum nefas. Quid deinde? Invenit Saülem in ſpelunca, ſine teſte, ſine defenſore, inermem, imparatum, nihil ſibi malè metuentem, nec interfecit, nec læſit, nec vel digito tetigit; ſed dumtaxat oram chlamydis illius attigit, atque abſcidit, ut vel inde magnitudinem noſſet Saul aditi periculi: & in Davide amaret manſuetudinem, damnaretque in ſe feritatem. Et tamen, ut indulgentis, ut miſerentis illud fuerit in Davide, non potuit poſtea non dolere, non queri, non pœnitere: ſic enim de illo ſacræ paginæ:

Poſt hæc percuſſit cor ſuum David, eò quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul.

1. Reg. c. 24. verſ. 6.

En prodigium, en miraculum manſuetudinis, cor ſuum percutit, pectus tundit, vel ex eo quòd jurati ſui hoſtis oram chlamydis abſciderit, qui manum, qui caput abſcindere potuit, etiam ſine noxa. Crederes Davidi innatam fuiſſe manſuetudinem, eamq́ue inter virtutes illius facilè principem: & ſanè principem fuiſſe oſtendit illud, quod eam irato aliàs Numini propoſitam voluit, ut & placaret: ſic enim ad Deum.

Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.

Pſal. 131. v. 1.

Et tamen ut ea fuerit in Davide manſuetudo, quæ & objiceretur divinis oculis, & eſſet illi pro ſcuto, nihilominus ubi luxuriæ ſeſe inclinavit, & libidini; in feritatem degeneravit, & Davidem alium fecit à ſeipſo, ex manſueto crudelem, & propè barbarum.

Teſtis erit ea feritas, quam exercuit in populum, & cui parem non viderat ætas illa; de qua ſic Annales Regii.

Populum quoque ejus adducens ſerravit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diviſitq́ cultris, & traduxit in typo laterum, & ſic fecit univerſis Civitatibus filiorum Ammon.

2. Reg. c. 12. v. 31.

Ecce, quæ in Davide ſævities, & quæ ab illa de populo exacta ſupplicia. At quando, inquies.

Obſervat Sanchez, eò veniſſe crudelitatis, cùm luxuriæ peccato excœcatus eſt, atque dementatus.

Ita nimirum Davide, homine privato, atque innoxio, nihil mitius; Rege adultero, nihil immanius: adeò verum illud, quod crudelitas luxuriæ filia ſit ſecundò-genita.

Et hujus quoque ferrum expertus *Urias*, cùm malè perire juſſus eſt, ut adultero & adulteræ eſſet benè. Sic nimirum ut ſcitè D. Gregorius Pont. Max.

David factus eſt in morte Uriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuit enerviter fluxus. Et qui malis antea noverat piè parcere, in bonorum quoque nece poſtea didicit ſine obſtaculo retractionis anhelare. Prius quippe ferire deprehenſum perſecutorem noluit; & poſt, cum damnis deſudantis exercitus, etiam devotum militem extinxit.

1. Part Paſtor. c. 3.

III. Luxuria generis noſtri macula.

Sed abeamus ab illa luxuriæ notione, & ferrum horreamus, quod ipſa ſanguine tinxit, & quidem innoxio, & videamus quæ ab illa labes & macula generi noſtro inuratur.

Quæſivit Romanus ſapiens, quid à vitiis turpius accideret humano generi? Et reſpondit, nihil fœdius, quàm à luxuriis, & venere, & baccho.

L. de brevit. vitæ c. 8.

In primis, inquit, *illos numero qui nulli rei niſi vino, ac libidini vacant: nulli enim turpius occupati ſunt. Cæteri etiamſi vana gloriæ imagine teneantur, ſpecioſe tamen errant, licet avaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes injuſta, vel bella; omnes iſti virilius peccant: in venerem ac libidinem projectorum inhoneſta labes eſt.*

Verè *inhoneſta labes*, quæ à luto venit & venerea lue, & cui nullam honeſti ſpeciem aſſignes. Superbia quis attollitur, & vanæ gloriolæ fumo: at imagine honoris allicitur: auri cupidine, & avaritiâ quis tenetur; at inde lucrum prætendit, & commoda in uſus humanos: ira abripitur, aut odio; at læſum ſe credit, & vindictam expoſcit: bella movet; at ſibi juſtitiam exercet, & martem in arma vocat: quod & animi virilis videtur, & viri fortis: projectus in venerem ac libidinem, & in cœnum projectus eſt, putidamque vitiorum Cloacam, è qua nullâ unquam

IV. Belluina labes.

boni ſpecie extrahetur: & inde illi *inhoneſta labes* ſemper adhæreſcit; imò & belluina: ex homine enim belluam facit libido, & prohibita venus.

Eccl. c. 9. v. 7.

Rectè monuit aliquando Sapiens: *Noli circumſpicere in viis civitatis, nec oberraveris in plateis illius.*

L. 3 Pædag. c. 4.

Clemens Alexandrinus, Septuaginta interpretes ſecutus, vertit, *Ne erres in ſolitudinibus, & deſertis illius*: ſed qui eſſe poſſint ſolitudines & deſerta in plateis Civitatis: in quibus & frequens populus, & ferè ſemper undæ populorum? Reſpondet.

Eſt enim verè ſolitudo, eſt & deſertum, *etiamſi ſit turba incontinentium, quia ibi non eſt homo, ubi nec pudicus*: ibi & beſtiæ, quia etſi vultus præferant humanos: at affectus habeant belluinos, ex quibus Cœlo judice belluæ dicuntur, & ſunt.

Cap. 4 v. 11.

Appello Oſeæ fidem, atque authoritatem: Fornicatio, inquit, *& vinum, & ebrietas auferunt cor.* Cor utique hominis, cor rationale, & ſubſtituunt cor belluæ: & ita explicuit illud Oſeæ D. Hieronymus: ſic enim ait: *fornicatio & voluptas pervertit ſenſum, animumq́; debilitat, & de rationabili homine brutum efficit animal.*

Gen. c. 6. v. 7.

Et hinc illæ Dei vindicis minæ: *delebo hominem, quem creavi, à facie terræ, ab homine uſque ad animantia.*

In illa aquarum eluvie, hominem jungit animantibus brutis, ut quos par incontinentia conjunxit, par quoque ſupplicii ratio jungat, & par diluvium involvat. Quid enim potius? Infectus eſt homo belluina labe, & cum belluis eadem punitur morte.

V. Lues venenifera.

Quid dico belluina labe? Etiam *Venenifera* dicere debui; eſt enim luxuria, lues quædam venenifera, quæ animæ vitam adimit, ut corpori venenum præſens.

Lib. 2. de moribus Manichæorum, c. 8.

D. Auguſtino teſte, puella quædam Athenienſis cœpit paulatim venenis nutriri, & conſuetudo ſic abiit in naturam, ut iis perinde veſceretur, aleretúrque, uti alii conſuetis cibis.

Ejuſdem meminit Ariſtoteles, additque eam ita venenoſam evaſiſſe, ut ſolo ſputo appropinquantes perimeret. Quod illa; hoc & voluptas omnis venerea: ea uteris, ea nutriris ineunte adoleſcens, & videris tibi ea refici, ac nutriri? at in fine ſecus accidet: etſi enim primò cogitationibus impuris non plenè conſentias, etſi tactibus levioribus indulgeas, etſi verbis & jocis petulantioribus aditum dies in animum; attamen ab his, & illis cave, venena enim ſunt, quæ etſi necdum ſint mortifera; at invaleſcent aliquando, viamque aperient ad delectationes venereas, ad tactus impudicos, ad illicitos concubitus; & inde ad animæ mortem.

Quid enim aliud expectes ab ea voluptate, quæ etſi virgo videatur, atque innoxia, in fine tamen vipera eſt.

Apud Diodorum Siculum, Scythæ virginem ſibi ex terra natam perhibebant, cujus habitudo corporis cingulo tenus fœminam, inferius viperam repræſentabat. Immane utique monſtrum, & certè etiam fabuloſum: ſed tamen ejuſmodi, quod voluptatem, qua de agimus referre videatur.

Virginem crederes ore, vultu, oculis blandam putares, atque amabilem venuſtatem: at cave, at time, at exhorreſce; defluit enim in viperam, eamque veneno tabificam, quæ animam tuam inficiet, tolletque de juſtorum, id eſt, vivorum, medio.

Andreas Cyſalpinus memorat Herculem interiiſſe indutum linea veſte, quæ fuerat imbuta ſanguine miſelli hominis, qui vulnus acceperat ex venenata ſagitta Hydræ Lernææ. Lib. 5. c. 3.

Fabella eſt, & ingenioſum commentum, è quo, hæc veritas erui poteſt. Turpium cupiditatum affectio, venenum eſt: eam, ceu veſtem, induis adoleſcens, & illius, ceu Hydræ veneno, tolleris, ſis licet, aut eſſe velis Hercules, hoc eſt fortis, atque cæteris indomitus ut ille; ab Hydræ tamen, hoc eſt à pravæ voluptatis, toxico peribis.

Hercules adhuc juvenis hydram colubris, & capitibus pullulantem ferro & igne domuit, vicit, extinxit; & tamen is, à veſte linea veneno recens infecta, ſublatus eſt: quod illi, hoc & tibi: à mollicula voluptate ſuperaberis, cæteris licet fueris invictus, ideoque nec robori fide, nec primis annis, quibus generosè fortè reſtitiſti, poſtera te ſternet ætas, ſis licet vir, ſis & ſenex, ni ab hydra illa, id eſt venere, caveas, ni eam fugias. Verum enim illud Amos Prophetæ. *Conteram vectem Damaſci, & diſperdam habitatorem de campo Idoli, & tenentem ſceptrum de domo voluptatis.* Cap. 1. v. 5. Quæ ſit vectis Damaſci quæris? Eſt robur animi in ſe confidentis, quod luxuriâ molleſcit, & tandem conteritur. Quis ille Idoli campus? Eſt campus voluptatis, eſt voluptatis domus, in qua tibi venerem, ceu idolum, erigis: ſed malo tuo; ſed pernicie tua: contereris enim à Cœlo vindice, & diſperderis; licet in ea ſceptrum tenere te credas, hoc eſt dominatum; verius autem ſervitutem. In hac verò cùm ſis, quidni conteraris, quidni & diſperdaris ab irato Numine? Cùm hydram adoraris *multorum capitum.* Hoc eſt venerem, quæ hydra eſt multorum capitum, hoc eſt vitiorum: tot enim habet capita, quot ex ſe gignit vitia, à quibus etiam audit Euſebius l. 7. præp. Evan. c. 2.

Metropolis vitiorum: ſic enim eam appellandam eſſe cenſuit Clemens Alexandrinus. VI. Metropolis vitiorum L. n. Strom.

In Metropoli non ſolùm plebecula frequens; ſed & primi dicionis, aut Regni capita reſidere ſolent, utpote urbe principe, & cæterarum veluti capite.

Quod in illa: hoc & in luxuria, quæ vitiorum eſt Metropolis, quia in ea continentur, & veluti concluduntur, non tantum minora vitia, & noxæ leves; ſed grandia atque enormia quæque.

E multis tibi pauca reddam, Amice Lector, ex quibus de aliis facilis erit conjectura.

Ea porrò erunt Idololatria, in quam à Luxuria facilis, & pronus eſt lapſus. Homicidia, in quæ præceps eſt caſus; etiam iis, quos extra tanti periculi aleam eſſe crediderſes: uti fuere David, & Salomon, Heroes inclyti, & cœleſtibus intelligentiis propè pares, certè inter mortales, inter Reges nulli ſecundi.

Et quidem ut à Salomone exordiar. Quis illo ſapientior? Quis & potentior? Quis Cœlo Deoque carior? Quis & ſub initia progreſſuſque ætatis ſanctior?

ſanctior? Et tamen ut is eſſet, ubi in hanc vitiorum Metropolim venit, quis illo abjectior? Quis deterior, quis magis infamis à vitiis? Poſtquam abiit ad uxores alienigenas, & vagæ libidini ſe proſtituit, etiam ſe idolorum cultui proſtituit: ſeſe enim inclinavit idolis omninò tribus *Aſtartem, Chamos, Moloch.*

Juvat audire quid de illo Annales Regum:

Cùm eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres,
3. Reg. c. 11. v. 4. 5. *ut ſequeretur Deos alienos, nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo ſuo; ſed colebat Salomon Aſtartem, Deum Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum,*

Neque hîc ſtetit pudenda illa à Deo defectio.

vers. 7. *Ædificavit* enim *Fanum Chamos idolo Moab, & Moloch, idolo filiorum Ammon: atque in hunc modum fecit univerſis uxoribus ſuis alienigenis, quæ adolebant thura,*
vers. 8. *& immolabant Diis ſuis.*

Ecce in quæ vitiorum monſtra incurrit Regum aliàs Sapientiſſimus, cùm in Luxuriam, ceu vitiorum Metropolim, pedem immiſit.

Primò enim Divinæ fidei ſucceſſit perfidia, pietati in Deum impietas, Religioni ſuperſtitio, & cultus idolorum; charitati in Deum ac Superos, & horum & illius quaſi odium, fuga, atque averſio à ſummo bono, & converſio ad ſummum malum, id eſt peccatum; Zelo animarum, & alienæ ſalutis curæ, incuria; imò & hujus & illorum proſtitutio: nec enim Salomoni ſatis fuit ſic periiſſe, niſi & ſimul perirent illæ, quibus fana profana erigebat, & quidem inſano ſumptu.

A Salomone deſcendo ad Davidem, de cujus maleſana libidine ſic Regum hiſtoria.

2. Reg. c. 11. *Accidit ut ſurgeret David de ſtrato ſuo poſt meridiem,*
v. 2. *& deambularet in ſolario domus regiæ, viditq; mulierem ſe lavantem ex adverſo ſuper ſolarium ſuum: erat autem mulier pulchra valdè*: Quid deinde?

Vidit David, & periit; vidiſſe enim eſt à cupidi-
vers. 3. ne periiſſe; *miſit* enim, *& requiſivit quæ eſſet mulier, nuntiatumq; eſt ei, quod ipſa eſſet Bethſabee, filia Eliam, uxor Uriæ Hethæi.* Quid tum? *miſſis itaque David nuntiis tulit eam.* Hoc primum ſcelus à luxuria, concupiſſe alienam uxorem; tum etiam tuliſſe; tum dormiviſſe cum ea; tum eam ex adulterio prolem concepiſſe: nuntiavit enim illa Davidi, & ait: *Conce-*
vers. 6. *pi.* Quid tum? *Miſit David ad Ioab dicens, mitte ad me Uriam Hethæum*: miſit & illicò venit Urias, ex quo quæſivit David, *quàm rectè ageret Ioab, & quomodo adminiſtraretur bellum?* Ecce fraus, ecce doli: non enim ignorabat David quid ageret Ioab, & qui adminiſtraretur bellum: ſed ex Uria quærit honoris ſpecie, tum etiam ſic ad illum:

vers. 8. *Vade in domum tuam, & lava pedes tuos.*

Ecce adulatio, ecce obſequia regia; *ſecutus enim*
vers. 9. *eſt eum cibus regius.*

Quid hic Urias? Nec abiit in domum ſuam, nec pedes lavit, nec fortè uſus cibo regio; *ſed dormivit ante portam domus regiæ, cum aliis ſervis Domini ſui*, pro quo & vigilare, & excubare doctus. Nuntia-
vers. 10. tumque eſt David à dicentibus. *Non ivit Urias in domum ſuam.*

Quid deinde, ait David ad Uriam: *nunquid non de via veniſti? Quare non deſcendiſti in Domum tuam?*

Ecce ut compati videtur Heroï fortiſſimo, laſſo de via; ecce ut illius curam agere. Nihil tamen minus cogitat, nihil & molitur minus: ſed hoc unum, ſcelus tegere, quod ut faciat probè, & im-
vers. 12. probè. Sic ad Uriam: *mane etiam hic hodie, & cras dimittam te.* Manſit porrò, & die altera vocavit
vers. 13. eum David, *ut comederet coram ſe, & biberet, & inebriavit eum.*

Crederes ea omnia ad lautitiam, ad delitias, ad pompam apparari; ex vero tamen Urias parabatur ad victimam, ſaginabatur ad victimam, ad dolos ſervabatur ac cædem.

Scripſit enim epiſtolam David ad Ioab, miſitq; per manum Uriæ. Putares mandata dari homini in paucis fido, crederes commendari, laudarique apud Archiſtrategum: at nihil minus: proditur enim per ſummum nefas, & ferro hoſtili objicitur per immanem defectionem atque fugam: ſic enim ferebat epiſtola.

Ponite Uriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſt prælium, & derelinquite eum, ut percuſſus intereat. vers. 15.

Ecce quæ, in uno, & ab uno luxuriæ ſcelere, ſcelera. In Uriam mali doli, perfidia, inhumanitas, immanitas, ac cædes Herois inclyti: nec illius tantum, ſed & multus innocentium ſanguis: perierunt enim cum Uria fortiſſimi quique, martis quidem adverſi victimæ: ſed magè victimæ libidinis, victimæ & inſani amoris, cujus reus dum eſt David, etiam omnium aliorum eſt reus: neque tamen ſe reum agnoſcit, neque cædi tot innocentium ingemiſcit, neque facti pudet, aut populi miſeret; ſed omnia tacitus diſſimulat, quaſi id factum eſſet dubia martis alea: ubi enim ex nuntiis audiit funeſtum illud.

Mortui ſunt de ſervis Regis, quin etiam ſervus tuus vers. 24.
Urias Hethæus, mortuus eſt, dicit ad nuntium. Hæc dices Joab: *Non te frangat iſta res, varius enim eſt eventus belli, & nunc hunc, nunc illum conſumit gladius.*

Ecce ut dolos tegere doctus dubio marte: at non dubio ſcelere, tranſacto enim Uriæ luctu, quem occiſo dedit uxor: *miſit David, & introduxit eam in domum ſuam; & facta eſt ei uxor*: non facta, niſi adacto vers. 27.
prius in Uriæ viſcera ferro, niſi multorum innocentium ſtrage: adeò in ſcelera ferax eſt inſana libido; ex vero *Metropolis vitiorum.*

Pluribus ſuperſedeo, ne chartam onerem tot ac tantis criminum monſtris.

§. 2.

Quæ ſit pœna, quam à Luxurioſis exiget vindex Dei manus?

HAnc Cœli vindicis ſcenam aperiet ipſe Salomon, ad quem aliquando illud Dei oraculum.

Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium, qui 2. Reg. c. 7.
ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, v. 14.
& in plagis filiorum hominum.

Quamdiu Salomon à debita ſubmiſſione, Deo fuit in filium; & Deus illi fuit in Patrem: at ubi diſceſſit à Deo per immanem luxuriam, per vagam libidinem, per mulieres alienigenas, per inſanum idolorum cultum: tum illi Deus deſiit eſſe Pater; & judicis, imò & vindicis perſonam induit, eumque arguit, *in virga virorum, & in plagis*, quod ſummum fuit pœnæ genus.

Non enim, ait, arguam eum *in virga mea*, ut filios arguere ſubinde ſolet: non *in plagis meis*; ſed in virga virorum: ſed in plagis hominum, quibus arguere ſolet ſervos rebelles, in quos homines etiam ac ſubditos armat.

Et ita armavit in Salomonem: inclinaverat hic 1.
ſeſe primùm amori mulierum alienigenarum contra In Salomone.
Dei nutum, contraque Cœli decreta; deinde abjecerat ſeſe ad idola omninò tria, *Aſtartem, Chamos,* & 3. Reg. c. 11.
Moloch: & tres illi Deus è ſubditis hoſtes excitavit, *Adad, Razon*, & *Ieroboam.*

Adad Idumæum de ſanguine regio: *Razon* qui & princeps latronum, homo in paucis efferus ac truculentus. Denique & *Ieroboam*, ad quem ſic *Ahias* Propheta: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël. *Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi de-* vers. 31.
cem tribus.

Porrò una tribus remanebit ei propter ſervum meum vers. 32.
David. Ecce ut Salomoni ſcinditur Regnum, ut ab illo diſcedunt decem omninò tribus, quia & ipſe à Deo ſuo diſceſſit per vetitos amores, prohibitaque cum alienigenis connubia.

A Salo-

A Salomone tranſeo ad Davidem, in quem ſtatim ab adulterio jactæ cœleſtes minæ, & irati Numinis fulmina; ſic enim ad illum Nathan Propheta.

2. Reg. c. 12. verſ. 9. *Quare contempſiſti verbum Domini? Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti uxorem tibi:* v. 10. *quamobrem non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum, eò quòd deſpexeris me, & tuleris uxorem Vriæ Hethæi, ut eſſet uxor tua.* Scelus audiſti: audi & exacta à ſcelere ſupplicia, & hoc quidem Deo judice, ac vindice.

II. In Davide.

verſ. 11. *Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis ſolis hujus.*

Ecce pœnam talionis, qui alienam uxorem malè deperiit, & tulit, proprias amittit non ſine ingenti probro: & qui ferrum in Uriæ Hethæi viſcera per Ammonitas altè merſit, & ferrum in ſe verti, & arma expediri, videt etiam à filio, à rebelli Abſalone, quem & fugit, *& audit etiam ingreſſum ad concubinas* Cap. 16. v. 22. *Patris ſui, etiam coram univerſo Iſraël*, ut pateret, quàm verum eſſet illud irati Cœli fulmen.

Cap. 12. v. 12. *Tu enim feciſti abſconditè, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis.*

Adulteram ad ſe admiſerat David concubia nocte, denſiſque in tenebris: nempe pudendum ſcelus tegi gaudet, & noctem amat, etiam illucem: at pœna illi debita, ſolem aſpicit, & ponitur in luce, etiam meridiana, & mortalium omnium atque immortalium oculis ſubjicitur.

Et hæc Davidi illata pœna, quæ tamen Dei miſeratione, eidem ſaluti fuit, & veniam dedit: extorſit enim illud pœnitentis. verſ. 13. *Peccavi Domino*: & audiit iſtud: *Dominus quoque tranſtulit peccatum à te, non* verſ. 14. *morieris: verumtamen filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Et verò mortuus eſt: adeò ferax in pœnam fuit admiſſus adulteræ concubitus qui etiam in filium tranſiit. Et hæc Davidi ſors fuit fortunata, infelicior ſanè alteri.

III. In Alſatiæ Comite.

Is fuit *Eberhardus*, Alſatiæ Comes. Hic repudiata Adalbinde, legitima uxore, è monaſterio *Ereiſtein* Monialem eduxit, & in thorum admiſit per ſummum nefas. Quod inultum eſſe Deus non eſt paſſus: quippe triennio toto Herodiana lue, id eſt vermibus ita ſcatere cœpit, ut iis à capite ad calcem tegeretur, atque arroderetur totus, cum intolerabili fœtore, quem & ferre nec ipſe, nec alius quiſquam poſſet. Non hominem dixiſſes; ſed ſpirans, ſed putidum cadaver, è quo lento morſu animam extorſere vermes, atque in inferni chaos demiſere.

Bollandus Tom. II. 28. Ianuar. in vita S. Deicoli Abbatis.

IV. In Sacerdote ſacrilego.

Similis caſus & alios quoque involvit, è multis unum producamus. In Oppido Hoienſi, ditionis Leodienſis Sacerdos fuit non infimæ notæ, nec infimæ ut credebatur virtutis. Is conſpicatus Matronam honeſtis ortam natalibus, & in Deiparæ cultu ſpectabilem (ſolebat enim in dies ſingulos centies genua in terram ponere, totidemque ſalutationes Angelicas Divæ Matri reddere, quod ut exequeretur faciliùs, etiam noctu ſubire ſacras ædes) quòd ut adverti Præſbyter, etiam orantis in morem, modumque ad eaſdem itare: bonum omninò factum: ſed ò grande malum Concupiſcentia, ea primùm per oculos evaſit ad animum, tum etiam per frequentia blandaque cum muliere colloquia, denique per oſcula, complexuſque liberiores, à quibus ita exarſit, ut etiam in templo, Dei utique domo ac ſede, in fornicationem inciderit: adeo concupiſcentiæ ſecurum nihil, inviolabile nihil, ne Dei quidem ædes, ne Virginis amor, & cultus.

Spectabat è Cœlo Deus inviſa ſibi capita, hinc ſacerdotem ſibi ſacrum, ſed etiam ſacrilegum; inde fœminam matri ſuæ olim devotam: hanc morbo corripuit, & maligna febri correptam lectulo affixit.

Eſſe debuerat tam hæc, quàm ille pro fido monitore ut reſipiſceret, ut pœniteret. Et fortè fuiſſet, niſi alia illi mens, alia conſilia à Præsbytero, criminis conſorte fuiſſent, injecta. Bollandus Tom. I. 13. Ianuar.

Hic veritus, ne, ſi commiſſum ſcelus detegere vellet, etiam ſacra exomologeſi aliquando veniret in lucem, anum vetulam ſubmiſit, quæ certa fide illi diceret, aſſereretque infirmitatem eam, qualis qualis demum eſſet, non eſſe ad mortem. Fecit illa ſedulò; ſed impiè: & credidit ægra, ſceluſque tacuit, & impœnitentem animam ad inferos uſque deduxit.

Quid hic Cœlum? Quid Superi? Quid Diva Mater? Vidit hanc *B. Ivetta Recluſa*, vidit, inquam, ad filii ſui pedes abjectam, & poſtulantem ab illo vindictam, vel eo nomine, quòd ancillam aliquando ſuam, & ſibi mirè addictam, vitiaſſet, & eò malorum induxiſſet.

Hæc cùm ſpectaſſet *Ivetta* infelicis illius Præsbyteri miſerata, eum illicò ad ſe accerſiri juſſit, ſerioque monuit, ut & Divæ Matri, & Deo ipſi faceret ſatis.

Paruit ille, vitæ reliquum in cinere, & cilicio exigere certus: imò & Ciſtercienſi Ordini nomen dare: ſed ò grande malum inconſtantia! vix à Beatæ Ivettæ congreſſu, oculiſque abierat, cùm & benè concepta depoſuit, & ad ſolitas artes rediit: & libidini vagæ totus indulſit, totus in Lupanaribus, & cum meretriculis, à quibus primò ſcelerum ſuorum in cœno demerſus: ac deinde etiam inferis mancipatus, futurus æternos in annos & ignis pabulum, & victima nil miſerantis orci.

Ita nimirum nec terra diu ſuſtinet, nec Cœlum patitur, impunitos illos ganeones; imò neque ipſa patiuntur animalia. V. In adulteram.

Refert Ælianus Romæ Imperante Tito eveniſſe, ut uxor Rectoris Elephantis, malo jure cum altero viro conveniret. Vidit Elephas, nec hanc Domini ſui injuriam tulit, irruit enim in ipſo complexu, & utrumque dentibus transfixit: deinde providè ita copulatos reliquit, & ſtragulo texit, & cùm rediiſſet Dominus, ſtragulo rejecto, & facinus oſtendit, & ſe pariter ultorem. Lib. 1. c. 50.

Quod Elephas hic in uxore adultera: hoc alius in marito ſimiliter adultero. VI. In adulterum.

Narrat enim ille ipſe Ælianus, fuiſſe magiſtrum Elephantis, qui adulterio ſeſe contaminarit, nec contentus furtiva illa libidine, uxorem ſuam è medio ſuſtulerit, atque ad præſepe Elephantis ſepelierit: altera illi mox ſuperinductâ. Hoc ſcelus tacitum non habuit Elephas, ſed uxorem novam eò traxit, quà pedibus, quà cornibus cadaver refodit, & tantum non rebus ipſis oſtendit, cui, & quomodo nupſiſſet. Lib. 1. c. 22.

Quæ Elephanto ſolertia, vel in detegendo adultero, vel etiam in puniendo: eadem & *Ciconia* teſte eodem Æliano. Lib. 13. c. 6.

Crannone, quæ Theſſaliæ Civitas eſt, mulier formâ erat nulli par; ſed non pari virtute; cui nomen *Alcenoë*. Hæc cùm à conjuge peregrè profectò domi relicta eſſet, ſtupri conſuetudinem cum ſervo habebat, quod cùm Ciconia (quæ fortè domi alebatur) frequentiùs vidiſſet, ſerviles injurias in Dominum non tulit; ſed in adulterum involans, oculos illi eruit. Ne ſcilicet is Cœlum aſpiceret, qui Cœlum adulteriis ſuis fatigaſſet.

Pluribus ſuperſedeo, atque calamum à ferali argumento ſubduco.

§. 3.

Opportuna remedia adverſus veneream illam luem.

EA in medium producam, quæ vel in ſuis lucubrationibus impreſſere Divi Patres: vel expreſſere re etiam ipſa, ſuoque exemplo, vel quæ ipſa docuit experientia veritatis interpres ac magiſtra.

Ex his

I. A fuga occaſionum. Ex his primum eſt fuga occaſionum, fuga periculorum: in hoc enim pugnæ genere, non reſiſtendo, ſed fugiendo, obtinetur victoria.

Bollandus Tom. I. 19. Ian. Et ita obtinuit *S. Tarſitia* Virgo Regio Pipini ſanguine nata, quæ fugit è paterna domo, & patria, atque in altam ſpeluncam ſe abdidit, in qua nec videri poſſet, nec videre quod virginitati officeret.

Ita fugit *S. Marcella*, quæ ſeptimo à nuptiis menſe marito viduata, ut illibatum deinceps ſervaret caſtitatis florem, nullum unquam virum vidit, ne Clericum quidem, aut Monachum ſine teſte, ſine arbitris.

Ita fugit *S. Auſtreberta*, quæ virginitatis amore capta, atque amaſios fugiens, etiam ſuper aquas ſicco veſtigio ambulavit, fugam probante Cœlo etiam miraculis.

Tom. III. Feb. Ita fugit *S. Milburga* Virgo, quæ pudicitiæ ſuæ prædonem fugiens, ab ejus ungue ſervata etiam prodigio, amne aliàs vadoſo derepentè intumeſcente, & prædonem illum ſiſtente; adeò ea fuga grata Superis, adeò pudicitiæ retinendæ opportuna.

Sed hæc, inquies, in fœmineo, mollique ſexu, qui cùm non ſit reſiſtendo, in fuga & ſibi, & caſtimoniæ præſidium ponit, atque invenit: non eadem ratio in virili, maſculoque pectore, huic fortè quis fugam volet eſſe indecoram, volet pedem pedi jungi, & manum manui, & vim pudori injectam etiam vi repelli, non imbelli vitari fuga. Certè non volet, ſi hoc pugnæ genus attendas, ſi victoriam in ancipiti, ſi periculum propè in oculis: Et verò neque voluerunt Divi Patres, atque in hoc prælio exercitati, & veterani Duces. Fugerunt illi etiam à fœmina impetiti vel oculo, vel verbo, vel manu.

Ita fugit S. Eleutherius, Epiſcopus Tornacenſis, & Nerviorum Apoſtolus, ac Patronus: de hoc ita Guibertus, & manuſcriptum Tornacenſe.

Veſana quædam Tribuni Scaldinenſis filia, opportunitatem nacta ſolitudinis, verecundiæ tollens ſignaculum, irruit in ſecretum locum, interrupitque S. Præſulis cum Deo colloquium. Pro pudor! fatetur affectum, petit concubitum, turbat in Pontifice pectoris ſabbatiſmum. Sed ecce alter Joſeph, qui relicto pallio fugit, foras erumpit, relinquens fœminæ veſtem, ne relinqueret caſtitatem, at illa pallio malè tecta, Cœlo vindice mox infelicem expuit animam, quam inferis dediſſet, niſi eam in corpus, etiam è ſepulchro revocaſſet pius Præſul, miſertus ſcilicet & illius animulæ, & mœſti parentis, quem deinde etiam Chriſtianæ fidei addidit, uti & ejus filiam jam ſibi, & vitæ redditam, cui poſtea in baptiſmo *Blanda* nomen obtigit, nempe hoc ei impoſitum à *Blanda* S. Eleutherii Matre, quæ eam de baptiſmi fonte ſuſceperat. Et hæc eſt *Blanda*, quæ Blandinii nomen, & famam fecit, ibique requievit.

Sed ne longius, videamus qui etiam ex hac pugna fugerint alii, & quidem aliàs invicti pugiles.

Ita (ut redeam ad prima ſæcula) fugit *Ioſeph*: cùm enim à Domina audiſſet pudendum illud, *Dormi*

Gen. c. 39. v. 12. *mecum, relicto in manus ejus pallio fugit*: Joſeph, inquit Auguſtinus, *ut impudicam Dominam poſſet evadere, fugit*.

Ex qua illius fuga id conficit in Chriſtiana Logica probè Doctus. *Ergo contra libidinis impetum ap-*

Serm. 250. de Temp. *prehende fugam, ſi vis obtinere victoriam, nec tibi verecundum ſit fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere.*

Ad fugam illam, de qua in præſentia, ſpectat etiam fuga earum occaſionum, quæ irritandæ libidini ſerviunt.

S. Antoninus 4 parte tit. 13. §. 2. Cùm è fratribus unus aliquis ſocium accuſaſſet ſuum vel ex eo, quod mulieris manum tetigiſſet, illeque excuſaret ſeſe operoſiùs, vel inde quod mulier eſſet probatæ ſanctitatis. *B. Iordanus*, qui fortè tum aderat, reſpondit terra bona eſt, & aqua etiam bona eſt, & tamen ex utraque ſimul conjuncta, fit lutum, quod turpe eſt.

Mitto cætera, quia remedium illud eſt in aperto, & omnium propè ſæculorum luce. Addo alia ab Heroibus Chriſtianis uſurpari ſolita, non ſine laude, & amabili ſtupore.

II. A conſideratione ignis æterni. Ex iis quædam in pia meditatione poſita, alia in duriore quadam corporis exercitatione. *S. Tillo Paulus* in Gallia Monachus, qui & veneris ignes, & carnis inſurgentis æſtus extinguere ſolebat conſideratione inferni, & in eo æterni incendii. Ex illo

Tom. I. 7. Ian. Iſaiæ: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* *C. 33. v. 14.*

Sic enim ſeipſe compellabat, ſic ſecum loquebatur vir Dei, & ignem igne alio vincebat, ſui etiam victor. Sed hoc remedium, ut dixi, in cogitatione,

III. Ab ipſo igne atque aduſtione. & pia commentatione ſtitit: quod ſubjicio in ipſo igne, & acuta aduſtione. In S. Martiniani Eremicolæ cellulam invidus dæmon induxerat meretriculam, ſpecie quidam pietatis, ne à feris devoraretur illa, re autem ipſa malo dolo, invidiaque, & conſilio quàm peſſimo, ut illa, ceu fera peſſima, in virum Dei manus injiceret; imò & venereos cupidinis ignes: & verò injecit, atque conſenſum extorſit in prohibitos amplexus, in quos dubio procul veniſſet, niſi benigniore aliqua cœleſtis auræ portio in animum veniſſet. *Ea Martiniano* id ſuggeſſit conſilii.

Luculentum extrueret ignem, atque in eum projiceret ſeſe, totumque immergeret: ſicque ignem domaret igne.

Paruit Cœlo benè monenti, benè ſuadenti. In flammas inſiliit, in iis ſtetit medius, & fœdè uſtulari ſe paſſus eſt, tum verò, quaſi dolore, grandique aduſtione victus è flamma exſiliit: tum & ſic cum ſeipſo loqui cœpit.

Quid eſt Martiniane? rectène te excepit ignis ille? age porrò, & ſuſtine ut urat, adurat, & penitus exurat hic ignis. Sic enim teipſe parabis incendiis ſempiternis, ſic & tui facies experimentum: erunt hæc veluti præludia ſcenæ longioris, atque æternæ, quam exiges in Inferni æternis ignibus, erunt & doloris præludia. Age & ſuſtine, & ſi ſuſtinere potes, mulierculam illam adi: cum illa conveni, & jungere, per hanc enim tibi extruitur ignis æternus. *Tom. 2. Febr. die 13.*

Dixit, & igni ſe rurſum reddidit, flammis utique uſtulandus totus: & certè uſtulatus; nec enim iis exiit niſi fœdum in modum toto corpore aduſtus: & ita ſui experimentum fecit vir Dei, & ſimul meretriculæ illi documentum dedit: imò & remedium adverſus ea malæ cupidinis incendia.

Remedium excepit illa, indoluit, vitamque mutavit in melius, & alio prorſus, id eſt Cœleſti exarſit igne, ſuadenteque *S. Martiniano* Hieroſolymam primò, dein in Bethleem venit, ubi à *S. Paula*, quæ eò loci nobile Aſceterium extruxerat, in illud admiſſa, reliquum tranſegit vitæ in arctiore diſciplina, corpuſculi maceratione, ſeveraque pœnitentia, à qua miros in virtute progreſſus fecit, & mortem ſanctiorem invenit, miraculis & in vita, & in morte inclaruit: adeo profuit illi id remedium à *D. Martiniano* ſub oculos poſiti; qui eo lætus, & facti ſui pœnitens, ut illud elueret nautam convenit, qui ſe deportaret in rupem ſitam in medio mari: deportavit enimverò, & ſtatis anni temporibus rediit, panem, & aquam ſervo Dei afferens, quo vitam ſuſtentaret. Stetit autem in ea rupe, & quidem ſub nudo Jove, ad annos, in quibus ſe tutum credidit à mali dæmonis inſidiis, nec tamen omninò tutus: excitavit hic in oceano gravem tempeſtatem, è qua alliſa ad rupem navi, dum reliqui merguntur aquis, puella unica, arrepta fortè tabula, ad rupem appulit, ex eaque pendula ad virum Dei inclamavit, manum ut porrigeret. Fecit ille, manum porrexit, traxitque ad ſumma rupis, dein ſublatis in Cœlum oculis, quæſivit, quid conſilii, quid & remedii, contra oblatas ſibi rurſum peccandi illecebras, tum ad Virginem converſus

ſic

ſic ad illam; *Non benè convehit igni, & palea: ego ignis, tu palea, dividamur eſt neceſſe.*

IV. Ab aquis & maris elemento.

Dixit, & Crucis ſigno ſe muniens in mare dejecit, & corpus, & vitam infido committens elemento, & hoc quidem ne animum committeret periculo. Ecce quid remedii adinvenit ſagax amor, & ſtudium retinendæ caſtitatis.

Factum probarunt Superi, probavit & Deus, atque ex imo maris elemento, delphinos duos emiſit in ſummas aquas, qui *Martinianum* tergis exciperent, atque in littus deportarent: quod & factum, & factum benè: ſicque *Martinianus* in tuto poſitus, quod vitæ ſuperfuit peregrinando inſumpſit: & tandem Athenis ſanctè obiit, & ſui victor, & mali genii; pugil Chriſti, Athleta caſtitatis.

Habes Amice Lector, tuendæ pudicitiæ remedium ab aquis petitum, & probatum etiam miraculo, quo tamen nec uti te velim, niſi altior aliquis à Cœlo appellat impulſus; aliud accipe, quo uſi ſunt alii, & quo uti & ipſe potes.

B. Guilielmus de Oliva Presbyter, cùm in ſe non ſemel ſenſiſſet accendi, ardereque cupidinis ignes, ſeipſe in prætersfluentem rivulum collo tenus immergebat, & quidem acerba hyeme, acrique gelu, & eo uſque dum deferveret, & penitus extingueretur ille impuri amoris æſtus: tum enim ſeſe reddebat orationi, atque ab hujus ardore, etiam madidas veſtes exſiccabat: doctus à Cœlo ignem aqua vincere, & calorem frigore domare. Ita nimirum contraria vincuntur contrariis, & elementari frigore depellitur ardor inſanæ libidinis. Uti & depulſus in *S. Ulrico* Eremitæ Presbytero.

Tom. II. 10. Febr. c. 4.

Tom. III. 20. Feb.

Hic ut primas impuri amoris ſcintillas perſentiebat, etiam nocte perfrigida nudum ſe abjiciebat in vas aquæ glacialis, ibique pſalterium integrum decurrebat, nec exibat, niſi edomito penitus impudicæ veneris igne, & ſopito extinctoque omni cupidinis ardore. Sic ignem aqua, ſic calorem frigore ſuperare edocti à Superis Sancti.

Quod ſi tibi, Benevole Lector, non is eſt animus, nec ea illius vis pro remedio: aliud ſuggero, quod mitius, quod & levius: & quod ipſi quoque uſurparunt Sancti caſtitatis amantiores, quos inter *B. Petrus Damianus*, Epiſcopus, & Cardinalis Oſtienſis. Hic calente juventa, cùm ſtimulis carnalibus acrius urgeretur: primùm cilicio tenella membra affligebat, quod ſi eo victus non ſe remitteret ardor, mediis noctibus è ſtrato ſurgens in fluviales aquas ſeſe immittebat, tamdiuque manebat nudo corpore, donec algentia membra rigerent nativo recedente calore: Hoc ſecundum imitari ſi piget: at primum uſurpare non pigeat; etiam dolore quali quali, & cilicii puncturis atteritur, & frangitur ardor juventæ, & molliculæ veneris ignes extinguuntur: quod ſi non extinguantur penitus ad ciliciam veſtem, adde cubationem in nuda humo, & cinere; eam certè adhibendam eſſe cenſuit *S. Guilielmus Eremita*, etſi degeret in avia ſolitudine, ab omni hominum congreſſu remotus, Deoque vicinus, ſic tamen ſopiebat excitatos ſubinde veneris igniculos: quod ſi ea lectuli durities, non ſit ſatis ad carnem edomandam, adhibe jejunium. Sic adhibebat ille ipſe *S. Guilielmus*, qui tribus hebdomadæ diebus, exiguo pulmento & vino reficiebatur, cæteris autem pane & aqua victitabat.

23. Febr.

10. Febr.

VI. Jejunio.

Sic & *D. Antonius*, nomine, & re etiam ipſa *Magnus*. In eum, ceu Athletam Chriſti fortiſſimum, incurrebat invidus dæmon, & modò Phantaſiæ ingerebat putidæ veneris imagines, modò ſenſus pertentabat, & carnem titillabat libidinis ardore, modò ſeſe objiciebat oculis aſſumpta etiam ad eam ſcenam formoſæ Virginis ſpecie, modò ſimulacro quodam terribili, ac ſpiritu fornicationis, denique nihil non moliebatur, quo caſtum adoleſcentis animum debellaret. Quid hic interim? Ad vigilias, ad jejunia confugit, & his & illis carnem macerat, extenuat, frangitque, ut dum vix vivere, vix reſpirare licet, non liceat fornicari.

Et certè qui liceret? jejuno & famelico luxurioſum eſſe non licet: ut enim D. Auguſtinus. *Fames amica virginitatis eſt, inimica laſcivia:* uti è contrario. *Saturitas caſtitatem prodit, nutrit illecebram.* Quod ipſum etiam ſuis fabularum involucris adumbravit Antiquitas: Finxit enim *Circe*, homines multis epulis ſaginatos in ſues transformaſſe; Ulyſſem autem ab epulis abſtinentem transformare minimè potuiſſe.

Serm. 77. de tempore.

Fabella eſt, & ingenioſum commentum, quo tamen docemur ab ingluvie homines mutari in porcos, in ſues, non corpore, ſed animo; non forma, ſed luxuriæ vitio, à quo etiam demergitur in Cloacam, in voraginem: ut enim ſcitè D. Bernardus. *Gula eſt libidinis illecebroſa vorago.*

Ser. de conversione ad clericos, c. 12.

Ne hac voraretur *Antonius*, gulam imprimis edomuit, eâque probè domitâ etiam ſpiritum luxuriæ expulit, nec ab illo verti potuit, uti guloſi, in ſues, in porcos; ſed potius à jejunio in Angelum, non quidem ſpecie; ſed virtute, ſed imitatione: quod ipſum & feceris, Amice Lector, ſi cum illo ſapis. Quod ſi tamen non feras perenne jejunium, uti plerique è Sanctis: age, abſtine, jejuna in vigiliis feſtorum B. Virginis: uti quondam fecit *B. Margareta Hungarica*, jejuna in Sabbatho, & hoc in honorem Divæ Matris; ut illa tibi adſit in ea, quæ erit cum carne lucta: ita jejunavit *B. Walterus de Birbeke*, & quidem pane contentus & aqua: quod & probavit Dei Mater, & Virginum Virgo etiam miraculo, cùm enim ei à famulo præberetur aquæ potus, ſenſit illicò aquam in vinum verſam; ſed vinum germinans Virgines.

22. Januar. in ejus vita c. 2.

Quod ſi nec ea eſurie edomari poſſit ille ſpiritus, agedum alia tibi arma ſume, quibus Deo, Cœloque milites, quibus vincas, & triumphes. Ea tibi in manus dabit *B. Henricus Suſo*, in pudicitiæ caſtris veteranus miles, & dux in paucis exercitatus. Quid ille? ut carnem ſubjiceret animo, ſic eam cenſuit eſſe coërcendam. Primùm aſperiore cilicio, dein catena ferrea, tum ſubligaculo, in quo ligamina quædam, quibus infixæ erant acus aſperæ centum ſupra quinquaginta, eædemque æreæ, & lima exacutæ quarum acumina ad carnem converſa; tum collo admovit annulos ex duriore corio, tum manibus chirothecas clavictulis aſperas inſeruit, ut iis noctu, diuque pungeretur, tum in dorſo inter ſcapulas crucem extendit rigentem, atque horridam clavis triginta, ut dum illi incumberet, iis laceraretur, cruentareturque totus, tum eadem cruce acubus inſuper armata, ſeſe flagellare.

VII. A duriore carnis maceratione.

Tom. II. 25. Ian.

Et hæc illi in corpus erat ſævitia, non alio conſilio uſurpata, quàm ut corpus ſpiritui ſubjugaret, & ſpiritum Deo.

Quid tibi nunc animi? quid conſilii, Benevole Lector? video ſtupes, expaleſcis, horreſque totus ad eam corpuſculi lanienam; nec ad parem tibi eſt animus: nec ego in eam te duci velim, ſed mitius, & mollius tecum agi: modò tamen ſubinde etiam durius; maximè verò cùm recalcitrat caro, cùm ſtimulos excitat, cùm & ignes impuri amoris, tum etiam admovenda cilicina veſtis, quâ maceretur caro, tum expedienda flagella, quibus vapulet corpus, ceu aſinus, ceu vile jumentum.

Neque mihi dixeris aſperum illud, durum, immite: non inficior: ſed non edomatur caro niſi aſperis, & duris: nec obtinetur de carne, ceu domeſtico hoſte, victoria, ſine pugna: nec pugna ſine ſanguine, nec denique ſine his obtinetur virtus, & caſtitas.

Notum enim illud, & longè veriſſimum Tertulliani: *Virtus duritie extruitur, mollitie deſtruitur.*

Quod

Quod ſi virtus omnis, certè & illibata caſtitas, & virgineus ab illa nitor.

Ep. 82. ad Lucil.

Dixit aliquando Seneca, & propè Chriſtianè: *Malo mihi eſſe malo, quàm molliter.*

Plus enim à mollitie in animum importatur mali, quàm à duritie, plus à blanditiis, quàm à ſeveriore exercitatione, ensisque inde moleſtiis.

Addo pro Coronide, & aliud illis affine remedium, quod eſt ejuſmodi, ut ſi quæ corporis membra in eo genere deliquerint, eadem & pœnam ſentiant: quod & exemplo ſuo docuit S. Leo Pont. Max. Huic aliquando vidua, manum erat exoſculata, vel reverentiæ causâ, vel devotionis. Ex hoc porrò oſculo ſenſit S. Pontifex in ſe accendi, excitarique libidinis æſtus, & carnis titillationes: nec has impunè tulit, nec illos: ſed altiore quodam æſtu, acloque caſtitatis incenſus, manum ſcandaliſantem illicò abſcidit; quam tamen Dei Mater, cui ſe commendarat etiam miraculo reſtituit. Quod factum magni Pontificis mirari poſſumus, imitari non item, niſi cœleſtia aliquis impetus eò impulerit.

S. Antoninus 4. parte tit. 15. capitulo 3. §. 2.

TRACTATUS QUARTUS
DE IRA.

Ira animi paſſio. & quidem indifferens.

IRA inter omnes animi paſſiones eſt facilè princeps, ſuos habet impetus, eoſque vehementiores, ſeu in bonum, ſeu etiam in malum, ad hoc enim, & illud eſt indifferens, ideoque plurimùm intereſt, quî regatur. Si benè, & ex rationis præſcripto, virtus eſt; ſin autem malè, & contra rectæ rationis leges, ac placita, vitium eſt.

Naturæ eſt inſita atque apprimè utilis ad ardua facta, atque ad ſui conſervationem: eſt enim data ad repulſionem malorum, atque nocentium, ne ſcilicet natura in ea re ſit torpida & languida; itaque eum locum obtinet in homine, quem miles in republica, ideoque à *Nemeſio* pulchrè dicitur *Satellitium rationis*, quia rationem ſtipare ſolet, ac cingere ut Regem Satelles; ut ſcilicet nocentes arceat, ac propulſet, & hoc quidem innata ſibi vi, ac robore. Quod ut efferrent Peripatetici; iracundiam appellabant *Cotem fortitudinis*, ex eo, quòd fortitudinis aciem quaſi retuſam, acueret, ea, qua valebat, vi atque niſu; vel in hoſtem, vel in improbum civem ſemper expedita, ſemper acutâ.

L. de natura hominis c. 21

De illa ſit ſumpta, hîc non agimus: vel enim Virtus eſt, vel affinis Virtuti, vel certè nuda paſſio, nec bona, nec mala. Sed de illa quæſtionem inſtituemus, prout vitium eſt, & à rationis præſcripto alienum. Sit igitur

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Grave eſt ſaxum, & oneroſa arena: & ira ſtulti utroque gravior.* Proverb. c. 27. v. 3.

GRave eſt ſaxum, quod humeris incumbit, & oneroſa arena, quæ capiti: at ira ſtulti utroque gravior, primò, quia tum ſaxum, tum arena corpus aggravat, ac premit: at ira hominis ſtulti mentem deprimit, ac degravat; ideoque illa gravior; ſecundò, quia tam ſaxum, quàm arena dorſo impoſita, deponi poteſt, excuti poteſt; ſed ira hominis ſtulti, minimè; niſi vis altior acceſſerit, vis utique divina, vis & gratiæ, & hoc, quia ſtultus iram pro ratione habet, & credit juſtè ſe iraſci, ideoque niſi cœleſte quoddam lumen ad animum appulerit, decuti ira illius non poterit.

At cur ira componitur cum ſaxo? Cur & cum arena? Reſpondet Dionyſius: ſi ira gravior ſit, & peccatum mortale, eſt adinſtar ſaxi, & lapidis molaris, qui animo incumbit; ſin autem & levior, & frequens, & multiplicata eſt quaſi arena, quæ tamen, & ipſa onus eſt. Et hæc pro explicanda mente ſapientis, quæ illâ ſimilitudine quaſi erat involuta; ad rem propiùs accedamus.

§. I.

Quid ſit Ira?

GAleno medicorum principi. *Ira eſt fervor caloris, qui circa cor eſt.*

Hæc definitio ſumpta eſt, ex eo quod ut plurimum in iracundiæ motu evenit: Anima enim ad functiones ſuas in corpore duobus potiſſimum inſtrumentis utitur, ſpiritu, & ſanguine, & utriuſque calore; quorum motiones potiſſimum notantur in duabus paſſionibus, *Timore*, & *Ira*, cum hoc, tamen diſcriminè, quod in *Timore*, ſpiritus, & ſanguis, intra cor quaſi ſuum in fontem reducantur, & contrahantur; quo fit ut partes in ſuperficie poſitæ, frigidæ maneant, & ſuo calore deſtitutæ. In *Ira* verò effundantur, atque incaleſcant.

I. Ira eſt fervor caloris circa cor.

Eſt igitur *Ira*, quidam ardor, & motus animoſæ facultatis, in quo primùm accenditur ſanguis, & ſpiritus, deinde effunduntur, & totum corpus inflammant, & eò quidem, ut ſæpiùs febres gignant, æſtuſque morborum. Denique excitatur ab his in animo motus quidam, & paſſio quæ *Ira* dicitur.

Ariſtoteli. *Ira eſt accenſio ſanguinis circa cor*: conſpirat ex definitio cum illa, quæ eſt Galeni.

Lib. 1. de Anima.

Alia eſt Hugonis de S. Victore, cui *Ira eſt perturbatio mentis.* Ira enim rationem excæcat, & offuſcato bonæ mentis oculo, eam ſuſque, deque vertit, inſanoque impetu abripit, etiam ad infanda quæque.

II. Perturbatio mentis.

Tullio, Oratorum Principi. *Ira eſt libido puniendi ejus, qui videtur læſiſſe injuriâ.*

Libido, inquam, hoc eſt motus appetitus ſenſitivi, ejus maximè, qui prætergreſſus limites rationis, modum excedit. Et hic propriæ paſſionis nomen retinet.

III. Libido puniendi.

D. Thomæ, Angelico Doctori, *Ira eſt exceſſus*, à quo quiſquis abduci ſe permiſerit, modum neſcit, ignorat limites rationis; & juſti, æquique retinens eſſe non poteſt.

IV. Exceſſus.

Et hæc paucis pro iræ definitione, plura dabunt illius metaphoricæ deſcriptiones, ex quibus & illius effectus ponentur in aperto.

Deſcriptiones Iræ.

Ira Romano Oratori, morbus eſt animi; & *Iracundi* antonomaſticè, dicuntur *morboſi*: ſic enim eos appellandos eſſe cenſuit ſapiens Antiquitas; excipe tibi id vel ipſis Tullii verbis. Ita enim inquiebat olim.

I. Morbus animi.

Benè igitur noſtri, cùm omnia eſſent in morbo vitia, quod nullum erat, iracundia fœdius, iracundos ſolos morboſos nominarunt.

4 Tuſcul. QQ.

D. Chryſologo, aureo ſanè Oratori. *Ira phreneſis eſt*, & iracundus quiſquis eſt, eſt & phreneticus, quod ut ponat in clara luce, in eadem ponit, & nativam aliquam irati hominis imaginem. Juvat illam intueri: ſic calamo, ceu penicillo, depinxit.

II. Phreneſis.

Nonne quoties miſeram hominem cholera inflammaverit incendium, & dominante febre veſanum reddiderit

 ægrotan-

Serm. 38. *ægrotantem, turbatur ſenſus, mens deperit, feritas accedit, recedit humanitas, & ne multa, moriente homine furor vivit.*

Hinc eſt quod frendet dentibus, parentes laniat, ſcindit proximos, cedit pugno, mœſtu agit atque afficit obſequentes. Ubi hæc de Phrenetico illo protulit, tum de medico non pauca: ſic enim inquit.

Tunc medicus ad virtutis laudem, ad artis gloriam, ad famæ cumulum, armatur patientia, tolerantiam ſumit, injurias deſpicit, morſus ſuſtinet, fert labores, & non leves pœnas patitur, ut à pœna liberet laborantem, fovet ulcera, inſiſtit curis, erogat medicinã, certus quòd mercedem laborum, obſequium repẽſet ægrotus, dum receperit ſanitatem.

Poſtquàm iſta de phrenetico, iſta & de illius medico: tum ad iræ phreneſim, & iratum phreneticum delabitur, & quid ab hoc, quid ab illa emanet vitii, ac furoris, oſtendit.

Rogo, inquit, *quæ major phreneſis? quæ gravior vis furoris? quæ par dementia? ſancti hominis percutere maxillam? manſueti fratris faciem verberare? placidi vultus gratiam triſti livore perfundere? nudare hominem ſuis actibus occupatum? Et alienam pœnam ſuum ſolatium facere?*

Hæc ubi dixit de ira, ceu phreneſi, tum ſeriò monet, & conficit iſtud.

Ergo, fratres, ſi tales perpetrantes graviſſima phreneſi laborare cognovimus, obediamus Chriſto, & furentium fratrum morſus, verbera, onera, tota virtute pietate portemus, ut & fratres noſtros liberemus à pœna, & nos æternum patientiæ præmium conſequamur.

III. Morbus, & is ſævus. Huic Iræ deſcriptioni affinis eſt illa, quam dedit Iſidorus Peluſiota, *cui ira ſævus eſt & tyrannicus morbus*; morbus quidem, quia peſſima mentis affectio, quia ſæva, quia tyrannica: quem enim occupavit iracundia vehemens, aut ardor, aut dolor, is quaſi extra ſe poſitus, & vix ſui dominus, in ſe ſævit, & in alios, & ubique tyrannidem exercet, adeoque ab illa eſt inuſitata animi perturbatio, violenta potentia, tyrannis efferа; imò & furor inſanus, cui dum ingemiſcit D. Chryſoſtomus. Iram vocavit *tyrannicum, & violentum affectum.*

IV. Tyrannicus & violentus affectus.

Serm. 2. de diverſis. *Tyrannicum* enimverò, quia ſine lege, ſine modo adinſtar tyranni, omnes impetit, omnes quà poteſt perdit. *Violentum* autem, quia adinſtar torrentis, ſeſe diffundit, & obvia quæque perrumpit, abripit, ſternit.

V. Furor. Ariſtoteles, naturæ indagator accuratus & perſpicax, Iram eſſe dixit *furorem*: concinit & Poëta Lyricus, cui *Ira furor brevis eſt.*

Lib. 7. Eth. c. 5. Iræ, inquiebat, Philoſophus, & rerum venerearum cupiditates, & nonnullæ hujuſmodi aliæ perturbationes, perſpicuè corpus ipſum immutant, & pleriſque hominibus etiam furores immittunt: atque ab his etiam inſaniam.

VI. Inſaniæ principium. Certè Ennius inter antiquos nominatiſſimus, Iram cenſuit, *inſaniæ principium eſſe*, & Amalius, *turpem, atque indecoram inſaniam*: in quam opinionem etiam ratione duce venerunt Poëtæ veteres, qui pronuntiarunt & iſtud, tres eſſe furias, quæ mentes hominum exagitarent, atque in tranſverſum agerent. Videlicet *Iram, Cupiditatem, & libidinem.*

Ira ultionem deſiderat, cupiditas opes, libido voluptates: atque & his & illis in furias agit, atque ab his in omnia facinora aufert præcipites: & hinc Pſal. 36. jure meritiſſimo D. Ambroſius *Iram* nuncupavit, *gravem peccati magiſtram.*

VII. Peccati magiſtra. Ita nimirum ſcholam aperit ira, & in ea veluti magiſtra præſidet, docetque velut è pulpito vitia omnia; inimicitias graves, inveteratas odia, cruentas cædes, direptiones, incendia, ſtrages. Excipe illas Ambroſiana eloquentia; ſic enim iram inducit velut in theatrum, quæ concitata oratione, omnem turbulentarum affectionum manum, ceu totidem acies educit, dum ſic perorat.

Vindica injuriam tuam, virum te eſſe cognoſce, fœminea infirmitatis eſt non capere vindictam. in Pſal. 36.

Ergo contemnere te debuit ſervus? Frater decipere? amicus illudere? Et tu adhuc tuam non ulciſceris contumeliam? Proſcribas neceſſe eſt: gladio oportet inſurgas, & dolorem tuum, adverſarii morte ſolvas: vir fuit ille, qui ſuum occidit inimicum: meritò prædicatur qui ita ſe vindicavit, ut alius irrogare ei non auderet injuriam.

Hæc apud Ambroſium ira ad diſcipulos ſuos, ceu peſſima *peccati magiſtra*, à qua imprimis odium, emanat, ceu inauſpicata ipſius ſoboles: certè ſic eam appellandam eſſe cenſuit Salvianus, dum extulit illud.

VIII. Mater odii. L. 2. de Gub. *Ira mater eſt odii.* excitat enim, fovet ac nutrit odia, & ſi quæ adhuc in animo erat Chriſtianæ caritatis ſcintilla, eam penitus extinguit, atque in animum, ceu malè uſurpatum hoſpitium, ipſas quodammodo inferni furias inducit: imò & ipſum dæmonem, niſi malis iram ipſam dæmonem eſſe, & quidem voluntarium; & talem eſſe credidit, talem & dixit D. Chryſoſtomus.

Serm. 46 de diverſis. *Ira*, inquit, *voluntarius dæmon eſt, inſania ſpontanea, mentis defectio: Et qui iraſcitur, diaboli ludibrium eſt, dæmonum officina, & nequitiæ illorum dignus miniſter.* Quid amplius dici poſſit, quid excogitari, non video. Si neceſſitate aliqua dæmon eſſet, aut externa vi, fortè venia danda foret, certè commiſeratio impendenda: at voluntate dæmonem videri & eſſe velle, ſummum propè malorum eſt; ſummum & illud *diaboli ludibrium eſſe, & dæmonum officinam*, in qua, in homines, in Cœlos, in Angelos in Sanctos, in Deum ipſum cudantur tela: tela quidem in homines per odia, per convitia, per cædes, per rapinas, per incendia: in Angelos, & Sanctos, Deumque ipſum, per blaſphemas voces, per execranda ſuperis juramenta: nec contenta verbis ira, manus adhibet ad nocendum. Itaque à quibuſdam fit pugnis pugna, & lacertis concertationes, ſtringuntur gladii, & lucente ferro geſtiunt in ſe incurrere, ac ſævire. Non homines iratos diceres; ſed furias; ſed dæmones ex imo Erebi in mortales auras emiſſos.

IX. Dæmon voluntarius.

§. 2.

Remedia opportuna adverſus impetus iræ inſolentioris.

PAuca producam, tum è prophanis, tum è ſacris Authoribus petita, ut ab his, & illis ſua ſit authoritas, ſuum & tanto malo remedium.

Rex *Cotys* cùm natura eſſet iracundior, & aſper caſtigator eorum, qui in miniſteriis fortè deliquiſſent, vaſa figuli, tenuia quidem & fragilia; ſed exlaturis quibuſdam, & ſculpturis politè, & eleganter elaborata, ſibi ab hoſpite allata, cum datis donis eſſet hoſpitem remuneratus, ſimul ea omnia confregit, ne in eos (inquit) qui ea fregiſſent, excandeſceret, atque aſperius animadverteret. Ita nimirum ſibi cavendum eſſe duxit: cùm enim innatæ quodammodo inclinationis conſcius eſſet, noſſetque iram ignem eſſe, aut igni perſimilem, materiam illi ſubtrahendam eſſe putavit, ne ut ignis ſtuppam viciniorem invadit illicò, incenditque; ſic & ira animum occuparet, atque accenderet, ſi materia illi propiùs admoveretur. Quæ illi cura fuit; eadem & monacho, cujus meminit Surius in vita *S. Euthymii* Abbatis. Hic vitandæ iræ cauſa è monaſterio ſeſe ſubduxit, abiitque longius in ſolitudinem, veritus ne in monachorum cœtu eſſet fortè unus aliquis, qui iracundiæ anſam ſubminiſtraret: ſic enim ipſe ſecum. Agendum in monaſterio cùm pluribus, convivendum & pluribus, quibus ſua eſt complexionis, & humorum inter ſe pugna: hic enim melancholicus, & ſubtriſtis; ille ſanguineus & hilaris;

I. Tollenda occaſio iræ.

Plutarchus in Apopth.

Tom. 8.

alter

alter pituitoſus totus, & frigidus: alius iracundus, atque igneus: qui toleretur hic, qui & iſti: certè longè difficillimum, & ſine aliquo irarum æſtu propè adynaton: in avia ſolitudine, ſolus ero, ſocius nemo, collega nemo, nemo quem patiar præter me: mihi, ut iraſcar, qui fiet?

II. Iræ injicienda aliqua mora. Hæc ille ſecum loqui, nec omninò malè; at invidus malus dæmon: à quo & inductus, & fracto per iram poculo deriſus, & probè doctus etiam inviæ ſolitudini pervios eſſe irarum motus, niſi eos etiam alio obice ſtiteris: erit hic injecta mora, & quædam veluti cunctatio: ut enim diſertè Seneca. *Maximum remedium eſt iræ mora: nec ab illa pete initio ut ignoſcat; ſed ut judicet: deſinet, ſi expectat: nec univerſam illam tentaveris tollere: graves habet impetus primos: tota vincetur, dum partibus carpitur.* Lib. 2. de Ira c. 28. Hactenus Seneca, quo judice, ira cunctatione, aut leneſcit, aut frangitur. *Mora* quippe *iræ mitigatio eſt*, ut rectè Thucydides: cujus veritatis probè conſcii ſapientiſſimi quique, iræ moram injecere, ceu equo indomito frænum. Et ita injecit C. Auguſtus, de quo ita Sextus Aurelius victor: Cùm eum Philoſophus vidiſſet irâ facilè commoveri, ne aſperum aliquid ſtatueret, monuit, ut ubi iraſci cœpiſſet, quatuor ac viginti Alphabeti Græci literas memoriter recenſeret; ut interim illa concitatio (mente aliò traducta) parvi temporis interjectu, conquieſceret, nec abiret in aliquid, quàm par erat, aſperius. Quod Philoſophus Auguſto Cæſari, hoc deinde & Theodoſio D. Ambroſius. Ne ſcilicet aliquid iratior decerneret, ne ſtatueret quicquam, etiam in reos Baronius. ſupplicii, niſi prius quatuor & viginti Alphabeti literas decurriſſet, ratus ea cunctatione, quantulacumque, deferveſcere poſſe concitatos irarum æſtus, nec in aliquid injuſtius abire: ad hoc enim valet ea, quam dixi cunctatio, quâ & uſus olim Archytas Tarentinus, cujus & hoc in nocentem fuit illuſtre effatum.

Sumpſiſſem à te ſupplicium niſi iratus eſſem.

Eadem cunctatione uſus & Plato, cujus temperatam moderationem ex eo commendat Valerius Maximus, quòd à neſcio quo homuncione læſus, Speuſippo, amico ſuo, caſtigationis arbitrium tulerit ac mandarit, ratus ea cunctatione nihil immoderatius ſtatuendum, quia nihil iracundius, nihil cum ira præcipitii. Eadem & uſus Socrates, qui ſervo perperam aliquid agenti dixit: *Caderem te, niſi iraſcerer.*

Ita nimirum, ut ſcitè notavit Seneca, *admonitionem ſervi in tempus ſanius diſtulit, ille interim tempore* Lib. 1. de Ira c. 15. *ſe admonuit, nec auſus ſe iræ committere.* nec etiam audebis te committere, ſi ſapis, Amice Lector; ſed aliquid dabis temporis, aliquid & moræ; ut interim etiam aliquid tanto malo remedii, à quo ſi needum

IIII. Examinandæ irarum cauſæ. eſt ſatis, age, excute cauſas iræ, veræne, an falſæ, graves an leviuſculæ, ſolidæ an futiles, atque inanes, contra quas, inquit Seneca, *pugnare debemus.*

Cauſa autem iracondiæ, opinio injuriæ eſt; cui non facilè credendum eſt, nec apertis quidem manifeſtiſq; ſtatim accedendum eſt: quædam enim falſa veri ſpeciem ferunt: dandum ſemper eſt tempus: veritatem enim dies Lib. 2. de Ira c. 22. *aperit: ne ſint aures criminantibus faciles: Hoc humanæ naturæ vitium eſt ſuſpectum, notumq; nobis ſit, quod quæ inviti audimus, libenter credimus; & antequam judicemus, iraſcimur.*

Quid, quod non criminationibus tantum; ſed ſuſpicio- Cap. 23. *nibus impellimur, & ex vultu, riſuq; alieno, pejora interpretati, innocentibus iraſcimur.*

Itaq; agenda eſt contra ſe cauſa abſentis, & in ſuſpenſo ira retinenda.

Poteſt enim pœna dilata exigi, non poteſt exacta revocari.

Hæc ubi dixit Seneca, tum conficit illud: *tollenda ex animo ſuſpicio eſt, & cōjectura, fallaciſſima irritamēta.*

Et verò tollendam eſſe ſuſpicionem, uti fallaciſſimum iræ incitamentum, oſtendit exemplo Alexandri, *qui cùm legiſſet epiſtolam matris, quâ monebatur ut à veneno Philippi medici caveret, acceptam potionem non deterritus bibit, plus ſibi de amico ſuo credidit: Dignus fuit, qui innocentem haberet, dignus qui faceret: hoc eò magis in Alexandro laudo, quia nemo tam obnoxius iræ fuit.* Suprà.

Ubi iſta protulit pro ſuſpicione tollenda, quæ ſæpè ſæpiùs, vel iræ cauſa eſt, vel illius irritamentum, tum adjicit pro tollenda etiam conjectura, quæ altera iræ cauſa, alterum & irritamentum, cui ne fortè quis conniveat, producit, exemplum C. Cæſaris, *qui victoria civili clementiſſimè uſus eſt*: cùm enim ſarcinam *deprehendiſſet epiſtolarum ad Pompeium miſſarum ab iis, qui videbantur, aut in adverſis, aut in neutris fuiſſe partibus, combuſſit: quamvis enim moderatè ſoleret iraſci, maluit tamen non poſſe*: cujus rationem hanc reddit, *quia gratiſſimum putavit genus veniæ neſcire quod quiſque peccaſſet: plurimum mali credulitas fecit.*

Et hæc eſt tertia iræ cauſa, ad quam ex animo tollendam, ſimplicitate, inquit, opus eſt, & benigna rerum æſtimatione.

Nihil niſi, quod in oculos incurret, manifeſtumq; erit, credamus: & quoties ſuſpicio vana apparuerit, objurgemus credulitatem: hæc enim caſtigatio conſuetudinem efficiet non facilè credendi. Cap. 24.

Et hæc Seneca pro examinandis, tollendiſque irarum cauſis, velut opportuno remedio, cui addit, & alterum, excutiendum ſcilicet, quibus iraſcimur: de his ita Seneca. IV. Videndum quibus iraſcimur.

Iraſcimur aut his, à quibus nec accipere injuriam potuimus: aut his, à quibus accipere potuimus: Ex prioribus quædam ſine ſenſu ſunt, ut librum, quem minutioribus literis ſcriptum ſæpe projecimus, & mendoſum laceramus, ut veſtimenta, quæ quia diſplicebant ſcidimus his iraſci quàm ſtultum eſt, quæ iram noſtram nec meruerunt, nec ſentiunt: ſed nos offendunt videlicet, qui illa fecerunt: primùm ſæpè antequam hoc apud nos diſtinguamus, iraſcimur: deinde fortaſſe, ipſi quoque artifices excuſationes juſtas afferrent: alius non potuit melius facere, quàm fecit, nec ad tuam contumeliam parum didicit. Alius non in hoc, ut te offenderet, fecit. Ad ultimum, quid eſt dementius quam bilem in homines collectam in res effundere. Cap. 26.

Atque ut his iraſci dementis eſt, quæ anima carent: ſic & mutis animalibus, quia nulla eſt injuria niſi à conſilio profecta: nocere itaque nobis poſſunt, ut ferrum, aut lapis; injuriam quidem facere non poſſunt.

Hæc ubi dixit de iis, à quibus injuriam accipere non potuimus, vel quia ſenſu carent, vel quia conſilio; tum ſubjicit de aliis, à quibus injuriam accipere potuimus, & pro hiſce etiam opportuna iræ ſuggerit remedia.

Et quidem pro ea injuria quæ nobis à *pueris, & non multum à puerorum prudentia diſtantibus* inferri poteſt, hoc eſt remedii; *quod omnia iſta peccata apud æquum judicem prò innocentia habeant imprudentiam*: tum delabitur ad alia, & quidem primò ad Deos immortales (Chriſtianè ad Deum immortalem) qui nec vult obeſſe, nec poteſt: *natura enim illi mitis eſt, & placida, tam longè remota ab aliena injuria, quàm à ſua: dementes itaque, & ignari veritatis illis imputant ſævitiam maris, immodicos imbres, pertinaciam hyemis, cùm interim nihil horum, quæ nobis nocent, proſuntve ad nos propriè dirigatur.*

Non enim nos cauſa mundo ſumus, hyemem, æſtatemq; referendi; ſuas iſta leges habent, quibus divina exercentur: nimis nos ſuſpicimus ſi digni nobis videmur propter quos tanta moveantur: nihil ergo in noſtram injuriam fit; imò contra, nihil non ad ſalutem.

Hæc ubi protulit de ſummo Numine, tum deſcendit ad magiſtratus, ad parentes, ad præceptores & judices, quibus ſubinde perperam iraſcimur: vel

quia ab iis caſtigamur, & reprehendimur, & huic iræ impotentiori hoc affert remedium: quod eorum *caſtigatio ſic accipienda ſit quomodo ſcalpellum, & abſtinentia, & alia, quæ profutura torquent.*

Cap. 28. *Affecti ſumus pœna, ſuccurrat non tantum quid patiamur, ſed quid fecerimus, in conſilium de vita noſtra mittamur: ſi verum ipſi dicere nobis voluerimus, pluris litem noſtram æſtimabimus: ſi volumus æqui omnium rerum judices eſſe, hoc primùm nobis ſuadeamus, neminem noſtrum eſſe ſine culpa: hoc cogitantes, æqui erimus delinquentibus: utique nobis ne iraſcamur, cui enim non, ſi nobis quoque.*

V. An jure iraſcimur. Ab his tranſit ad iræ cauſas, atque ab his etiam illius petendum eſſe ducit remedium; quod eſt ejuſmodi, *quod lege mortalitatis patimur, quidquid incommodi accidit.*

At, inquies, *morbi doloreſque incurrunt*; & hinc etiam irarum origines, ac fontes, qui & areſcent illicò, ſi cogites utique aliquò *fugiendum eſſe domicilium putre ſortitis.*

Eſt mortale hoc corpus, veluti putre domicilium, quod ſortitur immortalis animus: qui inde effugiet? Certè non aliâ viâ, quàm per morbos, & dolores, ipſamque mortem, quibus proinde iraſci ſtulti eſt, ac dementis, congaudere verò ſapientis.

At dicetur, aliquis de te malè locutus: cogita an prior feceris, cogita de quàm multis loquaris: cogitemus, inquam, *alios non facere injuriam, ſed reponere: Alios pro nos facere, alios coactos facere, alios ignorantes, etiam eos, qui volentes, ſcienteſque faciunt ex injuria noſtra, non ipſam injuriam petere: aut dulcedine urbanitatis prolapſus eſt, aut fecit aliquid, non ut nobis obeſſet, ſed quia conſequi ipſe non poterat, niſi nos repuliſſet: ſæpè adulatio dum blanditur, offendit: quiſquis ad ſe retulerit, quoties ipſe in ſuſpicionem falſam inciderit, quàm multis officiis ſuis fortuna ſpeciem injuriæ induerit, quàm multos poſt odium amare cœperit, poterit non ſtatim iraſci: utique ſi ſibi tacitus ad ſingula quibus offenditur dixerit, hæc & ipſe commiſi*: ſed proh dolor pudorque! *aliena vitia in oculis habemus à tergo noſtra ſunt: magna pars hominum eſt, quæ non peccatis iraſcitur; ſed peccantibus: facient nos moderatiores reſpectus noſtri, ſi conſuluerimus nos, diximuſque apud nos taciti: nunquid & ipſi aliquid tale commiſimus? Nunquid ſic erravimus?* Certè ſi erravimus, nec tamen inde nobis iraſcimur, ut nec aliis iraſcamur, oportet.

VI. Quorum inſtinctu iraſcimur. Eſt & aliud iræ concitatæ remedium, ſi nimirum apud nos ipſi attendamus, à quibus, & unde hauſerimus ea, quæ iræ materiam, aut fomitem ſubminiſtrant. De his ita ſapiens Romanus, quo authore hic ferè utor.

Cap. 29. *Ex his, quæ nos offendunt, alia renuntiantur nobis, alia ipſi audimus, aut videmus: his quæ narrata ſunt, non debemus citò credere, multi mentiuntur ut decipiant; multi quia decepti ſunt: alius criminatione gratiam captat, & fingit injuriam, ut videatur doluiſſe factam: eſt aliquis malignus, & qui amicitias cohærentes diducere velit: eſt ſuſpicax, & qui ſpectare ludos cupiat, & ex longinquo tutoque ſpeculetur, quos commiſit: de parvula ſumma judicaturo tibi res ſine teſte non probaretur, teſtis ſine jurejurando non valeret, utrique parti dares advocationem, dares tempus, nec ſemel audires.*

Magis enim veritas elucet, quò ſæpiùs ad manum venit: amicum condemnas de præſentibus antequam audias, antequam interroges, ut illi injuria, illi antequam accuſatorem ſuum noſſe liceat, aut crimen, iraſceris: hic ipſe, qui ad te detulit deſinet dicere, ſi probare debuerit: non eſt, inquit, *quod me protrahas, ego productus negabo: alioqui nihil unquam tibi dicam: eodem tempore & inſtigat, & ipſe ſe certamini & pugnæ ſubtrahit: qui dicere tibi niſi clam non vult, penè non dicit: quid eſt iniquius quàm ſecretò credere, & palam iraſci? At illud facit, qui aliorum auribus, ac verbis, & fidem, & iram concedit.*

VII. Quibus & perſonis. *Sed*, inquies, *quorumdam ipſi teſtes ſumus, & in his profacilioræ iræ remedio naturam excutiemus, voluntatemque facientium.*

Puer eſt? Ætati donetur, neſcit an peccet. pater eſt? aut tantum profuit, ut illius jam injuria jus ſit.

Juſſus eſt? Neceſſitati quis, niſi iniquus ſuccenſet.

Læſus eſt? Non eſt injuria, pati, quod prior feceris.

Cap. 30. *Judex eſt, plus illius credas ſententiæ, quàm tuæ.*

Rex eſt? Si nocentem punit, cede juſtitiæ, ſi innocentem, cede fortunæ.

Mutum eſt animal, aut ſimile muto? Imitaris illud ſi iraſceris.

Morbus eſt, aut calamitas? Levius tranſiliet ſuſtinentem.

Deus eſt? Tam perdis operam cùm illi iraſceris, quàm cùm illum alteri precaris iratum.

Bonus vir eſt, qui injuriam fecit? Noli credere: malus? Noli mirari: dabit pœnas alteri, quas debet tibi; & jam ſibi dedit, qui peccavit.

Ex his, aliiſque, quæ in medium attulit Seneca Cap. 34.
conficit iſtud. *Ergo ira abſtinendum eſt*, ſivè par eſt, qui laceſſendus eſt, ſive ſuperior, ſive inferior. VIII. A perſona quæ iraſcatur. *Nam cum pare contendere, anceps eſt: cum ſuperiore furioſum, cum inferiore ſordidum: puſilli hominis, & miſeri eſt repetere mordentem, ut mures, & formicæ, ad quas, ſi manum admoveris, ora convertunt: imbecilla ſe lædi putant ſi tangantur.* Ejus puſillanimitate.

L. 3. de Ira c. 6. *Non eſt magnus animus, quem incurvat injuria: aut enim potentior te, aut imbecillior læſit: ſi imbecillior, parce illi; ſi potentior, tibi: nullum eſt argumentum magnitudinis certius, quam nihil poſſe, quo inſtigeris accidere: pars ſuperior mundi, & ordinatior, ac propinqua ſideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur, nec verſatur in turbinem: omni tumultu caret: inferiora fulminant.*

Eo modo ſublimis animus, quietus ſemper, & in ſtatione tranquilla collocatus, intra ſe premens, quibus ira contrahitur, modeſtus & venerabilis eſt, & compoſitus, quorum nihil invenies in irato; quis enim traditus dolori, & furens non primam rejecit verecundiam? Quis impetu turbidus, & in aliquem ruens, non quidquid in ſe verecundi habuit, abjecit? Quis ullam partem corporis tenuit: quis linguam temperavit? Quis ſe regere potuit? Nemo certè, nemo unus omnium? Cauſam ſi velis, ea eſt, quòd ira, quæ ſui impotens eſt, non arbitrio noſtro; ſed ſuo fertur: & hinc in animo turbata omnia, & in corpore etiam fœdata omnia: ut enim ille ipſe Seneca, de turpitudine, quam vel ipſi corpori imprimit ira. Ejus deformitate.

Non eſt ullius affectus facies turbatior: pulcherrima ora fœdavit, torvos vultus ex tranquilliſſimis reddidit: linquit decor omnis iratos; & ſive amictus illis compoſitus ſit ad legem, attrahet veſtem, omnemque curam ſui effundet: ſi capillorum natura vel arte jacentium, non informis eſt habitus, cùm animo inhorreſcunt, tumeſcunt venæ, concutitur crebro ſpiritu pectus, rabida vocis eruptio colla diſtendit: tunc artus trepidi, inquietæque manus, totius corporis fluctuatio.

Ubi hanc corporis imaginem ſub oculos poſuit; tum quærit, quæ qualiſve ſit animi, & ait.

Qualem intra putas eſſe animum, cujus extra imago tam fœda eſt? Quanto illi intra pectus terribilior vultus, acrior ſpiritus eſt, intenſior impetus, rupturus ſe niſi eruperit: quales ſunt hoſtium, vel ferarum cæde madentium, aut ad cædem euntium, aſpectus; qualia Poetæ inferna monſtra finxere ſuccincta ſerpentibus, & igneo flatu, quales ad bella excitanda, diſcordiamque in populos dividendam, pacemque lacerandam, teterrimæ inferum exeunt furiæ, talem nobis iram figuremus, flammâ lumina ardentia, ſibilo, mugituque, & gemitu, & ſtridore, & ſi qua his inviſior vox eſt perſtrepentem, tela manu utraque quatientem; neque enim illi tegere ſe curæ eſt; torvam, cruentamque, & cicatricoſam, & verberibus ſuis lividam, inceſſibus veſanis, offuſam multa caligine, & Ejus immanitate & teterrima.

incurſitantem,

intuſtantem, vaſtantem, fugantemq́; & omnium odio laborantem, ſui maximè: ſi aliter nocere non poſſit, terras, maria, Cœlum ruere cupientem infeſtam, pariter, inviſamq́;, vel ſi videtur, qualis apud Vates noſtros eſt.

Sanguinem quatiens dextrâ Bellona flagellum,
Aut ſciſſâ, gaudens vadit diſcordia, Pallâ.

Aut ſi qua magis dira facies, excogitari diri affectus poteſt.

Certè ea iræ ſpecies etiam tantùm objecta oculis, magnos in animo motus excitare poteſt, atque in ejus odium, fugamque impellere. Unde ut ait Sextius apud Senecam. *Quibuſdam iratis profuit, aſpexiſſe ſpeculum; perturbavit enim illos tanta mutatio ſui, & quantum ex vera deformitate imago illa ſpeculo repercuſſa reddebat animus, ſi oſtendi, & ſi in ulla materia perlucere poſſet, intuentes nos confunderet, ater, maculoſusq́;*: æſtuans, & diſtortus, & tumidus, *Nunc vero tanta deformitas ejus per oſſa, carnesq́;, & tot impedimenta, effluentis: Quid ſi nudus oſtenderetur?*

Profectò & rubore nos ſuffunderet, & dolore, & odio ſui. Quid enim aliud ab effigie tam deformi, tam atra, tam horrida? Eam producamus in aliquo ex Antiquioribus.

Erit iſ *Maximinus* Imperator ab ira impotens ſui. Cùm hoſtem ſe à Senatu appellatum intellexit (nam hoc Senatusconſultum audit homo natura ferus) ſic exarſit, ut non hominem diceres; ſed belluam putares. Jaciebat ſe in parietes, nonnunquam ad terram ſeſe ſternebat, aliàs inclamabat inconditè, arripiebat gladium, quaſi Senatum confoſſurus ipſe, mox in ſe vertebat enſem, & ferrum jugulo apprimebat, tum veſtem regiam manu prenſans diſcindebat, tum alios pugnis tundebat, afficiebatque verberibus, & niſi de medio receſſiſſet adoleſcentulus, ejus filius, etiam & illi oculos eruiſſet, & animam fruſtrà reluctantem expreſſiſſet. Ita de illo Julius Capitolinus.

Ecce quæ irati, quæ furentis animi ſpecies, atque imago: accipe quæ etiam ab illo mala & in corpus influant, & evadant ad animum: ea more ſuo, id eſt disertè explicat Seneca.

L. 2. c. 36. *Videndum*, inquit, *quàm multis ira per ſe nocuerit: alii nimio fervore rupêre venas, & ſanguinem ſupra vires elatus clamor egeſſit, & luminum ſuffudit aciem, in oculos vehementius humor egeſtus, & in morbos ægri recidêre: nulla celerior ad inſaniam via eſt.*

IX. A malis longè graviſſimis.

Aiacem in mortem egit furor, in furorem ira: mortem liberis, egeſtatem ſibi, ruinam domui imprecantur, & iraſci ſe negant, non minus quàm furioſi: amiciſſimis hoſtes, vitandiq́; cariſſimis: Legum, niſi qua nocent, immemores, ad minima mobiles: non ſermone, non officio, aditu faciles.

Omnia per vim gerunt, gladiis & pugnare parati, & incumbere: maximum enim malum illos cepit, & omnia exuperans vitia: alia paulatim intrant; repentina, & univerſa vis hujus eſt: omnes denique alios affectus ſibi ſubjicit: amorem ardentiſſimum vincit: transfoderunt itaque amata corpora, & in eorum, quos occiderant, Cap. 37. *jacuere complexibus: avaritiam, duriſſimum malum, minimumq́; flexibile, ira calcavit, adacta opes ſuas ſpargere, & domui, rebusq́; in unum collatis; injicere ignem: Quid? Non ambitioſus magno æſtimata projecit inſignia, honoremq́; delatum repulit: nullus affectus eſt, in quem ira non dominetur.*

Ecce quæ ab ira malorum eluvies, ecce quæ monſtra, illi nihil impervium, nihil ſacrum, jura omnia, ſacra, profanaque, violat, perſuadet, perdit, Lib. 9. c. 3. *affectus conſternationis plenus, at nunquam ſine tormento ſui violentus*: ut ſcitè Valerius Maximus.

Certè Alexandrum iracundia ſua propemodum Cœlo deripuit: nam quid obſtitit, quo minus illuc aſſurgeret, niſi Lyſimachus Leoni objectus, & Clytus haſtâ transfixus, & Caliſtenes mori juſſus, quia tres maximas victorias totidem amicorum injuſtis cædibus victor perdidit: at unde & illos & has perdidit? Utique ab iracundia inſolentiore, cui etiam pro remedio erit, ea omnia mala pervidiſſe, atque apud animum ſedulò uſurpaſſe, atque ad trutinam revocaſſe: ſed & aliud eſt, quod oculis, & animo ſubjici velim, eorum ſcilicet exempla, dictáve, qui & ſui, & iræ fuerunt, & tam ſui, quàm illius victores laureati

X. Ab exemplis eorum, qui iram repreſſerunt.

Ex his producam profanos, Ethnicosque, ut Chriſtianis pudorem injiciam, & ruborem. *Marcum Catonem in balneo quidam percuſſit imprudens: quis enim illi ſciens faceret injuriam? Poſtea ſatisfacienti, Cato: non memini*, inquit, *percuſſum me: melius putavit non agnoſcere, quàm ignoſcere: nihil*, inquis, *mali poſt tantam petulantiam factum eſt? Immò multum boni: cœpit Catonem noſſe.* Seneca l. 2. de Irac. 32.

Hæc ubi de illo Seneca, tum iſta ad mores: *magni animi eſt, injurias deſpicere, ultionis contumelioſiſſimum genus eſt, non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur ultio: multi leves injurias altius ſibi demiſere, dum vindicant: ille magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus exaudit: ſæpè ſatius fuit diſſimulare, quàm ulciſci: Notiſſima vox eſt ejus, qui in cultu Regum conſenuerat: cum illum quidam interrogaſſet, quomodo rem rariſſimam in aula conſecutus ſenectutem*, *injurias*, inquit, *accipiendo, & gratias agendo.*

Digna vox aulico, digna & grandævo ſene, digna, quæ eat in ſæcula, ætatesque conſequentes, uti & iſta *Socratis*, de quo aiunt *colapho percuſſum, nihil amplius dixiſſe, quàm moleſtum eſſe, quod neſcirent homines, quando cum galea prodire debeant.* Sic injuriam in luſum jocumque vertit. Uti & Piſiſtratus, Athenienſium tyrannus, cui cùm è convivis unus aliquis, iſque ebrius, multa in ejus crudelitatem liberius & audacius dixiſſet, non ſucceuſuit, non in ejus punitionem exarſit; ſed illud dumtaxat addidit, *non magis illi ſe ſucceuſere, quàm ſi quis obligatis oculis in ſe incurriſſet.* Seneca l. 3. de Irac. 11.

Et hæc etiam in tyranno fuit animi moderatio, cui non abſimilis fuit *Dionis*, quem cùm monerent amici, ne malis hominibus parceret, néve Heraclidem periculoſæ inter Syracoſanos factionis caput, diu pateretur in vivis eſſe, reſpondit.

Aliorum Ducum eſſe in arma, in ferrum incumbere, & vindictam de noxiis ſpirare; ſui verò muneris eſſe iræ, invidiæ, aliisque animi paſſionibus mederi, ut qui in Academia idipſum fuiſſet meditatus. Plutarch. in Dione.

Si hæc in Academia Philoſophus; quid in Chriſti ſchola Chriſtianus? A Dione redeo ad Socratem.

Is calce percuſſus à Sicario, & quidem in publico, monitusque ab uno è ſuis aſſeclis, ut hominem repercuteret, pacato animo & ſuaviore voce adjecit: *An ſi aſinus mihi calcem impegiſſet, eum recalcitrarem?* Minimè. Sed hæc, inquies, in Lyceo Philoſophi, hæc in toga Academici; alia in pulvere martio miles; alia Imperator in purpura. Certè non alia, qui in hac, & illo ſapere didicit. Audi quid de Philippo Macedone Eraſmus. L. 4. Apophth.

Unus aliquis linguæ petulantior, maledicta in Philippum Regem conjicere ſolebat, monitus is ab amicis, & aulicis ut relegaret in exilium, omninò renuit iis: quid ita? *Ne*, inquit, *hic, atque illic oberrans, inter plures malè de me loquatur.*

At, inquiunt, illi, atque urgent. Agatur maledicus in malam crucem, ſic enim & maledicere deſinet etiam inter paucos, & vivere.

Neque hoc addit Philipphus: *iram continere, regium; delinquenti parcere, humanum; injurias contemnere, magnanimum.* Regiæ profectò voces, & dignæ cedro.

Ab Heroïbus illis antiquioris ævi, tranſeo ad Chriſtianos: ex his erit Conſtantinus quidam vir Conſularis, de quo Surius:

Hic,

Hic, ſi fortè iræ motus perſenſiſſet, iſta ſibi dicere. Ceſſa ab ira, & animum vince. Et verba res ipſa ſequebatur, inquit author vitæ.

Severus Sulpitius dial. 1. c. 4. In avia ſolitudine per annos quadraginta, eoque amplius vixerant ſenes bini, de quibus vulgabatur ſolemne illud. Quod unum eorum ſol nunquam vidiſſet edentem, alterum nunquam vidiſſet iratum. Quid è duobus mirandum magis? Certè poſtremum, quia primo longè difficilius: ori quippè facilius imponitur frænum, quàm animo, & nunquam iraſci felicitatis eſt; iram excitatam reprimere, virtutis. & ita repreſſit *S. Epiphanius*, Cypri Epiſcopus.

Invitaverat hic Abbatem *Hilarionem*, & ſub menſam illi obtulerat aviculam probè toſtam. Cui Hilarion, non minus modeſtè, quàm ingenuè.

Ignoſce, inquit, ô Præſul, ex quo monaſticam veſtem indui, nihil occiſum guſtavi. Victitabat nimirum radicibus, & herbis. Cui Epiphanius.

Et ego, ex quo infulam, & pedum geſto, nunquam ſum paſſus ſolem occidere ſuper iracundiam, vel meam, vel alterius cujuſdam, qui mihi videretur ſubiratus. Ecce ut iram cohibent, extinguuntque viri Sancti, ne vel ſolem unum videant irati: nec mirum ſciunt enim, quàm inviſa ſuperis Deoque ſit ira.

Inviſam porrò diſce ex ſolemni illo Agathonis Abbatis pronuntiato. *Iracundus, etſi mortuos ſuſcitet, non placet Deo propter iracundiam ſuam.* *Ruffinus l. 5. n. 21.*

II. Ab Oratione. Venio ad poſtremum iræ remedium; erit illud ab oratione, & ſupplici ad Deum prece, à qua ut præſens omnibus animi paſſionibus præſidium eſt; ita vel maximè inſurgenti iracundiæ, cujus apprimè conſcius *Ammonas*, inter Abbates à vitæ ſanctitate nominatus, annis omninò quatuordecim in avia Schyti eremo fuit, Deum aſſiduè deprecans, noctu, diuque ut ſibi gratiam daret iram ſuperandi: ita pius ad Deum orator venit, rediit exorator. Quod illi, hoc & tibi, quiſquis illi paſſioni fueris obnoxius. Deum ora, & iram ſedaris. Extinguitur hæc oratione, ut ignis affusâ aquâ. *In vitis PP. L. 5. libello 7. n. 30.*

In Ægypti ſolitudine ſenex fuit, cui nomen *David*: hic operam ſuam locavit Agricolæ, homini in paucis iracundo, & qui bono ſeni pauculum in æſtu diei quieſcenti iratior dixit. *Cur non metis?* Cui ille cùm reſpondiſſet; tantiſper moror, dum deferveſcat æſtus, & ſolis ardor. Cui agricola: *Surge, labora, & ardeant omnia*: tum illi ſenex: *& vis, ut ardeant?* Cui ille, *omninò ardeant, id volo.* Nec mora, Cœlo vindice, arſere omnia; tum agricola facti pœnitens, ad alios ſenes, qui etiam inibi metebant, citatus venit, rogavitque ut *Davidem* ſenem optimum rogarent, ut Deum pro ſe, & ſua meſſe, quæ ardebat, oraret, exoraretque. Cui David: enimverò petiit ipſe *ut arderent omnia*: votis ab iracundia fuſis Cœlum annuit. Quid ultra velit? Quid expectet à Cœlo? Inſtat nihilominus illi, ut ad Deum ſupplex accedat.

Acceſſit, ſtansque medios inter manipulos, quorum pars jam arſerat, pars erat igni proxima, Deum oravit, & incendium ſtitit.

Habes in hoc exemplo, Amice Lector, & iracundiæ præcipitis pœnam, & ſimul etiam vim orationis: hanc uſurpa ſedulus, & iram extinxeris, ut ille ſenex incendium. Eſt enim ira animi æſtuantis incendium, cui extinguendo remedium præſens eſt oratio.

TRACTATUS QUINTUS
DE INVIDIA.

IN hoc vitium, ceu communem generis humani peſtem, incurrerunt authores & profani, & Sacri: è quibus ego pauca delibabo, eaque ſelectiora, quæ luci dabo, eo conſilio, ut dum erit in oculis omnium, ſit etiam in odiis.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba Sapientis: *Vita carnium, ſanitas cordis, putredo oſſium invidia.* Proverb. c. 14. v. 30.

FUit illud Sapientis oraculum petitum à corpore, cujus imprimis eſt cura, ut illi ſit quàm optimè: eſt enim velut animæ domicilium à natura illi congenitum, cui ut benè ſit, etiam illi benè ſit oportet: ſic igitur inquit, *Vita carnium, ſanitas cordis*: ſi enim cor ſanum ſit, ideſt animus ſanus, ſanus inquam à paſſionibus, quæ illius quaſi morbi ſunt, & ipſa quoque caro ſana ac vivida ſit eſt neceſſe; maximè verò ſi is ab ira ſanus ſit, à livore, atque invidia: animus enim in corpus ſuum veluti transfundit hanc, vel illam affectionem, qua laborare cœperit: quod potiſſimum verum eſt in livore, atque invidia, à qua *putredo* erit *oſſium*: Invidia enim ita carnem arrodit, atque exedit, ut oſſa, quæ illius ſunt pars longè duriſſima, ac ſolidiſſima, conficiat, atque tabefaciat. Et hæc explicatio litteræ valdè eſt conſona, aliæ quas ſubjicio aptæ moribus ritè formandis, inter quas hæc prima. *Sanitas cordis*, ideſt lenitas, ac manſuetudo corpori confert ſanitatem, ac longævitatem, quam imminuit, atque incidit ira atque invidia: quod & natura docuit, & ipſa etiam animantium vita, quæ longæva eſſe ſolet illis, quæ bile & felle carent, uti Cervi.

Secundò *Sanitas cordis*, hoc eſt amor, & charitas etiam carni ſenſum affert ac ſanitatem. Unde & illud Divi Auguſtini ad invidos: *Cognoſcant omnes invidi, qui de aliorum tribulationibus gaudent, quia membra ſunt putrefacta, & abſciſſa, & mortua, & ideo non habent ſenſum, & cùm diſcedunt ab aliis membris, non ſentiunt, quia ſine ſenſu ſunt.* quod ut fuſiùs explicet, adjicit illud: *Serm. 19. de diverſis.*

Senſus noſter, fratres, una fides eſt, & una charitas, una ſanitas eſt: teneamus fidem tanquam ſenſum, teneamus charitatem tanquam ſanitatem. Hanc tenet quiſquis illam habet, hanc perdit quiſquis eſt invidus.

Tertiò, *Sanitas cordis*, eſt rationis ac judicii ſanitas: ſi enim ſibi conſtet ratio, ſi judicium ſanum ſit, & iram ſopit, & mollit invidiam: quia rationes objicit, quæ hanc, & illam aut leniant, aut extinguant: quod dum faciunt, & vitam ipſi corpori tribuunt, & ſanitatem.

D. Gregorius qui omnia ferè transfert ad mores, per carnes, quæ molliculæ ſunt, intelligit virtutes, quæ debiliores ſunt; per oſſa verò, *fortia facta virtutum*, quæ tamen ipſa livoris atque invidiæ vitio etiam depereunt. *Oſſa*, inquit, *per invidiam putreſcere, eſt quadam etiam robuſta deperire*: Et hæc pauca *3. Parte Paſtor. Admon. 11.*

ſufficient

ſufficient ad exponendum illud Sapientis effatum, ea quo nonnullas deducam quæſtiones, & in alios atque alios paragraphos dividam.

§. 1.

Quid ſit Invidia?

Definitiones

Lib. 2. Top.

Super Pſal. 104. v. 25.

2. 2 Qq. 36. art. 1.

INvidia Philoſopho, *eſt triſtitia in apparenti felicitate alicujus.*

D. Auguſtino, *eſt odium felicitatis alienæ.* Doctori Angelico, *eſt triſtitia de bono alterius, in quantum æſtimatur diminuere gloriam propriam.*

Hoc vitio nihil abjectius, adeoque in altos animos non aſcendit; ſed in viles animas delabitur, atque in iis locum invenit: nihil etiam ſtultius, quàm etiam bonis triſtari ac cruciari; cùm non debeas angi niſi malis, vel tuis, vel etiam alienis: bonis verò nunquam.

At invido alienum bonum, ipſius quodammodo malum eſt. quo quid ſtultius? Quid etiam miſerius? vitia reliqua bonum aliquod præſupponunt, quod etſi ſemper falſum in genere moris, verum tamen eſt ſubinde in ordine naturæ: ſic avaritia opes ſpectat; luxuria blandæ carnis voluptates; gula illecebras linguæ, palatique irritamenta; ſuperbia honores intuetur, altaque ambit nomina, & auram haurit popularem: verbo uno ſuum cuique vitio bonum eſt, quo delectetur. Invidia ſola ſolis malis paſcitur, & torquetur bonis, & quod aliis optat, jam ſibi habet malum. Quid eo miſerius?

Hæc porrò miſeria, hæc invidiæ infelicitas quanta quanta eſt, ſeſe explicabit magis, cùm etiam per deſcriptiones, appellationesque metaphoricas, faciem explicarit ſuam, oculiſque intuentium objecerit.

Deſcriptiones:

I. Fumus gloriæ.

Plutarcho, *Invidia fumus eſt gloriæ*: ut enim flammam primò emicantem multus comitatur fumus, qui tamen paulatim evaneſcit invaleſcente jam atque ſeſe explicante flamma; ſic res arduas, res egregias aggredientem, initio premit invidia, donec aucta gloria, invidiæ fumum diſcutiat, atque diſſipet, ut flamma ſolet, igniſque luculentior.

II. Umbra felicitatis.

Invidia umbra eſt, cui evenit quod lumini: ubi enim nullum lumen eſt, ibi & nulla umbra: ſic ubi nulla felicitas, ibi quoque nulla eſt invidia; at ubi multa proſperitas, ibi multa ſit invidia eſt neceſſe.

III. Ærugo amicitiæ.

Periandro, *invidia morbus eſt, atque ærugo amicitiæ*: ut enim ærugo etiam ferrum lento dente arrodit, atque conſumit; ſic & amicitiam invidia; nec illam tantum, ſed & invidi animam atterit: dumque amicitiæ lucem ſplendoremque adimit, invido & vires auffert, ſubinde & vitam: adeò ſibiipſi noxia eſt invidia.

IV. Oculorum error.

Actio Syncero, viro ut primæ ſuos inter nobilitatis; ſic & ingenii: *invidia error eſt oculorum*

In conſpectu Frederici Regis, cùm eſſet inter Phyſicos injecta fortè ea quæſtio, quid præcipuè conduceret oculorum perſpicuitati? Cùm hi fœniculi afflatum dicerent, illi vitri uſum, alii aliud: *Ego verò*, inquit, *invidiam aio.*

Hic ſtupere, qui aderant medici, hominem ridere, exſibilare; adeò ut auditoribus etiam deriſui haberetur, & eſſet. Tum ipſe: *Annon invidia majora omnia & pleniora videre facit?*

Quid autem oculis magis præſentaneum, quàm ut vis ipſa aſpiciendi major reddatur, atque vegetior: at illud facit invidia, facit & invidus, cujus oculo, ut canit Ovidius,

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,
Vicinumq; pecus grandius uber habet.

At unde fertilior illa? Unde & hoc grandius? error eſt, & error oculorum: at rurſus unde & error ille? Utique ab invidia, atque ab invido, cui aliena felicitas, ſua videtur ſterilitas, & bonum alienum, ut ſuum malum aſpicit, qui gravis eſt error, oculorum, ac mentis inſaniæ delirium: amplius aliquid dico, & gravius, *Tormentum animi*, quod quantum ſit, expreſſit Poëta cùm cecinit.

V. Tormentum animi.

Invidia Siculi non invenêre tyranni
Tormentum majus. Hi certè adinvenere alia atque alia tormentorum genera, quibus miſeros mortales torquerent: Cataſtas, equuleos, rotas, Cruces, ferrum, & ignes, & quidquid ab illis immane atque efferum: ſed hæc qualiacumque fuerunt, corporis fuere tormenta, non animi: hic inter illa etiam liber, etiam ſuus. At invidiæ tormentum animi eſt, hunc impetit, cruciat, perdit.

Alia luteam corporis molem quatiunt; at invidia ad ſpiritum evadit, ad immortalem animum penetrat, eumque miris modis angit, atque excruciat: ut proinde nullo alio tormento opus ſit, quàm illo, quod ſibi facit invidia.

Cùm quidam apud Agidem Temiſtocli dicerent eſſe nonnullos alienæ familiæ, qui ſibi inviderent, ſcitè reſpondit.

Geminam habebunt moleſtiam, quia & ſua ipſorum mala eos diſcruciabunt, atque inſuper tum meis, tum amicorum meorum bonis torquebuntur, ſatiſque pœnarum dabunt, etſi ulciſcatur nemo: nempè ſibi ipſi tormentum eſt invidia, tormentum & invidus: aliud ne quære, illud plus ſatis; quia domeſticum, quia in intimis animæ penetralibus, hæc arrodit, tacito dente, perennibus curis, ut veſtimentum Tinea ſolet.

VI. Tinea cordis.

Cap. 50. v. 9.

Iſaias Vates cùm in ſeipſo & agnoſceret & amaret ingentia Dei beneficia; ſimul etiam agnovit & obſtupuit ea ipſa invidorum fuiſſe ſupplicia: Ecce inquiebat, *Dominus meus Auxiliator meus, quis eſt qui condemnet me?* tum ſubdit. *Ecce omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos.*

Tinea, inquam, hoc eſt livor, atque invidia; hæc generatur ex alienis bonis, ut è veſtimento tinea. Qui porrò illius morſus, accipe ex D. Cypriano; ſic olim in libro, quem inſcripſit de zelo, ac livore.

Qualis eſt animi tinea zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, id eſt odiſſe in eo vel merita propria, vel beneficia divina, in malum proprium bona aliena convertere, illuſtrium proſperitate torqueri, aliorum gloriam facere ſuam pœnam.

VII. Hoſtis inteſtinus.

At hoc omne facit invidia, quæ judice D. Chryſologo hoſtis eſt inteſtinus, adeoque timendus vel maximè: cùm deforis eſt inimicus, arceri poteſt, excludi poteſt; at cum intus eſt, non poteſt: animum enim occupat, & ipſam cordis arcem, in eâque ſuſque, deque vertit omnia.

Invidia, inquit, *inteſtinus hoſtis, non carnis quatit muros, non eliſit ſepta membrorum; ſed in ipſam cordis arietat arcem, & antequam viſcera ſentiant, ipſam dominam corporis animam prædo rapit, & adducit excluſam.*

Fuit Antiquis inter bellicas machinas, ea quæ vulgò audiit *Aries*, hac muri impeti ſoliti, validè concuti, atque everti, tum iis everſis ac dirutis, aſſultus fieri à milite, vaſtari, perdique omnia; nec enim jam miles, ſed prædo, cui omnia præda ſunt, etiam ipſa civium capita. Quæ in capta jam urbe, à milite videris, eadem in anima ab Invidia, ceu hoſte inteſtino: ubi in cordis arcem arietarit illa; ubi eam conquaſſarit, atque everterit, ubi per alios, atque alios paſſionum aſſultus vim fecerit, ubi penetrarit intima, tum omnia diripit ceu avidus prædo, omnia dico, hoc eſt omnem Virtutum ſupellectilem, omnes congeſtorum meritorum acervos, bona omnia ſpiritalia, tot annorum curriculis parta, rapit, abripit, & nudam relinquens animam, ipſam quoque captivam abducit, atque in miſerabilem peccati ſervitutem redigit; imò quod magis exhorreſcas eam miris modis excruciat, ut carnifex ſolet.

VIII. Carnifex.

Spectaſti, benevole Lector, ſub immiti tortoria manu gementem ac fatiſcentem reum, & ingemuiſti:

ſpecta

ſpecta modò ab invidia, ceu carnifice, ſubactam animam, & contremiſce. atque etiam alienis malis condolere diſce. Condolebis certè, ſi vel aure tantùm excipias, quæ de invidia Orator aureus. Deſcribit hic eam, quæ à vitiis omnibus eſt carnificina: ſed vel maximè, quæ eſt ab invidia: illum audi. Sic olim è pulpito, ſic è Cœlis modò.

Omnia quidem vitia ad ſuorum ſemper intendunt, Chryſologus ſerm. 172. *& proſiliunt læſionem: ſed ſuos ſemper amplius invidia conſumit: Invidia ſuorum carnifex ſemper exiſtit, extendit ſenſus, torquet animos, diſcruciat mentes, corda corrumpit. & quid plura? Hanc qui receperit, ſua ſuſtinet ſine fine ſupplicia, quia in ſe domeſticum ſemper diligit habere tortorem.*

Quis ibi malorum finis? Ubi alterius bonum pœna eſt? Ubi cruciatus eſt aliena felicitas? Malum multiplex; quot ſunt proſperitates hominum, tot ſunt tormenta invidorum. Hactenus D. Chryſologus, à quo redeo ad D. Cyprianum: nam & huic quoque carnifex eſt, tortor eſt; ait enim: *invidum velut quoſdam pectori ſuo admovere carnifices, cogitationibus & ſenſibus ſuis adhibere tortores, qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent, qui cordis ſecreta malevolentiæ ungulis pulſent.*

Ecce miſerabilem carnificinam, & quidem perennem, quam ut velis effugere, non poteris, quia te non potes fugère: tu tibi hoſtis, tu carnifex: eundem audi Cyprianum.

Supra. *Ubicumque fueris adverſarius tuus tecum eſt, hoſtis ſemper in pectore tuo eſt, pernicies intus incluſa eſt, ineluctabilis catenarum nexu ligatus, & vinctus es, zelo dominante captivus es,* nec ſolatia tibi ulla ſubveniunt: imò nec ſubvenire poſſunt; quia ut rectè ille ipſe S. Præſul.

IX. Calamitas ſine remedio. *Calamitas ſine remedio eſt, odiſſe felicem*: eſſe autem ſine remedio; imò & ſine termino demonſtrat, comparatione facta cum aliis malis, ac ſceleribus.

Mala cætera, inquit, *habent terminum, & quodcumque delinquitur, delicti conſummatione finitur.*

Supra. *In adultero ceſſat facinus perpetrato ſtupro: in latrone conquieſcit ſcelus homicidio admiſſo: & prædoni rapacitatem ſtatuit præda poſſeſſa: & falſario modum ponit impleta fallacia: zelus, & livor, terminum non habet, permanens jugiter malum, & ſine fine peccatum.*

X. Infernus. Addo & pœna ſine fine, quia inferni pœna; imò, & velut infernus ipſe. David à Saule ejuſque milite graviùs vexatus, erupit in illud, *dolores inferni* Pſal. 17. v. 6. *circumdederunt me.*

D. Auguſtinus legit: *dolores invidiæ*, dolores: inquam, non, qui in Davide; ſed vel maximè, qui in ipſis invidis, in Saüle & perſecutoribus, qui invidiæ ſtimulis, ceu inferni doloribus, excruciaban- Cant. c. 8. v. 8. tur. Nec mirum; quia ut rectè Sapiens: *Dura ſicut infernus æmulatio*: non enim minus pungit invidia, quàm infernus. Inferni ergaſtulo clauſus tenebatur dives epulo: nec tamen inde quicquam de ſua invidia remittebat: imò hujus ſtimulis magis angebatur, quàm ipſis inferorum incendiis.

Quod ipſum tacitè inſinuaſſe videtur ipſius ad Abrahamum oratio: ſic enim ad illum.

Luc. c. 16. v. 24. *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*

Expende, Amice Lector, has voculas: *mitte Lazarum*, & mecum inquire cur non potius poſtulaverit, ut ſibi liceret aſcendere ad Lazarum; quàm ut Lazarus juberetur ad ſe deſcendere, cur non dixerit. Mitte me ad Lazarum; ſed mitte Lazarum ad me?

Serm. 122. D. Chryſologo hæc placuit ratio, quia potius optabat Lazarum ſecum eſſe miſerum, quàm ſe cum Lazaro beatum, & aliena gloria magis illum cruciabat, quàm propria pœna: & hoc quidem ex ipſo invidiæ genio, quem S. Præſulis oratione excipe. ſic ille:

Quod agit dives, non eſt novelli doloris, ſed livoris antiqui: zelo magis incenditur, quàm gehennâ: eſt grave illis malum, eſt illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices.

Adhuc divitem malitia non deſerit, quem jam poſſidet pœna, qui non ſe ad Lazarum duci poſtulat; ſed ad ſe Lazarum vult deduci. Quod invidis, hoc & dæmo- In 4. ſent. d. 45. nibus, è quibus non pauci in medio aëre, Cœlum inter, & terram habentur quàm peſſimè, uti ſentiunt è Theologis plerique, qui & quærunt cur à Deo, ſeu judice, ſeu etiam vindice, hic locus ſit illis ad ſupplicium deſtinatus, ac non potius in imis terræ viſceribus? Rationes proferuntur quàm plurimæ, è quibus hæc ad rem, de qua mihi quæſtio.

Ut diaboli, quaſi medii inter beatos, qui jam triumphant in patria; & juſtos, qui peregrinantur in via, utriſque invideant, & invidendò torqueantur magis. Et hæc ratio D. Bernardo placuit.

Diabolus, inquit, *in pœnam ſuam locum in aëre medium inter Cœlum, & terram ſortitus eſt, ut videat, & invideat, ipſaq; invidia torqueatur.* Ecce tormentum inferni; imò & infernus ipſe, quem patientur invidi etiam in tota quanta quanta erit æternitate.

§. 2.

Quæ invidi facies? Quæ invidiæ Symbola?

INvidi faciem ſuis coloribus eleganter depinxit D. Cyprianus, & quaſi ad vivum ſic expreſſit.

Invido vultus minax, torvus aſpectus, pallor in facie, in labiis tremor, ſtridor in dentibus, verba rabida, effrænata convitia. manus ad cædis violentiam prompta, etiamſi De Zelo & livore. *à gladio interim vacua, odio tamen furiata, furia mentis armata.*

Ecce quæ illi corporis ſpecies, quæve & animi: in hoc odium, rabies, & ſuror effrænis, in illo horrida omnia, quæ etiam nobis ſub oculos poſuerunt Antiquiores Sophi, aliis atque aliis invidiæ Symbolis: cùm enim ea in ſeipſa vix poſſet ſatis exprimi, expreſſa eſt in Symbolis, veluti mutis quibuſdam imaginibus, è quibus hæc fuit Alciati

Squallida vipereas manducans fœmina carnes,
Cuiq; dolent oculi, quæq; ſuum cor edit.
Quam macies, & pallor habet, ſpinoſaq; egeſtas.

Invidiam effingit. atque ut fœminam habet; ex genio atque illius ſexus, qui mollis eſt, atque abjectus, nihilque retinet altioris animi: uti nec invidia, quæ non cadit in viriles animos; mollis quippe, abjectique ingenii eſt, aliis bonum, quod poſſident invidere, de eoque mœrere, ac triſtari; è contra alienæ fortunæ, bonoque applaudere, ingentis eſt animi, & omni fortuna altioris.

Pingitur deinde invidia *Squallida*, quia ab ea nonniſi ſquallor in veſte, nonniſi pallor in ore.

Vipereas manducat carnes, unde & tota eſt viperea; imò & vipera. Fertur vipera non naſci, non prodire in reluctantes auras, niſi effracto matris utero, quod ipſa arroſit, atque effregit.

Ita dum vitam accipit, matri auſert, in eam injuria, atque immitis.

Quod vipera, hoc & facit invidia: paſcitur illa carnibus, eaſque manducat, ac vorat, dum aliorum adverſa fortuna nutritur, & contra proſperitate alterius contabeſcit: hinc etiam illi *dolent oculi*, ſi quando in aliorum felicitatem inciderint: nec oculi tantum dolent; ſed & *Cor* ipſum, quod tacito dente rodit, editque invidus.

Et hinc illi lurida, triſtiſque *macies*, hinc pallor in ore, & ſquallor in corpore, & *ſpinoſa egeſtas*. Spinoſam appellat Alciatus, quia invidia ſuis aculeis, ut ſpinis, pungitur ac cruentatur: quot enim invidus in alio bona viderit, tot ſibi ſpinas infigit, & quam in aliis opulentiam ſenſerit, in ſe putabit egeſtatem. In hoc uno infelix ac miſerabilis; imò

imò & mortalium omnium infeliciſſimus, vel ex eo certe, quòd alii ſuis ſolùm calamitatibus doleant: hi verò præter ſua mala, etiam bonis alienis contriſtari pergant, ut ſcitè advertit Theophraſtus.

Et hæc procea, quam Alciatus effinxit invidiæ imagine. Aliam nobis objecit Pierius in Hieroglyphicis, cùm invidiam *Hydra* ſpecie ſignificari voluit. Fuit Hydra monſtrum multiceps, in quo edomando plurimum laboravit Hercules, nec minus in domanda invidia ſudabit Chriſtianus Heros, ex eo quod tot renaſcantur capita, id eſt tot vitiorum monſtra, quot amputantur.

Vis noſſe, quæ monſtra? Sævities, ira, contumelia, cædes, incendia. Hi quippe invidiæ ſunt partus, hæc & germina, ceu *Hydræ* illius capita, quæ amputare vix in alium cadit quàm in Herculem, id eſt, Heroëm Chriſtianum.

Hom. 44. in Matth. D. Chryſoſtomo, aliud eſt invidiæ Symbolum, videlicet *Scarabæus*. Inſecti genus eſt teneras habens pennas, & ob id cruſtà tectas, ſtercore potiſſimum ſe alens: quo enim potius utatur alimento? Ex fimo natus cùm ſit, fimo gaudet, fimo nutritur, & ſtercore.

Quod Scarabæus, hoc & invidus: aliorum malis paſcitur, adverſamque in aliis fortunam pro deliciis habet, quod ſummæ genus eſt miſeriæ, ſummæ & dementiæ.

Huic Symbolo affine eſt illud D. Nazianzeni, cui invidia dicitur & eſt veluti *muſca*: ut enim hæc involat in vulnera, iiſque incubat: ſic & invidus aliorum fatis adverſis inſidet, iiſque mirè oblectatur, in eo non abſimilis *vulturi*, qui D. Baſilio eſt & ipſe invidiæ Symbolum.

Eſt vultur avis rapax, & carnivora, quæ mirum
Lib. 10. c. 6. quantum jam putrefactis delectatur, & eò quidem, ut ex Plinii ſenſu, atque ſententia vultures, biduo, triduóve ante congregari ſoleant, ubi futura ſunt cadavera, crederes ea præſentire; de hoc ita Virgilius.

Lib. 6. Æneid.
Roſtroq́; immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens. Ab illa porrò immanitate atque voracitate, vultures à Græcis non invenuſtè dicti ſunt *ſepulchra animata*, quòd cadaveribus ſint, quod ſepulchra.

Quod vultur; hoc & invidus: ut enim ille ad maleolentia corpora, præteritis amœnis, atque odoriferis locis, ferri ſolet. & ſicut muſcæ prætervolantes ſana corpora, ad ulceroſa feſtinant: ſic & invidi ſplendida & magna præclarè facta intuentur quidem obliquo oculo: putria tamen invadunt, & iis paſcuntur improbè. Ita D. Baſilius de invidia.

Rationem ſi quæras, ea petitur à duplici capite.
Lib. 1. Primum eſt fortunæ gratia, favor, ac felicitas: *aſſidua eminentu fortuna comes invidia eſt, altiſſimisq́; adhæreſcit*, inquiebat olim Velleius: *intacta invidia media ſunt, ad ſumma ferè tendit*, ut ſcitè Livius.

Alterum hujus mali caput eſt ipſe invidiæ genius,
L. 4. c. 7. ipſaque malignitas invidorum, qui ut rectè Valerius: *Divites ſunt alienis jacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus: nullaq́; tam modeſta felicitas, quæ malignitatis & invidiæ dentes vitare poſſit.*

§. 3.

Quæ Cælo, quæ terris mala importaverit Invidia?

Serm. 172. DE his & illis aureo ſtylo D. Chryſologus: *Invidia*, inquit, *cælum tentat, ibi enim diabolum fecit ex Angelo: urit terras, quæ utique paradiſi nobis amœna flammeo cuſtode ſecluſit: Reges urget, quia hæc Herodem in coævos Chriſti ſic compulit deſævire, ut ante lac, quàm ſanguis teneris funderetur ex membris: Charitatem violat, nam hæc Cain reddidit fratricidam, & innocuam adhuc terram novi ſanguinis cruore perfudit, vaſtat populos; namq́; Iudæos, hæc (ſi dici fas eſt, ſi capit ſermo) fecit eſſe Deicidas: Deicidas diximus, non quò pervenit: ſed quò facinus hoc tetendit: in Chriſto enim Iudæi, non hominem tantum, ſed Deum, Filium Dei conati ſunt opprimere.*

Hactenus D. Chryſologus de invidiæ malis, damniſque immanibus, quæ vel terris, vel ipſis etiam Cœlis importavit invidia. De hac quoque D. Cyprianus, & ipſe quoque altiore ſtylo.

Videamus, inquit, *unde zelus, & quando, & quomodo cœperit: facilius enim à nobis malum tam pernicioſum vitabitur, ſi ejuſdem mali origo, & magnitudo noſcatur.*

Hinc diabolus inter initia ſtatim mundi, & periit primus, & perdidit: ille dudum Angelica Majeſtate ſubnixus, ille Deo acceptus, & carus, poſtquam hominem ad imaginem Dei factum eſſe conſpexit, in zelum malivolo livore prorupit; non prius alterum dejiciens inſtinctu zeli, quàm ipſe zelo ante dejectus, captivus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum ſtimulante livore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipſe quoque, quod prius fuerat, amiſit.

Hæc ubi de malignâ illâ Angeli invidiâ pronunciavit S. Præſul, tum exclamat.

Quale malum eſt fratres dilectiſſimi, quo Angelus cecidit, quo circumveniri, & ſubverti alta illa, & præclara ſublimitas potuit, quo deceptus eſt ipſe, qui decepit.

Poſtquam extulit ea, quæ in Cœlos ipſos extulit invidia, tum delabitur ad alia, quæ in terras emiſit, & ſic de illis.

Exinde invidia graſſatur in terris dum livore periturus, magiſtro perditionis obſequitur, dum diabolum qui zelat, imitatur: ſicut ſcriptum eſt: invidia autem diaboli *Sap. c. 2.*
mors introivit in orbem terrarum.

Imitantur ergo illum, qui ſunt ex parte ejus: hinc nova fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel juſtum Cain zelat injuſtus, dum bo- *Gen. c. 4.*
num malus invidia & livore perſequitur: tantum valuit ad conſummationem facinoris æmulationis furor, ut nec charitas fratris, nec ſceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur.

Injuſtè oppreſſus eſt, qui juſtitiam primus oſtenderat: odia perpeſſus eſt, qui odiſſe non noverat, occiſus eſt impiè, qui moriens non repugnabat.

Hæc ubi dixit de immani illa in fratrem invidia, odio, cædeque, tum deſcendit ad germanos alios, quorum unum in alterum quoque livor excitavit.

Et quod, inquit, *Eſau fratri ſuo Iacob inimicus ex-* *Gen. c. 27.*
titit, zelus fuit: nam quia hic benedictionem patris acceperat, ille in odium perſecutionis, facibus livoris exarſit.

Ubi iſta de Jacobo, & Eſau: tum ſubjicit ea, quæ de Joſepho & fratribus, & ait: *Et quod Ioſephum fratres vendiderunt, cauſa vendendi de æmulatione deſcendit: poſtquam id, quod ſibi in viſionibus per ſpiritum fuerit oſtenſum, ſimpliciter ut fratribus frater expoſuit, in invidiam malivolus animus erupit.*

Quæ invidia fratres in fratrem innoxium commovit, etiam intra domeſticos parietes: eadem in aula Saülem in David, de quo etiam ille ipſe Cyprianus, qui livoris exempla in unum veluti faſciculum coegit: ſic enim de illo.

Saul quoque Rex ut David odiſſet, ut perſecutionibus ſæpè repetitis innocentem, miſericordem, miti lenitate patientem necare cuperet; quid aliud quàm zeli ſtimulus provocavit? Ejus porrò zeli, ac livoris, hæc cauſa fuit unica.

Quia Goliatho interfecto, & ope, & dignatione divinâ tanto hoſte deleto, populus admirans, in laudes David, prædicationis ſuffragio proſiluit: Saül ſimultatis, atque inſectationis furias de livore concepit. Malus omninò fœtus, pejor & partus, quia livoris atque invidiæ, cujus ratio unica, fuit aliena virtus ac felicitas, ut ſcitè etiam notavit D. Gregorius

Saül, inquit, *Davidem ſubditum lanceam intorquendo proſequitur, quia quem magis quotidie augeri virtutum ſucceſſibus*

ſucceſſibus ſenſit, ultra ſe excreſcere expavit: & hæc, quia expavit in iras abiit, exceſſit in odia, in arma proruit, & ferrum in Davidem intorſit, adeò verum illud Ariſtotelis, *invidiam Antagoniſtam eſſe fortunatarum*, contra quos eò magis incurrit, quò fuerint illi magis fortunati, quod ſcitè notavit D. Cyprianus, cujus illud eſt effatum longè veriſſimum.

Lib. de Zelo & livor. *Quantò ille, cui invidetur, ſucceſſu meliore profecerit, tantò invidus in majus incendium, livoris ignibus exardeſcit.*

Et hoc ipſum eſt quod jam in ſacris paginis ac hiſtoriis vidimus, ac legimus: ſpectemus etiam in profanis; in Caio caligula, cujus invidia ac malignitas eò evaſit, ut nihil ferret, quod in aliquo fuiſſet illuſtre: adeò illum commovebat livor, atque
Suetonius in Caligula c. 34. invidia, de quo ita Suetonius.

Dejecit ſtatuas virorum illuſtrium: cogitavit de abolendis Homeri carminibus; ſed & Virgilii, &
Cap. 35. Titi Livii ſcripta, & imagines paululum abfuit quin ex omnibus bibliothecis amoverit.

Vetera familiarum inſignia nobiliſſimo cuique ademit, torquato torquem, cincinnato crinem, Cneio Pompeio ſtirpis antiquæ *Magni* cognomen: ita nihil in alio patiebatur glorioſum, nihil excelſum, & hoc, quia, aliorum gloriam ſuum rebatur eſſe dedecus; & ſublimitatem, ſuam æſtimabat eſſe demiſſionem; imò & aliorum pulchritudinem, ſuam ſibi fingebat eſſe turpitudinem. Inde uti notavit ille ipſe Suetonius: *pulchros, & comatos quoties ſibi occurrerent accipitia raſa deturpabat.* Et Ptolomeum ipſum accerſitum è regno, & exceptum nequàm honorificè, non alia de cauſa repentè percuſſit, quàm quod edente ſe munus; ingreſſum ſpectacula, convertiſſe hominum oculos fulgore purpureæ abollæ, animadvertiſſet: adeò alienæ gloriæ impatiens invidia, quam & inde etiam prodidit eſſedario: die quodam, Porio ob proſperam pugnam ſervum ſuum manu mittenti, cùm fortè ſtudioſius plauſum eſſet, ita ſe proripuit è ſpectaculis, ut calcata lacinia togæ, præceps per gradus iret indignabundus, & clamitans populum ea re leviſſima plus honoris gladiatori tribuere, quàm ſibi. *Adeò familiare eſt hominibus omnia ſibi ignoſcere, nihil aliis remittere, & invidiam rerum, non ad cauſam; ſed ad voluntatem, perſonaſq́; dirigere*, ut in ſimili aiebat Velleius Paterculus.

Lib. 2. Quæ Caligulam occupavit invidia; eadem & *Antigonum*, Macedoniæ Regem: hic cùm per ſomnium vidiſſet Mithridatem auream meſſem demetere, eum interficere decrevit, cumq́ue hic demetrio filio aperuiſſet, atque jurejurando adegiſſet, nec ei revela-
Plutarch in Apophtheg. ret Demetrius, qui Mithridatem amabat impenſius, unà cum illo apud mare deambulans, haſtæ cuſpide ſcripſit in littore: *fuge Mithridates.*

Quod cùm ia planè percepiſſet, in pontum fugit, ut ab invidi inſidiis & malevolentia fugeret, probè conſcius ab invidiâ nihil eſſe tutum, ſi Cœlos illa movere non poſſit, acherontia movebit, & verò etiam aliquando movit.

Viderant olim è Philoſophis duo, iiq́ue magi, *D. Antonium* Eremicolam, hominem imperitum, ac ſine litteris virum, omnes tamen in ſui cultum, atque admirationem rapere, fieriq́ue ad eum ingentes undique omnium ordinum concurſus, longè majores, quàm unquam in Lycæo. Viderant, inquam magi illi, atque invidebant. Quid deinde? Suis illum præſtigiis, ac circumventione magica, ſi minus è vivis; ſaltem è cellula ſua deturbare conantur: quod ut faciant, dæmones immittunt, qui Dei famulum infeſtent, qui fugent, qui perdant: ſed irrito conatu, eos enim vel ſolo Crucis ſigno, vel oratione in fugam agebat *Antonius*. Redibant interim nequiſſimi illi ſpiritus ad eos, à quibus in virum Dei immiſſi erant, tum immittebantur prioribus potentiores, ac vehementiores, qui impetum facerent; ſed in caſſum omnia: fruſtrà es livor, fruſtrà & artes magicæ, & omnis erebi furor, quod eum iterum, iterumq́ue adverterent Philoſophi, primùm mirari, deinde amare, tum laudare, miteq́ue extollere vim Crucis, & Chriſtianæ Religionis potentiam etiam inferis ipſis ſuperiorem, denique & eam votis omnibus ambire, arctéque deinceps complecti. Tantum apud eos valuit vel *Antonii* patientia, vel monaſticæ vitæ ſanctitas, vel Crucis amor, ac potentia, cui ceſſit livor omnis, ceſſit & invidia, palmamq́ue conceſſit. Ita Caſſianus.

§. 4.

Afferuntur nonnulla adverſus invidiam Remedia.

EX his aliqua producam pro illis, qui aliis invident, & invidendo ringuntur: ut & invidere deſinant, & invidia ſua cruciari.

Aliqua deinde etiam pro iis, quibus invidetur vel benignior aliqua fortunæ gratia, ac felicitas, vel etiam ipſa virtus, quæ tamen extra teli, id eſt invidiæ jactum eſſe deberet, non eſt tamen hominum vitio, & malevolentia, à qua ſi quis patiatur, invidiæ jaculis ſcutum opponat, quod ſibi olim Seneca: quod ſapienti, imo & quod ipſis, ut ait Diis. Vir- *1. Remedium.*
tute, ſua ſe involvat: *Hæc dicet, cui ſapientia contigit.*

Odiſſe & laceſſere Virtutem bonæ ſpei ejuratio *L. de beata vita c. 26.*
eſt. Nullam mihi injuriam facitis, ſicut ne Diis quidem hi qui aras evertunt; ſed malum propoſitum apparet, malumq́ue conſilium, etiam ubi nocere non potuit, ſic veſtras hallucinationes fero, quemadmodum Juppiter opt. max. ineptias Poëtarum, quorum alius illi alas impoſuit, alius cornua: alius adulterum illum induxit & abnoctantem: alius ſævum in Deos, alius iniquum in homines, alius raptorem ingenuorum, corruptoremq́ue, & cognatorum quidem: alius parricidam, & Regni alieni, paterniq́ue expugnatorem; quibus nihil aliud actum eſt, quàm ut pudor hominibus peccandi demeretur, ſi tales Deos credidiſſent.

Hæc ubi pronuntiavit Seneca de Sapiente, in quem incurſat invidia: tum iſta de ſeipſo.

Præbui ego aliquando Ariſtophani materiam jo- *Cap. 27.*
corum: tota illa Comicorum Poetarum manus in me venenatos ſales ſuos effudit. Illuſtrata eſt virtus mea, per ea ipſa, per quæ petebatur. Produci enim & tentari expedit, nec ulli magis intelligunt, quanta ſit, quàm qui vires ejus laceſſendo ſenſerunt. Duritia ſilicis nulli magis nota, quàm ferientibus nota eſt. Præbeo me non aliter quam rupes aliqua in vadoſo mari deſtituta, quam fluctus, non deſinunt, undecumque moti ſunt, verberare; nec ideò aut loco eam movent, aut per tot ætates crebro incurſu ſuo conſumunt. Aſſilite, facite impetum, ferendo vos vincam. In ea, quæ firma & inſuperabilia ſunt, quidquid incurrit, malo ſuo vim ſuam exercet. Proinde quærite aliquam mollem, cedentemq́ue materiam, in quam tela veſtra figantur.

Hæc apud Senecam Sapiens, qui ſibi inde animos facit, & hoc quaſi clypeo, adverſa ſeu invidiæ, ſeu malevolentiæ tela excipit ac retundit.

Venio ad remedia, quæ invidis velim eſſe in oculis, ut abſit à corde omnis invidia, quia quæ ferè eſt de alieno bono, bono, inquam, hujus ævi, ac temporis, pro illius remedio erit amor æternitatis, & cœleſtium bonorum, quæ ſine ullo invidiæ nævo, & appetuntur, & poſſidentur.

Id remedii ſuggeſſit D. Gregorius Pont. Max. in ea verba, *parvulum occidit invidia.*

Parvulus eſt, inquit, *qui invidiâ occiditur, quia niſi* *Lib. 5. in Iob c. 3.*
ipſe inferior exiſteret, de bono alterius non doleret. tum

adjicit & doloris illius cauſam, & ſimul etiam remedium, & ſanè percommodè, ſi enim malo mederi velis, ut illius cauſam noveris oportet: ſic igitur de illa. *Difficile eſt, ut hoc alteri non invideat, quod adipiſci alter exoptat, quia quidquid temporaliter percipitur, tantò fit minus ſingulis, quantò dividitur in multis, & ideò deſiderantis mentem livor excruciat, quia hoc quod appetit, aut funditus alter accipiens adimit, aut à quantitate reſtringit.*

Hæc ubi extulit de invidiæ cauſa, ſonteque livoris: tum adjicit quid adverſus illam ſit remedii, & ſic inquit.

II Remedium. *Qui ergo livoris peſte plenè carere deſiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non anguſtat, quæ & omnibus una eſt, & ſingulis tota, quæ tantò largior eſſe oſtenditur, quantò ad hanc percipientium multitudo dilatatur: imminutio ergo livoris eſt affectus ſurgens internæ dulcedinis, & plena mors ejus, eſt perfectus amor æternitatis, rationem hanc addit: nam cùm mens ab ejus rei appetitu retrahitur, quæ accipientium numero partitur, tantò magis proximum diligit, quantò minus ex profectu illius ſua damna pertimeſcit: quæ ſi perfectè in amore cæleſtis patriæ rapitur, plenè etiam in proximi dilectione ſine omni invidia ſolidatur, quia cùm nulla terrena deſiderat, nihil eſt quod ejus erga proximum charitati contradicat.*

Hactenus S. pontifex, qui & aliud quoque inſinuat remedium.
III Remedium. Eſt illud *Charitas*, quæ non *æmulatur*: id eſt non invidet. Qui enim invideret? Invidiæ fomes imò & origo, ſunt duæ illæ voculæ, *meum, & tuum*: nec hoc, nec illud aſpicit Charitas; ſed tantùm quæ unius Dei ſunt: & hinc nulla ei cupiditas, adeoque, & nulla illi invidia: ut enim ſcitè D. Gregorius.
Hom. 5. in Evang. *Quidquid in hoc mundo concupiſcimus, hoc proximo invidemus*: Quod ſi nihil concupiſcimus, certè & nihil invidemus; invidiæ enim origo eſt concupiſcentia, quæ ubi exulat, regnat charitas, regnat & *voluntas bona*, quæ ubi eſt, facit *ſic adverſa alterius ſicut noſtra pertimeſcere, ſic de proſperitate proximi, ſicut de noſtro profectu gratulari; aliena damna noſtra credere, aliena lucra noſtra putare.* Ut ille ipſe S. Pontifex, qui & illa vocula, *gratulari*, innuit & aliud remedium, nempe gaudium de proximi bono, ſeu illud fortunæ ſit, ſeu naturæ, ſeu etiam
IV. Remedium. virtutis.

Vidit antiquitas, atque damnavit Epheſiorum facinus, quo Hermodorum, hominem frugi urbe ejecerant, adjicientes putidum illud, atque infame.
Strabo l. 14. Georg. *Noſtrum nemo frugi ſit, ſin minus alibi, & cum aliis.* Quod & damnavit Heraclitus Philoſophus: qui vel ea eo pronuntiavit illud: *Dignos eſſe Epheſios omnes qui è furca penderent*, ut qui nec frugi vellent eſſe ipſi, nec inter ſe alium frugi eſſe paterentur.

Non ſic apud Plutarchum *Pædaretus*: Hic cùm
L. Apopht. inter trecentos Conſiliarios electus non fuiſſet, è comitiis domum rediit lætus, & gaudens, dicenſque cum riſu. *Se mirè lætari trecentos fuiſſe Spartæ meliores ſe inventos.*

Libera ſanè vox, effatum nobile, & dignum homine etiam Chriſtiano, qui neſcit aliis invidere, & ſi quem ſe meliorem videat, aut certè parem, omnibus inceſſit lætitiis, & de illius bono gaudet, ut de ſuo.

Et ita olim gaviſus Moſes: elegerat hic Dei nutu, atque imperio de ſenioribus ſeptuaginta viros, in quos incumbentis populi onus partiretur. Quid
Numer. c. 11. v. 25. deinde? deſcendit Dominus per nubem, & Moyſi locutus, etiam abſtulit de ſpiritu, qui erat in Moyſe, deditque ſeptuaginta viris, qui cum in eis requieſceret ſpiritus, & ipſi prophetarunt, quod cùm è caſtris inaudiſſet Joſue Moyſi miniſter è pluribus electus, ſic ad illum.

verſ. 29. *Domine mi Moyſes, prohibe eos*: cui mox ille: *Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum.*

Hauſerat Moyſes è Dei congreſſu entheos illos ſpiritus, & illos amabat, gaudebatque etiam aliis communes: ſecus quàm deinde fecere Judæi, qui & amara voce, & invido ſpiritu, cùm Chriſtum vidiſſent ingentia ubique locorum facere ſigna: *quid facimus*, inquiunt; *iſte homo multa ſigna facit, totus mundus currit poſt eum; ſi dimittimus eum, venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.*

Morbos è corporibus, velut ex injuſtè uſurpatis hoſpitiis, depellebat Chriſtus, mortuos vitæ reddebat, & evocabat è ſepulchri nocte, dæmones ejiciebat è corporibus, ſurdis auditum; cæcis viſum, mutis loquelam reſtituebat, & hæc omnia ad ſtuporem, ad gaudium univerſi: & tamen, ô malum invidia! quod amorem, quod venerationem conciliare debuerat, odium peperit.

Quid facimus: inquiunt, quid eum toleramus in vivis? Quin in eum involamus? Quin expedimus, & vincula, & flagella, & cruces? Verbo quin eum tollimus? At cur illud, quia multa ſigna facit, quia totus mundus poſt eum abit. Hæc unica ratio, quæ ſanè longius abfuiſſet à Judæis, ſi in iis charitas ſedem inveniſſet: ſi gaudium de alieno bono, favore, gratia, ſi nulla æmulatio: quæ utinam non occuparet etiam modò Chriſtianos; imò & ſubinde viros religioſos, qui ſi unum aliquem adverterint aliis eminere, vigere, florere, & ſibi ſeu doctrina ſanio-re, ſeu zelo, ac virtute, famam nomenque facere, exclamant & Judaicum illud,

Quid facimus? Iſte homo multa ſigna facit, & totus mundus poſt eum abit. Quid deinde? Dejici debet è pulpito, calumniis obrui, criminibus etiam affictis onerari, deprimi, deturbari ad inferos uſque.

Ecce quò malorum delabitur invidia, quò & ſcelerum, ne porrò delabatur, ſibi dictum putet illud, quod olim Joſue Moyſes, *Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet*, omnis ſigna faciat, omnis mundum poſt ſe rapiat, adducatque in peculium Chriſti, in ſinum beatitatis, omnis floreat, vigeat, triumphet. Hoc certè patitur, imò & poſtulat Chriſtiana & religioſa charitas, & enatum ex ea gaudium de aliena fama, bono nomine, ſucceſſu, plauſu, triumphis, qui non invidiam parere debuerunt: ſed potius honeſtam aliquam, & piam æmulationem quam diſcent etiam à profanis, & gentilibus.

Ageſilaus, & *Ageſipolis*, uno eodemque tempore Xenophon. l. 5 hiſtor. Græcor.
Lacedæmoniorum Reges (erant enim apud eos id temporis plures & nomine & authoritate regia, qui etiam eodem contubernio utebantur) inſignisque inter eos æmulatio, non tamen ullatenus invidia, cùm uterque in bellicis rebus, quas multas geſſere, ſuperare alter alterum militiæ gloriâ conaretur. Itaque *Ageſilaus*, *Ageſipolis*, mortem, uberibus lacrymis proſecutus eſt, & conſuetudinem ipſius mirè deſideravit, rariore ſanè exemplo, maximè verò in eodem majeſtatis throno, in quo vix quiſpiam alterum patitur: ut enim antiqua paræmia,

Majeſtas & amor vix una ſede morantur: quod majeſtatis, & amoris vitium non eſt; ſed potius naturæ corruptæ: certè in eadem integra fuiſſet quidem æmulatio; ſed nequaquam invidia: illa videtur in magnis ac præcelſis mentibus, hæc in puſillis atque abjectis, illa in grandioribus animalibus ſpectatur, non item in minoribus.

Chriſtophorus Acoſta, qui de rebus Indicis & fusè & præclarè multa ſcripſit, & plerumque in iis teſtis oculatus, refert in Elephantis videri & eſſe magnam æmulationem.

In littore (inquit) vicino urbi Goänæ tormentum grande æneum loco movendum erat, quod dum molitur grandior Elephas, nec poteſt magiſtro inſtigante, & duos minores Elephantes oſtentante qui id

facerent, niſi ipſe faceret, iterum, iterumque conatus eſt. & quidem niſu tanto, ot medius crepuerit. Ita dum eam gloriam aliis præreptam ire vult, ſibi ipſe vitam eripit, docetque muta quadam voce in arduis æmulationem inveniri, & eſſe puſſe ſine nævo.

1. Cor. c. 12. v. 31. Et hoc ipſum eſt, quod inſinuavit Apoſtolus: cùm ſic ad Corinthios. *Æmulamini chariſmata meliora;* id eſt ſaniora ſectamini, & in vobis ipſis exprimite, quæ in aliis meliora videbitis: non tamen invidete, ſi à Chriſto Chriſtiani audiri & eſſe vultis, ſi lux in Domino.

Ad Rom. c. 13. Romanos olim ſic monuit Apoſtolus: *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis, tanquàm in die honeſtè ambulemus: non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in concupiſcentiis & impudicitiis, non in contentione & æmulatione:* D. Cyprianus vertit, non in certaminibus, & zelo. Si receſſerint de pectore tuo tenebræ, ſi nox inde diſcuſſa eſt, ſi caligo deterſa eſt; ſi illuminavit ſenſus tuos ſplendor diei, ſi homo lucis eſſe cœpiſti, quæ ſunt Chriſti gere, quia lux, & dies Chriſtus eſt.

Hæc ubi zelo diviniore S. Præſul tam in zelum, ceu livorem, ſic invehitur; ſic & in te, ſi modo invidus es.

Quid in zeli tenebras ruis? Quid te nubilo livoris involvis? Quid invidiæ cæcitate omne pacis & charitatis lumen extinguis? Quid ad Diabolum, cui renuntiaveras, redis? Quid Caïn ſimilis exiſtis? Exiſtis certè, ſi ut ille in Abelem; ſic & tu in fratrem zelo livoris inſurgis: non inſignes ſi, ut dici à Chriſto Chriſtianus es. L. de zelo, & livore.

TRACTATUS SEXTUS

DE SUPERBIA.

INTER peccata, quæ vulgò dicimus Capitalia, facilè princeps eſt Superbia, vel ex eo quòd in empyreo Cœlo concepta ſit, & quodammodo nata in cæleſtibus illis Intelligentiis, & hoc quidem in futura aliquando beatitatis ſede, à qua delapſi ad ima terræ, & ipſum inferni barathrum. Ne ſerpat illa, pedemque figat, etiam in infima terræ regione, ad illius odium fugamque nobis inſtituenda erit aliqua diſceptatio.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Sapientis verba; *Generatio cujus excelſi ſunt oculi, & palpebræ ejus in alta ſurrecta.* Prov. c. 30. v. 13.

DIſtinguit hîc Sapiens quatuor hominum genera, quæ à ſuis vitiis Deo ac Superis potiſſimùm ſunt in odio.

Prov. c. 30. v. 11. Primùm exprimitur his verbis: *Generatio, quæ patri ſuo maledicit, & quæ matri ſuæ non benedicit.*

verſ. 12. Secundum illis: *Generatio, quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis.*

verſ. 13. Tertium iſtis: *Generatio, cujus excelſi ſunt oculi & palpebræ ejus in alta ſurrecta.*

verſ. 14. Quartum denique: *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.*

In præſentia de tribus taceo, & uni dumtaxat inſiſtam, quæramque ecqui ſint illi, quorum excelſi ſunt oculi, & palpebræ in alta ſurrectæ: ſunt enimverò ſuperbi, qui vel ipſo oculorum conjectu, habituque inſolentem elationem produnt, atque oſtentant; altiora petunt, omneſque præ ſe contemnunt.

Ii ſunt apud Indos *Brachmanes*, qui etiam in hodiernum diem ita à genere ſuo intumeſcunt, ut cum plebeis nec loqui, nec veſci, nec habitare velint.

Ii quoque ad Calecutum *Naires*, qui veluti nobiles à plebeio ſe tangi non patiuntur, & ſi fortè caſu tangantur, impudentiæ pœnam mox exigunt, & fuſte aut gladio multant, ut teſtatur Oſorius. L. 1. de geſtis Emmanuelis.

In Jugurthino. Hic animus ſui amans & aliorum contemptor ferè *commune nobilitatis malum eſt*, inquit Saluſtius.

De his queſtus olim Romanus Orator: *hominum nobilium*, inquit, *non ferè quiſquam noſtræ induſtriæ favet, nullis noſtris officiis benevolentiam illorum allicere poſſumus: quaſi natura, & genere disjuncti ſint: ita diſſident à nobis animo, & voluntate quemadmodum ſanguine.*

Hæc ille: verum, ut ingenuè dicam quod ſentio, non eſt ea veræ nobilitatis natura; ſed vitium: vera quippè nobilitas & modeſtiam comitem habet, & ſociam animi demiſſionem; ideoque iis prætermiſſis, deſcendo ad genuinam ſuperbiæ notionem, pro qua ſit

§. I.

Quid ſit Superbia? Quid nominis? Quid rei?

SUperbia dicitur à *ſuper*, & *eo*, quod ſcilicet ſupra menſuram ſuam eat. Definitio Superbiæ.

D. Auguſtino *Superbia eſt perverſa celſitudinis appetitus: perverſa* dico, hoc eſt, quæ ſit contra rectam rationem: appetentia enim excellentiæ ſi modum teneat, nec rationis rectique limites excedat, non eſt vitio danda, nec vitium ipſa; ſed virtus eſt. Lib. 4. de Civit. c. 13.

Proſpero *Superbia eſt amor excellentiæ propriæ; amor*, inquam, ſed inordinatus, atque immodicus. Unde

D. Thomæ *Superbia dicitur appetitus inordinatus excellentiæ ſupra id quod eſt præfixum à ratione, & divinâ regulâ, ſeu menſurâ.* 2. 2. Q. 162. art. 10.

Eidem Angelico D. Superbiæ, alia eſt *completa, incompleta* alia, utor vocibus in ſchola uſurpari ſolitis.

Completa eſt ea quæ omnem humilitatem, ac ſubjectionem excludit, ut cùm unus aliquis ſeſe ita effert, ut nolit etiam Deo, & divinæ legi ſubjectus eſſe: & hæc olim fuit in Lucifero, & ſubinde eſt in hominibus quàm peſſimis. Et hæc ſuperbia eſt peccatum mortale, & quidem inter omnia ejuſdem generis peccata longè graviſſimum.

Alia *incompleta*, quæ non omnem ſubjectionem excludit, & hæc non eſt peccatum letale, niſi cùm eſt cauſa alicujus peccati mortalis. v. g. violandi alicujus præcepti divini, vel ſubtrahendi ſe ab obedientia Eccleſiæ, aut ſuperioris alicujus in re gravi; aliàs non excedit limites peccati venialis.

Hujus ſuperbiæ tres ſunt veluti gradus.

Primus eſt præferre ſe minoribus, cùm gravi ſupercilio, ac deſpectu.

Secundus, præferre ſe æqualibus, nec poſſe iis convivere in alia pace.

Tertius, præferre ſe etiam majoribus, aut ſaltem æquare. Et hæc attigiſſe ſit ſatis; nec enim

hic

Superbiæ deſcriptiones.

hic Theologum agimus ut in ſcholis ſolet: ſed Eccleſiaſten ut in pulpitis. Et hinc ad ſuperbiæ deſcriptiones aliquas deſcendo: his bellè depingetur illa, veluti nativis coloribus.

I. Comes nobilitatis.

Dicitur illa *Comes nobilitatis*: imò & illius quaſi ſoboles, fit enim neſcio quo naturæ depravatæ vitio, ut qui ſe genere nobilem viderit, ſuper alios; imò & ſuper ſe plus æquo extollat.

L. 1. Ep. 86.

Hinc *Fulgentius* doctus ſanè Pontifex nobilitatem carnis & ſanguinis appellare ſolebat, *Superbiæ fomitem.*

Serm. 187. de Temp.

Iſidorus Ægyptius *Sanguinis faſtum*, ex quo & illud intulit D. Ambroſius: *multos ebrios fecere divitiæ: nobilitas, & poteſtas ſuperbos*: quod adeò pronum eſt, & proclive, ut Sidonius Appollinaris miracoli loco habuerit, unum aliquem eſſe genere nobilem, nec tamen ſuperbum. Quod profectò miraculum

L. 2. Ep. 15.

dum videt & amat in Numechio Epiſcopo, ſic de illo.

Agere narraris ſine ſuperbia nobilem, ſine invidia potentem, ſine jactantia litteratum: verùm, ut prius inſinuavi, non eſt illud nobilitatis vitium; ſed naturæ corruptæ macula quædam, & labes, quæ non omnibus adhæreſcit; fuere enim quamplurimi & ſanguine nobiles, & tamen etiam humilitate ſublimes.

L. 3. Ep. 2.

Ex his fuit *Conſtantius* Sacerdos, quem Sidonius Apollinaris eximia laude exornans, vocat *nobilitate ſublimem, & religione venerabilem.*

In vita Epiphanii.

Bonoſus & ipſe Presbyter, de quo ſic Ennodius: *fuit vir inſigniſſimus tam nobilis ſanctitate, quàm ſanguine: Gallus quidem preſepia: ſed cæleſtis indigena*: ita nimirum hi à Cælo probè docti, ſanguinis, natalium que ſplendorem, cum virtutum luce ac nitore felici nexu copularunt, ſcitè memores illius, quod

Epiſt. 14. Orat. 3. De Orat.

D. Hieronymus: *ſumma nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus.* Et hujus quod D. Gregorius Nyſſenus: *unica nobilitas cum Deo neceſſitudo*: ſed ne hic iſta fuſiùs; tranſeo ad aliam ſuperbiæ notionem, ſecundum illam dicitur ſuperbia, *vitium ignobile*, & quidem primò, quia hominem, ut ſanguine magnus

II. Vitium ignobile.

videatur ac nobilis, apud Deum facit ignobilem, deinde etiam apud homines.

Serm. 1. in fer. 5. in Cœna Domini.

Mala nobilitas, inquiebat, D. Auguſtinus quæ ſe *per ſuperbiam apud Deum reddit ignobilem.*

Ita reddidit generis noſtri protoplaſtem Adamum, dum enim audiit, & ambivit ſibi dictum illud ſerpentis: *eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum*, audit & iſtud Dei ſe irridentis.

Lib. de Elia & jejun. c. 4.

Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis, invidens utique Deo, non approbans dicit, hoc eſt putabas te ſimilem fore noſtri: ſed quia voluiſti eſſe quod non eras, deſiiſti eſſe quod eras: intra te eras; ſed dum ſupra te eſſe affectas, infra te eſſe cæpiſti: denique veſtivit eum tunica pellicea & ait: ecce Adam; quaſi dicat: ecce amictus tuus, ecce dignum te indumentum: hic te veſtitum decet. Et hæc Adamo Deus interprete D. Ambroſio. Affectaſſe viſus erat quod Dei ſolius erat, & ſupra ſe; & ecce delabitur infra ſe ad belluam uſque, quod ſummæ fuit ignobilitatis.

Veſtis conditionem indicat, ita purpura Regem, & paludamentum Cæſarem notat, & hominem ſuperbum tunica pellicea, propè belluam eſſe deſignat.

Ioan. Bot. l. 2. dictorum memorabilium.

Petrus Sabaudiæ Comes, ad *Othonem* hujus nominis quartum Imperatorem aliquando venit, habitu penitus inuſitato; dexteram enim tegebat veſtis acu picta opere phrygio, ſiniſtram autem chalybe, & ferro armatam oſtentabat; quod primo aſpectu, dum admirabundus intuetur Imperator, ſic ad illum Comes non minus lepidè, quàm liberè.

Veſtis ea, ô Cæſar apprimè mihi convenit; ſum enim & princeps, & bellator: principem addecet veſtis elegans, & acu picta; ferrum autem, & chalybs bellatorem. Subriſit Auguſtus, & approbavit. Nempe indumentum hominis ſortem indicat, & ſimul etiam mentem. Ita (ut eò redeam onde paululum abii) cùm Deus Adamo adſutum è pellibus animalium veſtimentum dedit, ſimul etiam inſinuavit & à ſe defeciſſe, & ab innatâ ſibi nobilitate, atque in belluam à ſuperbiâ degeneraſſe, quod ſummæ fuit ignobilitatis: adeò verum illud quod *Superbia vitium ſit ignobile*, quia & ipſa hominem facit ignobilem; facit & gloriâ, ceu fumo paſci. quò eam alio? Certè ipſa ſuperbia fumus eſt: ſic eam appellandam eſſe cenſuit Propheta Regius cùm ſic ad Deum. III. Fumus.

Superbia eorum, qui te oderunt aſcendit ſemper: vel Pſal. 73. v. 23.
ut alii legunt, *fumus eorum, qui te oderunt*: magna enim verò & fumi, & ſuperbiæ eſt affinitas; ut enim fumus ſenſim aſcendendo diſſipatur, atque evaneſcit; ſic & ſuperbus altiora dum petit inſano niſu, deperit ac difflatur totus, ac dum augeſcit, deſinit. Unde inſanus ſit oportet quiſquis illi fumo ſe crediderit; inſanum dico, atque in omnia propè vitia præcipitem; maximè verò hæreſeos; dicendum enim quod ſæculorum experientiis probatum, ſuperbiam IV.
atque ambitionem hæreſeos eſſe matrem Mater hæreſeos.

Hegeſippus ad ſua uſque tempora puram ab hæreticorum ſectis Eccleſiam fuiſſe monet, & ea cauſa nominatam eſſe *Virginem*, quod nondum impio ſectariorum flagitio eſſet polluta. At Thebulis ex eo *quod Epiſcopi honorem conſequi non potuiſſet*, ejus virginis integritatem violare, & corrumpere eſt orſus. Apud Euſebium l. 4. c. 22.

Uti deinde Montanus (à quo & Montaniſtæ, & Cataphryges) hunc enim cum immenſa quædam in primatu ambiendo cupiditas invaſiſſet, extra viam Catholicæ religionis ejecit.

Uti deinde & Tertullianum, qui cùm Epiſcopatus Carthaginenſis ſpe excidiſſet, manum ſuam id Euſeb. l. 6. c. 15.
eſt animam, ad immanes variarum hæreſum ſcopulos alliſit, magni prius in Eccleſia nominis, & plurimarum veluti palmarum gladiator invictus, qui alios ſtudio honoris claros, & à vera religione profugos, vel eo nomine fuerat perſecutus, & ipſe tamen ab eadem diſceſſit, comite & duce ea ipſa ambitione, quam in aliis ſtylo acriore pupugerat atque damnarat; ſic enim de *Valentino* ſcripſerat aliquando.

Speraverat Epiſcopatum Valentinus, quia & ingenio In Valentinianos c. 4.
poterat, & eloquio; ſed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Eccleſia authentica regula abrupit.

Quid de Ario dicam? Prima ſcintilla malitiæ illius ex hoc ipſo fomite nequiſſimæ ambitionis extitit; cùm enim doleret prælatum ſibi Alexandrum in Pontificia dignitate, in eum & mentem acuit, & ſtylum, & rationes excogitavit quibus innocenti, & fortiſſimo Antiſtiti incommodaret, ac deinde Eccleſiæ univerſæ; quantum autem ex illa ſcintilla manarit Theodoret.
incendium, novit olim orbis, atque ingemuit, cum l. 1. c. 2.
ſe propè Arianum vidit.

Quid pronuntiarim de Novato (à quo & Novatiani hæretici) quid de *Aſterio Sophiſta* leviſſimo? Quid de aliis perfidioſis hominibus, quos ille ipſe ardor Eccleſiaſtici honoris in eam impietatem conjecit? Hoc certè quod de illis aliiſque ejuſdem notæ hominibus extulit D. Cyrillus Alexandrinus vir ſuo ævo nemini ſecundus; *inſana ambitione, & amore* In Abacuc
dominandi victos, ſubactoſq; omnes hæreſum inventores. num. 21.

Quod ipſum advertit D. Ambroſius, qui & ambitionem illecebroſam eſſe dixit, & iſta etiam de illa pronuntiavit & verè, & venuſtè.

Hoc ipſo pernicioſior ambitio, quòd blanda quædam eſt L. 4. in Lucam col. 64.
conciliatricula dignitatum, & ſæpè quos nulla vitia deflectunt, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia ſubruere; facit Ambitio criminoſos: habet enim forenſem gratiam, domeſticum periculum, & ut dominetur, aliis prius ſervit. Ita nimirum ab ambitione foris gratia, intus periculum, & in medio dominatu

Ad Licent.

turpia ſervitus, quàm & bellè paucis expreſſit D. Paulinus cùm Phœbi penicillo hic eam coloravit.

Blandum nomen honos, mala ſervitus.

Sed ne de hac longius, Inſtitutum proſequamur,

V.
Mater omnium vitiorum.

videamusque quibus coloribus eandem dominandi pruriginem, atque ſuperbiam depingat D. Gregorius Nyſſenus: eam vocat

Catbec, c. 25.

Initium ac fundamentum propenſionis ad deteriora, & veluti matrem cæterorum vitiorum.

Ab hac enim ruunt homines in conſilia pernicioſa, in Dei ter Opt. ter Max. oblivionem, in contemptum divinarum legum, in ſceleratas pactiones, in fraudes, in lites, in diſcordias, in odia, in arma, in cædes atque incendia: ecce in quæ vitiorum monſtra delabitur miſellus homo ab unica ambitione atque ſuperbia.

Æmilius l. 1. de geſtis Francorum.

Ejus exemplum producit D. Chryſoſtomus in *Abſalone*. Hic præpropera regnandi libidine victus, primò malis dolis egit, & adulatione fraudulenta populi gratiam captavit, tum in arma ruit, apertumque martem, & in patris quàm optimi caput & coronam involavit, Deo rebellis & patri: adeò ambitioni pervia omnia, & nihil clauſum, ſacrum nihil, ne parentis quidem vita, ne fraternus ſanguis.

Hujus exemplum habes in *Gandebaldo* Burgundionum Rege: hic tres fratres affectati regni, ut opinabatur, reos è medio ſuſtulit, & quidem *Childericum* ſecuri percuti juſſit, *Gandemarum* in extrema ſpe de turri ſe defendentem, ſubjecto igne, exuſtiſque foribus concremavit, denique *Odeſillum* natu minimum obſedit, cœpitque. Ecce quo rapit ambitio, quò regnandi maleſana cupido, quæ ex vero vitiorum propè omnium mater eſt.

Et tamen ut ea ſit, ſedem figit non in aula ſolùm Regumque palatiis, ſed proh dolor, pudorque etiam in templis, in aris ipſis, ſinuque Myſtarum; ut eum D. Cyprianus, vel quiſquis ejus eſt author.

In Sermone, de Jejunio, & tentationibus Chriſti.

Etiam in ſinu ſacerdotum ambitio dormit, ibi ſub umbrâ recubat, in ſecreto thalami ſe fraudulenter occultat.

§. 2.

Proferuntur exempla quadam prodigioſa illius Superbiæ.

IRent hæc in immenſum niſi me arctari paterer ad eos ferè dumtaxat, qui ſuæ naturæ immemores, etiam divinitatem affectare viſi: ſatendum enim illud, quod Antiquitas vidit, atque damnavit mortalium quorumdam ſuperbiam ad immortalia aſcendiſſe; imò & ad ipſum uſque deitatis ſolium, quod & auſi invadere, & in eo quaſi conſidere, haberique ut Dii, auſu temerario, ſtultaque prorſus ambitione.

In vita P. Ioſaphat Barnas l. 2. c. 16.

Ex his fuit *Xatama* Rex Perſarum, qui pro Deo videri, & adorari voluit, & aquam è pedum ſuorum lotione ſervari ad curationes omnium morborum, quod & temeritatis & inſaniæ fuit; uti & illud, quod & litteras omnes ad ſe miſſas ſic inſcribi.

Magus Xatama, Cœlum & terram ſuſtinenti.

Eodem amentiæ ante devenerat Domitianus Imperator, qui pari arrogantia, nefandâ illa, atque impiâ, cum procuratorum ſuorum dictaret epiſtolam: ſic illam eſt orſus.

Suetonius in Domitiano c. 13.

Dominus, & Deus noſter ſic fieri jubet.

Et hoc primùm in eo arrogantiæ inſolentioris, cui mox acceſſit & alterum, quod inſtituit, cavitque, ne poſthac, aut ſcripto, aut ſermone etiam familiari, aliter appellaretur quàm *Dominus, & Deus noſter.* Hinc fluxerunt cujuſdam Poëtæ aſſentatoris verſiculi.

Edictum Domini, Deique noſtri,
Quo ſubſellia certiora fiunt.

Et hæc Domitiani arrogantia in Cœlos, in Deum ipſum: iſta in terras, quòd in Capitulio, non alias ſibi ſtatuas erigi voluerit quàm aureas, vel argenteas, ſumptu ſanè maximo, quo exhauriri & provinciæ potuerunt.

Caius Princeps ſeipſum inter divos retulit, & Jovis maximi nomine ſtatuas erigi ſibi imperavit.

Salmoneus tonitrua mentitus eſt, ut deitatis opinionem ſibi vindicaret; ſed & ipſe à Jovis fulmine ad inferos demerſus eſt.

Alios ejuſdem faſtus impotentioris memorat Clemens Alexandrinus in admonitione ad gentes.

Ceas, inquit, filius Heoli
Ptolomeus quartus
Mitridates Ponticus.
Alexander magnus.

Menecrates medicus, qui nullam ab his quibus medebatur mercedem ſolebat accipere, ſed hoc unum dumtaxat poſtulabat, ut à morbo liberi ſe ipſius mancipatent ſervituti, eumque *Iovem* appellarent.

Alexarchus grammaticus: ecce quo ſeſe demittit ſuperbia, etiam ad Grammaticulos, è quibus fuit etiam *Rheminus Palæmon*, & ipſe grammaticus, qui gloriabatur ſecum natas eſſe litteras, & demum etiam ſecum morituras veluti cum ſcientiarum Deo: ecce quo ſtultitiæ evadit ſuperbia: homunculos è luto, argillaque malè fictus, modò Deos facit, aut Diis pares, modò ſideribus agnatos, uti & fecit Sapor Rex Perſarum, qui vocavit ſe *Regem Regum, participem ſiderum, ſolis ac lunæ fratrem*, ut teſtatur Herodotus.

Herodotus l. 2. hiſtor.

Et hi quidem omnes impii, atque in Deum ac ſuperos injurii: & quia Alexandri magni jam verbulo memini, non poſſum non hîc attexere, quæ de illo narrat Ephippus Olinthius libro de Alexandri, atque Hæphelſtionis interitu.

Aureus, inquit, illi thronus erat; quaſi in paradiſo poſitus, thorique pedes argenteos habentes, in quibus ſedens, unà cum amicis jura dabat, alio tamen atque alio habitu: modò enim ſacras etiam in cœnis geſtabat veſtes, modò purpureas, modò ipſius quaſi *Hammonis* circumciſam togam, & cornua, veluti Deus; modò verò *Pallada*, quam in curru geſtabat, ac ſæpius ſupra humeros perſicam ſtolam ſubtexens & arcum & haſtam, modò *Mercurii* calceos, & petaſum in capite, caduceumque in manibus, modò clavam, & pellem leoninam, velut alter *Hercules*, ut ſeipſe cum tot Diis componeret, quod faſtus erat inſolentioris: quod ſubjicio mollitiem olebat, atque luxuriam. Conſpergebat enim pavimentum unguento pretioſo, vinoque odorifero, Myrrhâ, & aliis ſuffimentis: ſibi etiam ſuffumigari patiebatur, ut Diis erat ſolitum.

Ecce quo veſaniæ delabitur humanus animus, ubi vel ſemel ſuperbiæ ſe commiſeris, ubi malè ſanos illius amores induerit: uti & induit *Caius Caligula* Imperator, cujus habitum dum deſcribit *Suetonius*, deſcribit & faſtum. *Veſtitu*, inquit, *calceatuque, & cætero habitu, neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem, ac denique nec humano ſemper uſus eſt: ſæpè depictas gemmataſque indutus penulas, manuleatus & armillatus in publicum proceſſit, aliquando ſericatus & cycladatus, ac modò in crepidis vel cothurnis, modò in ſpeculatoria caligâ, nonnunquam ſocco muliebri, plerumque verò aurea barba, fulmen tenens, ac fuſcinam, aut caduceum, Deorum inſignia: atque etiam veneris cultu conſpectus eſt.* Ecce faſtum, ecce ſuperbiam unius homuncionis, qui ſui penitus oblitus eo evadit, ut externo habitu eſſe velit inter Deos, & modò Jovem, modò Mercurium, modò etiam Neptunum fuſcinâ, ceu Tridente, mentiri; imò quod putidum erat etiam molliculæ veneris amores.

In Caio Caligula c. 52.

His addo *Empedoclem*, qui ut Deus haberetur, in *Ætnæ* verticem ſubiit, & inde in flammarum vorticem ſe præcipitavit: ſed ex crepida ferrata, quam flammæ evomuerunt, agnitus, & ſibilo omnium vaniſſima ejus mors excepta eſt.

Vidiſti,

Vidiſti, benevole Lector, non homines; ſed hominum monſtra inviſa ſuperis, inviſa & Deo: accipe alios etiam hominibus inviſos. Ex his fuit *Maximinus junior*, qui ſibi genua nonunquam, & pedes oſculari patiebatur, etiam à Senatoribus, quod nunquam eſt paſſus *ſenior Maximinus*, qui & dicere ſolitus: *Dii prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat*: quod ſi animo, memoriq́ue mente impreſſiſſet filius, à parentis modeſtia degener non fuiſſet.

Maximino juniori addo *Cyrum*, qui immani ſuperbia elementis iraſci, atque ab iis exigere reverentiam non eſt veritus.

Demetrium Poliorcetem, Antigoni Macedoniæ Regis filium, qui pro ea, quæ erat arrogantia, Athenienſium Legatos bienniom ſuſpenſos tenuit ſine colloquio, ac demum nec auditos quidem reverti juſſit. Alii nec faciem quidem ſuam videri paſſi ſunt, quidam ne veſtigia quidem teri. Ex his fuit *Bagdati Califa*, qui ſemel quotannis feſto Paſchatis die, ſecundum ripam Tigris obambulare ſolus, cæteris omnibus navi vectis: Regis porrò veſtigia ita religiosè adhibitis cuſtodibus obſervari ſolita, ut toto illo anno nemo illa premere ſub pœna capitis auderet. ita Rabbi Beniaminus.

Mitto alios, ne chartam onerem tam infandis mortalium vitiis, atque faſtu: venio ad illata quondam eis ſupplicia; *rarò enim antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo*, varios & Superbum.

§. 3.

Quomodo Deo judice ac vindice punita, atque edomita hominum Superbia?

Psal. 118. DIvus Hilarius Pictavorum Epiſcopus in illud Pſalmiſtæ, *Increpaſti ſuperbos*, plurima, inquit, ſunt humanorum vitiorum crimina, & diverſæ atque *innumerabiles peccatorum operationes: ſed nulla magis provocanda in nos ira Dei, quam ſuperbia, cauſa eſt.*

Ratio eſt in aperto, quia ſuperbia Deum ipſum impetit, ideoq́ue & illius in ſe iram provocat, provocat & fulmina, flammarumq́ue globos in tumentia capita, in quæ Cœlum ipſum detonat. Expoſitam ſub dio ollam fictilem (ut lutum prius areſceret, quàm in fornace torreretur) interrogavit imber, Quidnam rei eſſet? Illa verò ſe dolium eſſe reſpondit. Dolium, inquit, imber, in quo vinum condi ſolet, quod nos aquæ odimus. Peribis igitur, & ollam deſiecit, confregitq́ue.

Fabella eſt, doctumq́ue commentum, è quo tamen erui poteſt hæc veritas.

Superbus ad inſtar ollæ fictilis & luteæ, inflatæ tamen & tumentis, & vento plenæ, plenæ & vino, in quo alti, id eſt ſuperbi ſpiritus, quibus extinguendis ac ſuffocandis immittitur grando, nix, glacies, & ſpiritus procellarum; hoc eſt, ut clarius eloquar, in quos explicatur vindex Dei manus: quod hic oſtendere mihi eſt animus, tum è ſacris, tum è profanis hiſtoriarum monumentis.

I. Sennacherib. Ex illis petetur *Sennacherib*, Aſſyriorum Rex, eo uſus aliquando Deus, ſeu inſtrumento, ſeu etiam flagello, quo Iſraëlem, aliosq́ue populos cæderet: ſic enim de illo Iſaiæ voce, calamoq́ue.

Cap. 10. v. 12. *Cum compleverit Dominus cuncta opera ſua in monte Sion, & in Ieruſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorum ejus: dixit enim in fortitudine manus mea feci, & in ſapientiâ meâ intellexi, & abſtuli terminos populorum, &*
v. 13. *Principes eorum deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes, & invenit quaſi nidum manus mea, fortitudinem populorum: & ſicut colliguntur ova,*
v. 14. *quæ derelicta ſunt: ſic univerſam terram ego congregavi, & non fuit qui moveret pennam, & aperiret os, & ganniret.*

Vidiſti ex ipſis ſcripturæ oraculis, *magnificum Cor Aſſyrii*, ſpectaſti *altitudinem oculorum ejus*, manus avidas in prædam, manus inſulentes audiſti; dicit enim *in fortitudine manus mea* feci hæc omnia: excipe, quid inde de illo iratum Numen:

Viam tuam ego præſcivi, & furorem tuum contra me: 4. Reg. c. 19.
inſaniſti in me, & ſuperbia tua aſcendit in aures meas, v. 28.
ponam itaque circulum in naribus tuis, & camum in labiis tuis, & reducam te in viam per quam veniſti.

Et hæc prima de ſonte pœna, hoc primum ſupplicii genus, quo tumentem Aſſyrii animum objicit, ac deprimit, cùm trahit inſtar vilis alicujus jumenti, & circumducit quocumque lubet.

Alterum fuit quo eadem vindicis Dei manus ſeſe aperuit, exemitq́ue ferrum in exercitum illius, à cujus tamen conſpectu ſilebat terra præ ſtupore, atque horrore. *Venit enim Angelus Domini, & per-* v. 35.
cuſſit in caſtris Aſſyriorum in nocte illa centum octoginta quinque millia. Ecce cædes, ecce ſtrages propè immenſa, in qua cadit exercitus ipſe veluti debita divinæ Iuſtitiæ victima: in qua tamen hæc non ſtetit; tranſiit enim ad noxium Cœlo caput, ad ipſummet Sennacherib, eumq́ue è vivis extulit, non hoſtili ferro, non adverſa manu, non armata acie; ſed ipſo filiorum gladio, quem etiam ſtrinxerunt in parentem, ruptis etiam ſolutiſq́ue ipſis naturæ vinculis: de illis ſic Regum Annales.

Cumq́, diluculo ſurrexiſſet, vidit omnia corpora mor- v. 36.
tuorum. & recedens abiit, & reverſus eſt Sennacherib Rex Aſſyriorum, & manſit in Ninive. Cumq́, adoraret v. 37.
in Templo Neſroch Deum ſuum, Adramelech, & Saraſar filii ejus percuſſerunt eum gladio.

Ecce quem nec populi, nec Reges, nec Regna, nec Imperia, nec ferratæ acies, armaq́ue ſuſtulerunt, ſuſtulerunt filii duo, quem tamen ea accepto ſanguine, ex naturæ lege, ex inſito amore, arctaq́ue neceſſitudine ſervare debuiſſent: ita nimirum etiam in parentem filios armat Deus, armat & Cœlum, ne terram diutius gravet atque oneret ſuperbum inviſumq́ue Superis caput.

Sennacheribo jungam Nabuchodonoſorem, qui Daniel. c. 3. v. 1.
anno Regni ſui ſeptimo ſupra trigeſimum, Statuam auream erexit in Campo Dura Provinciæ Babylonicæ. Non fuit ea ſtatua *Beli*, aut unius è Diis; ſed ipſiuſmet Nabuchodonoſoris, in qua ſeipſum adorari voluit, impotenti auſu, & faſtu nefario: de quo ſic D. Hieronymus.

Velox eſt oblivio veritatis, ut qui dudum ſervum Dei, quaſi Deum adoraverat, nunc ſtatuam ſibi fieri jubeat, ut ipſe quaſi Deus in ſtatua adoretur.

Inconſtans ac volubile illius ingenium, faſtum-
q́ue impotentiorem inultum eſſe diu non eſt paſſus II. Nabuchodonoſor.
qui ſuperbos deſpicit ex alto Deus, ut eos deprimat. Anno quippè proximè ſequenti, hoc eſt Regni illius trigeſimo octavo, ejectus eſt Regno, & mutatus in beſtiam, atque per annos ſeptem in ſylvis, ac nemoribus, ut beſtia inter beſtias vixit. Et hæc illi Cœlo vindice pœna, cui præluſit Deus objecta illi in ſomnis arboris imagine, de qua ſic ille ipſe Nabuchodonoſor.

Viſio capitis mei in cubili meo: videbam, & ecce Daniel. c. 4. v. 7.
arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia.

Magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens Verſ. 8.
Cœlum, & aſpectus illius erat uſque ad terminos univerſæ terræ.

Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & eſ-
ca univerſorum in ea, & ſubter eam habitabant animalia Verſ. 9.
& beſtiæ, & in ramis ejus converſabantur volucres Cœli, & ex ea veſcebatur omnis caro.

Hanc dum animo ſpectat in amœna ſomni unius imagine non ſine amabili ſtupore.

Ecce objicitur illi vigil, & ſanctus, qui de Cœlo deſ- Verſ. 10.
cendit, clamatq́ue fortiter, & ait:

Succidite arborem, & præciſdite ramos ejus, excutite

folia,

folia, & diſpergite fructus ejus, fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis ejus.

Et hoc fuit tonitru divinæ vocis, quæ illius aures, animumque ferit: ſed & illud maximè.

Alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis, quæ foris
verſ. 12. *ſunt, & rore Cœli tingatur, & cum feris pars ejus in herba terræ.*

verſ. 13. *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, & ſeptem tempora mutentur ſuper eum.*

Et hoc fulmen fuit irati numinis, quod ejus oculos perculit, & animum, maximè verò poſtquam
verſ. 17. interprete Daniele audiit: *Arborem, quam vidiſti, tu*
es Rex: magnificatus es, & invaluiſti, & magnitudo tua
verſ. 19. *crevit, & pervenit uſque ad Cœlum, & poteſtas tua in terminos univerſæ terræ.*

Et hæc poteſtas indulgentis Cœli beneficium fuit, quod quia non agnoviſti, hæc tibi vigil, & Sanctus, hæc Angelus Domini Cœlo delapſus.

verſ. 22. *Ejicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſque erit habitatio tua: & fœnum ut bos comedes.*

Et hæc Cœlo judice in eum ſententia, an verò ſecundum illam exuerit quidquid habebat hominis, & induerit quod erat beſtiæ, quod feræ? Lis eſt inter authores, in qua ego pronuntiabo quod videbitur vero propius.

Non exuit rationalem animam, non amiſit quod erat hominis, nec induit, quod erat beſtiæ, quod & feræ, quod bovis, aut leonis, aut biſontis, neque hujus, aut illorum animas admiſit: tum enim nec homo fuiſſet, neque Rex; adeoque nec homo punitus, neque Rex, quod tamen ex æquitate fieri debuit, & re etiam ipſa factum; ſed retenta eadem anima rationali, retento & eodem etiam corpore, humana ſenſatio ita mutata, ita ablatus illi rationis uſus, ut jam non uteretur niſi phantaſia, eaque ferinâ.

Hinc & ſe beſtiam credere, & mutato tum cordis, tum corporis temperamento efferari totus, atque intrinſecus habitu eſſe ferino potius quàm humano: nam & nudus incedere, & omnibus Cœli injuriis patêre, ut ſolent feræ, facies etiam accedens ad ferinam, ungues promiſſi, ut avibus, capilli effuſi in totum corpus, quod tegebat; inceſſus etiam ferinus, reptabat enim ut fera, & fœno veſcebatur ut beſtiæ, & mugiebat ut bos, & jubas explicabat ut leo: addunt aliqui Regis hujus genuum vertebras inverſas fuiſſe, ita ut retrorſum quadrupedum more prominerent, idque ut paſt cum bobus celeritate curreret, & inæqualia loca tranſiliret: nam ſi genua ejus introrſum humano modo plicata fuiſſent, fuiſſet ipſe ad talem motum ac ſaltum planè ineptus.

Sed ne longior interpretum ſit iſte labor; noſter hic in eo explicabitur, ut doceamus cur in belluam mutatus? Cur & ſuperbiæ Cœlo judice decernitur iſta pœna? Quæ inquam ratio? Scio, apud ſupremum judicem pro omni ratione, eſſe illius voluntatem; hæc enim inſtar rationum omnium; imò hæc prima eſt & ſumma ratio; ſi tamen mortali fas eſt ſuam adjungere; hanc & adjunxit D. Gregorius.

Lib. 5. Mor. c. 6. *Quia ſe ſuper homines extulit, ipſum quem communem cum hominibus ſenſum habuit, amiſit.* Amiſit, inquam, atque in beſtiam tranſiit, Metamorphoſi ſanè pudenda.

Quam & expertus eſt *Verdates*, Armeniæ Rex:
III. Verdanes Rex Armeniæ. hic diris modis, immanique modo in Chriſtianos ſæviit Divinarum Legum, Deique contemptor; ſui amantior altoque inprimis ſupercilio. Quid deinde ab illa, ſeu immanitate, ſeu etiam ſuperbia? quæve Metamorphoſis? Abjecta prorſus atque infamis: con-
Surius Tom. 9. verſus enim eſt in porcum. Sordidum, ac viliſſimum genus animalis. in quod enim aliud vertatur ſuperbus? Ea nimirum ferè pœna tumentibus illis, atque elatis infligi ſolet.

Poëtæ in docta commenta faciles, eos omnes qui à ſuo faſtu tumidi, ſeſe ſupra ſe extulerunt, affectantes etiam ipſam divinitatem, in beſtias mutatos eſſe volunt.

Aracgne in araneam verſa, quòd texendi artificio Xenophon.
Palladem provocaſſet. Ulyſſis ſocii in porcos converſi, & à *Circa* illecebris dementati, Homero authore. Juſto ſanè Dei judicio, ut qui impotenti faſtu ſupra ſe eſſe voluerit, ſit infra ſe.

Ex his fuit *Pharao*, cujus ex quondam voces, e IV. Pharao.
ſuperbæ illæ, blaſphemæ, atque impiæ, *neſcio Dominum*: neſciebat enimverò Dominum, neſciebat, & Deum, cùm à Moyſe ejus imperio dimittere populum jubebatur, at ſuo malo didicit, & in Cœlis eſſe Dominum, & in terris etiam vindicem: ut enim ſcitè advertit D. Chryſoſtomus.

Inſolentia ad humilitatis barathrum, Pharaonem detruſit; neſcire namque Dominum dicebat, & ranis, ac muſcis deterior factus eſt, cùm ab animalculis illis victus, proſtratuſque eſt. Poſtremo denique, cum ipſis armis, equiſque ſubmerſus eſt. Hom. 26. in cap. 20. Matth.

Sed antiqua, inquies, ſunt iſta, & longo ſæculorum lapſu detrita, demus unum, quod recentioris eſt memoriæ, & in quo inſatiabilis quædam eſt gloriæ, honoriſque ſacri cupiditas, extimulante ſuperbia, atque ambitione.

Erit *Wolſæus* Anglus, qui ex ima ſorte, ex ſacerdote plebeio, factus primò Sacellanus Epiſcopi Vincestriæ, inde Regi ab eleëmoſynis, tum Epiſcopus Lincolniæ, ac deinde Archiepiſcopus Eboracenſis, exinde Angliæ Cancellarius, denique etiam Legatus à latere, ita per eas dignitates, veluti quoſdam gradus, aſcendit ea dominandi libido, quæ tamen ibi non ſtetit; nam & omnes Regni infulas diſtribuit, omnia deglutivit ſacerdotia, & tot inter avaræ ambitioſæque mentis faſtigia, etiam regios favores, ac gratiam ita occupavit, ut eum Rex Patris loco coleret, obſervaretque; imò & ipſe Carolus V. Imperator ad eum ſcribens, ſe ejus cognatum, & filium nominaret, neque tamen his expleri potuit inſans gloriæ majoris aviditas, ad altiora ſemper aſpexit, & quidem ad Papatum, in quo quia *Adrianum* Belgam ſibi prælatum vidit, Regnum Angliæ univerſum, ſuſque deque vertit, ſchiſmaque fœdum induxit, & cùm etiam pejora moliretur, tandem Cœlo vindice in carcerem conjectus eſt, ibique vitam prius exinxit, quàm gloriæ cupiditatem.

Ecce quos cœcæ ambitioni ac ſuperbiæ terminos poſuit cœleſtis ira, vindexque Dei manus: benè habet ſi decreta illi ſupplicia contineantur intra vitæ hujus mortalis cancellos, nec extendantur in ipſam æternitatem. ne porrò extendantur, proponenda erunt opportuna tanto malo remedia.

§. 4.

Afferuntur aliqua humanæ ambitionis, atque inſoleſcentis Superbiæ remedia.

IN natura primi parentis culpâ jam inde à mundi Primum.
cunis vitiatâ, eſt neſcio quis gloriolæ appetitus, appetitus & honoris, quo quis & ſe ſupra cæteros facilè extollit; imò & ſupra ſe, qui primus eſt gradus Superbiæ. Et hic appetitus reprimi debet juſto metu. Quiſquis enim eum in ſe ſenſerit exoriri, metuat ille dolos, & mali dæmonis fraudes, quaſi ignem ſub cinere doloſo.

Ad B. Simonem Stylitem ſeniorem advenit dæmon ementita ſpecie boni Angeli, Angeli utique lucis, & quidem cum curru igneo, & equis pariter In ejus vita
igneis & hæc illi. *Audi ſerve Dei, quæ tibi per me de* c. 4. 7.
Cœlo Dominus. Illius ſum Angelus, illius & nuntius, ab eo emiſſus è ſuperum regia, ut te in hoc igneo curru, & his equis igneis in ſumma cœlorum rapiam, ut olim Eliam rapui. Agedum ergo, excede è

columna

columna, & currum hunc conſcende, tempus enim tuum advenit; & decreta à Deo gloriæ tuæ ſedes.

Cui Simeon plus æquo credulus: *O Domine, tu me peccatorem in Cælum rapere?* Dixit & ſimul dextrum pedem è columna ſua extulit, & propè in currum intulit: ſed & ſimul manu dextrâ ſignum Crucis in fronte effinxit. Et ecce illicò evaneſcere & Angelus & currus, & equi, & omnis ille mali dæmonis apparatus, ſimulque detectæ fraudes & doli, Simeonque probè doctus, nihil in vita tutum, ſecurum nihil, quod altum ſit; altum & timere, & horrere etiam doctus: ut & tu timeas & horreas, Amice Lector, unaque tibi caveas, ne aliquando tibi veniat *pes ſuperbiæ*: certè ab illo ſibi cautum benè voluit Regius Vates, cùm ita ad Deum ſupplex.

Pſal. 35. v. 12.

Non veniat mihi pes ſuperbiæ; pes, ait, non pedes: neque enim vel primum illius pedem, primumque veluti gradum admittere voluit Rex magnus. Quis ille quæris? eſt aliqua in ſuis virtutibus ac meritis confidentia; aliqua & præſumptio, enataque inde gloriola. Ab ea ita ſibi cavit Anachoreta ille, de quo Sulpitius, licet ſanctiſſimus & dæmonum fugator acerrimus, ut à Deo ſupplex petierit ad menſes quinque ſimilis illis fieri, quos curarat, ne vel minimam vanitatis auram afflatumque pateretur. Et ita factum eſt annuente numine, qui dæmones è corporibus, veluti è malè uſurpatis hoſpitiis, expulerat, ipſemet à dæmone poſſeſſus, & peſſimè habitus eſt; ita nimirum maluit à malo dæmone poſſideri, quàm leviter à vana gloria attingi: quod hîc ſtylo notandum duxi, ut inde tibi petatur primum adverſus ſuperbiam remedium. Cui adjicio ſecundum. Erit illud à miſerabili eorum lapſu, qui altiora ſe ſectati, ad ima deciderunt, ſibi primùm injurii, dein & noxii non ſibi tantùm, ſed & ipſi Univerſo.

Dialog. 1. c. 14.

Secundum. Exempla dabunt ingenioſa quædam Poëtarum commenta, inter quæ & illud facilè princeps, quod de *Phaëthonte* Ovidius. Petierat ille à Phœbo ut ſolis equos regeret, paternumque currum totis Cœlorum orbibus circumduceret: rexit enimverò, & circumduxit, ſed ſuo & orbis malo: dum enim equos huc illucque extra ſuos fines ac metas currentes cohibere non poteſt, penè totus arſit hic ſublunaris mundus.

Quod Phaëthonti, hoc & ſuperbis illis honorum dignitatumque candidatis: dum enim hi, in has & illos incautius atque ardentius involant, nec ſe continent à flagitiis, nec alios ſuæ curæ creditos prohibent, itaque ſusque deque vertuntur omnia.

Quod Phaëtonti, quod & his, hoc etiam Icario: monitus hic à Patre Dædalo, ut ſe volantem ſequeretur pari tramite, volatu pari, nec altiùs aſſurgeret, nec ſe demitteret inferius; auſu juvenili, ac temeritate, nimis alta ſectatus, liquefactis immodico ſolis ardore pennis in mare præceps decidit, & aquis nomen fecit: ut enim Poëta

Icarus Icarias nomine fecit aquas.

Quod Icaro quondam è veterum fabellis: hoc ex veritate ambitioſis illis, qui ſuis viribus majora moliuntur, & in ipſos quodammodo Cœlos evolant, ſoliſque domum, temerario ſanè & ſtulto volatu, & faſtu inſolentiore, à quo remedium huic malo petes, Amice Lector, alieno periculo, malóve probè doctus, uti & docti illi, qui dignitates tum profanas, tum etiam ſacras, inſigni prorſus ac pertinaci deſpicientia rejecerunt, quorum exempla his adjiciam, & primò quidem è profanis petita, tum etiam è ſacris: non inficior ſubinde ad dignitatum faſtigia unum aliquem aſcendere poſſe ſine nævo, maximè ſi eo provehatur non tam ſuo ſtudio, quàm alieno.

Scio & ſtatuas, & columnas alicui erigi poſſe, veluti trophæa quædam virtuti debita; imò & admitti.

Ita *Demetrio Phalereo*, viro à prudentia, eruditione, rebusque præclarè geſtis prorſus ſingulari, Athenienſes ob adminiſtratam decem annis Rempub. tot æreas ſtatuas erexerunt, quot erant in anno dies, id eſt trecentas ſexaginta, ex quibus plures equeſtres erant, & in curribus ac bigis ſtabant: ſic enim de illo ſcripſit Varro. *Tot ſtatuas adeptum fuiſſe, quot luces habet annus abſolutus.*

Has porrò ſtatuas vidit & tulit Demetrius, neque in eo modeſtiæ ac virtutis detrimentum ullum eſt paſſus: ſed potius, cùm audiſſet eas ab Athenienſibus anno hunc numerum dierum non excedente, omninò dirutas, atque everſas, vel invidorum malevolentia, vel etiam inconſtantia vulgi, adjecit illud dignum Demetrio. *At virtutem illi non everterunt, cujus tamen gratiâ illas erexerant.*

Maneat ergò fixum iſtud firmumque; virtuti excitari poſſe trophæa, poſſe & admitti, ſine vanæ ambitionis ac ſuperbiæ nota: quod ut verum ſit; at verum etiam illud, ea demiſſionis ac modeſtiæ genio poſſe recuſari.

Et ita recuſavit Auguſtus, de quo ita Suetonius: *In Auguſto c. 52.*
Templa quamvis ſciret etiam proconſulibus decerni ſolere, in nullâ tamen provinciâ, niſi communi ſuo Romæque nomine, recepit: nam in urbe quidem pertinaciſſimè abſtinuit hoc honore, atque etiam argenteas ſtatuas, olim ſibi poſitas, conflavit omnes, ex quibus aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit.

Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus eſt, & *Domini* appellationem, ut maledictam, & opprobrium, ſemper exhorruit: in quo ſanè & eos perculit, damnavitque, qui pretioſos titulos, altaque affectant nomina; imò & prima in terris ſubſellia, contra naturæ, rationiſque leges, contra Chriſtianæ demiſſionis ordinem, & pacta quæ ſuadent, imò præcipiunt, ea omni conatu animique molimine rejici.

Et ita rejecerunt præcelſæ in terris animæ, è multis paucas in medium adducam.

S. Alexander Acœmetus, Abbas, Epiſcopo vitâ functo, & Cleri calculo, & populi ſuffragiis in Epiſcopum depoſcebatur, & eò quidem ut nulla eſſet evadendi via, nam & portæ Civitatis occluſæ (ne eſſet effugii locus) & populorum undæ undique & undique effluebant. Quid igitur conſilii? Quod effugii? Illud certè, quod olim Paulo, nocte quippè intempeſta per murum demiſſus eſt in ſporta, atque à diſcipulis exceptus, & vim concurrentis populi eluſit, & Cleri vota.

Ejuſdem animi fuit *S. Ephrem Syrus*, qui volens abiit à mente, ut longiùs abiret ab Inſula Epiſcopali, ad quam excipiendam cogebatur. Convenerat in forum ingens populus, eo conſilio, ut viro Dei manus injiceret, etiam violentas, raperetque vel invitum in paratum ſibi thronum. *1. Febr.*

Quæ effugiendi ratio? Eam invenit, quæ urgebat neceſſitas: in forum venit ipſe, ſed veſte incompoſita, oculo gyrovago, nutante greſſu, amentis inſtar: quem ut vidit effuſa multitudo, rata eum abiiſſe de mentis poteſtate, liberum dimiſit: ita dum ſtultus amat videri vir ſanctus, Cœlo teſte, ac judice, ſapiens audiit: uti & *S. Fortherrus*, qui cùm eſſet violentâ manu adactus ad Epiſcopatum, admiſit tandem; ſed poſt triduum etiam dimiſit: adeò Inſulam Pedumque averſantur excelſæ mentes: quo in genere vix quicquam illuſtrius eo, quod de *S. Nilammone* Eremita recluſo, memorant illius vitæ ſcriptores. *17. Febr.* *15. Ian.*

Hic cùm ad Epiſcopatum vocaretur, vel unius diei inducias petiit, dum interim, cum Deo ageret, & à Cœlo conſilium peteret, petiit enimverò, & quod in votis erat impetravit: orans enim vitam

hauc mortalem reliqoit, ut Epiſcopatum in terris relinqueret: nimirum mors illi gratior accidit quàm Infula, & ita accidit iis omnibus, qui æqua judicii lance ponderant quod latitat ſub illa pondus.

13. Febr. *B. Iordano*, Ordinis Prædicatorum Generali magiſtro, cùm facta eſſet mentio cujuſdam fratris, inter ſuos noræ doctrinæ ac virtutis, quòd brevi eſſet evocandus ad Iufulam Epiſcopalem, huc votum adjecit dignum ſe, dignum & poſteris.

Mallem videre eum portari in feretro ad tumulum, quàm in Cathedra exaltari ad Epiſcopatum.

Nempe hic ſenſus eorum, quibus magis oculata mens eſt, & altior divinorum intelligentia, amorque Chriſtianæ demiſſionis, quæ ea omnia deſpicit, quæ mundus ſoſpicit.

Et ita deſpexit *S. Vincentius Ferrarienſis*, qui & Epiſcopatum & Cardinalitiam dignitatem recuſavit.

Ita B. Conrardus Comitis de Seyve filius, qui Leodii è D. Lamberti Canonico factus eſt Monachus Villarienſis, è Monacho Abbas, ex Abbate Epiſcopus Portuenſis, & Cardinalis, è Cardinali communibus ſuffragiis ad Papatum vocatus, quem tamen non admiſit ex ſtudio demiſſionis, cujus erat amantior, & quam teſtatus in ultima vitæ periodo, in qua & has voces effudit animi ſui teſtes.

Vtinam uſque in hanc horam in Villario ſub diſciplina vixiſſem regulari, & cum culina heddomadarius ibidem ſcutellas abluiſſem.

Ecce vota ingentis animi, omni dignitatis faſtigio altioris: eadem & *B. Henrici Abbatis* Ciſtercienſis, qui & ipſe creatus Cardinalis Pontificiam Majeſtatem, à ſe quàm longiſſimè remotam voluit: uti & *B. Celeſtinus* Papa, qui etiam admiſſam cauit, atque abjecit, raro ſanè humilitatis exemplo, quod mirari volet omnis poſteritas, imitari verò, aut omninò pauci, aut nulli: ſed ne longius, plena ejuſmodi exemplis relicta poſteris hiſtoriarum monumenta, è quibus hæc pauca eruere viſum eſt, ad aliquod certè remedium adverſus inſurgentes ſuperbiæ motus, æſtuſque ambitionis impotentiores.

TRACTATUS SEPTIMUS

DE ACEDIA.

PECCATA Capitalia ſunt omninò ſeptem, quæ. qui dixerit eſſe hydram, ſeptem etiam capitum, is non aberrabit à vero. De aliis pauca jam attigi, de hac in præſentia mihi erit diſceptatio, eaque inſtituta ad illius odium fugamque.

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa Prophetæ Regii verba: *Dormitavit anima mea præ tædio.* Pſ. 118. v. 28.

GRæcè legimus ἀκηδία, hoc eſt *Acedia*, quaſi ab hac irrepat ſomnus, iſque ſubinde etiam letalis, ſi videlicet ſaluti, ſi animæ officiat, ſi à Deo avertat quàm maximè, ſi quaſi letargo mentem obruat: nec ſibi invigilare patiatur, nec Cœlo vocanti vigilare.

D. Hieronymus vertit: *diſtillavit anima mea præ tædio*, Metaphora petita à ſtillis, ſive guttis, quæ leni quidem, ſed tamen pernicioſo lapſu ſenſim decidunt, & tabulata quantumvis ſolida lenta alluvie terunt, atque evertunt.

De his aliquando graviter queſtus Cœleſtis Animarum ſponſus, dum ad ſponſam, aut ſororem, id eſt animam, ſibi aditum parare ſatagit etiam in alta illius peccati nocte; in qua ſic ad eam.

Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, quia
Cant. c. 5. v. 2. *caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.*

Sororem vocat quodam veluti naturæ vinculo illigatam, atque adſtrictam.

Amicam intimo quodam amoris nexu copulatam. Denique & *Columbam* caſto quodam connubii jure connexam; à qua ſibi concubia nocte januam aperiri operosè flagitat, & rationem hanc adjicit, quia *caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.*

At quænam illæ guttæ noctium, quæ ſponſæ caput inficiunt, & quodammodo deturpant, arcentque etiam ab aditu in domum ſponſæ, ideſt animæ, dum moras nectit illa quaſi dormitabunda, imò altiùs ſopita? Guttæ illæ eſt tepor, eſt acedia, qua dum opprimitur anima, nec ſponſum admittit, nec Deum, etſi ad oſtium illius pulſet per ſecretas inſpirationes: imò, & ſi fortè ſubintrarit, illum ejicit, atque exire compellit. De quo, mihi ni non ſit fides, erit certè Sapienti: ſic ille quondam in proverbiis.

Stillicidia ejiciunt hominem in die hyemali de domo Prov. c. 27. v. 15.
ſua, uti vertunt Septuaginta.

Erat anima Dei, ceu ſponſi, veluti domus: ea ea ejicitur depelliturque in die hyemali, hoc eſt frigido, nec à Dei, ceu ſponſi amore jam calentis, & ſtillicidia patientis à tepore, ab acedia: ut hanc, & illum excutiat D. Ambroſius, ſic ad animam Chriſti ſponſam.

Vides igitur quod Deus & otioſum provocat, & dor- In Pſal. 118.
mientem excitat. Qui enim venit, & januam pulſat, vult ſemper intrare: ſed in nobis eſt, quod non ſemper ingrediatur, non ſemper maneat: aperi ergò illi, vult introire. vult ſponſam invenire vigilantem: noli ergò bono amatori facere moras, citò recedit, & in ſomno torporis tui videris excluſiſſe pulſantem: excludis enim cùm deſidioſus es. Hactenus Ambroſius, qui deſidiæ, acediæque malum ex eo colligit, quòd Deum excludat, quod non fit ſine letali noxa, ut magis patebit ex dicendis.

§. I.

Quid ſit Acedia?

A*Cedia* preſſius definita dicitur & eſt *triſtitia de bono divino, in quantum divinum eſt.*

Cui definitioni conſona eſt illa D. Thomæ, Do- 2. 2 q. 35. art. 2.
ctoris Angelici, ex qua *Acedia eſt tædium benè operandi, & triſtitia de re ſpirituali: vel receſſus mentis à bono ſpirituali divino, cui oportet mentem inhærere ex neceſſitate*: quæ definitio ut ponatur in aperto, & clariore luce; ſingula erunt accuratiùs expendenda.

Primùm enim dicitur *triſtitia* quædam *de bono ſpi-* I.
rituali: & ſic convenit cum aliis peccatis, nec eſt ſpe- Definitio
ciale, aut unum de ſeptem capitalibus: habet enim Acediæ.
id commune cum omnibus aliis, ut refugiat bonum ſpirituale virtutis ſibi oppoſitæ, ideſt charitatis, quæ gaudet de bono ſpiritali. Ita ſuperbia abhorret à bono ſpiritali humilitatis, & luxuria pariter à bono ſpiritali caſtitatis, & ita de aliis vitiis capitalibus, quæque enim averſi ſunt à bono virtutis ſibi contrariæ.

Secundò,

Secundò, eſt *triſtitia*, & horror quidam ſpiritualis honi, in quantum laborioſum eſt, & corpori permoleſtum; atque impedimento delectationi illius & in eo etiam conſpirat cum aliis peccatis, quæ bonum virtutis oppoſitæ averſantur; quia commodò corporia, & illius voluptati adverſantur.

Tertiò denique, eſt triſtitia de bono ſpirituali, in quantum divinum eſt: & ſic aſt peccatum ſpeciale, opponiturque charitati, quæ lætatur de bono divino.

Ea porrò triſtitia eſt peccatum letale, unumque de Capitalibus, ſi pertingat uſque ad conſenſum rationis, quæ ſeſe inclinet ad fugam, & horrorem, & deteſtationem boni divini, carne contra ſpiritum prevalente. Sin autem non attingat uſque conſenſum rationia, ſed in ſola ſenſualitate hæreat, propter repugnantiam corporis ad ſpiritum, eſt dumtaxat veniale peccatum.

Et hæc paucis pro notione illius definitionis, quæ etiam dicitur *Receſſus mentis à bono ſpirituali divino*; *receſſus*, inquam, aut fuga, non greſſu corporis, ſed animi, ſed voluntatis, *à bono ſpirituali divino*, cui neceſſe eſt ut adhæreat, & quidem ut fini ſuo; eſt enim ſpirituale bonum, uti & Deus, ejus finis, à quo dum recedit homo, etiam recedit à fine ſuo, quod perverſum eſt, infame, atque enorme: & in hac perverſitate, infamia, enormitate, ſita eſt omnis Acediæ malitia. Ex qua etiam gignuntur veluti duæ filiæ; à matre ſua peſſima, & ipſæ quàm peſſimæ.

Acediæ filiæ duæ:

I. Impugnatio contriſtantium.

Una eſt *Impugnatio ſpiritualium bonorum contriſtantium*: fit enim neſcio quo naturæ impetu, ut ex impugnes, quæ contriſtant, quæ affligunt; ex quibus & naſcitur

II. Acceſſus ad delectabilia.

Altera Acediæ filia, eaque veluti ſecundò genita, videlicet *Acceſſus ad delectabilia*: ſolet enim evenire, ex perverſa quadam inclinatione naturæ, ut ubi receſſeris à durioribus, accedas ad mollia; ubi abieris à contriſtantibus, tranſeas ad lætiora, & delectabiliora, quæ carnem utique titillent, quæ abblandiantur & ſenſibus, eoſque ad pejora proritent.

Acediæ filiæ ſex.

D. Gregorio Pont. Max. plures aſſignantur eidem Acediæ filiæ: eſt enim fœcunda parens in malum. Ex qua oriuntur hæ:

Deſperatio, quâ ad extremum receditur ab ultimo fine.

Puſillanimitas, quâ receditur ab his, quæ ſunt ad finem, videlicet ab arduis, quæ ſubſunt conſiliis, ſubinde etiam & præceptis.

Torpor, quo receditur, quo abitur à ſpiritualibus, ſpectantibus ad juſtitiam communem, quæ cadit ſub preceptum.

Rancor, qui eſt indignatio contra perſonas, quæ vel ſuaſu, vel etiam exemplo ad bona ſpiritualia inducere nituntur.

Malitia, quæ eſt, cùm quis eò nequitiæ delabitur, ſic eò & inſaniæ, ut triſtetur de bonis ſpiritualibus ac divinis, & ita quidem, ut etiam ea deteſtetur.

Denique *Evagatio mentis* illicita, quæ eſt, quando quis propter incumbens onus triſtitiæ, quod in ſe ſentit, & quo gravari videtur ob ſpiritualia ac divina, ſeſe transfert ad delectabilia, etiam exteriora, faſtidio ſpiritualium ac divinorum.

Et hæ, judice D. Gregorio, *Acediæ* ſunt filiæ, mali corvi mala ova: aliis etiam aliæ.

Otioſitas, cùm omittuntur ea, quæ præcepti ſunt. Somnolentia, cum negligenter implentur præcepta. Importunitas mentis, cùm ſcilicet ejus evagatio circa illicita reſidet in ipſa mentis arce, atque ad diverſa ſeſe effundit.

Curioſitas, cùm indebitè, atque immodice ſeſe effert, atque explicat ad cognoſcenda varia minimè ſibi proficua.

Verboſitas cum indebitè atque immoderatè ſeſe effundit in verba, inaneſque voces, & omnis boni vacuas.

Inquietudo corporis, indicium utique inquietæ mentis, quam indicant corporis ac membrorum motus inordinati, & geſticulationes frequentes atque leviores.

Denique *Inſtabilitas*, quæ ſuadet, atque impellit, vel in mutationem locorum, vel etiam propoſiti: quod levitatis eſt atque inconſtantiæ, ex *Acedia* veluti parente progenitæ. Et hæ ſunt illius quaſi filiæ, quas Divi Patres in ſuis Aſceticis ſcripſerunt, ego in unum veluti cumulum collegi.

Tranſeo ad aliquas Acediæ deſcriptiones, quibus, veluti nativis coloribus eam depingunt, & oculis fideliter exhibent. Eas dabit *Ioannes Climacus*, vir notæ ſanctitatis, & ſacræ eruditionis: ſic ille quondam. — Acediæ deſcriptiones.

Acedia eſt remiſſio animæ, & reſolutio mentis, puſillanimitas exercitationis, odium profeſſionis, mundanorum beatificatrix, detractrix Dei quaſi inviſceroſi, & exiſtentis ſine benignitate, attonita in pſalmodia, infirmans in oratione, in miniſterio ferrea, in opere manuum pigra, in obedientia improba. Hæc ille breviùs, quæ ego paulò fuſiùs.

Acedia, inquit, eſt *remiſſio animæ*: incaluerat illa quondam à calore æſtuque caſti in Deum amoris: at mox ab Acedia, ceu effuſo frigore, non intepuit modò; ſed refrixit tota, & hinc illi etiam *reſolutio mentis*: mens omnis, & cogitatio, quæ in Cœlos intenta erat, & à pura in Deum intentione, ceu arcu benè tenſo, puri etiam amoris ſagittas in Numen Æternum, ceu ſcopum, emittebat, remitti cœpit, & flacceſcere, atque in res creatas inclinari tota, & illis affectus omnes ſuos affigere: & inde etiam aliud malum; videlicet — I. Remiſſio Animæ. II. Reſolutio mentis.

Puſillanimitas exercitationis, erat illi labor, erat exercitatio dura in amoribus, in votis, probè conſcia virtutem non exerceri niſi duris: at in præſentia, à puſillanimitate, de ſua ſtatione veluti dejecta, aſperiora refugit, & aſpirat ad mollia, ad levia, quæ carni blandiuntur ac ſenſibus: & hinc etiam grande neſas, ſcilicet — III. Puſillanimitas exercitationis.

Odium profeſſionis, ſi religioſus es, pœnitet ejuſmodi adiiſſe inſtitutum, tedet arctioris diſciplinæ, pudet religioſæ paupertatis, & obedientiæ jugum, quod olim leve, grave videtur; & caſtitatis illibatæ nitor, qui prius in oculis erat, primiſque curis, jam in poſtremis eſt, atque in odiis. Ecce quæ ab una Acedia malorum caterva: quæ tamen in his non ſiſtit; eſt enim etiam *Mundanorum beatificatrix*. Mundana quippe, quæ aliquando in vanitate repoſuit, quæ ſub pedibus eſſe voluit, modò ſupra caput erigis, modò extollit, laudat, prædicat, & beatos æſtimat, qui iis potiuntur, qui abundant, qui in iis deliciantur, & iis ſeſe involvunt, & mergunt quaſi in ſinu ipſo beatitatis. Ecce quæ metamorphoſis, quæ animi, quæ judicii aberrantis delitia, ea quæ calcaſti ut lutum ſoles, aureum credere atque gemmeum; & hoc quidem ab uno *Acediæ* vitio: tantum intereſt illi ſeſe commiſiſſe. Sed & aliud ab illo ſcelus eſt; eſt quippe *Acedia* etiam *detractrix Dei*: Deum enim qui natura eſt bonus, qui clemens, qui miſericors, ſibi fingit quaſi *inviſceroſum*, ut qui nec viſcera miſericordiæ habeat, nec amantis ubera, nec indulgentiæ ſinum, neque curas Patris ac Conditoris quàm optimi, ſed potiùs è contrà & rupibus durior, & Caucaſo inclementior eſſe videatur. An non ea infamis eſt Deo detractio, & naturæ ipſius injuria, & inimica bonitati? Videri poterat *Acedia* eò proceſſiſſe, quò non daretur ultra; evaſerat enim in Cœlos, Deumque veluti de ſolio ſuo detraxerat: at ex eo delabitur in terras, & omnia virtutum exercitia diſturbat, perfundat, evertit: facit enim ut *Attonita ſit in pſalmodia*: fuit hæc aliquando ſuavis, atque ad aures, animoſque appulit mirè grata: crederes in cœlos ipſos penetraſſe, ſeſeque junxiſſe vel ipſis Angelorum — IV. Odium Profeſſionis. V. Mundanorum beatificatrix. VI. Detractrix Dei. VII. Attonita in Pſalmodia.

 choris,

choris, eo conſilio ut unà cum eis in Dei laudes iret tota, tota ſeſe effunderet, accineretque lætum illud ac cœleſte acroama, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* At ubi eam occupavit *Acedia*, tota *attonita* eſt *pſalmodia*,

VIII. Infirmatus in oratione. in eaque nil niſi ſtupor, tepor, horror, & nefanda quædam *in oratione infirmitas.*

Ab oratione, ceu præſenti Animæ medicina, erat illa ſana, valens, robuſta, nec ſciebat quid eſſet languor, quid tepor immodicus, quid febrile horridumque animi frigus: at ubi eum invaſit Acedia, ſtravitque, tum etiam eum invadunt ſternuntque morbi

IX. Pigritia in opere manuum. propemodum omnes, & inde etiam *pigritia*, & ſegnities quædam *in opere manuum.*

Ad religioſè fallendum tempus, quod ab oratione, & pſalmodia vacuum erat, ſolebant olim Monachi diſtineri aliquo opere manuum: puta in concinnandis ſportulis, everrendis ædibus, templo, cellulis, & hic labor & corpori & animo commodus accidebat: at ubi mentem oppreſſit Acedia, nec laborare vacat, nec operi inſudare, lenta omnia, pigra, otioſa: &

X. Improbitas in obedientia. inde etiam in obedientia quædam *improbitas*: fallit enim atque eludit omne Superioris imperium quiſquis eſt acedioſus: quod ſanè improbitatis eſt, atque infandæ nequitiæ; ut etiam aperient ea, quæ ſubjiciemus.

§. 2.

Qui ſint Acediæ partus, iiq́; quàm infelices, atque damnandi?

IN leges ipſas, & prima juriſprudentiæ placita evaſit adagium iſtud, *Partus ſequitur ventrem*, hoc eſt matrem: ſi libera ſit hæc, & ſui juris; partus etiam eſt liber, & ſuus: ſin autem ſerva, & in alterius poteſtate atque dominio, etiam partus ſervus erit, & alterius veluti mancipium. Quid facias? ea eſt ventris infelicitas, talem effundit partum qualis eſt ipſe. Quod ventri, id eſt matri, hoc etiam Acediæ, quæ multarum veluti prolium eſt parens; ſed miſera, ſed paupercula, ſed infelix parens; quæ proinde fœtus non habet niſi miſeros, pauperculos, infelices, quos omnes quia in odio eſſe volo, de ſingulis pauca.

Primus Acediæ partus eſt Pigritia.

Definitio. PIgritia Romano Oratori eſt *metus conſequentis laboris*, ex quo ſequitur hujus fuga, odiumque:

a. Thuſcul. Qq. l. 4. qui enim laborem metuit, eum quà poteſt fugit ac horret, & inde jacet in turpi *Ignavia*, inerti *Deſidia*, *Otioq́; damnabili*: qui enim ignavus eſt, qui deſes; in otio torpet, complicatis quaſi manibus ac pedibus.

Fabella de Pigro, & Pigritia. Et is fuit Bubulcus ille, de quo Æſopus in fabellis. Domum ille agebat ingens plauſtrum, faſcibus onuſtum & lignis, quod cùm in via lutoſa, ac ſalebris hæreret, ac retineretur tenaciùs, cœpit ille otioſè aſtans, Deos Deaſque omnes in auxilium vocare, maximè verò Herculem, quem præ cæteris ob celebratum vulgò robur colebat. Adfuit enimverò Hercules, & ſeſe conſpiciendum, imò & audiendum dedit, & ſtolidam hujus ignaviam ita corripuit.

Rotis manum, ô bubulce, applica, & ſtimulum bubus admove, ac deinde Deorum Dearumque opem expuſcito: nam ſi tu ceſſes, Dii Deæque fruſtra invocentur.

Fabella eſt, doctumque commentum, ex quo in vulgus emanavit ea parœmia.

Manum admoventes invocare Numina, fruſtra aliàs invocaturi: nec enim adſunt ignavis, imò nec ignavos audiunt: quod quia longè veriſſimum, ideò ut adſint, ut audiant, de ignavia illa, pigritiaque pauca. De ea fabellam ex Antiquioribus hauſiſti, Amice Lector: accipe è recentioribus emblema.

Hoc pigritiam exhibebit quaſi anum deformem, malè veſtitam, ſedentem, capite innixam in ſiniſtram manum, quæ etiam cubito incumbit genibus, ac dextera tenet funem, ſiniſtra torpedinem & teſtudinem, ſubjecta hac epigraphe: Emblem. Pigritiæ.

Torpet iners.

Anus eſt *pigritia*, quia ſenes plerumque ſunt ſegnes ac pigri; hoc nempè ætatis vitium eſt: quod in pigritia etiam ſceleris.

Eſt porrò *malè veſtita*, atque pannoſa: qui enim alia ſit? certè *pigritia* vel mater eſt vel *nutrix egeſtatis*, ut diſertè Seneca. Lib. de benef.

Sedet, quia in otio, à curis procul, procul à labore; hunc enim declinat quà poteſt; hunc odit ac deteſtatur.

Incumbit ſiniſtræ & genibus, quod torpentis eſt atque inertis. Capite inſuper devexo, atque declivi, quia ut rectè S. Iſidorus. *Per torporem & vires & ingenium ad ima deſluunt.* Lib. 2. Sol.

Una manu *funem tenet*, quia homines ligat, facitque minus aptos ad opus.

Altera *torpedinem* geſtat: piſciculus eſt, qui *remora* dicitur, quia naves in medio curſu ſiſtit, & remoratur, etſi aſpiret ventus, & vela inflet.

Denique *teſtudinem* oſtentat, animal utique inceſſu tardiſſimum, quia tardiſſimus eſt omnis acedus, omnis piger. Ecce pigritiæ imaginem ſymbolis illis bellè expreſſam: & quidem

Primùm torpedine: de qua ſic Plinius. *Si vel haſta virgine attingatur, quamvis prævalidos lacertos torpeſcere. quantumlibet ad curſum veloces alligari pedes, quaſi odore tantum, & quadam aura ſui corporis afficiat membra.* Hæc ille, nec minora de Echeneide, ſive remora; de qua iſta. Lib. 32. c. 1.

Ruant licet venti, & ſæviant procellæ, imperat furori, viresq́; tantas compeſcit, & cogit ſtare navigia, quod non vincula ulla, non anchoræ pondere irrevocabili jactæ. Infrenat impetus, & domat mundi rabiem nullo ſuo labore; non retinendo, ſed adhærendo.

Hæc Plinius de Remora, piſciculo, quæ ſi vera, cuidam naturæ miraculo aſcribenda: at illud quod à pigritia torporis accidit, quod tarditatis, quod remoræ vitio aſcribitur, & quidem immani. Hæc enim animum immortalem, expertemque corporeæ molis ad virtutum ardua, ad ſalutis æternæ portum concitato curſu, & piis cœli motibus, veluti quibuſdam ventis, in hac vita, ceu mari provectum, illicò ſiſtit, ſtareque cogit, dum omnes animi vires torpefacit, omnia corporis membra quodam veluti ſtupore alligat, ne ad ingentia mentis molimina; ad virtutum, gloriæque æviternæ culmina devehatur: quod quantum ſit & quàm ingens malum, videbit is, qui pigritiam in his quæ ſunt corporis, aut mundi hujus, compoſuerit cum ea, quæ ſpiritum & animam invaſit: illam ita deſcribit Sapiens.

Per agrum pigri hominis tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat. Prov. c. 24. v. 30. 31.

Agrum hominis pigri, & vineam ſtulti (in quibus ferè repoſita ſunt illius bona) ſub oculos ponit, docetque & hanc & illam peſſum ire à pigritia, & ſocordia illius hominis: ager quippe, qui probè excultus, fructus uberes efferre debuit; & vinea quæ generoſa vina fertili cornu fundere, non reddit niſi urticas, non parit niſi ſpinas & tribulos: & hoc

Ignaviæ partus. quia vel excolere noluit, vel ſi excoluit, purgare deſiit à loliis, ataniis, & hoc quidem, quia iners, quia ſocors, & piger: hæc enim omnia ſunt infelices pigritiæ partus: quid enim aliud ab illa?

Quod agro, quod vineæ ab ignavia: hoc & animo eſt à ſocordia. Erat animus homini à natura datus velut ager, aut vinea, quam labore multo, ſudore multo excoleret, & cui injiceret cœleſtia quædam virtutum magnarum ſemina, quæ deinde excreſcerent in meſſem omninò copioſam, quæ etiam

efferretur

efferretur in Domini horreum, in Cœlos ipſos, in ſinum beatæ æternitatis: ſed à pigritia omninò ſecus accidit, animus enim incultus, & ſibi quodammodo relictus, non ſolum maligna ſterilitate damnatus eſt; ſed etiam in vitioſa quædam germina pullulavit, & nihil edidit, niſi orticas, ſpinas, tribulos, & vitiorum omnium veluti quædam zizania; poſt quæ etiam diruta maceria, quæ illi erat pro cuſtodia adverſus immanes ſeu mundi, ſeu carnis, ſeu etiam mali dæmonis incurſus.

Fatendum enim, quod extra litem, immortali animo, ceu vineæ datum intrinſecus ſepem, hoc eſt ſui curam, atque cuſtodiam, & extrinſecus veluti maceriam quandam, hoc eſt, Dei & Angelorum protectionem, ne pateret aut belluarum, aut dæmonum incurſionibus, à quibus & vaſtaretur tota: ſed ô malum ignavia! ab hac & ſepes excisæ, & maceria deſtructa, adeoque deſtructa & ipſa Domini vinea, hoc eſt hominis animus, omnibus cœli fructibus orbatus, & ſpinis, urticis, carduis, hoc eſt vitiis omnibus oppletus. Quæ porrò ſint iſta vitia, accipe ex Ariſtotele: ſic ille quondam.

Lib. de Virtutibus. *Comitatur ignaviam mollities, effeminatio, torpor, vita cupiditas. Subeſt etiam quædam timiditas, & contentionis detrectatio.*

Hæ nimirum Acediæ comites ſunt, vel Indices, & quidem

Primò *mollities* quædam, parata cedere omnibus, reſiſtere nulli; eſt enim mirè timida pigritia, & is qui ſe illi mancipavit, à Iamblico rectè dicitur *Vir imbellis in habitu, & veſte muliebri pulvinari incumbens*: & hoc quia nihil viri habet, nihil quod Martem ſonet, quod generoſitatem præ ſe ferat; qui enim præ ſe ferret, cùm illi comes ſit *effeminatio* quædam. Diceres exuiſſe virilem ſexum quiſquis ignavus eſt, adeò fœminam olet. Olet & torpidum ſcomite ſcilicet *torpore, timiditate*, & omni *contentionis detrectatione*: quiſquis enim piger eſt, & laborem detrectat omnem, & contentionem animi corporiſque, quà poteſt, evitat; nulli certus *incumbere*, niſi *pulvinari*,

Et damna. ad quietem, ad ſomnum, ad torporem: ecce quæ animi maculæ, quæ notæ à pigritia: via noſſe quæ etiam damna: lege in uno alteróve ſimili.

Primùm dabit D Bernardus, qui pigram mentem

Serm. de S. Andrea. componit cum ſentina navis, quæ rimam patitur, & per eam latenter, & ſenſim ſine ſenſu aquam admittit, & quidem ea copia, ut tãdem obruatur, & mergatur navis: ſic & piger à turpi & deſidioſa ignavia & cogitationes pravas, & deſideria illicita in cordis ſinum, ceu navim, accipit, unde & ſuccumbat & pereat; oppreſſus ſcilicet immani peccatorum pon-

Lib. de Gradibus Perfectionis. c. 9. dere: quo etiam ejus noſcitur damnum. Ut & Ille, quod ſuggerit B. Laurentius Juſtinianus, qui deſidem atque inertem animam comparat cum aqua torpente, qualis ferè eſt in ſtagnis ac foveis, quæ, quia non fluit, putredinem contrahit, & in cloacam degenerat ac lutum, è quo non enaſcuntur niſi animalia venenata, atque homini noxia: ſic & anima deſidiæ tabe conficitur, ſinum contrahit, nec quicquam alit aut generat præter concupiſcentias carnales, ceu animalia veneno gravida, ac nociva. Et hoc ſecundum eſt ſimile, ex quo ignaviæ aperiuntur damna.

Tertium eſt à Seneca, Romano Sapiente; cujus hoc effatum dignum ceris melioribus.

Epiſt. 122. *Aves, quæ conviviis comparantur, ut immota faciliùs pingueſcant, in obſcuro continentur: ita ſine ulla exercitatione jacentibus, tumor pigrum corpus invadit, & ſuper membra iners ſagina ſuccreſcit: quod avibus illis: hoc & animæ pigræ*, ubi enim illa otio fuerit ſaginata, tum rapitur quaſi victima, tum orco traditur, æternisque inferorum umbris, atque incendiis; &

Apoc. c. 21. v. 7. hic eſt ignaviæ finis, finis & pigritiæ, cujus *pars*, ſive hæreditas *erit in ſtagno*: pigri enim, atque ignavi pro cœleſti hæreditate, quam labores fugiendo noluerunt acceptare, venient in partem & hæreditatem tormentorum, & æternorum quidem. Nec immeritò.

Secundus Acediæ partus eſt Otium.

ACedia, ceu fœcunda malorum parens, primo partu genuit pigritiam: ſecundo autem otium, mali corvi malum ovum, de quo in præſens mihi erit diſceptatio, in qua inquiram ecquod illud?

Otium eſt vacatio à labore, quæ ſi nimia ſit, ſi immodica, vitio datur, & quidem gravi: *ejus contrarium eſt negotium*; quod ut virtuti concedatur, ſerium eſſe debet, debet aut tibi, aut aliis utile eſſe, ac honeſtum; ſi enim aut inane ſit & futile, ſi leve & inhoneſtum, ſi indignum ea quam geras veſte, ſi abſonum ab inſtituta vitæ ratione ſtatuque; non negotium dixeris, ſed otium. *Definitio Otii.*

Et tale fuit aliquando Domitiani Imperatoris de quo ita Suetonius. *Inter initia principatus quotidie ſecretum ſibi horarium ſumere ſolebat, nec quicquam amplius, quàm muſcas captare, ac ſtylo præacuto configere, ut cuidam interroganti, eſſétne quis intus cum Cæſare, non abſurdè reſponſum ſit à Vibio Criſpo: ne muſca quidem.* Et hoc Domitiani negotium fuit, non abſimile aliorum, quos & damnavit Antiquitas, & damnabit quanta quanta erit Poſteritas. *In Domitiano cap. 3.*

Tale fuit *Arſacidæ*, Bractanorum Regis, qui tempus propè omne fallebat texendis retibus in capturam piſcium. *Antonius Guevara. l. 1. Epiſt. c. 2.*

Artaxerxis, qui dies totos nendo occupabat fœmineum in morem.

Artabani, Regis Hircanorum, qui laqueos parabat capiendis muribus.

Viantii, Lydorum Regis, qui hamos aptabat, & retia expiſcandis è vicino lacu ranis: quæ omnia, quia indigna Capitibus Coronatis, non negotium appellaro; ſed otium, & quidem turpiſſimum: verè enim otioſus eſt, qui non labori vacat, ſed nugacitati ſeſe impendit, & dies & horas malè inſumit: hinc Eugenium Papam opportunè monere D. Bernardus, ne ſe otio permitteret unquam, néve etiam nugacitati: imò ut neque hanc, neque illud coram ſe pateretur etiam in aliis: ſic enim ad illum. *Lib. 2. de Conſiderat.*

Fugienda otioſitas, mater nugarum, noverca virtutum. Inter ſæculares nugæ, nugæ ſunt; in ore ſacerdotis, blaſphemia: interdum tamen ſi incidant, ferendæ fortaſſis, referenda nunquam: magis interveniendum cautè, & prudenter nugacitati: prorumpendum ſanè in ſerium quid, quod non modò utiliter, ſed & libenter audiant, & ſuperſedeant otioſi.

Hæc Bernardus Eugenio Pont. Max. quem omni virtute inſtructum voluit, & ſemper in ſerium quid prorumpere, quod certè erat ſemper eſſe negotioſum, otioſum nunquam; & quis eum quoque te volo, mi Lector, idcirco de otio paulò fuſius. Audivimus Illius definitionem: attendamus etiam deſcriptiones, ex quibus ejus natura, malæque affectiones clariùs elucèſcent.

Unam jam intulit D. Bernardus, & ipſius ſummi in terris Dei Vicarii oculis objecit. *Deſcriptiones Otii.*

Eſt *Otioſitas mater nugarum*: otioſus enim animo nugas concipit, quas deinde exprimit ore, & per verba effundit in aliorum aures, animoſque, in eo & ſibi noxius, & aliis, & hoc quia malè otioſus; quia minimè occupatus ſtudiis melioribus, quia nec ſeriis intentus: & hinc malum alterum, imò & mala quamplurima: & hoc quia *I. Mater nugarum.*

Otioſitas eſt *ſchola* quædam *vitiorum*: ſic eam olim depinxit, ſic expreſſit Eccleſiaſticus, dum ita ad poſteros, *multam malitiam docuit otioſitas*. Noſce voles quam malitiam, & quæ vitia? Accipe ex Serapione Abbate, ſic ille quondam apud Caſſianum: *c. 33. v. 29.* *Collat. 5. c. 16.*

II. Schola vitiorum.

De Acedia otioſitas, ſomnolentia, importunitas, inquietudo, pervagatio, inſtabilitas mentis & corporis, verboſitas, curioſitas naſcantur. Ecce quæ vitioeum agmina, quæ monſtra parias otioſitas: vis etiam majora? adjice & alia, quæ mena otioſa concoquit, & in ſuam & io aliorum perniciem: cùm enim honeſto labore non diſtinetur, deficit ad vana, ad inhoneſta, ad carnalia, ad inceſtus, ad concubitus illicitos, atque adulteria: teſtem habeo etiam è profanis Ovidium l. 1. de remedio amoris.

Quæritur Ægiſtus quare ſit factus adulter
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

Addo ego, & otioſus. Certè otioſum D. Chryſoſtomus appellare non dubitavit. *Onus terræ*, nec onus tantùm: ſed & lues, & pernicies: ſic enim de illo:

Hom 35 in Acta. *Onus hic terræ, fruſtra advenit in mundum talis, imò non fruſtra: ſed in malum ſui capitis, in damnum proprium, in detrimentum aliorum.*

In c. 1. Iſa. Meritò *onus terræ*, quia cùm *initio ſuæ conditionis poſitus ſit in paradiſo, ut operaretur, & custodiret illum*, ut ſcitè notat D. Baſilius cùm operari deſinit, deſinit & terram colere, & cuſtodire, adeoque illi nec eſt pro cultore, nec pro cuſtode, & inde potius oneri, quàm levamento, & honori: nec oneri tantùm: ſed & malo quàm peſſimo: primò, quia in damnum *ſui capitis* (& ita fuit *Eſau*, *& ipſe otioſus: amiſit enim primatus benedictionem*) ut rectè advertit

Epiſt 25 ad Vercellenſem. D. Ambroſius, tum etiam in detrimentum aliorum; exarſit enim in iras, & fratris odium, & dirum in modum perſequi cœpit Jacobum, etiam innocentem: adeò verùm eſt otioſum in aliorum quoque perniciem atque detrimentum prorueee: cujus probè conſcii Athenienſes, otium vitio dabant, & ſceleri, atque illius adeò erant inimici, ut eos omnes, qui ſe otio & inertiæ præbuiſſent, etiam in jus vocarent. Audi quid de illis Valerius Maximus

Lib. 2. c. 6 *Egregios virtutis bellicæ ſpiritus Lacedæmoniorum prudentiſſimi pacis moribus ſubſequantur, apud quas inertia è latebris ſuis languore marcens, in forum perinde ac delictum aliquod pertrahitur, fitq; ut facinoroſa, ita erubeſcentia rei, culpa.* Hæc ille, à quo redeo ad D. Bernardum.

III. Noverca virtutum. Huic otioſitas eſt *noverca virtutum.* Inter matrem & novercam hoc intereſt, quòd mater in prolem à ſe genitam feratur inclinatione quadam naturali, & ſuavi amoris illecebra: & hoc quia eam aſpicit ut aliquid ſui, ut delibatam è ſua ſubſtantia portionem: at contra, noverca prolem ſpectat ut alieno toro editam, nec ut ſuam, & hinc in eam non propendet, nec inclinat eo, quo mater, amoris pondere. quid facias? Noverca eſt, agiturque ipſo novercæ genio: ſic & otioſitas; virtutes, ceu Cœli partus, videt quidem; ſed nec æquis oculis aſpicit, nec ut ſuos habet, imò nec tolerat ut ſuas: ſed exeſſe vult ex anima, velut domo ſua? Quid fiet? Noverca virtutum eſt, non mater: ab illa foveri, ali, retineri virtutes non poſſunt, exulent eſt ne-

Conſtit. 133. ceſſe: cujus omninò conſcius Juſtinianus Imperator eùm novellam conſtitutionem ederet de monachis, quos à virtutibus amabat inſteuctos probè, ſtatuit, ut in duabus rebus operam ſuam & diligentiam ponerent, atque ut aut ſacris ſcriptoris occuparentur, aut iis, quas vocant manuarias artes, ingenuo homine dignas, exercerentur, ut ſcilicet ab eorum rebus

Lib 3 Pædago. c. 11. abeſſet otioſitas, & ne eſſent unquam *male feriati*, uti loquitor Clemeos Aleaandrinus, à quo tranſeo ad D. Hieronymum.

IV. Rubigo ingenii. Huic otioſitas eſt *rubigo ingenii*, ſic eam appellandam cenſuit epiſtola ad Innocentium. Eſt autem erugo æris aut ferri vitium, quod contrahit ex longo ſitu, & quaſi otio: dum enim non teritur æs, aut ferrum non eſt in uſu & manibus, nitorem priſtinum exuit & vireſcit totum: transfertur tamen ſubinde erugo ad ſegetem, & eſt veluti quædam incidentis ſegetibus humoris putrefactio, quo vitio dum laborant ſegetes, marcidæ fiunt, & in pulverem fœtidum confricatiles.

Quod æri & ferro ab ærugine, quod & ſegetibus vitium eſt: idem & hominis ingenio evenit ab otio: ab hoc enim ingenii acies, & lux aurea & retunditur & obſcuratur tota, tota; fit marcida, & in pulverem abit etiam putidæ vanitatis, quam & levis aura diſſipet.

Ne porrò ſic diſſipet, age, exemplum ſume etiam à Profanis, atque Ethnicis.

Suetonius in ejus vita. Ex his erit *Octavius Auguſtus*, cujus adeò vigil erat ſolertia, ut ne in ipſo quidem otio otiari ſe pateretur: conſueverat enim tempore Balnei ſecum Poëmata meditari, quæ, non etiam ſine laude luci dedit & poſteris, & hoc ea eo quòd exiſtimabat animo vacare, & vagari mente, etiam in otio, indignum eſſe eo animo, quem imperio gerebat longè digniſſimum.

Vidiſti in purpura & otio minimè otioſum: accipe etiam in privata fortuna vigilem atque ſedulum.

Is erit *Livius Druſus*, vir ſanè acer ac vehemens, & nunquam non ſeriò occupatus, qui hæc aliquando de ſeipſo & liberè & verè: *uni ſibi, nec pueru quidem, unquam ferias contigiſſe*: adeò laboris amans, ac ſtudii, etiam à prima ætate, à teneris unguiculis, & hinc illi ingenium acre, ſubtile, & quaſi igneum, quia ſemper agitatum, quietum nunquam.

Lib. de Clementia. *Fax immota torpet, ignem agitata reſtituit*, inquiebat olim Seneca: ſic & ingenium, quod veluti fax animi eſt, immotum torpet, languet, atque extinguitur: agitatum autem, & ignem reſtituit, & conceptus igneos, id eſt acres, & ſubtiles, quos nonnulli marcidos, & flaccidos otium habuerat, imò & effluxerat

Ne autem ſic in te effingat, mi Lector, tempus omne, quod tibi à natura, Deoque conceditur, ſedulò, & ſeriò impende, & Senecam de illo pulchrè philoſophantem audi.

In Epiſt. *Quædam tempora nobis eripiuntur, quædam ſubducuntur, quædam effluunt: turpiſſima tamen eſt jactura, quæ per negligentiam fit*: ſed cur, inquies, turpiſſima? Quia ut ille ipſe Seneca: *omnia aliena ſunt*, & cùm eorum jacturam feceris, nihil, quod ex vero tuum erat, amiſiſti: at cùm tempus perdidiſti, quod tuum erat perdidiſti: quia, ut ſcitè Sapiens Romanus: *tempus tantùm noſtrum eſt*: quod ſi tantum noſtrum eſt; certè ſervandum quàm optimè, ne nobis pereat, & quidem damno irreparabili: alia quippè omnia cùm perdita ſunt, recuperari poſſunt: tempus non item: cùm ſemel effluxit, refluere non poteſt, ut patebit per omnia hujus vitæ bona excurrenti. Et quia hîc authore Seneca uſum ſum, non poſſum, quin illud ex eodem etiam adjiciam; quod fuit viri litterati pronuntiatum dignum meliore lycæo.

V. Mors, & ſepultura vivi hominis. *Otium ſine litteris mors eſt, & vivi hominis ſepultura.*

Ea perſuaſione motus meminit cujuſdam *Vatia* Romani, hominis prædivitis, qui cùm villam ad Baias ædificaſſet pulcherrimam, in eadem ignaviſſimo otio conſenuit. Seneca verò eam villam nonquam aliter, etiam *Vatia* vivo, præteribat, quàm ut aureum illud diceret.

Epiſt. 55. *Vatia hic ſitus eſt*; adeò illum in otio deliteſcentem, inter ſitos, & elatos reponebat.

Epiſt. 60. Imò & alio loco de hujuſmodi hominibus loquens, Latitant, inquiebat, & torpent, *ſic in domo ſunt, tanquam in conditivo*, hoc eſt ſepulchro.

Adeo apud Sapientem Romanum indubitatum erat illud, otium eſſe vivo homini pro ſepulchro.

Sed, inquies, etiam in litteris ſuum eſt otium. non abnuo: ſed tibi cum Franciſco Petrarcha duo otii genera ſub oculos pono, ut ad unum accedas, recedas ab altero. Sic ille.

Duas

Duas otii ſpecies definiunt. Operoſi alteram, atque in ipſa requie laborantis, ac circa honeſta ſtudia ſolliciti, quo nil eſt dulcius. Alteram inertis, & languidi, & ſolam requiem complcai, quo nil fœdius, nil ſimilius eſt ſepulchro. De primo igitor ſæpè magna quædam opera, & mundo utilia, & ſuis authoribus glorioſa proveniunt, De ſecundo autem oihil unquam, niſi ingloriofus torpor, ac marcidus. Primum illud ritè philoſophaotibus, hoc ſecundum pigris, ventri, ſomnoque deditis peropportunum, ubi nullo ioterpellante edant licenter, & dormiant. Hæc ille de duplici illo otio, de quo & illud Synefii Ptolemaidis Epiſcopi dictum

Epiſt. 142 illuſtre. *Nobis eſt otium ad philoſophandum: nullum otium ad malè agendum.*

VI Pulvinar diaboli

Veoio ad Poſtremam deſcriptionem, hauſtam ex inerti illâ & noxia quiete: ſecundom hanc dicitur, & eſt otium, *pulvinar diaboli*, in quo ſcilicet quieſcere videtur qoàm nobiliſſimè, ut io pulvinari ſolet piger, ac dormitabuodus. Quidni enim ſic quieſcat cùm illi qoies & gaudium ſit in malo noſtro; in ſcelere noſtro, in ſpiritali ruina, quam ſcilicet invenit in otio.

Serm. de Virgin.

Certè S. Athanaſius, graviſſimus author, docet *malos dæmones valdè oblectari otio corporis, otio & animi.*

Quod ipſum & S. Baſilius ex illo Servatoris oostri teſtimonio, quo monuit impuriſſimum dæmonem cùm exierit ab homioe, majore audacia, & contentione in eundem reverti ſolere, & reverſum invenire domum *vacantem*, hoc eſt otio præpoſtero indulgentem, & tum in eam regredi etiam auctam aliis atque aliis dæmonum catervis, & hoc quia per eam vacationem aditum præbuit & viam aperuit in animum, ceu illius domum, & infame diverſorium, cujus apprimè conſcii antiquiores Monachi, Ægypti incolæ, apud Caſſianum jactare ſoliti,

Lib. de ſpir. acediæ c.23.

Operantem Monachum dæmone uno pulſari: otioſum autem innumeris ſpiritibus devaſtari. Ubi enim onum aliquem nugantem, otioque diffluentem viderint maleficæ illæ mentes, ſubitò advolant ut muſcæ ad victimam, ut harpiæ ad menſam, ut vultures ad cadaver, ut nocturnæ ſtryges ad infandam choream.

Ut proiode opportunum ſit & ſalutare illud D. Hieronymi monitum ad Ruſticum piè graviterque ſcribentis.

Epiſt. 4

Facito aliquid operis, ut te ſemper diabolus inveniat occupatum. Ut ſuos ita inveniret S. Igoatius Societatis JESU Fundator, & Author, ſi quos fortè è fratribus Laicis compcriſſet otioſos, jubebat ex horto acervum lapidum in ſupremam domus cootignationem comportare, ac deinde ad ima reportare, non alio fructu, quàm ut tempus & horas, eo labore, religioſè fallerent, & occupatos invenirent ioſidiantes illis maligni inferorum genii. In quo, ut videbatur, ioutili opere duo ſpectabat Ignatius. Primò ne ſui otio torpereot, lanquidi toti, ac diſſoloti. Tum etiam ut fructum operæ ſuæ referrent obedientiam. Fatendum enim, quod ea vero dici poteſt, ac debet; ſubinde tantum eſſe mali in opere, quàm in otio verſari; quando nimirum illud opus eſt propriæ voluntatis, atque ab inſtituto alieoum, cujus rei exemplum illuſtre eſt apud Caſ-

Collat. 9. c. 6.

ſianum. Quidam enim è probatiſſimis inter ſeniores, cùm tranſiret non procul à cella cujuſdam fratris, hac animi, quam diximus, ægritudine laborantis, & occupati io operibus inutilibus, ſuperfluis, atque alienis ab obedientiæ lege, vidit eminos eum gravi malleo ſaxum duriſſimum cooterentem, eique aſtantem quemdam Æthiopem, qui unà cum eo junctis conſortiſque manibus ictus mallei allidebat ad ſaxum, & ioſuper ad operis illius inſtantiam quaſi ignitis facibus inſtigabat.

Quod ut coospexit, ſubſtitit illico, hæſitque diutiſſimè eodem in veſtigio, vel impreſſionem mali dæmonis admirans, vel fraudem tantæ illuſionis retegere certus. Dum autem ſic hæret, advertit primò fratrem illum nimia laſſitudine fatigatum, & propè fractum, quieſcere velle, & operi finem imponere: ac deiode rurſus inſtigatum à peſſimo illo ſpiritu vires & animos reſumere, unaque etiam malleum, cui dum incumbit totus, & in contentione cœpti operis pergit, nec tanti & tam inutilis laboris ſentit injuriam; cujus tandem miſertus ſenex ad cellam fratris divertit, præmiſſaque brevi de more ſalutatione, ſic ad illum:

Quod eſt, inquit, *mi frater illud opus quod agis?* Cui ille. *Laboravimus* ait, *in illud duriſſimum ſaxum, nec potuimus conterere.* Ad quæ ſenex: *benè dixiſti, nec potuimus*: non enim ſolus eras cùm illud cæderes: ſed fuit alius tecum, quem non vidiſti, & qui tibi in hoc opere non tam adjutor, quàm violentiſſimus impulſor aſtabat. Cui frater, ecquis, inquit, erat ille? Tum ſenior. Æthiops fuit, & malus dæmon, qui tibi & animos faciebat, & ſtimulos addebat ad opus, grave quidem, & laborioſum quàm maximè: ſed tamen inutile, quia & propria voluntate ſuſceptum, & contra inſtitutæ profeſſionis normam atque ordinem.

Hæc fratri ſenex, ut & dæmonis inſidias, maloſque dolos ac fraudes detegeret, & doceret imposterum, non eſſe laborandum oiſi ex obedientiæ ac ſuperiorum præſcripto: quod velim etiam probè doctos io ſocietate noſtra Coadjutores; imò & Scholaſticos, ne & ipſi tempus inſumant minus utilibus, & alienis ab inſtituto vel legendis, vel ſcribendis: non ſine gravi & temporis & ſpiritus jactura.

Tertius Acediæ partus, eſt animi remiſſio, & tepiditas in ſpiritu.

PRodigio ſimile eſt iſtud vitium mortaliom, è quibus omninò pauci, quibus ſit animi cura, cura ſalutis, ac beatæ æteruitatis: quod corporis eſt, quod hujus brevioris ævi, quod & mundi plerique curaot omnes.

Sit malè corpori, quæruntur undique medici, pharmaca petuntur vel ex ipſis Indiis, & altera ſolis domo: ſit animæ à peccato etiam quàm peſſimè, ea reponitur in poſtremis, nec de remedio vel levis eſt cogitatio.

Sit lis aliqua ſub judice, leguntur accuratè codices, evolvitur Bartolus, & Baldus, conſuluntur utriuſque juris periſſimi, ne cauſa cadat, qui eam movit: agatur animæ cauſa etiam Deo judice, agatur de ſalute, de æternitate; ſollicitudo propè nulla. Is oempè mortalium ſtupor eſt, is tepor, is difficultatis etiam minimæ horror, atque ex illo ea quoque injuria, atque dementia.

Augendæ ſunt opes, & res familiaris in immenſum amplificanda, toto orbe curritur, ſuperantur alpes, tranantur maria, franguntur & undæ, & venti, atque ad extremos mundi fines penetratur, invium eſt nihil, arduum othil, operoſum nihil, nihil ſatis abditum, eruuntur & ipſa terræ viſcera, atque ex oceano, imoque maris fuodo & conchæ educuntur, & uniones, divites utique aquarum partus.

Cœli gratia, Cœli gazæ aperiendæ, & parandæ pro tota æternitate opes, & divitiæ nunquam interituræ, de illis ne cogitatur quidem. Quid facias? Is hominum error eſt.

Aucupandus principom favor, & magnatum gratia, eam venari diſcunt, diſcunt & captare mortales: De ipſius Dei ter Opt. Max. amore, de ſuperum auxiliis, oullus eſt labor, ſtudium omninò nullum. Crederes oos terris natos, noo Cœlo. Quid dicam? Miraculum eſt: ſed ſtuporis, ſed erroris miraculum; cui tollendo impenditur hæc pagella,

cùm hunc Acediæ partum extinguere laborabit, cùm eam animi remiſſionem ac teporem abjicere, accenſo ſcilicet & animæ & ſalutis acquirendæ deſiderio, æſtuque ardente, & hoc quidem ex Apoſtoli voto; imò & Chriſti, qui ſic aliquando ad Angelum, id eſt Epiſcopum, Laodiciæ Eccleſiæ, & hoc quidem calamo illius diſcipuli, qui ei fuit à ſecretis. ſic ille.

Apoc. c. 3. v. 14 *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus eſſes, aut calidus:* hic ſudant interpretes, & in varias ſcinduntur ſententias, è quibus eam ſequar, quæ propiùs accedit ad argumentum, quod in manibus eſt.

Tepidus quis ſit? Tepidus hic dicitur, & eſt, qui inter virtutes & vitia quodammodo fluctuat, quique ex virtute quidem vivere, & peccata declinare vellet; ſed refugit eum laborem, qui ſibi cum vitiis eſt, & difficultatem, quæ cum virtutibus, ad quas ſcilicet iter arduum eſt. Ita Anſelmus Lyranus, Caſſianus, & alii.

Vel ſi mavelis, dic, tepidus eſt, qui Deum graviter & letaliter offendere, ſciens ac volens, omninò nollet: minora tamen, ac leviora peccata facilius temnit, in eaque prolabitur etiam volens: vel certè, qui altioris virtutis, ac perfectionis ſtudium negligit, ſeque abripi patitur ſuis ipſe concupiſcentiis, ex quibus ad graviora & letalia ſcelera pronus eſt lapſus: & is fuit Laodiciæ Angelus, ſeu Epiſcopus, quem ideò frigidum potius optaſſet, aut certè calidum.

Sed qui, inquies, frigidum? Calidum quidem voluiſſe, erat ex Cœli voto, erat ea illius ſalute, gratia, gloria, beatitate: hæc enim omnia vel unica vocula claudit ac notat. Eſt enim *calidus*, qui Dei ſui amore ac charitate & calet & ardet totus. At frigidum amaſſe quis volet, qui bonum vellit? Certè *frigidus* eſt, qui letalis peccati frigore geluque alget, qui rigeſcit quantus eſt: & quis eum mallit, quàm tepidum? *Tepidus* eſt, qui vel levioris noxæ reus, vel ſi gravioris, ex ignorantia, aut concupiſcentia is eſt: non tamen ex certa ſcientia, ex malitia, & depravata voluntate, qualis is eſt, qui frigidus totus. Qui ergo frigidum mallet Apoſtolus, quàm tepidum? cùm tepor minus ſit malum quàm frigus, & minus malum præferendum majori malo. Hic eſt nodus quæſtionis, qui ſolvendus probè.

Ea particula, *utinam*, votum eſt Apoſtoli; immò & Dei, quod nec alienum a natura, nec à Cœli legibus, quæ & illud patiuntur: videtur enim & votum iſtud, uti & ipſa permiſſio bona, quâ ſcilicet optat unus aliquis, aut etiam permittit, ut ignavus, & obfirmatus in ſua ignavia, adeoque ruinæ proximus, labatur in peccata graviora, & letalia, ut ex iis ſeipſe noſſe diſcat, & ſuos lapſus; ut deinde ſeriò reſipiſcat, & ſalvetur: alias in ſuo tepore damnandus Et hinc meritò frigidum maluiſſet Apoſtolus, quàm tepidum, quia hic majori ruinæ obnoxius eſt, quàm ille, majori & ſalutis periculo: frigidus enim cùm ſcipſe norit, ſeipſe exhorreſcit, & damnat, abitque à cœno vitiorum ſuorum, quod non facit tepidus, qui in eo hæret quaſi inſepultus, & inde & vitæ & ſalutis periculum adit, quod vel ex eo patet, quòd ipſi Deo nauſeam pariat; inde & hoc fulmen Apoſtoli; imò potius & Dei,

Verſ 16. *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus: incipiam te evomere ex ore meo.*

Quomodo evomitur à Deo. Metaphora ſumpta à cibis, qui ſi frigidi ſint, aut calidi, retinentur in ſtomacho, ſin autem tepidi vomitum provocant: cujus ratio petitur è natura. Frigida enim ventriculum mordent, exaſperantque contrahendo: calida autem exſiccant, & pungunt, & hinc ad utrorumque contactum ipſæ ventriculi partes contrahuntur, ut utraque ſtringant, complectantur, & percoquant. Contrà verò tepida, quia tactum habent blandum, ſuavem, ac mollem, ſtomachum laxant, ſolvunt, extendunt, aperiuntque ad vomitum cibi aliàs gravioris ac moleſti; contra quem dum inſurgit natura, eum expellit, atque evomit, cujus apprimè conſcii medici, ex ipſo naturæ genio, & artis ſuæ præſcripto, ad vomitum procurandum aquam tepidam offerre ſolent ægris à ſtomacho malè affectis, ut eum exonerent.

Quod naturæ: hoc & illius authori Deo, cui tepidus cùm ignaviam ſuam, velut aquam tepidam, infundit, eum ad vomitum provocat: at quis ille vomitus? Ne crede eum eſſe, qui eſt à crudo atque indigeſto cibo; ſed ab anima tepida: quam, quia non fert Deus, non ſuſtinet illius patientia, aliàs invicta; eam evomit, à ſe abjicit, atque execratur, ut ſolent homines cibos quos evomuerunt: in quo & notandum illud, quod facit ad divinæ bonitatis commendationem, & animæ tepidæ horrorem, periculum, damnumque ſempiternum, quòd ſcilicet, ut cibi non evomuntur, niſi facta naturæ, ipſique ſtomacho violentia: ſic nec tepidi niſi Dei bonitati atque indulgentiæ vis inferatur: at ubi ſic evomuntur, & Superis & Deo horrori ſunt deinceps, atque execrationi: quod ſanè extimeſcere plurimum, atque exhorreſcere debet quiſquis à ſuo vitio tepidus eſt.

Sed & illud quoque, quod ex eo conſequens eſt, quòd ſuperis omnibus exoſus, quòd & ipſi Deo maledictus; cujus teſtem habeo Jeremiam, qui hæc aliquando triſti nænia.

Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, vel c. 48. v. 10.
ut alia lectio habet, *negligenter*. At quod, inquies, *opus Domini?* Eò loci, ac temporis, erat opus divinæ juſtitiæ, erat vaſtatio ac cædes Moabitarum, Quomodo maledictus.
quam Dominus evictus eorum criminibus decreverat, atque imperarat Chaldæis: quod qui feciſſet *fraudulenter*, hoc eſt, qui ob lytrum, vel ob aliam cauſam eis pepercisſet, næ ille *opus Domini* feciſſet *fraudulenter*: finxiſſet enim ſe Moabitas occidere velle, & interim pepercisſet, in Dominum injurius; imò & in ſeipſum, ut qui in Domini ſui maledictionem incurriſſet: & meritò: ſervus enim, qui opus ab hero præſcriptum negligit, eum ſuo jure & lucro defraudat; & miles, qui hoſti parcit contra Ducis nutum atque Imperium, in ejus injuriam facit, & ſibi malum accerſit.

Quod ſervus Domino, quod miles Duci: hoc tepidus Deo: hujus nutu atque Imperio jubetur hoſtes ſuos, pravos ſcilicet affectus, mortificationis gladio perſequi, cædere, jugulare, perdere: at ſecus omninò facit; eos & vivere patitur, & perennare, imò & ſibi Deoque inſurgere: & hinc divinæ maledictionis fulmine percutitur, quia opus Domini, & *fraudulenter* facit, & *negligenter*.

Vocarat te Deus in ſua caſtra; in ſuam militiam, quiſquis es Chriſtianus, quiſquis & religioſus, non alio conſilio, quàm ut Dei tui hoſtes, imò etiam & tuos, vinceres, ſterneres, profligares: at eis per ſummum nefas indulſiſti, in Deum perfidus, in te injurius: quid mirum ſi hîc te Cœlum detonet, ſi maledictionis fulmine feriat?

At rurſum ingeminabis tepidum illud, ecquinam illi hoſtes, quos impugnare, quos & vincere debuerat? Auguſtinum audi: *Ibi vincuntur inimicæ po-* Lib. de Agone
teſtates, ubi vincuntur cupiditates. Sunt ergò cupidi- Chriſtiano.
tates tuæ hoſtes tui, ſunt inimicæ poteſtates etiam c. 2.
eæ noxæ, quas leves reputas, & tamen Cœlo judice intentatur tibi fulmen maledictionis, niſi eas etiam ferro vindice excideris; & contra beatus, ſi excideris: ut enim Propheta Regius in hac palæſtra exercitatus in paucis.

Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad Petram. Latina verſio *parvulos ſuos*. At qui ſunt illi

parvuli?

parvuli? Qui hunc Pſalmi verſiculum traducunt ad mores ritè formandos, exiſtimant parvulos illos eſſe leviores noxas, & ipſa quodammodo vitiorum initia, quæ qui tenebit, qui capiet, qui apprehendet, qui corripiet, atque allidet ad petram, id eſt Chriſtum; næ ille beatus erit: uti contra infelix, ac miſerabilis ille, qui per ignaviam, & inertem ſocordiam, ea adoleſcere ac creſcere patietur ingenti ſuo damno, & ruina inevitabili. Fatendum enim, quod & in ſimili natura docuit, & experientia, à minimis ad maxima caſum fieri.

Eccl. c. 18. *In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus.*

Tepiditatis mala. Vidiſti ampliſſimam ædificii molem, & minas murorum ingentes, ſi lapſa de Cœlo aqua, vel guttatim tantum impluat, imò ſi grando, ſi nix, & molle vellus aquarum ſeſe per rimas & floccos inſinuet, neceſſum eſt ut paulatim & ſubſidat contignatio, & collabatur domus, firma ſit licet, & ſolidis nixa fundamentis.

Probaſti lapidem, & marmore ipſo duriorem, & hic molleſcit, atque atteritur levi atque frequenti guttarum illapſu: *gutta* quippè *cavat lapidem, non vi, ſed ſæpè cadendo.*

Quod domui, quod & lapidi à molliore illa, ſed repetita ſæpiùs guttarum illuvie: hoc & animo à noxis etiam levioribus frequentiſſimè iteratis, ideoque etiam ab his cavendum quàm maximè. Cap. 14

Lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra conſumitur, inquiebat, patiens Jobus.

Sis lapis, ô homo, ſis durus, ac ſolidus, nec emolliri facilis, nec pronus in malum inflecti: & emollieris tamen, & inflecteris, imò & frangeris, ni caves à minimis.

Non es durior ferro, non chalybe firmior; & tamen & hic, & illud lima ſenſim atteritur.

Non es cedro ſolidior, & tamen is à tinea arroditur, exediturque à vermiculo quantumvis tenero: & arroderis ipſe, atque exederis etiam à peccatis, ut dici ſolet, venialibus: ideoque ſi ſapis hæc averſare, hæc declina, hæc fuge; ratus ſalutem, ac vitam animi pendere etiam à minimis. Si ſanus eſſe voles, infirmitates opprime priuſquam invaleſcant.

Principiis obſta, ſerò medicina paratur
Cùm mala per longas invaluere moras.

Ne porrò invaleſcant, initiis obſta, & ſerpentem, dum parvus eſt, ac ferè innoxius, extingue. Extingue, inquam, ea vitia, quæ ab animi remiſſione, ac tepiditate paulatim accreſcunt, extingue, ac ſuffoca etiam in cunis; & ne tibi ab otio, atque inerti pigritia ſit malè, ſedulus labora, utique labores vel exemplo formicæ, ad illam: *Vade, ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam.* Iob c. 6. v. 6.

Æſtate laborat illa, itque reditque viam ſæpiùs; utque hyeme victitet, congregat, in ſua veluti horrea, quod in meſſe collegit: ſic & metas ipſe, ſic & colligas ſub hoc vitæ ſole, dieque, quod feras æternitatem, & à quo in ea vivas, & vivas æternum benè.

FINIS TOMI SEXTI ET ULTIMI.



LEODII,
EX OFFICINA TYPOG. JOANNIS MATHIÆ HOVII,
Ad inſigne Paradiſi Terreſtris. M. DC. LXVIII.